







DEO REIPUBLICÆ ET AMICIS
ESTO SEMPER FIDELIS



HERMAN. WITSIUS. IN SEX. FOED. PR. BELG. ECCL. AN. XLI. EVAN. M. SS. TH. D. ET IN ACAD. OLIM FRANEQ. AN. V. DEIN ULTRAI. AN. XVIII. NUNC LUGD. BATAV. PROF.

Natus prid. Eid. Febr. CIƆIƆCXXXVI. *Obijt*
año Ætat. LXXIII. *a.d.* IX. *Kal. Novemb.*
CIƆIƆCCVIII.


יהוה
H. WITSII
Miſcellanea
Sacra.
Lug. Batavorum
Apud Conradum Maÿerum

HERMANNI WITSII MISCELLANEORUM SACRORUM

LIBRI IV.

QUIBUS

De Prophetis & Prophetia, de Tabernaculi Levitici mysteriis, de Collatione Sacerdotii Aaronis & Christi, de Synedriis Hebraeorum, de IV Bestiis Danielis, de cultu Molochi, de Seculo hoc & futuro, de sensu Epistolarum Apocalypticarum, de Schismate Donatistarum,

Diligenter & prolixe disseritur.

Additæ sunt tabulæ aliquot, quibus Tabernaculum cum suo apparatu, & Pontifex, & Synedrium, affabre delineata sunt.

EDITIO NOVA,

Ab Auctore recognita, & Præfatione aucta.

Accessit præterea

Oratio de Auctoris Vita.

TOMUS PRIMUS.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CONRADUM MEYERUM,
MDCCXXXVI.

ILLUSTRISSIMO VIRO, EVERHARDO VAN WEEDE,

TOPARCHÆ de WEEDE, DYCKVELD, RATELES &c.
GENERE, SAPIENTIA, VIRTUTE NOBILISSIMO
PRIMIS REIPUBLICÆ DIGNITATIBUS ET INTAMINATIS HONORIBUS FULGENTI,
LEGATIONIBUS VARIIS AD MAXIMOS EUROPÆ REGES PRINCIPESQUE, PARI FIDE, PRUDENTIA ET FELICITATE OBITIS INCLUTO,
PRÆCLARIS DENIQUE IN PATRIAM MERITIS IMMORTALE SIBI DECUS ADEPTO,

MISCELLANEA SUA SACRA

Dicat Consecratque

HERMANNUS WITSIUS.



Uem publice privatimque dicentem toties tam benigne audivisti, eum ne nunc quidem asperneris, VIR ILLUSTRISSIME, dum meditata oratione & vitæ suæ institutum edisserit, & quid hoc libri sit exponit, quod nunc offerri tibi vides, & quibus denique

denique inductus caussis incluto id nomini tuo inscribere sustinuerit. Ita rem comparatam esse arbitror cum mei ordinis munerisque hominibus, ut non sibi solum temporis sui ratio constare debeat; sed, quum in publica omnium luce versentur, omnibus quoque eam quodammodo reddere teneantur; iis imprimis sub quorum præsidio atque tutela foecundo iis otio frui licet. In his quum tu principem nunc facile locum obtineas, dissimulandum mihi non est, quod, post Deum Optimum Maximum, tibi præcipue studia mea approbare gestiam. Quem suo sacravit ministerio unicus generis humani Sospitator Jesus, eum summa ope niti decet, ut in regno ipsius amplificando, & gloria promovenda, & sua, aliorumque fidei suæ commissorum, salute procuranda, nihil reliqui fecisse videatur. Quidquid est, quidquid habet, quidquid potest, ipsi unice impendendum. Temporis imprimis sui, rei uti fugacis ac lubricæ, ita & carissimæ, diligentissimam oportet habere rationem; ne illius interversi maleque collocati reus, beata æternitate multetur. Hæc ego quoties apud animum meum perpendo, perpendo autem sæpius, toties horreo ac contremisco: ac nisi cum clementi Domino, imo indulgentissimo Patre, mihi rem esse confiderem, non possent cogitationes meæ a desperatione sejungi. Quanta enim vitæ pars elapsa est male agenti? quanta nihil agenti? quanta aliud agenti? Quam indignum id est homine sapientiæ studium professo? Quanto indignius Christiano, cui redimendæ oportunitatis industria tam accurate inculcata est? At longe indignissimum Theologo; cujus omne in eo situm est officium, ut & sermone & exemplo doceat, quomodo diligenti piaque brevissimi temporis usura ad gloriosam enitendum sit æternitatem. Cujus veritatis ingenuam confessionem dum ipsa mihi extorquet conscientia, non tamen ita damnat, quasi inerti delectatus silentio ad impositum mihi officium plane torpuissem. Contrarium testari possent toties vigilatæ noctes, quæ exactos

labo-

laboriose dies consecutæ sunt; tantaque aliquando studiorum contentio, ut ei ferendæ vix par esset corpusculum. Tuncdemum vivere mihi videbar, quum scrutandis sacrorum voluminum abditis recessibus ac thesauris incumbebam; nulli parcens diligentiæ qua assecuturum me Domini mentem sperabam; nullos non lubenter consulens interpretes, quos supra me profecisse arbitrabar; ex omnibus grato mihi animo vindicans quod Divinæ veritatis scintillatione se commendabat; nulli sectæ addictus, nulli factioni implicitus, nulli humano nomini mancipatus, sed a solius Domini ore nutuque pendens, atque humili fidei obsequio regnum Dei recipiens veluti puerulus. Quo modo atque animo sacratissimas illas veritates discebam; eodem & docebam: sive in Ecclesia, sive in Schola, publica, domesticave. Nunquam ego humani cujuscunque nominis auctoritatem, nedum meam, quæ scio quam sit exigua, vel nulla potius, doctrinæ meæ obtendi; nihil in negotio religionis credi volui, quia vel Theologorum numero, vel Conciliorum decretis, vel formularum consensu nitebatur; sed quia id verbo suo revelaverat Deus, cui uni discipulos facere, hoc opus mihi, hic labor fuit. Sic itaque instituebam, ut Divinas veritates quam possem clarissime exponerem, & singulas seorsim, & omnes junctim, in nexu illo & concatenatione elegantissima, quæ cœlestis Sapientiæ pulcherrimam iis speciem induit. Mox ad ipsos fontes deducebam Auditores meos, ubi quæ meis verbis, & sermone nostris temporibus usitato, explicueram, Deum ipsum, sua, ut ita dicam, lingua docentem, audire licebat; & vetabam acquiescere, donec in eum penetravissent sensum quem nulla oratione expressius atque efficacius tradi potuisse deprehenderent, quam ea qua usus est Dei Spiritus. Atque ita unicum mihi studium fuit, ea quæ in Divinorum voluminum uberi varietate sparsim, uti res ferebat, tradita inveniuntur, ad suas singula sedes referre, ut ex lignis illis cedro melioribus, & argento, & auro,

& lapidibus pretiosis, ordine decenti compositis, Augusta Sapientiæ ædes strueretur. Non tamen interdictum mihi esse existimavi, ut non singulare aliquod doctrinæ caput prolixius aliquando pertractarem: aut illustri alicui sacrarum literarum pericopæ explanandæ inhærerem diutius. Sic enim patefacere Auditoribus meis animum inducebam, quam imperscrutabilem sapientiæ opulentiam, non universa modo, sed & singula complecterentur: adeo ut quocunque fodiendo penetraveris, novos identidem, nec minores repertis, thesauros invenias. Fuit etiam quum Veteris Testamenti ritus & ceremonias; fuit quum Prophetiarum ænigmata, aut memorabiles, tam Israëliticæ, quam Christianæ gentis, historias; fuit quum integras Epistolas, Divini Spiritus instinctu conscriptas, exponerem. Subinde quoque in Antiquitates utriusque Ecclesiæ excurri, unde lux aliqua obscurioribus oraculis affulgere posse videbatur. Et quamvis ita natura & consuetudine factus sim, ut a litibus vehementer abhorream; evadere tamen non potui, ut non arma quandoque in eos stringerem, quos ingenio & eruditione sua ad Deum ipsum impugnandum, & verbum ejus vel contumeliosis fictionibus elevandum, vel argutis torsionibus eludendum, abuti cernebam. Sic tamen ut omnia ad Dei in Christo gloriam, veræque sanctimoniæ exercitium referrem. Hæc quando commentabar, vidi lectissimorum juvenum non infrequentem coronam disciplina mea uti, quorum plerique quæ audiebant calamo excipere, ut quisque ingenio & manu promptior, conabantur: quum memoriæ insculpere omnia, atque ea imprimis quæ in citationibus consistunt, non patiatur humanæ sors imbecillitatis. At nec mea mihi sufficiebat recordatio, nisi conscriptis adjuta schedulis. Hinc necessitas quædam orta est, nonnulla prolixius consignandi; ut & ego haberem quæ traderem, & auditores mei, quæ tradidissem. Non enim ex una, quamvis perspicua, recitatione teneri poterant omnia; neque ita a studiosis annotari ut non aliquam-

multa exciderent, nonnulla etiam haut bene percepta male consignarentur. Atque hæc vera librorum origo meorum est: hic finis ut iis nimirum prodessem qui meæ concrediti disciplinæ sunt. Non vana ambitio, non tædium otii, aut impatientia silentii, in tanta circumstantium occupationum turba, ad scribendum impulerunt; sed solida auditorum meorum utilitas. Tum &, ut parentes eorum & amici, aliique longius a nostro remoti commercio, ipsa denique posteritas, si modo ætatem scripta mea ferent, cognoscerent, quo pacto exercere meos soleam, & in quo ipsiscum stadio decurram. Ex eodem fonte hic MISCELLANEORUM nunc Liber prodit, quem, qua par est observantia, Tibi, VIR ILLUSTRISSIME, datum dicatumque venio. Miscellanea dixi, propter Exercitationum diversitatem & varietatem: & quod nullo aliquando necessitudinis nexu junctæ sunt. Quamvis in singulis pertractandis ordinis, ut meus est captus, fuerim studiosissimus. Et primus quidem Liber, integrum de *Prophetis* & *Prophetia* syntagma continet; ubi aliquoties instituendum mihi fuit earum opinionum examen, quæ curioso hoc seculo pro magna sublimioris sapientiæ parte venditantur; at injuriosæ oppido in Dei verbum & Spiritum sunt: & si sapientiæ accenseri debeant, ad eam pertinent sapientiam, quam Jacobus Apostolus terrenam, animalem, dæmoniacam vocat. In Dissertationibus de *Tabernaculo* & *Sacerdotio Aaronis*, aliquando mihi cum SPENCERO res est, Viro certe eruditissimo, sed qui in omnibus propemodum institutionibus Mosaicis Ægyptiorum stultitiam videre mavult, quam Dei, populum suum ad salutaria fidei mysteria, per eas veluti umbras, condocefacientis, nunquam satis prædicandam sapientiam: & sacratissima quæque religionis Israëliticæ capita ex putidis Ægyptiorum lacunis arcessere amat, potius quam ut fateatur a Deo ordinata esse in arcaniorum rerum typos & figuras. Ac ne de singulis speciatim dicam, omnia, nisi fallor, ejus generis sunt, ut juventus nostra eorum

lectione in intellectione Sacrarum Literarum proficere queat. Nisi fortassis ultimam Dissertationem, *De Schismate Donatistico*, excipere libeat: quæ tota historica est; & cujus scriptæ editæque occasionem, & usum, in illius exordio docui.

Hæc autem, qualiacunque sint, Illustrissimo nomini tuo inscribere visum fuit. Cujus rei graves oppido caussas habeo; quarum aliæ mihi cum civibus meis communes, aliæ magis propriæ sunt. Omnes quotquot Diœcesin Ultrajectinam incolimus, venerationem debemus insignibus virtutibus tuis, quibus non minus quam auctoritate & potestate emines, omniumque commodis assidue invigilas. Et quo quisque modo potis est, venerationem istam & verbis & opere contestari convenit. Patere ergo tibi nunc dici, VIR ILLUSTRISSIME, quod ne de te dicatur omnis modestia tua vetare aut vitare nequit: patere ut quodammodo speculi vice fungar, & te tibi ostendam, neque verere ne minus considerem quid aures tuæ ferre possint, quam quid virtutibus debeatur. Ingenium, quod natura tibi dedit multarum magnarumque rerum capax, & quod ipse studiis sapientiæ diligentissime excoluisti, quam primum per ætatem licuit, aditum tibi ad magistratum & honores fecit. Ubi mox quantum valeres apparuit, & quid committi solertiæ tuæ posset, & quanta denique exspectanda a prudentia tua forent postquam, rerum usu confirmata, maturuisset. Nam quæ singula partitim quemque nobilitant,

In te mixta fluunt; & quæ divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Mentis per omnem honestarum artium cultum exercitatæ incredibilis sagacitas, memoria supra fidem tenax, priscæ & recentioris historiæ exacta peritia, suada incomparabilis, sive vernacule sive Gallice dicendum foret, diligentia nulla assiduitate fatiganda, & negotia pro solatiis accipiens, indoles erecta & generosa, studium bene de egregio publico merendi,

rendi, præ quo res omnes relictas habebas; quibus accessit ille honor capitis, & dignitas oris, & morum comitas, & affabilis humanitas, & quæ plura in laudum tuarum concentu conveniunt, hæc quum singula ad conciliandos hominum animos plurimum valeant, ubi tam felici in te copula juncta conspiciebantur, omnium tibi amorem, reverentiam, admirationem facile comparaverunt. Eam ob rem supremis dignitatibus ornatus, maximisque rebus admotus, non civium solum tuorum, sed & collegarum oculos in te convertisti, eas demum res feliciter evasuras credentium quæ tua expediendæ erant prospicientia. At nunquam tua in Patriam Pietas luculentius se exseruit, quam fatali illa calamitate, quum, Gallorum dominio subdita, conclamata propemodum esse videbatur. Taceo quæ tunc civibus officia apud hostes præstiteris; quod illi non tacent qui quanta ibi quoque auctoritas tua esset magno suo commodo experti sunt. Id unum memorare debeo, quod grata semper mente agnoscet posteritas: quum pulcherrima hæc & amœnissima civitas crudeli Gallicæ aulæ decreto devota internecioni esset, diripienda primum militibus, mox depopulanda flammis, & suis contumulanda ruderibus, tunc tu, columen Patriæ, mora fatorum, precibus, consiliis, omnique officiorum genere, feralis sententiæ revocationem, urbique quasi vitam ex morte impetravisti: tua prudentia inductis hostibus ut redemtionem civitatis quam excidium, rebus suis conducibiliorem crederent.

Non dicam quæ a quibusdam relata sit gratia. Nonnulla silentio transmitti satius est, ut annalium nostrorum dehonestamenta. Recte factorum verus fructus est fecisse; nec ullum virtutum pretium dignum illis extra ipsas. Cæterum habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur. Occultat utrorumque semina

Deus, & plerumque bonorum malorumque caussæ sub diversa specie latent. Tanti fuit, Rempublicam pauxillo tempore tui caruisse, ut palam fieret, quod carere tui non possit. Mox enim non antiquæ solum dignitati restitutus, sed novis auctus honoribus, fessis rebus murus ac præsidium fuisti, turbatas composuisti; bello, pace; in castris, in curia; domi, foris, ubique consiliis potens, fidus ac felix. Testes sunt tot legationes, tanta cum gloria, tanto cum Reipublicæ fructu gestæ; quibus eximiæ illæ virtutes tuæ apud exteras etiam gentes inclaruere. Nimirum tibi quoque elogium illud debebatur, quod Atilii Calatini sepulcro incisum fuisse in Catone Majore narrat Cicero: PLURIMÆ CONSENTIUNT GENTES, POPULI PRIMARIUM FUISSE VIRUM. Nullum autem majus meritorum tuorum argumentum est, quam quod ea maximo Principum, Magnæ Britanniæ Regi, acerrimo ingeniorum æstimatori, approbaveris. Illi, inquam, Regi, quem exoratum terris numen oportune concessit, ut Britanniam suam numellis & compedibus quæ ei parabantur eximeret, ut Belgicam nutantem sustentaret, ut insana hostium in reipublicæ & religionis perniciem conjuratorum molimina, prudentia, virtute, felicitate sua elideret. Dignus enimvero ad quem, tanquam ad clarum & beneficum sidus, non Britanni solum, sed & Belgæ sui, certatim advolent, objicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem struendum sit. Dubitare liceat, VIR ILLUSTRISSIME, an in omnibus titulis tuis augustiorem illo numeres, quod, uti Davidi olim Husai Archites, ita tu GULIELMO III, AMICUS REGIS dici merearis Quæ amicitia eo tibi gloriosior est, quod non nisi publico utilis sit. Enimvero nihil habet vel fortuna tua majus quam ut possis, vel natura tua melius quam ut prodesse velis quam plurimis.

Atque

Atque hæc quidem ingentia merita tua quum mihi non minus quam cæteris civibus meis constent, æquum est ut a me quoque agnoscantur ac prædicentur, mansura in animis Belgarum, in æternitate temporum, fama rerum. Sed & propria magis ac privata mihi caussa est, quæ ad tuarum me virtutum recordationem & commemorationem obligavit. Quippe quas familiari quatuor mensium contubernio propius non nosse solum, sed & frui datum est; quum Belgicæ in Britanniam ad JACOBUM II. legationi, cujus tu pars magna eras, a sacris essem. Tunc seposita persona, quam domi vix est ut quisquam semper servet, quis intus, & apud te esses, conspexi; & quæ tibi non circa Rempublicam solum, sed & circa Deum illiusque cultum mens, & animus, & sinceritas esset, quæ reverentia verbi ejus, quod studium veritatis ad pietatem directæ, quæ denique cura Ecclesiæ in fidei puritate, & pacis unitate, conservandæ, non fallaci experimento didici. Ab eo tempore facilis mihi ac mollis aditus tui fuit, & apertæ aures tuæ; quas uti nunquam importunis solicitationibus rerum nihil ad me pertinentium fatigavi, ita faventeis semper expertus sum, quotiescunque vel pauperum quorundam caussam, vel Religionis & Ecclesiæ negotia commendare habui. Ad hæc enim duo capita res eas referri posse arbitror, de quibus ullus mihi tecum sermo fuit. Neque inficias ivero, magnum fuisse animo meo solamen, quod non displicuisse tibi ministerium, sed probatum candorem meum, & simplicitatem, & modestiam, & vitæ uniformitatem, toties & tam prolixe, apud principes etiam viros, profiteri dignatus es. Quarum ego rerum memoriam quum conservandam esse judicarem, Dedicationi huic eas inserere volui, qua tuo nomini hoc quidquid est operis nuncupo. Accipito illud, VIR ILLUSTRISSIME, qua soles æquitate ac benevolentia: accipito, inquam, ut perpetuæ meæ erga te obser-

observantiæ duraturam tesseram. Hic solus favor, hæc unica gratia est, quam mihi nunc & libro meo imploro. Non enim, quod multi solent, auctoritatis tuæ adversus obtrectatores præsidium ambitiosa inscriptione posco. Sanctior ea mihi est, quam ut mea caussa aliorum malitiæ exponatur. Et denique quæ bene a me dicta sunt, solius veritatis præsidio tuta, ipsa sese tuebuntur: quæ male, ea ne ego quidem tueri velim; pereant, & dispareant ad clarius serenioris lucis jubar. Tu vero, VIR ILLUSTRISSIME, vive, flore, coelique auctus muneribus, & in multos annos sospes, præclarissime factis nova & majora addito, in omne ævum per titulos memoresque fastos æternanda. Ita scribebam, ac vovebam, Ultrajecti, anno æræ vulgaris MDCXCI. Ipsis Kalendis Octob.



PRÆ-



PRÆFATIO.

CONTINENS

Varias observationes, quibus aliquam multa in hoc libro illustrantur, nonnulla & corriguntur.

BREVIARIUM.

I. *Apud Ægyptios summus sacrorum Antistes Propheta dicebatur.* II. *Historiam de cingulo Jeremiæ rem vere gestam exponere, prolixe probat Bochartus.* III. *Memorabile Theodosii insomnium.* IV. *Privilegia Mosis ex catechesi Judaica.* V. *Deum visiblem esse, nec Israelitæ crediderunt, nec Persæ, nec Romanorum primi, nec prisci Germani, nedum Moses.* VI. *Maimonidis notabilis commentarius de visione Dei, quam petiit Moses.* VII. *Mosem totum Pentateuchum ex Dei dictantis ore scripsisse, fundamentalis est fidei Judaicæ articulus.* VIII. *Johannes Clericus, mutata sententia, Mosen pro scriptore Pentateuchi agnoscit.* IX. *An 2. Reg.* VIII. 10. *Elizæus Hazaeli jusserit Benhadado renunciare non esse ipsum moriturum prolixe disquiritur.* X. *Hebræorum sententia de auctore Libri Josuæ.* XI. *Propheta tempore Gideonis, an Angelus.* XII. *Salomonem librum Sapientiæ Chaldaice scripsisse credit R. Azarias.* XIII. *Jesaia a Manasse serra lignea dissecti historiam fabulæ propiorem esse, ostendit*

Gatakerus. XIV. *Discrimen inter Prophetiam & donum Spiritus Sancti verbis Kimchii expositum.* XV. *Jarchius per testes quos adscivisse sibi narratur Jesaias Cap.* VIII. 2. *intelligit Uriam & Zachariam prophetas.* XVI. *Johannem in utero exsultantem Christum non cognovisse ante Calvinum Augustinus docuit.* XVII. *Scriptores super testimonio Josephi, quod de Christo edidisse fertur.* XVIII. *Mosen postquam prophetare cœpit perpetuam sibi ab uxore abstinentiam indixisse, auctor est Maimonides.* XIX. *Propheta quidam in Ecclesia Christiana seculo* II. XX. *Marciani caput noctu circumfulget lumen ad Divinorum eloquiorum intelligentiam.* XXI. *Johannes Propheta ætate Theodosii.* XXII. *Tabernaculum cum suo apparatu figuras fuisse rerum spiritualium docet auctor En Israël.* XXIII. *Cornua altaris an refugii tutelam præstiterint.* XXIV. *Patriarchæ qua mente obtulerint sacrificia, secundum Aberbenelem & Menachem.* XXV. *Gen.* IV. 7. *nova interpretatione illustratur a Lud. de Dieu.* XXVI. *Aaronis filios una cum ipso unctos certum esse videtur.* XXVII. *Pulcra Cocceji observatio, cur piacularibus victimis nefas fuerit addere thus & oleum.* XXVIII. *Otio deditus Hebræorum lege a testimonii dictione, nedum, a Senatu, exclusus fuit.* XXIX. *Princeps Synedrii plerumque ex domo Davidis fuisse creditur.* XXX. *Pontificem subfuisse censura Synedrii, negare videtur Aben Ezra.*

LECTORI S.



Uum animum ad scribendas has Exercitationes appuli, ea de singulis dixi, quæ vel recens lectio, vel vetustioris observationis suggerebat memoria. At verum esse comperi quod proverbio dici solet, diem a die doceri, & invenire hodiernum quod præterierat hesternus. Hinc natæ mihi

hi ad quasvis fere materias annotatiunculæ, quibus ea quæ tractaveram copiosius, nonnulla etiam accuratius atque elegantius exponi posse deprehendi. Non tamen visum est, iteratam hanc operis editionem crebriori mutatione ita commendare, ut de prioris decore aut dignitate multum detraheretur. Nimis benevole excepta a publico est, quam ut de æquis emptoribus male mereri, eorum quæ nunc possident exemplarium depretiatione, debuerim. Idcirco pauca in hac editione correcta aut expolita, pauciora addita invenies: operam enim dedi ut suus in utraque numerus paginis constaret. Ne vero & profectus meus prorsus publico periret, utque ingenuitatem meam, quam ego magnum eruditionis ornamentum esse arbitror, in aliorum qui meis meliora tradiderunt laudibus, ubi res ferebat, ostenderem, stricturas quasdam, pro specimine, in chartam conjeci, quas ista nunc præfatione exhibeo.

I. Quid Prophetæ vox in populo Dei notaverit, *Lib.* I. *Apud Ægyptios summus sacrorum Antistes Propheta dicebatur.*
I. *cap.* I. satis, nisi fallor, prolixe explicui. Addere nunc lubet, Ægyptiis *prophetam* dictum fuisse *summum sacerdotem*, qui reliquis sacerdotibus & pastophoris præesset, & qui templorum reditus cæteris distribueret. *Epiphanius Lib.* III. *adversus Hæreses:* παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις προφῆται καλούμενοι τῶν ἀδύτων τε καὶ ἱερῶν ἀρχηγοί. *Nimirum* primus in templo procedebat *Cantor*, deinde *Horoscopus*, tum *Scriba* sive ἱερογραμματεὺς, postea *vestitor* seu στολιστής. Denique novissimus incedebat *Propheta*, hydriam in sinu gestans: ut docet *Clemens Alexandrinus: Lib.* VI. Prophetarum autem nomine Antistites suos insigniebant Ægyptii, quod arcana quædam & mysteria ab iis tradi crederent. Unde peregrinæ sapientiæ studiosi familiaritatem eorum ambiebant. ἱστορεῖται Πυθαγόρας μὲν Σωγχῆδι τῷ Αἰγυπτίων ἀρχιπροφήτῃ μαθητεῦσαι, apud eundem *Clementem Lib.* I. Et alter *Clemens Recogn. Lib.* I. *haud procul initio:*

 Ægyptum,

Ægyptum, inquit, *petam, atque ibi Hierophantis, vel Prophetis, qui adytis præsunt, amicus efficiar.* Vide *Menagii observationes ad Proœmium Diogenis Laertii. Segm. 1.* & imprimis *Valesium in Euseb. Lib.* IV. *Cap.* VIII. Græcos quosdam, volente Adriano, Antinoum consecrasse auctor est *Spartianus p. mihi 65.* Ad quem locum sic notavit *Casaubonus: Ejus consecrationis cum alia exstant hodieque monumenta, tum istud Romæ egregium.*

ΑΝΤΙΝΟΩ
ΣΥΝΘΡΟΝΩ ΤΩΝ
ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ ΘΕΩΝ
Μ. ΟΥΛΠΙΟϹ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟϹ
ΠΡΟΦΗΤΗϹ.

Qui lapidem hunc honori Antinoi dedicavit Hadriani libertus fuit, aut alicujus e Trajani cognatis. Erat autem προφήτης *id est sacerdos Antinoi. Sed quoniam vulgo creditum est sacerdotio præditis vim divinandi inesse, ideo non* ἱερέα *se aut sacerdotem vel flaminem nominat, verum Prophetam.*

II. Historiam de cingulo Jeremiæ rem vere gestam supponere, prolixe probat Bochartus.

II. Cap. III. Sect. IX. verbulo monui, certum non esse quod nonnulli pugnant, historiam de cingulo Jeremiæ ad Euphratis crepidinem deposito, atque ibi computrescente, deinceps ab eo reassumto portatoque, non de rei factæ veritate, sed de visione prophetica, exponendum. Postea in Epistolas *Bocharti* incidi, ubi problema istud accuratius tractatur: & tam auctoritate quam artificialibus argumentis evincitur, bene scripsisse *Cyrillum*, suis in *Hoseam* commentariis, οὐδεὶς ἡμᾶς ἀναπείθει λόγος παραιτεῖσθαι τὸ γράμμα, καὶ τῆς ἱστορίας τὸ εἰκαῖον καταψηφίζεσθαι. *Nulla ratio est qua nos suadeat literalem sensum repudiare: historiæque probabilitatem opinione nostra elevare.* Vide sodes epistolam doctissimam subjunctam Geographiæ sacræ p. 959. novissimæ editionis.

III. Memorabile Theodosii insomnium.

III. In memorabilibus insomniis, de quibus *Cap.* IV. §. IV. & seq. principem locum meretur illud *Theodosii*, apud

apud *Theodoretum Historia Ecclesiastica Lib.* v. *Cap.* xxiv. Theodosius adversus Eugenium Tyrannum cum exiguis copiis pugnaturus, in oratorio, quod in vertice montis, ubi castra habebat, situm erat, totam noctem orando transegit. Sub galli cantum invitum oppressit somnus. Humi ergo jacens duos quosdam viros videre sibi videbatur, alba indutos veste, & equis albis insidentes: qui metu posito bono eum animo esse juberent, & prima luce arma capere aciemque ad pugnandum instruere. Auxiliatores enim se & propugnatores missos; & alterum quidem Johannem Evangelistam, alterum vero Philippum Apostolum esse. Qua visione ad preces alacrius Deo offerendas animatus Imperator est. Idem visum somnianti contigit militi; qui quum centurioni id suo narrasset, ab eo ad Tribunum, a Tribuno ad Magistrum equitum, deductus est. Is, ratus se novi aliquid nunciaturum, Imperatori retulit. At Imperator, *non mea*, inquit, *causa iste hoc vidit: ego enim iis qui victoriam polliciti sunt credidi: sed ne quis forte suspicaretur me, pugnandi desiderio, ista finxisse, Adjutor imperii mei hac isti quoque revelavit, ut narrationis mea testis esset idoneus. Priori enim mihi communis Dominus hanc visionem objecerat. Proinde abjecto metu antesignanos & duces sequamur.* Quid multis? ubi ad prælium ventum est, & tela utrimque conjici cœpere, vera esse quæ promiserant ostenderunt propugnatores illi. Vehemens enim ventus ex adverso in hostes ruens, cunctas eorum sagittas, & jacula hastasque avertit, adeo ut omnia eorum tela in cassum ferrentur. Ad hæc pulveris immensa vis in eorum faciem magno impetu delata, ipsos palpebras claudere & periclitantibus pupillis succurrere cogebat. Milites vero Imperatoris Theodosii ex eo turbine nullum incommodum passi, alacri animo hostes cædebant.

IV. Moſis privilegia præ cæteris prophetis enarravi Cap. VII. Et tanti faciunt Hebræorum Doctores, ut ex tredecim fundamentalibus fidei ſuæ articulis ſeptimum his conceperint verbis, in eleganti Catecheſi cui titulus eſt, ספר לקח טוב *Liber doctrina bona*, aliquoties Amſtelodami a Judæis recuſa. שהאיש משה גדול מאד בנבואה על כל הנביאים שהיו מן העולם ועד העולם וכל שאר הנביאים שהיו לפניו ואפילו האבות ואשר קמו אחריהם כלם הם תחתיו במעלה והוא היה בחיר אלקי יעקב שנתן על ידו לישראל תורת אמת משיבת נפש. והשיג מידיעתו יתברך מה שלא השיג שום אדם: *Moſen virum omnium maximum in prophetia, omnes prophetas qui unquam a ſeculo in ſeculum fuerunt ſuperaſſe: & omnes reliquos prophetas qui ante eum fuerunt, ipſos etiam Patriarchas & horum poſteros, dignitate eo minores eſſe: eumque eſſe electum Dei Jacob, cujus miniſterio legem veritatis, quæ animum recreat, Iſraeli dederit: & pertigiſſe illum in cognitione Dei Benedicti, quo non pertigit ullus hominum.* Προτερήματα autem Moſis quatuor potiſſimum fuiſſe volunt, hoc ipſis ordine numerata. I. Quod, quicunque etiam Propheta fuerit, cum eo non loquatur Dominus niſi per Angelum, aut aliquem a materia ſeparatum; cum Moſe autem locutus ſit ore tenus, quemadmodum dictum eſt: *ore ad os loquar cum eo.* Num. XII. 8. II. Quod nulli cæterorum Prophetarum obvenerit prophetia niſi in ſomnio, aut viſione nocturna, aut interdiu poſt ſoporem gravem, adeo ut deſierint omnes ſenſus eorum, ſicuti ſcriptum eſt, *in viſione ipſi innoteſcam, in ſomnio loquar cum eo.* ibid. vers. 6. At de Moſe dicitur, *non ita ſervus meus Moſes.* Quod in omnibus reliquis prophetis, ſuperveniente iis influxu prophetico, ſenſus vel ceſſaverint, vel certe debilitati fuerint: Moſi autem nullus acciderit tremor, nulla debilitas; ſed valentibus ſenſibus ita ſe ad Deum habuerit, uti homo ad compellantem ſe amicum. IV. Quod ſuper reliquis prophetis non quieverit prophetia omni tempore

pore quo voluerunt, ſed pro voluntate Domini, & aptitudine ipſorum ad prophetiam. At Moſes omni tempore diſpoſitus fuerit, & quandocunque voluit ut reſideret ſuper ipſo Spiritus Domini, eo fuerit inſtructus; quemadmodum dictum eſt, *Exſpectate, atque audiam quid dicturus ſit Dominus.* Num. IX. 8. Hactenus Catecheſis Judaica: cujus dictata in omni parte præſtare non auſim.

V. Deum viſibilem eſſe, nec Iſraelita crediderunt, nec Perſæ; nec Romanorum primi, nec priſci Germani, nedum Moſes.

V. At hoc ſcio, injuriam Moſi feciſſe Spinoſam, quum tam ſtupidum eum fingit, ut, poſt frequentes divini in eum Spiritus appulſus adhuc crediderit Deum eſſe corporeum atque viſibilem. Eam a Moſe contumeliam amovi *Cap.* VII. *Sect.* XX. Nunc addo: in fundamentalibus articulis fidei Judaicæ, quam omnes ſe a Moſe didiciſſe profitentur, hunc eſſe tertium, שהאלוה היחיד והמיוחד הזה אינו גוף ולא יוגדר בגדרי הגוף וכמו שכתוב כי לא ראיתם בל תמונה: *Quod Deus hic unus & unicus non ſit corpus, neque ſit definiendus aliqua corporis definitione: uti ſcriptum eſt* non vidiſtis ullam ſimilitudinem. Deut. IV. 15. Et ſane non quovis ſolum Iſraelita, ſed & gentilium philoſophis, quorum notiſſima in hanc rem ſcita ac dicta ſunt, integriſque populis, ignorantiorem numinis Moſen eſſe oportuit, ſi tam ſtolide inſaniverit. De *Perſis* ſcribit *Herodotus in Clio*: ὅτι οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς, καθάπερ οἱ Ἕλληνες. De *Numa Plutarchus*, quod ſcita ipſius Pythagoræ placitorum germana fuerint: οὔτε γὰρ ἐκεῖνος αἰσθητὸν ἢ παθητὸν, ἀόρατον δὲ καὶ ἀκήρατον, καὶ νοητὸν ὑπελάμβανε τὸ πρῶτον. *Non ulli ſenſui aut ulli dolori expoſitum verum principium eſſe, ſed inviſibile, incorruptum, ſola mente exiſtimavit apprehenſibile.* Hinc vetuit Romanis, hominis vel beſtiæ formam attribuere Deo: qui & primos centum & ſexaginta annos ſimulacrum nullum habuerunt: ὡς οὔτε ὅσιον ἀφομοιοῦν τὰ βελτίονα τοῖς χείροσιν, οὔτε ἐφάπτεσθαι θεοῦ δυνατὸν ἄλλως ἢ νοήσει, *nefas putantes auguſtiora exprimi humilioribus; neque adſpirari aliter ad Deum quam mente poſſe.* De

Germanis Tacitus : Deorum nominibus appellant secretum illud quod sola reverentia vident. Quis credat in tam crasso Mosen, amicum Dei ac familiarem, hæsisse errore, cujus integras gentes, nulla supernaturali luce collustratas puduit?

VI. Maimonidis notabilis commentarius de visione Dei, quam petiit Moses.

VI. Verum, inquiunt, si crediderit videri Deum non posse, cur tam sollicite ad illius se conspectum admitti petiit? Operæ pretium est cognoscere quid illi quæsito responderit *Moses Maimonides*, cujus notabilem oppido commentarium ex *Tractatu de Fundamentis legis, Capite* I. exhibuit Vir doctissimus *Ludovicus de Dieu ad Exod.* XXXIII. *vers.* 18. ביקש לידע אמתת המצאו של הק"בה עד שיהיה ידוע בלבו כמו ידיעת אחד מן האנשים שראה פניו ונתחקקה צורתו בלבו שנמצא אותו האיש נפרד בדעתו משאר האנשים כך ביקש משה רבינו ליהיות מציאת הק"בה נפרדת בלבו משאר מציאת הנמצאים עד שידע אמתת המצאו כאשר היא והשיבו ברוך הוא שאין כח בדעת האדם החי שהוא מחובר מגוף ונפש להשיג אמתת דבר זה על בוריו והודיעו ברוך הוא מה שלא ידע אדם לפניו ולא ידע לאחריו עד שהשיג באמתת המצאו דבר שנפרד הקב"ה בדעתו משאר הנמצאים כמו שנפרד אחד מן האנשים שראה אחוריו והשיג כל גופו ומלובשו בדעתו משאר גופי האנשים. Id est, *quæsivit veritatem essentiæ Dei eousque nosse, ut cognitum eum in corde haberet, non aliter ac si hunc illumve hominem noverat, cujus faciem vidisset, cujusve formam menti insculptam haberet. Existit enim Vir ille separatus in mente ejus ab omnibus reliquis hominibus. Sic quæsivit Moses ut essentia Dei separata existeret in mente ejus a reliquis essentiis entium; sic ut nosset veritatem essentiæ ejus qualis est. At respondit ei Deus, longe esse supra mentem hominis cujuscunque viventis, quippe qui ex corpore & anima compositus sit, assequi veritatem hujus rei prout se habet in sua puritate. Manifestavit tamen ei quod nec quisquam hominum novit ante eum, nec sciet quisquam post eum; adeo ut de veritate essentiæ ejus assecutus sit aliquid, quo discretus fuit Deus in mente ejus a reliquis entibus : eo scilicet modo quo quis cujus tergum vidisset, cujusque corpus & vestem cognovisset, discretus in mente ejus esset a reliquorum hominum corporibus.*

Hæc

Hæc Maimonides. Quæ ſi quis juſto ſubtiliora, nimiſque Philoſophica, quam pro captu ejus ſeculi arbitretur, non habebit me valde repugnantem: at dignius Moſi attribuuntur, quam tam abſurda ſtupiditas.

VII. Moſen totum Pentateuchum ex Dei dictantis ore ſcripſiſſe, fundamentalis eſt fidei Judaicæ articulus.

VII. In diſputatione qua controvertitur an Moſes Pentateuchi ſcriptor ſit, quam prolixe exſecutus ſum Cap. XIV. non injucundum neque inutile eſt hodiernæ Synagogæ ſententiam exploratam habere. Eam iis incluſerunt articulis, quorum aliquem qui negat, is pro deſertore fidei Judaicæ conſendus ſit. Articulus autem eſt ordine octavus, in Catecheſi modo laudata, hoc conceptus ſermone: שכל התורה כולה מבראשית עד לעיני כל ישראל כלה כתבה משה מפי הק"בה' ואין הפרש בין פסוק אנכי ה' אלקיך לפסוק ותמנע היתה פלגש וכדומה לוהי אלא כלה היתה שיה ודבר ה' ומימריו הם כל פסוקיה ודבריה: *Totam legem omnino inde a prima voce* Bereſchit, *uſque ad verba ultima*, coram oculis totius Iſraëlis, *ſcripſiſſe Moſen ex ore Domini: nec eſſe differentiam inter verſiculum:* Ego ſum Dominus Deus tuus Exod. XX. 2. *& verſiculum:* & Timna fuit pellex. Gen. XXXVI. 12. *& ſic in ſimilibus: ſed iſta omnia eſſe vocem & ſermonem Domini, cujus ſententiam omnes verſiculi & ſingula verba exprimant.* Duo itaque diſerta oratione profitetur Eccleſia Iſraëlitica; Deum eſſe Pentateuchi quoad omnes ſui partes, ſingulaſque adeo dictiones, auctorem: Moſen vero omnium ſcriptorem, qui, ſummi numinis inſtinctu, prout ipſi dictabantur victuris literis commendaverit. Curaſſe vero Moſen ut ſingulis tribubus de ſacro volumine, ita a ſe conſcripto, proſpectum fuerit, tradit *Maimonides*, in Præfatione eximii operis, cujus titulus eſt *Jad Chaſaka:* כל התורה כתבה משה רבינו בכתב ידו קודם שמת ונתן ספר לכל שבט ושבט וספר אחד נתן בארון לעד: *Totam legem manu ſua deſcripſit Moſes Magiſter noſter priuſquam moreretur, ſingulaſque tribus donavit volumine: unum autem repoſuit in arca ut pro teſte eſſet, juxta* Deut. XXXI. 26.

VIII. *Johannes Clericus, mutata sententia, Mosen pro scriptore Pentateuchi agnoscit.*

VIII. Sed & aliud in hac Disputatione est, quod ne celem meæ arbitror interesse ingenuitatis atque candoris. Præter *Hobbesii*, *Spinosæ*, *Simonii* in ista controversia sententias atque argumenta, produxi & examinavi novam prorsusque singularem opinionem, qua Pentateuchi conscriptio, Mosi abrogata, sacerdoti nescio cui Samaritano attribuitur. Eam in Libro Gallico legeram quo exhibentur judicia quorundam Theologorum Batavorum super Simonii Historia Critica. Libri istius auctor ex publica fama creditur esse *Johannes Clericus*, Vir Doctissimus. Neque haut agnitum ipsi esse hunc ingenii sui fœtum unquam intellexi. In eo libro, quem epistolari stilo scripsit, nunc suam ipse personam sustinet, nunc amici alicujus sui quasi nomine loquitur. Ego sine anxia ejus discriminis, quod nec ipse, credo, attendi admodum postulavit, observatione, compendii caussa simpliciter Clericum dixi. Ab eo tempore prodiit ejusdem *Johannis Clerici commentarius Philologicus in Mosis Prophetæ Librum primum*. Illi præfixæ sunt Dissertationes tres. Titulus tertiæ est, *De scriptore Pentateuchi Mose*: ubi, versa velificatione, eandem propemodum quam nos adstruximus sententiam propugnat, & ab incommodis quibus premi solet liberat. Quod non ad meæ solum sinceritatis vindicias, sed & ad ipsius laudem hic commemorandum existimavi.

IX. *An 2. Reg. VIII. 10. Elisæus Hazaeli jusserit Benhadado renunciare non esse ipsum moriturum, prolixe disquiritur.*

IX. Quando Capite XV. dicta quædam ut exempla revelationum examinabam, quibus vel Prophetæ, vel alii Deum consulentes inducti videntur in errorem, non veniebat tunc in mentem multum ab Interpretibus vexatus locus qui exstat 2. Reg. VIII. 10. Ubi narratur Benhadadum Syriæ Regem ad Elisæum misisse unum ex proceribus suis, Hazaelem, sciscitatum, num futurum esset ut ex morbo quo laborabat convalesceret. Respon-

det

det autem Hazaeli Elisæus in hæc verba: לֵךְ אֱמָר־לא חָיֹה תִחְיֶה וְהִרְאַנִי יְהוָה כִּי מוֹת יָמוּת Quæ verba aliis linguis varie redduntur, ob ambiguitatem particulæ לא: quæ ordinarie quidem sic scripta valet *non*: at observarunt Masorethæ, quindecim esse loca ubi scribitur quidem לא, sed legi, vel saltem intelligi debet quasi scriptum esset לו, quod notat *ei*. Istis vero locis hunc quoque annumerant. Eam observationem si Masorethis relinquamus, exponendus est Elisæi sermo in hanc mentem: *Abi*, *dic*, *non omnino revalesces: nam ostendit mihi Jehova eum omnino moriturum.* Sic habet Junii versio, quam & Belgæ nostri sequuntur. Priscis tamen interpretibus, & Hebræorum Magistrorum multis, Christianis quoque pluribus, magis allubuit nota Masorethica. Vulgata versio habet: *Vade, dic ei, sanaberis.* LXX. δεῦρο, εἰπὸν, ζωῇ ζήσῃ. Chaldæus, Syrus, Arabs, eodem sensu. Quem & secutus est Josephus *Antiq. lib.* IX. *cap.* II. Ὁ δὲ προφήτης τὸν μὲν Ἀζάηλον ἐκέλευσε μηδὲν ἀπαγγέλλειν τῷ βασιλεῖ κακόν. Clarissimus Vir *Campegius Vitringa*, *sacrarum observationum Lib.* III. *Cap.* XVI. Masorethicam explicationem præferendam censet, his argumentis. I. Quia Hazael verba Prophetæ ad Benhadadum herum suum referens, ea ipsa verba חיה תחיה repetit, omissa particula negativa לא. Non constat vero Hazaelem verba prophetæ aliter retulisse, ac propheta ea enunciaverat. II. Verbum imperativum אמר *dic* commodissime construitur cum sequente vocula relativa לו. Omnino enim verisimile est, Elisæum personæ, de qua loquebatur, & cui ejus nomine verba quædam reddenda erant, aliquam saltem voluisse facere mentionem. Decus itaque orationis & constructionis exigit, ut credamus Elisæum dixisse, אמר לו, refer ad ipsum, & non simpliciter, אמר *dic*. III. Accedit, quod auctores sacræ punctationis voculam לא per *Makkaph* conjunxerint antecedenti vocabulo אמר: eo satis

 aperte

aperte ſignificantes, ſe velle ut vocula לא heic accipiatur pro לו. Hactenus Vitringa. At qui eam ſequuntur interpretationem magna ſe involvunt difficultate, unde exitus eſt perquam incommodus. Quomodo enim ſanctiſſimus Dei Propheta, ab ægro rege ſerio & reverenter conſultus, regio miniſtro, contra difertam Dei revelationem, nil profuturi mendacii auctor eſt? Hic multum ſudant interpretes; & vix eſt qui viam ſibi ſapiat. *Grotius* propemodum manus dat, quum ita commentatur: *ſi hanc lectionem ſequimur, fuerit hic, non diſſimulatio ſola, qualem ponit Joſephus, ſed plus aliquid, quod tunc adverſus extraneos & idololatras habebatur pro licito.* At quidquid ab Illuſtri viro dicatur, ego nemini fas eſſe arbitror quenquam ad mentiendum inducere; nedum ut id cum Prophetæ inſtituto, & in oraculi cauſſa, conveniat. Nugas certe agit *Ben Gerſom*, contendens noluiſſe Prophetam, ut quod cœlitus ei patefactum erat oraculum renunciaretur regi, ne diceretur tam ferali ſententia metu mortis regem exanimatum eſſe, & cauſſa mortis imputaretur Prophetæ. Alii itaque malunt, ironice locutum eſſe prophetam, ad exemplum Michæ, 1. Reg. XXII. 15. Achabo dicentis: *aſcende, & proſperare, ſcilicet tradet Jehova in manum regis.* Verum nec hoc concinnum ſatis eſt. Non enim cum ipſo Benhadado agit Eliſæus, ut ex dicentis geſtu, ac pronunciatione ironiam intelligere potuerit; uti facile intelligebat Achabus. Marinus annotat, Prophetam amphibola uſum locutione, ut *Lo* prolatum intelligi poſſet *non*, vel *ei*: ſed Hazaelem affirmative intellexiſſe. Cæterum id repugnat textui: Expreſſe enim Propheta dicit, revelavit mihi Jehova eum eſſe moriturum. Alii igitur ſubtilius: Rogabat rex, an revaleſcam ex morbo hoc? Ei quæſito præciſe reſponderi jubet Propheta, omnino revaleſces. Id eſt morbus hic non eſt lethalis, neque ex ſe cauſſa tuæ mortis erit.

Sed

Sed addit Propheta ad legatum: ostendit mihi Jehova, eum omnino moriturum; ex alia caussa, nimirum tuo scelere. Verum & hoc videtur coactum. Quomodo enim hæc prophetæ verba, sic exposita, in continua oratione cohærent? omnino revalesces, morbus tuus non est ex sua natura lethalis: & ostendit mihi Jehova, eum esse moriturum. Et certe non convaluit ex morbo Benhadadus. Postridie enim, æger & in lectulo cubans, & aquæ, ut videtur, refrigerium petens, intincta in aquam stragula scelerate ab Hazaele suffocatus est. Alii denique verba sic interpretantur, ut nullum hic sit Vatis præceptum, sed tantum prædictio eventus: atque imperativus ponatur pro futuro indicativi, ut sæpe fit. Pro exemplo sit: Joh. II. 19. *solvite templum*, id est solvetis. Vide *Glass. Gramm. sac. Tract.* III. *Can.* XLIII. *pag. margin.* 358. Hanc expositionem cæteris præfert, & eleganter illustrat laudatus modo *Vitringa.* At vero, si & mihi dicendæ sententiæ locus sit, incassum se argutis id genus inventionibus fatigasse Viros eruditissimos credo. Quum nulla prorsus se difficultas prodat, si verba ita legantur atque intelligantur uti scriptionis Hebraicæ veritas habet; sensu negante, *non reconvalesces.* Equidem tanta mihi non est Masoretharum auctoritas, ut ob eam, nisi justis fultam rationibus, a receptæ lectionis ordinaria significatione recedam: tum minime, ubi illam insistens viam difficultatibus implicor, quibus tollendis maximorum ingeniorum solertia vix, aut fortasse ne vix quidem, par est. Rationes a Clarissimo *Vitringa* ad Masorethicæ observationis propugnationem adductæ, quod pace ipsius dictum sit, exigui mihi ponderis esse videntur. Nam *primam* quod attinet, admodum verisimile est, non tam alienum ab aulæ artibus animum habuisse Hazaelem, ut grata, quantumvis falsa, quam dura, licet vera, hero annunciare haut maluerit. Certe ipsius

moribus convenientius fuit, ut contra animi sui religionem mentitus esse credatur, quod fecit indubie, quam ut castissimo Vati oratio attribuatur quæ vel specie tenus mendacio faveat. *Non constat*, ait Vir Doctus, *Hazaelem verba Prophetæ aliter retulisse ac Propheta ea enunciaverat.* Imo vero constat, inquam ego, Hazaelem mentem Prophetæ pervertisse, Dominoque suo nunciasse contrarium illi veritati quam contineri oraculo norat. Acute *Ludovicus Cappellus Crit. sac. Lib.* III. *Cap.* x. §. xv. *Nisi quis forte dicat, Spiritum Sanctum ideo ambigua voce* לא *usum hic esse, ut & Elizæi mandatum, & Hazaelis factum, mandato contrarium, simul exprimeret. Elizæus nempe præcipiebat ut diceret, omnino non convalesces; sed Hazael, quia sciebat ejusmodi nuncium ingratum futurum Benhadado, contrarium retulit, omnino convalesces.* Ad *secundam* observo: Verbum Imperativum אמר *dic*, non minus commode construi cum sequente vocula negante לא, quam cum vocula relativa לו. Non enim necesse erat Prophetam de persona monere, cui hæc renuncianda forent: res ipsa loquebatur. Nimium fastidiosis auribus esse oportet, qui orationi & constructioni suum deesse decus sciscit, quando Prophetam Hazaeli super salute Domini sui consulenti respondentem audit, *abi, dic, nullo pacto vives.* Græci, qui cæteroquin elegantiæ studiosiores sunt, voculam לו, quam hic urget Vir Doctissimus, omiserunt: δεῦρο, εἶπον, ζωῇ ζήσῃ. Quod *tertio* loco de *Makkaph* monet propemodum nihil est: quam enim exigua, quam nulla sæpe lineolæ illius vis sit, nisi si forte ad euphoniam; quam promiscue ponatur vel omittatur, & in eadem constructione nunc has nunc alias voces nectat, ipso me melius Vir doctissimus novit. Ne longe abeam, exemplum nobis hoc ipsum caput suppeditabit. Commate quinto verba sic junguntur: וַיְהִי הוּא־מְסַפֵּר, ubi *Makkaph* est inter duas voces posteriores, quarum junctionem sensus exigit.

Com-

Commate vero vigeſimo primo ſic exſtat: וַיְהִי־הוּא קָם לַיְלָה, ubi *Makkaph eſt* inter duas voces priores, quæ tamen ſenſu disjunctæ ſunt. Quum itaque multæ ſint, eæque reales difficultates, ſi a Maſorethis inducti ab ordinaria ſcriptione recedamus, nullæ autem ſi eam ſequamur, concludo, hoc illo multo prudentius, tutius, melius eſſe.

X. *Cap.* XVIII. §. VIII. egi de auctore Libri Joſuæ. De quo hæc tradunt Hebræi in *Baba Batra Cap.* I. יהושע כתב ספרו ושמונה פסוקין שבתורה: *Joſua ſcripſit librum ſuum, & octo verſus legis.* Nimirum poſtremos illos Pentateuchi, qui mortem & ſepulturam Moſis narrant. Additur tamen reſtrictio aliqua. יהושע כתב ספרו והכתיב וימת יהושע בן נון עבד ה׳ דאסקיה אלעזר· והכתיב ואלעזר בן אהרן מת דאסקיה פנחס: *Joſua ſcripſit librum ſuum. Quod vero ſcriptum eſt Cap.* XXIV. 29. & fuit poſt hæc, & mortuus eſt Joſua filius Nun, *id compoſuit Eleazar. Quod vero ſcriptum eſt com.* 33. & Eleazar filius Aaronis mortuus eſt, *id compoſuit Pineas.* Vide *Obſerv. Joſeph. de Voiſin in Proœmium Pugionis Fidei. pag. mihi* 117.

X. Hebræorum ſententia de auctore Libri Joſua.

XI. Eodem *Capite* §. XII. In texendo Catalogo Prophetarum qui ſub Judicibus fuere, inconſulto prætermiſi illum איש נביא *Virum Prophetam*, quem Jehova clamantibus contra Midianitarum oppreſſiones Iſraelitis miſit, ut ob prævaricationem ingratique animi vitia eos increparet. Jud. VI. 8. Hunc nonnulli angelum fuiſſe volunt: at caviſſe videtur ſacra hiſtoria ne id crederemus; dum *Virum* vocat, & ab *Angelo* diſtinguit; de quo com. 11. Judæi conjectant fuiſſe *Pineaſum*: qui ducentorum fuiſſet annorum, ſi eo vixiſſet tempore. Laudabilius eſt fateri ignorantiam.

XI. Propheta tempore Gideonis, an Angelus.

XII. Quam debilibus argumentis *Grotius* conjiciat, auctorem libri Eccleſiaſtis in Chaldæa fuiſſe verſatum, ejusdem Capitis ſectione XXXVI. oſtendi. Deinceps deprehendi eſſe in Hebræorum Magiſtris, qui Salomonem Chal-

XII. Salomonem librum Sapientiæ Chaldaice ſcripſiſſe credit R. Azarias.

Chaldæorum ſermone libros quoſdam ſcripſiſſe opinantur. Sic certe *R. Azarias* in libro *Imre Bina* cap. LVII.
וספר חוכמתא רבתא דשלמה הנקרא ספר החכמה שעליו אמר הר״מבן
בהקדמתו לפרוש התורה ראיתי הספר המתורגם וכו אשר כל דבריו
ההם תמצאם בפ״ז ממנו קרוב הוא אצלי אם לא נעתק שחובר מאת
המלך שלמה בלשון ארמי לשלחו אל איזה מלך אשר בקצה המורח :
Liber ſapientiæ magnæ Salomonis (qui vocatur Liber ſapientiæ, de quo ait R. Moſes Nachmanides in Prologo commentarii legis: Vidi librum Chaldaice conſcriptum &c. citat autem verba quæ reperiuntur Sapient. Cap. VII.*) videtur mihi, ſi non ſit translatus, compoſitus eſſe a Salomone lingua Chaldaica, ut mitteret eum ad Regem aliquem in extremis Orientis regionibus verſantem.* Equidem non exiſtimo id eſſe probabile; ſed Salomonem non imperitiorem fuiſſe linguæ Chaldaicæ quam Ezechiæ regis aulicos, quid vetat credere? Infirma ſane argumentatio eſt, librum aliquem abrogandum eſſe Salomoni ob eam cauſſam quod voces quædam Chaldaicæ in eo inveniantur.

XIII. *Jeſaiæ a Manaſſe ſerra lignea diſſecti hiſtoriam fabulæ propiorem eſſe, oſtendit Gatakerus.*

XIII. Ejuſdem *Capitis* §. LI. Jeſaiæ hiſtoriam, & traditionem de genere mortis qua rebus humanis exemtus ſit, paucis attingo. Juvat nunc eam paullo fuſius exponere; & ſubjungere doctiſſimi Theologi ſuper iſta traditione judicium. *Hieronymus in Jeſaiam, Lib.* XV. *extremo, ad initium Cap.* LVII. ſic ſcribit: *Eſaiam putant Judæi de ſua prophetare morte, quod ſerrandus ſit a Manaſſe ſerra lignea; quæ apud eos certiſſima traditio eſt: unde & noſtrorum plurimi illud quod de paſſione ſanctorum ad Hebræos ponitur Cap.* XI. 37. ſerrati ſunt, *ad Eſaiæ referunt paſſionem.* Plurali autem numero uſum Apoſtolum credunt, quum Jeſaias unus intelligatur, ſicut *latrones,* pro latronum altero. Mat. XXVII. 44. Auctor commentariorum in hanc Epiſtolam, quos alii *Primaſio*, alii *Haimoni* tribuunt: *Hic*, inquit, *pluralis numerus pro ſingulari poſitus eſt: neminem enim legimus ſanctorum in Veteri Teſtamento ſectum, niſi Eſaiam Prophetam; quem*

fecit

fecit secari serra lignea Manasses Rex, qui filiam ejus habebat in uxorem. Hæc, & complura alia ejus generis, postquam enarravisset indefessæ lectionis Theologus, *Thomas Gatakerus, Adversariorum Cap.* XLV. animi sui mentem his verbis: *De traditione ipsa nihil statuo: cui tamen eo minus fidem adhibeo, quia ante Manassem in solio regni constitutum, per novissima Regis Ezechiæ tempora, Esaias vaticinio una cum vita functus esse videtur: quum ultra hunc, sub quo id muneris obierit, regis nullius, in eis recensendis, mentio ulla compareat. Et de serra lignea multo minus. Cui repugnat etiam altera ex eadem fabularum officina traditio, qua Vatem hunc narrant, quum a Manasse prosequente fugiens in arborem quandam se abdidisset, ad Regis mandatum una cum arboris trunco, in quo delitescebat, medium serra dissectum. Ligna autem crassa, arborumque truncos totos tam grandes, ut hominem integrum admittere & in se continere possint, serris ligneis dissecari posse, fidem certe apud me nullam plane meretur.* Hactenus Gatakerus: cujus sententiæ subscribo lubens. Saltem in illa ad Hebræos epistola nihil est quod statuminandæ huic traditioni faciat. Nam neque Jesaias ullo designatur indicio, & in pluribus patrari ea crudelitas potuit (familiare enim, ut erudite probat Gatakerus, Orientalibus dissecandi supplicium fuit) & sacri scriptoris sermo isthoc commate exempla jam ad *Antiochi Epiphanis* tempora deduxisse videtur.

XIV. Discrimen inter Prophetiam & donum Spiritus Sancti verbis Kimchii expositum.

XIV. *Cap.* XIX. §. XVIII. doceo quid ex Hebræorum mente discriminis sit inter *Prophetiæ* donum, & donum *Spiritus Sancti.* Si quis ipsa Hebræorum verba desideret, sic habent: *Kimchi in Præfat. ad Psalmos:* כי הנבואה דבר בא על האדם שהוא חכם שלם במדותיו תבא לו הנבואה בחלום ובעת תבואתו הנבואה בהקיץ יתבטלו כחותיו ההרגשיות ויהיה מסולק מכל דרכי העולם הזה ויראה במחזה הנבואה כאילו איש מדבר עמו ואמר לו כך וכך או יראה דמיונות בטראה ההיא או לא יראה תמונה אלא ישמע קול מדבר עמו : *Prophetia est res contingens homini sapienti, & insigni morum integritate prædito. Plerumque autem contingit Pro-*

phetia in insomnio: sin contingat vigilanti, cessant facultates ejus sensitivæ, & ab omnibus hujus mundi negotiis abstrahitur: videtque in visione prophetica loquentem sibi virum, & hæc aut illa dicentem: vel videt in illa visione figuras: quandoque & nihil prorsus videt, sed audit tantum vocem sibi loquentem. Hæc secundum *Kimchium* prophetiæ ratio est: De Spiritu sancto ita infit:
רוח הקדש הוא שיראה האדם השלם מתעסק
בדברי האלהי׳ של בכל הרגשותיו לא תתבטל אחת מהן ומדבר מה
שמדבר בדרך בני אדם אלא שמעוררת אותו רוח עליוני ותופיע הדברים
על לשונו דברי שבח והודאה לאלהיו דברי שכל ומוסרים גם ידבר על
העתידות בסיוע האלהי על כחו המדבר:
Spiritus sanctus, est visio hominis integri, operam dantis verbis Dei, omnibus sensibus suis, nullo cessante: ita ut loquatur quod loquitur more hominibus sueto, excitante duntaxat eum Spiritu superiori, verbaque præformante lingua ejus, verba laudis & confessionis in honorem Dei sui, verba intelligentiæ & institutionis. Quandoque etiam futura prædicit Deo juvante facultatem ejus rationalem.

XV. Jarchius per testes quos adscivisse sibi narratur Jesaias Cap. VIII. 2. *intelligit Uriam & Zachariam prophetas.*

XV. Ad *Cap.* XX. §. XIII. adde: similia apud Salomonem Jarchium exstant in commentariis ad Jes. VIII. 2.
גם באותם הימים בימי יהויקים על אותו פורענות שני עדים נאמנים
האחד אוריה הכהן שהרגו יהויקים שנ׳ וגם איש היה מתנבא בשם יי
אוריה בן שמעיהו מקרית וגו׳ ואת זכריה בן ברכיה המתנבא בשנת שתים
לדריוש עוד ישבו זקנים וזקנות ברחובות ירושלם׳ אוריה וזמן לזכריה׳
אם תראו שתתקים נבואת אוריה תהיו מצפים שתתקים נבואת
זכריה:
Etiam in illis diebus, in diebus Jojakimi, super ista altione duos testes fideles adhibui mihi: quorum alter est Urias sacerdos, quem interfecit Jojakim: sicut dictum est Jer. XXVI. 20. Et fuit etiam Vir prophetans in nomine Domini, Urias filius Semaja &c. *Alter est Zacharias filius Barachiæ, qui prophetavit anno secundo Dari:* Cap. VIII. 4. Adhuc habitabunt senes & vetulæ in plateis Hierosolymæ. *Si videritis impleri prophetiam Uriæ, exspectate ut impleatur prophetia Zachariæ.*

XVI. Johannem in utero ex-

XVI. Ad *Cap.* XXI. §. XIX. Eadem propemodum quæ *Calvinus*, de Johannis in utero matris exsultatione, *Augustinus*

gustinus scripsit *Epist.* LVII. *Potuit ergo ista esse significatio rei tanta a majoribus cognoscenda, non a parvulo cognita. Namneque quum hoc ante in Evangelio narraretur dictum est, credidit infans in utero ejus, sed* Exsultavit. *Neque ipsa dixit, exsultavit in fide in utero meo, sed* Exsultavit in gaudio. *Videmus autem exsultationem non solum parvulorum, sed etiam pecorum: non utique de aliqua fide, vel religione, vel quacunque rationali cognitione venientem. Sed hic plane inusitata & nova exstitit; quia in utero, & ad ejus adventum quæ hominum salvatorem fuerat paritura. Ideo mira: ideo in magnis signis deputanda. Ideo hæc exsultatio, & tanquam matri Domini reddita resalutatio, sicut solent miraculosa fieri,* FACTA EST, DIVINITUS IN INFANTE, NON HUMANITUS AB INFANTE.

Exsultantem Christum non cognovisse ante Calvinum Augustinus docuit.

XVII. Ejusdem *Cap.* §. XXXVI. Josephi de Christo testimonium excutio: de quo si quis Doctissimorum Virorum sententias plenius cognoscere aveat, is comparet sibi librum quem sub titulo *Testimonii Flaviani* anno MDCLI. Noribergæ edidit *Christophorus Arnoldus.* Ubi *Ruperti, Snellii, Reinesii, Majoris, Menassis, Gronovii, Blondelli, Wheloci, Lansii, Ursini, Wagenseilii, Bæcleri, Bangii, Fabri,* ipsiusque *Christophori* de hoc argumento epistolas collectas inveniet: & simul varia veterum ac recentiorum judicia, ex eorum scriptis excerpta. Præterea peculiaribus dissertationibus idem argumentum ventilarunt *Bosius, Spanhemius,* & *Franciscus de Roye.* De eodem prolixe satis agunt *Lambecius Tom.* VIII. *Bibl. Vindobon. p* 15. *& seq. Natalis Alexander. Hist. Eccl. Vet. T. Tom.* VI. *Dissert.* X. *Isaacus Vossius de* LXX. *Interpretibus,* & denique *Thomas Ittigius* in Prolegomenis ad novam Josephi editionem.

XVII. *Scriptores super testimonio Josephi, quod de Christo edidisse fertur.*

XVIII. Ex quam ridicula & improbabili caussa Mirjami cum Mose contentionem ortam tradant Rabbini quidam, videre est *Cap.* XXXVIII. §. V. Nimirum, indignabatur Mosi, inquiunt, ob rei uxoriæ neglectum. Id, quan-

XVIII. *Moses postquam prophetare cœpit perpetuum sibi*

ab uxore abstinentiam indixisse, auctor est Maimonides.

quantumvis alienum, placuiſſe tamen ipſi *Maimonidi* deprehendo, in *Libro de fundamentis Legis Cap.* VII. משה רבינו לא חזר לאהלו הראשון לפיכך פירש מן האישה לעולם ומן תרומה לה ונקשרה דעתו בצור העולמים: *Moſes magiſter noſter non eſt reverſus ad tentorium ſuum prius. Idcirco ſejunxit ſe ab uxore ſua in perpetuum, & ab omnibus aliis fœminis: adhæſitque mens ejus Deo, qui eſt rupes ſeculorum.*

XIX. Prophetæ quidam in Eccleſia Chriſtiana ſeculo ſecundo.

XIX. Hiſtoriæ Prophetarum, qui poſt Apoſtolorum deceſſum, in priſca floruerunt Eccleſia, de qua Cap. XXIV. multa addi poſſunt. At hæc paucula nunc ſufficiant. De MELITONE Sardienſium Epiſcopo, qui floruit circa annum CL, *Polycrates* apud *Euſebium Lib.* V. *Cap.* XXIV. eum ἐν ἁγίῳ πνεύματι πάντα πεπολιτευκέναι. Et *Tertullianus*, apud *Hieronymum de ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, *Prophetis* eundem adnumerat. IRENÆUS Divinæ admirandæque virtutis ſpecimina ſua ætate in quibuſdam Eccleſiis ſuperfuiſſe teſtatur apud *Euſebium Lib.* V. *Cap.* VII. Ubi & hæc inveniuntur: οἱ δὲ καὶ πρόγνωσιν ἔχουσι τῶν μελλόντων, καὶ ὀπτασίας καὶ ῥήσεις προφητικάς. *Alii præſcientium futurorum & viſiones ſortiti ſunt, & propheticas prædictiones.* Rurſus: Καθὼς καὶ πολλῶν ἀκούομεν ἀδελφῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προφητικὰ χαρίσματα ἐχόντων, καὶ παντοδαπαῖς λαλούντων διὰ τοῦ πνεύματος γλώσσαις, καὶ τὰ κρύφια τῶν ἀνθρώπων εἰς φανερὸν ἀγόντων ἐπὶ τῷ συμφέροντι, καὶ τὰ μυστήρια τοῦ Θεοῦ ἐκδιηγουμένων. *Sicuti multos ex fratribus audimus in Eccleſia, qui prophetiæ dona conſecuti ſunt, & omni linguarum genere per ſpiritum loquuntur, & ad hominum utilitatem occulta in lucem proferunt, atque arcana Dei myſteria exponunt.* Floruit autem Irenæus Anno CLXXX.

XX. Marciani caput noctu circumfulget lumen ad Divinorum eloquiorum intelligentiam.

XX. Iis quæ *Gregorio Thaumaturgo* accidiſſe *Gregorius Nyſſenus* refert ejuſdem capitis §. IX. valde affinia ſunt quæ de MARCIANO Monacho *Theodoretus* tradidit *Philothei cap.* III. *Diſcipulus Marciani Euſebius, noctu videre cupiens quid ageret præceptor, auſus eſt ad feneſtram accedere, & quum ſe reclinans reſpexiſſet, videt lumen, non ex lucerna, neque quod eſ-*

eſt

ſet manufactum, ſed a Deo datum, & quod ſuperna gratia præceptoris ſui caput circumfulgebat, & Divinorum eloquiorum ſcriptura oſtendebat intelligentiam. Tenebat enim librum, & Divinæ voluntatis ſacrum inquirebat theſaurum.

XXI. Ad confirmationem teſtimonii quod de Prophetiæ dono ad ſuam uſque ætatem durante edidit *Theodoretus*, de quo §. XI. facit hiſtoria quam narrat *Eccl. Hiſt. Lib.* V. *cap.* XXIV. Ubi Theodoſii victoriam ab Eugenio reportatam deſcripturus, ſic infit: Κατ' ἐκεῖνον δὲ τὸν χρόνον ἦν τις Ἰωάννης ἐν Αἰγύπτῳ, τὴν ἀσκητικὴν ἀσπαζόμενος πολιτείαν· οὗτος πνευματικῆς μεταλαχὼν χάριτος πολλὰ τοῖς πυνθανομένοις προὔλεγε τῶν ἐσομένων. πρὸς τοῦτον ὁ φιλόχριστος ἀπέστειλεν βασιλεὺς, εἰ πολεμητέον τοῖς τυράννοις μαθεῖν ἐφιέμενος, καὶ ἐπὶ μὲν τοῦ προτέρου πολέμου τὴν ἀναιμωτὶ προηγόρευσε νίκην· ἐπὶ δὲ δευτέρου μετὰ πολὺν φόνον νικήσειν τὸν βασιλέα προείρηκε. *Degebat tunc in Ægypto Johannes quidam, monaſtica philoſophia ſtudiis ſe exercens. Hic ſpirituali gratia donatus, ſæpe ſciſcitantibus prædicebat futura. Ad illum igitur quosdam miſit Chriſti amantiſſimus Imperator, diſcere ex eo cupiens, num tyrannis bellum inferri oporteret. Ac priore quidem bello incruentam eum victoriam relaturum reſponderat. Poſteriore vero, Imperatorem poſt multam cædem victoria potiturum prædixit.* Utramque vaticinii partem comprobavit eventus.

XXI. Johannes Propheta ætate Theodoſii.

XXII. In DISSERTATIONE DE TABERNACULI LEVITICI MYSTERIIS §. XXII. ex *Aberbanele* oſtendi, ipſos Judæos aliquid arcanioris ſenſus in toto iſthoc apparatu agnoſcere. Addi meretur quod Auctor *En Iſraël ad cap.* V. tractatus Talmudici de *Benedictionibus* ſcripſit: נתן לנו ה' ציורי המשכן והמקדש וכל כליהם המנורה והשלחן והמזבחות לציורים שכליים ולהתבונן מהם האמיתות עליונות: *Dedit nobis Deus Benedictus figuras Tabernaculi & ſanctuarii, & omnis eorum ſupellectilis, candelabri, menſæ & altarium, in figuras ſpirituales, & ad intelligendum ex iis veritates ſuperiores.*

XXII. Tabernaculum cum ſuo apparatu figuras fuiſſe rerum ſpiritualium docet auctor En Iſraël.

XXIII. *Cornua altaris an refugii tutelam præstiterint.* XXIII. Eadem *Dissertatione*, §. XXVI. verbulo monui cornua altaris refugium fuisse criminosorum. At postulat ea res uberiorem explicationem. Ad altare refugisse qui sibi a privatis vel publico metuebant judicio, manifestum est ex Exod. XXI. 14. Ubi de voluntarii homicidii reo dicit Deus, *ab altari meo rapito eum ad mortem.* Cornua altaris a similibus apprehensa fuisse, testatur historia Adoniæ & Joabi 1. Reg. 1. 50. & II. 28. Magis tamen id factum esse ex gentium more, quam legis instituto, observat Illustris *Grotius.* Et sane, quod sciam, nulla Lex Divina exstat, qua altare asylum fore sciscitur. Id unum ex laudata modo lege non inepte eliciunt Hebræorum Magistri, homicidam ex errore ad altare se recipientem neque ibi occidendum, neque inde ad necem trahendum esse. At operæ pretium est cognoscere quam arctis limitibus altaris immunitatem circumscribant Hebraici juris consulti. Varias sibi formarunt exceptiones, quarum aliæ *partes altaris* concernunt, aliæ *personas* eo confugientes, aliæ *facinorum* qualitatem, aliæ denique *moram* ad altare. Non integrum altare, non latera, non cornua, nedum altaris viciniam, sed solum *tectum*, sive corporis altaris partem superiorem, confugii tutelam præstitisse ajunt. Idque non quibuslibet personis, sed solis *sacerdotibus*, neque iis omnibus, sed duntaxat sacerdoti in ipso altaris tecto *sacris operanti.* Circa facinorum qualitatem monent, ea quæ de altari dicta sunt ad tales tantum homicidas spectare, quibus aliàs urbes in Asyla assignatæ tutelam præstituræ erant. Denique negant ei qui ad altare confugerat *morari* ibi licuisse, sed inde deductum in idoneam ipsi refugii urbem. Vide *Seld. de Jur. Nat. & Gent. Lib.* IV. *Cap.* II. ubi quæ dixi cuncta Hebræorum testimoniis confirmantur. Equidem minutias istas juris Hebraici haut magni facio. Quandoquidem vero nulla lege Divina facinorosis cautum est de

de immunitate apud altare, nedum apud cornua altaris: minus mihi nunc quam olim probabile esse videtur, Deum in ea apud Jesaiam oratione, qua robur suum apprehendi commendat, ad pacem secum faciendam, allusisse ad cornua altaris a criminosis pro asylo apprehensa.

XXIV. Patriarchas sacrificia sua non eam ob caussam, quod Deum donis ejusmodi placari censerent, sed ut arcaniorum rerum typi essent, obtulisse, disputo Lib. II. Dissert. II. §. XI. Id Judæorum Magistri suo quodam modo viderunt. Certe merentur hic adscribi verba *Aberbanelis* ex *Præfatione in Leviticum*. *Adam & filii ejus sacrificia obtulerunt, cogitantes se hisce Deo cultum præstare: adolebant enim adipem & renes pro renibus & præcordiis suis, & hostiarum sanguinem respergebant loco sanguinis & vitæ suæ, confitentes coram justo Deo, oportere sacrificantium ipsorum sanguinem fundi, & corpus adoleri pro peccatis suis: sed Divina benignitate piaculum fieri succedanea bestia, cujus sanguis & vita sanguinem sacrificantis redimat, dum ejus vicem obit.* Aliquanto altius meditationibus suis ascendit *R. Menachem in Leg. Fol.* 54. 4. monens mysterium arietis quem filii suo loco Abrahamus obtulit, ita *considerandum esse ut intelligatur* ex Job. XXXIII. 24. *Redime eum ne descendat in perditionem, inveni lytrum:* QUANDO DECRETA EST HOMINI MORS, INVENTUM ESSE ADVOCATUM ET INTERPRETEM SUPERNE. Vide *Johannis Meyeri*, Viri Doctissimi, & Amici nostri honoratissimi, *Diatriben de Festis Cap.* I. §. XXIII.

XXIV. Patriarchæ qua mente obtulerint sacrificia, secundum Aberbanelem & Menachem.

XXV. *Ibidem* §. XVII. novam explicationem *Lightfooti* super Gen. IV. 7. non omnino prætereundam esse censui. Fortassis non magis displicebit Lectori altera nova, cujus auctor est *Ludovicus de Dieu*. Is putat verba & rem hanc sententiam ferre: *An non sive bene offeras, sive non bene, ad ostium peccatum cubat? Quum scilicet in-*

XXV. Gen. IV. 7. nova interpretatione illustratur a Lud. de Dieu.

digne ferret Cain fratris sacrificium sue esse prælatum, quod non minus recte sacrificiorum ritus observasset fratre, neque quidquam, sive quoad rem oblatam, sive quoad externam offerendi rationem ac ceremoniam, dignius a fratre ac melius profectum esset, monet Deus, non esse hic ipsam oblationem respiciendam, rectene ea, secundum legem ceremonialem facta sit, an secus: sed personam offerentem, deditane ea sit peccato, an non. Tu peccatum perpetuo circumfers, illudque in procinctu habes, cubans quippe ante fores: itaque nihil refert, bene an male secundum ritus legales offeras. Vel optima tua oblatio a peccato vitiatur. Est autem phrasis חטיב שאת, *sicut* מיטיבי לכת Prov. XXX. 29. מיטיב נגן Ezech. XXXIII. 13.

XXVI. *Aaronis filios una cum ipso unctos certum esse videtur.*

XXVI. *Ibidem* §. LXII. LXIII. timidius quam necesse fuit, minusque distincte locutus sum de unctione primorum sacerdotum, filiorum Aaronis. Intrepide nunc dico, omnino eos unctos fuisse. Expressissimus enim locus est Exod. XL. 12. 13. 14. 15. 16. *Deinde jubens accedere Aaronem & filios ejus ad portam tentorii conventus, lavabis eos aqua; Et induto Aarone vestibus sacris, ungens eum sanctificabis eum ut sacerdotio fungatur mihi. Filios vero ejus jubebis accedere induesque eos tunicis, & unges eos quemadmodum unxeris patrem eorum, ut sacerdotio fungantur mihi: si fiet ut sit illis hæc unctio eorum in sacerdotium perpetuum per generationes eorum. Quod fecit Mose, secundum omnia quæ præceperat ei Jehova sic fecit.* Non piguit integrum locum describere, ut eo evidentior vis argumenti esset. Omnibus rite perpensis perspicuum esse arbitror, non agi hic de filiis nepotibusve Aaronis lapsu temporis ei successuris in Pontificatu, sed de filiis jam exstantibus, & designatis ut collegæ ipsius essent in sacerdotio. Jubetur enim Moses Aaronem & filios ejus simul sistere ad portam tentorii, eademque actione simul lavare. Tum Aaronem induere vestibus Pontificalibus, & ungere. Mox filios Aaronis indutos tunicis sacer-

ſacerdotalibus pariter ungere, & eo quidem modo quo unctus erat ipſorum pater. Neque dilata fuit præcepti iſtius exſecutio in longi temporis moram, ut mortuo demum Aarone, filius, ſucceſſor in Pontificatu, unctus fuerit. Sed eopſe tempore omnia iſta a Moſe peracta fuerunt. Adde aliud teſtimonium non minus diſertum Num. III. 2. 3. *Et hæc nomina filiorum Aaronis, primogenitus Nadab., deinde Abihu, Eleaſar & Ithamar : hæc*, inquam, *nomina filiorum Aaronis* הכהנים המשוחים SACERDOTUM QUI UNCTI FUERUNT, *quorum conſecraverat miniſterium Moſe ad fungendum ſacerdotio.* Unde patet, eodem modo unctos fuiſſe filios Aaronis, quo & ipſe Aaron. Ea vero aſperſio quæ facta eſt oleo mixto ſanguine arietis, & memoratur Exod. XXIX. 21. Levit. VIII. 30. ab unctione diſtincta, eamque ſecuta eſt. Atque hac ratione corrigi velim quæ pridem a me minus accurate annotata ſunt.

XXVII. *Sectione* XCII. laudavi inſignem commentationem *Jacobi Altingii* in Eph. V. 2. qua ratio redditur, cur ſacrificiis pro peccato nefas fuerit addere thus & oleum, quibus redderentur in odorem bonæ fragrantiæ Deo: quum tamen ſacrificium Chriſti pro peccatis noſtris, eſſe debuerit, fueritque revera εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Poſtea vidi ſimilia commentatum eſſe *Coccejum in Cantic. Cap.* III. §. 180. Similia, inquam; ſed notabili obſervatione aucta. Sic ille: *Thus, addebatur muneribus. Lev.* II. I. 15. *& panibus propoſitionis. Lev.* XXIV. 7. *piacularibus victimis non addebatur. Lev.* V. II. *Ratio, quia ſacrificium pro peccato erat accuſatio peccati, & notabat mortem Chriſti, ut effectum exſecrationis, & vim Satanæ ac peccati. Obedientia quæ eſt a Spiritu Dei, tanquam oleo, eſt proprie* εὐδοκία *&* εὐωδία *apud Deum. Hæc in Chriſti paſſione manifeſtata eſt, atque adeo ipſius* θυσία *eſt* εὐωδία. Eph. V. 2. *Sed quæ a ſacerdotibus Aaronicis offerebantur pro peccato, quia*

XXVII. *Pulcra Coccei obſervatio, cur piacularibus victimis nefas fuerit addere thus & oleum.*

illa obedientia & charitate destituta erant, merito oleo & thure carebant, ut intelligeretur Deum in illis non habere beneplacitum.

XXVIII. *Otio deditus Hebræorum lege a testimonii dictione, nedum, a Senatu, exclusus fuit.*

XXVIII. Hebræorum lege exclusum senatu fuisse hominem otio deditum, notavi LIB. II. DISS. III. §. V. Porro operæ pretium est audire quomodo de otio differat aliquoties nunc laudata Catechesis Hebræa. Ea septem principalibus peccatis, ex quibus cætera pullulare solent, primo loco הבטלה sive otium accenset quod ita describit: *Otium est pravus morbus, quo homo deses atque segnis est, ne ad perfectionem suam perveniat, quoque cor suum ad res inutiles componit & dirigit, ut nec in lege, nec in præceptis, nec in operibus sibi demandatis occupetur. Hoc est principium omnium peccatorum, & propterea vocatur* MALUM: *quemadmodum scriptum est Gen.* VIII. 21. Quoniam figmentum cordis humani malum est a pueritia sua. *Hinc amat otium magis quam ut occupatus sit in perfectione sui, non attendens quam id animæ suæ officiat. Committit autem hoc peccatum*, QUICUNQUE ALEA, AUT CHARTIS LUSORIIS ET SIMILIBUS LUDIT: *quia non occupatus est in rebus ad stabiliendum mundum pertinentibus. Atqui prohibitum est homini quamdiu in mundo vivit, in ullo alio, quam vel in lege, vel in operibus charitatis, vel in negotiatione, vel artificio & opificio occupari, per quæ mundus stabiliatur. Unde etiam vir ejusmodi inter illos numeratur, qui ad testimonium in judicio dicendum non admittuntur.*

XXIX. *Princeps Synedrii plerumque ex domo Davidis fuisse creditur.*

XXIX. De Principe senatus pauca dixi XLVIII. Nunc addo, eum, si Judæis credimus, plerumque fuisse ex familia Davidis, etiam sub Hasmonæorum & Herodis regno. Auctor *Tzemach David* ad annum 728. millesimi quarti: *Is erat mos Hierosolymis, ut, licet regnum esset penes stirpem Hasmonæorum, & post illos penes Herodis domum: tamen perpetuo esset Princeps de stirpe David. Rex quippe belli gerendi dominus erat, & regni cura ad eum pertinebat: sed*

ea

ea quæ ad legem spectabant, statuta & judicia, ex præscripto summi Pontificis, & Principis de stirpe David peragebantur. Cæterum *R. Azarias*, ex *Jedidæo Alexandrino* in *Meor Enaim cap.* XXXII. refert, inde a tempore Salomonis duo genera principatus fuisse super populum; *Principum* nempe ex domo Davidis, & *sacerdotum* ex tribu Levi: & quemlibet principatum seorsim exercuisse suam potestatem ad tempora Hasmonæorum: qui postmodum vindicaverint sibi imperium domus Davidis cum sacerdotio summo. Vide *Josephum de Voisin. in Proœmium Pugi. Fid. p. 12.*

XXX. Pontificem subfuisse censuræ Synedrii Magni, hactenus etiam ut loris cædi potuerit, ex Rabbinorum mente tradidi §. LIII. Aliter tamen *Aben Ezra ad Lev.* IV. 14. שהכהן יתכן שיודיעם ואין מי שיודיע לכהן רק מעצמו: *Decet summum pontificem populo indicare peccata; nemo autem est qui peccatorum arguat pontificem, nisi ipse se.* *XXX. Pontificem subfuisse censuræ Synedrii, negare videtur Aben Ezra.*

Plura cogitaveram. At, ne prolixitas odium pariat, hic desino. Vale, Lector, & labori nostro fave. Scribebam Ultrajecti, postridie Kal. April. MDCXCV.



JOHANNIS MARCKII
ORATIO FUNEBRIS
IN OBITUM
HERMANNI WITSII.

Habi a Lugduni Batavorum a. d. IV. Cal. Novemb. MDCCVIII.

Magnifice Rector. Ampliſſimi Academiæ & Urbis Lugdunenſis Proceres, quique iis eſtis à Conſiliis & Actis. Clariſſimi Profeſſores. Mœſtiſſimi Generi, Propinqui, & Affines Defuncti, Singuli veſtris Dignitatibus conſpicui. Fideliſſimi Paſtores. Præſtantiſſimi Lectores & Doctores. Spectatiſſimi Hoſpites. Et Digniſſimi tum Academiæ tum Urbis Cives. Auditores omnium Ordinum humaniſſimi.

ORATIO.



ORATIO.



ERGO iterum cœlestis fulminis Divino ictu tacta Academia nostra lapsum gravissimum minitatur, & vixdum sanato Capitis vulnere gemino tertium illi infligitur haud quaquam levius? Ergo rursum Lamentis & ejulatibus personat Civitas, & ad Doloris sui Societatem vocat Ecclesiam omnem propinquam & longinquam, quæ Splendore maximo Luminis ipsius antea gavisa fuit? Ergo denuo venimus ab Exequiis, & convenimus in Concionem hanc funebrem, quæ per justissimi Luctus Insignia, in omnium undique oculos se ingerentia, omnem mentis vigorem longissime pellit? Ergo etiam nunc ad vos mihi est loquendum, qui communis Damni Magnitudinem non absque Lacrymarum flumine largo contemplor, & quem præ aliis omnibus affligere debet, post Magnum Spanhemium, & Insignem Triglandium, quos Viros Amicissimos olim heic cum omnium admiratione docentes reperi, sed nunc videre non amplius contingit, destitui suavissimo atque utilissimo Celeberrimi *Witsii* Consortio? Tu scilicet, Vir inclute, ille eras, à cujus Laudibus juvenilia Studia mea decus suum primum acceperunt ante Seculi impletum jam trientem? Tu ille eras, qui in Sanctissimum Ecclesiæ Ministerium votis monitisque solennibus me tunc immisisti, & in Cathedræ Franequeranæ Societatem juvenem admodum tuis Consiliis adscivisti post anni unius Lapsum! Tu ille eras, qui & præsens & absens Consiliis saluberrimis me juvisti, & verè paternum in me Affectum semper exercuisti! Tu ille eras, qui unus superstes ex omnibus non tantum Franequeranis primi communis nostri temporis Doctoribus, sed & Belgicarum Academiarum

& Scholarum Theologis, demortuos hinc annis succedentibus Essenios, Vogelsangios, Heidanos, Voetios, Burmannos, Altingios, Colonios, Arnoldos, Diestios, Hulsios, Wittichios, Moynios, Wolzogenios, Spanhemios, quot & quanta Nomina! Unus referebas in universo Orbe Reformato, & Solamen in tot illustrium Virorum Clade mihi tunc relicto Socio tuo præbebas! Sed eras! & non es apud nos modo amplius, mihi, & Academiæ & Ecclesiæ ereptus per repentinum implacabilis mortis impetum! Et hoc quidem tempore, quo orbis in interitum suum præceps maxime indigebat Doctrinæ tuæ variæ & solidissimæ Copia, atque pietatis tuæ infucatæ Lumine, & quo Canities tua haudquaquam detrito mentis vigore te ad Divinam Prudentiam & ad communem omnium venerationem instruxerat. Ut, si unquam gravissima fuerunt Ecclesiæ & Orbi mala metuenda ex Magnorum Virorum Decessu, per quorum superstitum Virtutem illa arcebantur, & quos ne per illa hos angat, abripit sapientissimè Deus, nunc vix boni quidquam nos ultra sperare possimus, Te Seculi nostri Columine adversus omnem Doctrinæ & Morum profligatam Impietatem potentissimo & vero Dei Amico destituti. Sed quid ago ego? Et quorsum me abripiunt commotæ mentis affectus? Laudes enim viro tribuo in os, quas nemo quidem illi justè absque exceptione ulla negaverit, sed quas renuit Ille per admirabilem Modestiam audire unquam, & quas audiens silere me illico juberet. Et quod magis est, tanquam vivum coram alloquor, quem Divina Manus nobis subductum ad cœlestia videnda, audienda & fruenda æternum extulit. Et quod maximum est, plusquam unius Criminis in Deum & Servum ejus ex Querelis istis possem videri reus; quasi huic inviderem suam Beatitatem diu exoptatam, atque illi Gratias negarem debitas pro hujus usu longo & læto, diffiderenque illius Virtuti inexhaustæ in curanda Ecclesia sua, per omnia Secula difficillima exploratissimæ. Præstabit ergo multum, ut, mente magis composita ad vos A. P. mea convertatur Oratio, & ut recolendo Magni Viri vitam in his Terris felicissime in Ecclesiæ bonum actam justa ei, nunquam plene persolvenda, qualitercunque faciam balbutiens. Vos & post composita jam Viri ossa motarum mentium componite fluctus inutiles, & non tam mihi nimis ineleganter loquenti quam rebus dicendis tanquam dignissimis animos attendite.

Habuit

Habuit, quem modo extulimus; *Witsius* noster Parentes, à quibus magnopere laudari meretur. Fuit enim Pater ejus Nicolaus Wits, Vir famæ apud Enkhusanos integerrimæ; qui Ecclesiæ aliquoties Diaconus, mox Presbyter, & utroque Munere hoc Ecclesiastico cum fide functus, Reipublicæ etiam admotus est, post varios honorum gradus Quæstura & Consulatu auctus atque ornatus. In quo Magistratu, sicut in universo vitæ suæ Instituto, ita se gessit, ut procul iis vitiis, quæ Dignitates oblatas, & collatas comitari frequenter solent, modestiæ, mansuetudinis, justitiæ, infucatæ pietatis, & priscæ denique Simplicitatis nomine civibus suis charissimus esset. Et habet etiamnum Ecclesia à Viri hujus Pietate impressum Carminum Sacrorum Librum, quorum seu Lectione seu Cantu varie ædificetur populus Christianus. Imo & habuit ab hoc Moderatore suo æquissimo Civitas Enkhusana Filium alterum Jacobum Wits, quem tanquam patris vestigia lecturum in Judicum, quibus etiam præsideret numerum cito adscivit, & à quo immaturius extincto absque relicta post se mascula prole natæ filiæ habent, una Maritum Consulem ejusdem urbis dignissimum aliisque Dignitatibus conspicuum Nicolaum Ris, altera fiilium Medicum præclarum Henricum Ris, præter filias elegantes quarum suavi Consortio gavisum apud nos haud infrequenter Patruum Magnum vidimus. Cui nostro Seni Mater fuit Johanna, Fœmina pia & prudens, Filia Hermanni Gerhardi, qui multis pro Religione Certaminibus exercitus, post varios casus, & plurima rerum discrimina, non sine manifesta numinis ope plus semel imminentium hostium Mucronibus ereptus, tranquillam fidamqne Stationem in Enkhusana Ecclesia obtinuit. Ubi Evangelium ultra triginta annos cum magna Integritatis, eruditionis, Zeli, & sacræ flexanimæque Eloquentiæ laude docuit; ita Ecclesiam illam suam diligens in Domino, ut ad florentissimas atque amplissimas totius Belgii Ecclesias longe auctiori Stipendio invitatus, ab animo suo impetrare non potuerit, ut eam desereret unquam.

Tam præstanti & Christiano Sanguine natus *Witsius* noster, alterum ad Pietatem & Virtutem omnem Calcar accepit citissime, quando Parentes post concepta vota de mascula prole Deo Datori consecranda ad ejus sanctissimum Ministerium, hanc

hanc nacti, Filiolo nomen Avi Materni indiderunt; Deum simul venerati, ut in *Hermanno* nepote illius Viri Spiritus quasi reviviſceret, iſque paribus olim vel (uti parentum magnæ de Liberis Spes & Deſideria ſæpe ſunt, & fructu optato non carent) majoribus etiam dotibus inſtructus, Avitis inſiſteret Veſtigiis.

Ex narrata jam parentum conditione colligere haud difficulter poteſtis locum quo natus fuit *Hermannus Witſius*; Enkhuſam ſcilicet, non exiguam nec ignobilem Occidentalis Friſiæ Urbem, quæ inter primas Batavorum, excuſſo Hiſpanicæ Tyrannidis Jugo memorabili Exemplo in libertatem ſe vindicavit, & poſtquam divinæ atque Evangelicæ Veritatis radiis illuſtrata puriorem numinis cultum ſemel amplexa eſt, in perperis Remonſtrantium molitionibus intemeratæ fidei ſupra vicinas tenaciſſima fuit. Quæ ipſa urbs quamvis ob Maris proximam Viciniam mercaturæ & navigationi magis dedita ab ævo fuerit, edidit tamen illa non tantum à multis retro annis Eccleſiarum Miniſtros multos fideliſſimos, inter quos numero Venerandum Socerum meum & Rotterodamenſium Paſtorem fideliſſimum Johannem Urſinum; ſed & antiquiori tempore Viros in omni Litterarum Genere præſtantes. Ut enim Ruardum Tapperum taceam, Lovanienſis Academiæ Profeſſorem Theologum, Hæreticæ, quod ajunt Romani, pravitatis Inquiſitorem ſeveriſſimum, laudatum nonnullis, inviſum aliis, etiam pleriſque civibus ſuis, nomen: Enkhuſanus fuit Theodoricus Langius, qui Græcas Literas primum Burdigalæ in Gallia dein Lovanii in Collegio Buſlidiano uſque ad annum MDLXXVIII. magna nominis celebritate docuit. Enkhuſanus quoque fuit Franciſcus Maelſonius, Medicinæ Doctor, eruditione, eloquentia, rerumque gerendarum prudentia inclutus, Græcarum inprimis Literarum peritiſſimus; quod Epiſtolæ ea lingua ad Gemmam Friſium familiariter ſed & eleganter ac terſe ſcriptæ comprobant. Enkhuſanus denique fuit, ut alios præteream, Johannes Antonides van der Linden Medicinæ primum Franequeræ dein in hac noſtra Lugdunenſi Academia Profeſſor celeberrimus; cujus Filius Medicus præſtans & filia, nupta Ampliſſimo Dorpio Conſulari noſtro hodieque ſuperſunt, & cujus Avus Henricus Antonides van der Linden ab Enkhuſanæ etiam Eccleſiæ Miniſterio ad inaugurandam Franequeranam Academiam docendamque in ea Theologiam ab Illuſtribus

ſtribus & Præpotentibus Friſiæ Ordinibus A. MDLXXXV. evocatus fuit ſapientiſſime. Adeo nec in patria urbe, minime ſterili bonæ mentis ſolo, defuerunt Exempla illuſtria doctrinæ, quæ ſibi imitanda olim proponeret noſter *Witſius*.

Is vero Lucem illic primum videre cœpit Die duodecimo Menſis Februarii A. MDCXXXVI. Qui Annus hoc inprimis memorabile habet in rem noſtram, quod publico Diplomate Ordinum Provinciæ Trajectinæ ejuſdem quoque Menſe Februario Illuſtre Gymnaſium, biennio ante prudenter apertum, ab Urbis Conſulibus & Senatu, Jus & Privilegia Academiæ acceperit. In qua ſcilicet *Witſius* deinde non tantum cum aliis diſceret docenda, ſed & per annos plurimos præ aliis doceret quæ à fidis Doctoribus didicerat. Id etiam de Viri Nativitate accepi, quod ipſe juſto maturius viam ad lucem affectans & ſe ipſum, & matrem prope enecaverit; quodque hinc cum naſceretur adeo fuerit tenellus, ut non fore ei vitam vitalem obſtetrix cæteræque præſentes fœminæ ominarentur. Sed inſciæ hæ tum erant, quantus ex tenello illo Vir foret, ut olim creſceret per divinam gratiam non tam mole Corporis, quæ ſemper manſit ſatis exigua, quam animi vigore, & laborum utiliſſimorum Magnitudine, & nominis per Orbem omnem fama.

Secundum illud tantum nativitatis & primæ vitæ periculum fuit piorum parentum cura de *Witſio* infante adaucta. Quam neutiquam deinde neglexerunt, dum votorum ſuorum memores puerum ſanctiſſime educarunt, cum ipſo quaſi lacte religionis pietatiſque Chriſtianæ præcepta ei inſtillantes, & quam primum fari diſcebat ad domini Deique ſui laudem balbutiente ſermone dimidiatiſque verbis celebrandam rudem linguam informantes. Quin & ſexto Ætatis Anno in publicam civitatis Scholam eum introduxerunt, primis Linguæ Latinæ Elementis imbuendum. Unde, exacto Triennio, eum ad ſupremam jam Rectoris Claſſem promotum in privatam ac domeſticam Diſciplinam ſumſit Avunculus Petrus, Hermanni iſtius, quem antea laudavi, Filius. Erat ille Vir Latine, Græce & Hebraice bene doctus, Philoſophiæ etiam conſultus, quam non ad inanes Subtilitatum Tricas, ſed ad rerum ipſarum elucidationem rigidæque Virtutis exercitia prudenter referebat; præcipuam autem operam Theologiæ navaverat. Is in alto & ſecuro otio, omnis tunc publici negotii expers, ſibi vivebat, & huic ex Sorore

Nepoti ſuo; quem inſtar filii unice charum habens ea aſſiduitate erudiebat, ut ante decimum quintum ætatis annum non modo Latine tolerabiliter ſcriberet & loqueretur, ſed & Græcos Novi Teſtamenti Libros & Iſocratis Orationes aliquot prompte ſatis interpretaretur, Samuelis etiam Commentarios Hebraicos Latine redderet, vocum etymologia apicumque mutatione ex Canonibus Grammatices demonſtrata. Philoſophiæ quoque Guſtum aliquem ex Diſciplina illa hauſit, Logicam non perfunctoriè, ſed quantum ad uſum ſatis erat edoctus, ut poſtea in Academiam translatus nullo artis iſtius Doctore indiguerit. Quin & Compendia Ethices Walæi & Burgersdicii eodem tempore didicit; idque tam ſedulo, ut plerasque Sententias, quæ in Burgersdicio ex Antiquis crebræ ſunt, ſive Græcæ eæ forent ſive Latinæ, memoriter calleret. Ejuſdem Burgersdicii Elementa Phyſices percurrit, Metaphyſicis etiam Subtilitatibus libatis. Et quia ſeverum in Avunculo ἐργοδιώκτην habebat, pleraſque rerum Theologicarum definitiones & Partitiones ex Wendelino memoriæ infixerat. Inprimis vero id operæ ſibi datum exiſtimabat Vir antiquæ Pietatis, ut nepotem quoque ſuum à teneris unguiculis ad eandem aſſuefaceret. Solebat ipſe ad omnia fere quæ in communi vita uſu veniunt in promtu habere inſignia utriuſque Divini Inſtrumenti dicta, quæ inter ſurgendum, veſtiendum, lavandum, ambulandum, ſtudendum, & quidvis denique agendum, ſive ad Preces ſive ad Gratiarum Actionem, ſive ad officii ſui Commonefactionem, Hebraice aut Græce frequenter recitabat, juvenique Nepoti ad idem faciendum Exemplo ac monitis autor erat. Unde & contigit, ut hic iſta jam ætate tenera aliquam multas Hebraicas & Græcas Pericopas familiares ſibi reddiderit, quarum ne ſenem quidem cepit oblivio. O raram *Witſii* noſtri felicitatem, & obſequendi induſtriam! quæ ſi hodie frequens eſſet, (cur non verum fateri oporteat?) ad Academiam magis longe inſtructi accederent multi, quam nunc ſunt cum ab Academia ad communes vitæ & civitatis uſus transeunt.

Iis cum in paterna domo inſtructus eſſet præſidiis Anno MDCLI. ætatis XV. àctum fuit de *Witſio* in Academiam aliquam ablegando. Præ cæteris autem Trajectina placuit, quæ tunc Viris in omni Literarum genere Clariſſimis & inſigni Studioſorum frequentia, egregiaque diſciplina florebat. Præcipue eam com-

commendabant theologi, Gisbertus Voëtius, Carolus Maatſius, & Johannes Hoornbeckius magna nec inficianda Seculo nomina. Sed Maatſius jam obierat, cum *Witſius* noſter Trajectum appulit, in cujus Exequiis erudita Oratione parentantem Optimo Collegæ audivit Hoornbeckium. Academiæ itaque Trajectinæ civis factus, in Metaphyſicis quidem Pauli Voëtii, tunc Philoſophiæ, poſtea Juris Profeſſoris Celeberrimi, cujus Filio Cl. ICto Johanne Voëtio ſuperbit à multis annis etiamnum Academia noſtra, manuductione uſus eſt. Cæterùm cum Orientalium Linguarum ſtudio apprime delectaretur, Clariſſimo Viro Johanni Leusdenio, qui incredibili dexteritate linguas illas docebat, familiariter ſe applicuit, & ſub illius præſidio totum fermè Hebraicorum Bibliorum Codicem interpretatus eſt, ut & Commentarios Salomonis Jarchii, Aben-Ezræ, & Kimchii, in Hoſeam, & Chaldaicam Jonathanis in Jeſajam Paraphraſin, & Onkeloſi in partem Pentateuchi. Inſuper Maſoræ arcana, & Talmudis ſtribiliginoſam dictionem, ex Titulo Sanhedrin & Maccoth â Johanne Coccejo & ex Titulo Babha Bathra â Conſtantino l'Empereur editis, eodem Præceptore attigit. A quo etiam Linguæ Syriacæ & Arabicæ Elementa hauſit, hanc tamen poſtea minus quam alias omnes excolens. Quin & quantum in Hebræorum literis profeciſſet, hortante Leusdenio, ſpecimine publico probavit, quando compoſitam à ſe eleganter ac recitatam dexterrimé Hebræam Orationem ad Exemplum docti cujuſdam Hungari, de Judæorum & Chriſtianorum Meſſia Anno MDCLIV. concioni Academicæ exhibuit. Etiamſi autem in his fere Literis totus eſſet, neutiquam tamen Theologiæ, cui cætera omnia ancillari noverat, ſtudium omiſit, ſed magiſtris in ſublimi iſta diſciplina gnaviter admodum uſus fuit Viris maximis & Sacrarum Literarum conſultiſſimis, quorum memoriam laudatiſſimam nullus obliterabit temporum lapſus, Gisberto Voetio, Johanne Hoornbeeckio, qui tunc fere ad Lugdunenſem noſtram vocabatur Academiam, Gualtero Bruinio, cujus præfulgidum ſed breve & inopina Morte interceptum Jubar fuit, & Andrea Eſſenio. Ex quorum inſtitutione, cum accederet incomparabilis domeſtica induſtria, veraque in Deum Pietas, quantum ipſe profecerit, etiam me tacente facile perſpicietis. Factum tamen ei prolubium eſt Groningam quoque videre, ut Celeberrimo Viro Samuele Mareſio illic frueretur.

 Quorſum

Quorsum post ferias caniculares Anni *MDCLIV.* profectus, Theologiam præcipue excoluit, eo uno tunc Doctore & Ductore contentus. Sub cujus Directione in Concionum Sacrarum præexercitamentis, Propositiones vocant, Linguâ Gallica se exercuit, atque in his eam sui spem Magno isti Viro præbuit, ut non obstantibus plurimis gravissimisque occupationibus declamatiunculas istas à Soloecismis Gallicis & Idiotismis Latinis vel Belgicis emaculare dignatus fuerit antequam in Collegio recitarentur. Anno sic Groningæ exacto, & honestissimi Testimonii commeatu à Theologica Facultate impetrato, Leidam cogitabat. At peste ibi sæviente, charam sibi Trajectum remeare animum induxit, ut felicissime jactis non tantum sed & alte exstructis jam Theologiæ fundamentis plus auri & argenti & pretiosorum Lapidum inædificaret. Itaque non *Professores* modo Theologos diligenter nunc uti antea publice & privatim docentes audivit; sed & familiariter admodum usus est Viro plurimum Venerando Justo van den Bogaerdt; cujus Pietatem, prudentiam dotesque admirabiles ita æstimabat, ut neminem parem ei Ecclesiastem vivere, juveniliter fortasse, sed tamen crederet. Ex illius Concionibus, colloquiis & exemplo, interiora Regni Dei & Mystici ac spiritualis Christianismi Arcana didicit. Ex illo intellexit, quantum interesset inter eam rerum Theologicarum qualemcunque Cognitionem, quam Exercitia Scholastica & Libri erudite scripti & pertinax Studium ingeniis veræ Sanctificationis gratia destitutis conferre possunt, & inter Sapientiam illam cælestem, quæ meditando, orando, amando, familiariter cum Deo conversando, ipso gustu & experientia rerum spiritualium comparatur, quæque à Spiritu Dei, intus illuminante, convincente, persuadente, obsignante, profecta, universum hominem ad sanctissimam Christi imaginem gloriose transformat. Breviter, illius sanctissimi Viri opera fassus est se introductum à Domino Jesu in penetrale suum, cum ante in atrio morans nimis sibi & stulte placuisset, atque ibi demum se didicisse, ejurata omni scientiæ vana præsumptione ad cœlestis Magistri pedes humiliter considere, & regnum Dei accipere velut puerulus. Ne tamen existimetis illum animo sic ad pietatem omnem formando incubuisse, ut Academica negligeret imposterum studia, facere possunt & debent Theses ab ipso conscriptæ de Sacro-Sancta Trinitate ex

Judæis

Judæis contra Judæos probanda, quas Mense Octobri Anni MDCLV. publice ventilandas proposuit, sub præsidio Clarissimi Leusdenii, quæ quamvis ab exercitatissimis Academiæ Civibus acriter impeterentur, adeo tamen feliciter Respondentem suum se expedire arbitrabatur Præses, ut verbum interfari noluerit, cumque ut moris est Præsidi pro commodata sibi opera gratias ageret, is suo Præsidio eum non indiguisse satis comiter & vere regesserit.

Exigere nunc Tempus videbatur, ut *Witsius* noster in Academia gemina spectatissimus, ad Ecclesiæ usum publicum transiret, atque huic profectus suos primum ex more dijudicandos exhiberet. Idcirco Examini quod vocant præparatorio Enkhusæ se stitit Anno MDCLVI. Mense Majo, una cum Johanne Lastdragero, tunc Contubernali suo, quicum à teneris consueverat, quemque deinceps in Leovardiensis primum, dein & Trajectinæ Ecclesiæ Ministerio Collegam conjunctissimum & σύζυγον γνήσιον habuit. Atque heic quidem ad habendas Conciones publicas non tantum cum insolita Laude & communi applausu admissus est, sed & adeo in iis habitis placuit constanter, ut vix ullæ in Boreali Hollandia, ubi tunc degebat, rurares Ecclesiæ fuerint, quæ Pastorem desiderantes eum non inseruerint ternario Candidatorum numero ex quo Electio fieri solet. Ausus est etiam, animum addente perquam Reverendo Viro Johanne Jacobo Boisio Ecclesiæ Gallo-Belgicæ apud Trajectinos Pastore, à Gallorum Fratrum Cœtu Dordraci coacto facultatem petere in eorum Ecclesiis eorumque lingua publice dicendi; quam haud difficulter obtinuit, annitente in primis Clarissimo Viro Antonio Hulsio cujus se favori insinuaverat data ad ipsum ex Consilio Venerandi Boisii Hebraica Epistola. Atque ab eo tempore aliquoties tam Trajecti quam Amstelædami Gallicè dixit, uti & in cursu Ministerii sui Leovardiani longe serius ex Suggestu Gallico Sermonem Sacrum ad Ecclesiam habuit aliquando felicissimè. Quoniam autem aliquid sibi ad Linguæ istius elegantiam adhuc deesse opinabatur, iter in Galliam ipsam proxime meditatus fuit, Viros per id Regnum magnos simul visurus, ut ab his quoque coram usum haberet.

Sed aliter visum fuit Divinæ providentiæ, nam Anno sequenti

quenti LVII. atque Ætatis suæ XXI. à Westwoudana Ecclesia legitime vocatus *WITSIUS* ejusdem Ministerio initiatus est Die octavo Julii. Situs est Pagus iste inter Enkhusam & Hornam, pari fere intervallo, combinatusque in Rebus Ecclesiasticis alteri, cui Bienne Wijsent nomen est. Ubi Quadriennium & quod excurrit cum summa juvenilis Animi alacritate Deo servivit. Nec minori cum fructu; tantum enim frequentibus Catechismis consecutus est, prudentissime se discipulorum captui accommodans, ut pueri ac puellæ puberes impuberesque, qui cum primum illuc veniret omnium rerum rudes erant, non modo de præcipuis Religionis nostræ Capitibus scite responderent, sed & assertiones suas idoneis Scripturæ Testimoniis firmarent, & concionem integram cum omnibus suis Particulis de singulis interrogati ordine inferrent, ad Parentum & Seniorum tam gaudium quam ruborem. Unde, cum tam fidi aptique Pastoris fama late spargeretur, Wormerana in eodem Borealis Hollandiæ tractu Ecclesia, satis numerosa & celebrata, sed moribus intestinis nimium tunc turbata, non putavit se quemquam reperturum Ducem alium componendis Litibus animisque ædificandis magis idoneum. Et paruit WITSIUS non tantum hujus vocationi, ad ejusdem Ministerium transiens Mense Octobri Anni MDCLXI. sed & illic Quadriennium cum Semestri exegit, ad pacem Christianam & communem Salutem omnia sic componens, ut ab omnibus peræque amaretur ipse, fructumque laboris sui amplissimum in iis cerneret. Quapropter neque passus est se ab iis abstrahi per Slusa-Flandros, qui eum prolixe sollicitabant ad Evangelium sibi Belgico & Gallico Sermone explicandum. Cum vero sufflaminarentur iniquissimè Ecclesiarum quarundam splendissimarum declarata Consilia de Viro tam Egregio & Utili ad se vocando; successit Gœsanis apud Zelandos ejusdem Vocatio. Quorsum cum transiisset circa Pentecosten Anni LXVI. ita Doctrina, moribus & industria placuit omnibus, ut & ipse in jucundissima pace cum eruditis piis & vigilantissimis Collegis, quorum binos ut patres venerabatur & tertium juniorem fratris diligebat loco, concorditer illic viveret, sæpe dein protestatus nullum sibi in tota vita tempus tranquillius & dulcius contigisse, & plus semel tunc optans in placido isto portu consenescere. Sed hoc non siverunt fieri Leovardienses in Frisia, qui ad istam gentis suæ Metro-

Metropolin ſplendidam ipſum Menſe Novembri Anni LXVII. cum inſigni deſiderio vocarunt, ut non in Eccleſia ſolum Aulaque & Curia ſua, ſed & per omnes Friſios illuc ad Comitia & res gerendas confluentes undique lumen tam fulgidum præfulgeret. Venit autem illuc demum Menſe Aprili Anni inſequentis LXVIII. Gæſanis ægerrime eum dimittentibus & moras ex moris trahentibus. Et dici vix poteſt, quacum vigilantia & fide & prudentia incubuerit Eccleſiæ iſti ædificandæ, excitandæ & moderandæ; difficillimo etiam tempore hoſtium in Belgium irruentium plurimas ejus Civitates citiſſimé occupantium, atque alias omnes percellentium & mire commoventium, quando animis & pectore non minus prudenti quam firmo vere opus erat. Nec ſcio ego, qui illis temporibus in Patria mea Friſia ſtudiis Academicis intentus eram, quemquam vel ante vel poſt eum fuiſſe alium Virum Dei, cui Labor in Domino felicius ſucceſſit, & qui Eccleſiæ & Proceribus & Aulæ etiam fuerit gratior. Unde & Sereniſſimi Principis Naſſoviæ Friſiæ Gubernatoris Hæreditarii nimis immature extincti, *Henrici Caſimiri* Juvenilibus ſtudiis aliquamdiu præfuit, illiuſque illuſtriſſimam Sororem *Ameliam*, quæ dein Duci Saxonico Eiſenaci nupſit, Principem ſanctiſſimam in re Religionis inſigni ſucceſſu informavit, & profeſſionem fidei, quam uterque magna cum Eccleſiæ ædificatione publice edebat, præſente Principe Matre *Albertina* Auriaca, moderatus eſt.

Minime hinc mirabitur quiſquam, quod cum temporum afflictiſſimorum injuria & deceſſu tum Venerandi Senis Chriſtiani Schotani tum vix inaugurati Johannis Melchioris Steinbergii haud parum Theologicæ res Academiæ Franequeranæ collapſæ viderentur & ſpectatiſſimæ apud Friſios per Septennii integri experientiam propriam eſſent ampliſſimæ & vere Academicæ WITSII noſtri dotes; quod inquam ad Theologiæ Profeſſionem Ordinariam in Academia ſua, ſic feliciſſime reſtituenda hunc Anno LXXV. deſignaverint. Quam occaſionem prudentiſſimè captavit quoque Eccleſia Franequerana, Paſtore altero tunc orbata, ut huic deſignato Profeſſori cujus dotes Paſtorales erant tam magnæ & celebratæ, ſui ſanctiſſimam Curam lætiſſime committeret. Ergo utraque hac Vocatione ſimul accepta, venit Franequeram, & poſtquam Theologiæ Doctor

eſſet

esset in Academico Senatu à Theologo Collega renunciatus, Professor ejusdem Disciplinæ inauguratus est Die XV. Aprilis, habita cum omnium undique accurrentium maximo applausu Oratione solenni, qua Ideam veri Theologi egregie exprimebat. Talem vero ipse se mox etiam exhibebat, una cum Venerando Sene Nicolao Arnoldi, cujus conjunctissimi Collegæ sui candorem & dicendi dexteritatem semper prædicavit WITSIUS, ita nec ego meminisse possum unquam absque magna laude Theologi Præstantissimi atque gratissimo Affectu illi ut Optimo Præceptori & Promotori & tandem Collegæ debito. Nempe ex Ecclesiastico Suggestu ita graviter & eleganter, & pie & solide, & utiliter, dicebat WITSIUS, ut torpor inveteratus excuteretur Populo, novæque vitæ motus se palam in maximis & minimis proderent. Et calebat ab ipsius sanctissimo igne Academica Cathedra, ad quam confluebat ex variis & dissitissimis Europæ partibus sacra Juventus magno numero, quæ vellet solide pieque sapere, quæque ad suos redibat cum eruditionis & pietatis profectu pari. Et ne ulla in parte Officio suo & Consilio vocantium deesset, vix pedem in Academiam intulit, quin inter publicos & domesticos labores quotidianos plurimos, ad utrumque munus spectantes, ad scribendum se composuit, ediditque intra brevissimum temporis spatium, præter selectas Academicas Disputationes ad firmandam Ecclesiæ pacem maxime facientes, & Diatriben minorem, Opera duo satis magna & erudita, quæ ad communem omnium essent usum, per Belgium & Europam omnem citissime distracta & plusquam semel dein excusa cum ab omnibus ubique summa cum laude legerentur, & legantur etiamnum. Non erat præterea aliquid grave extra ordinem agendum, etiam cum Schismaticis Labadiæ Asseclis; qui tunc in Frisia sedem suam præcipuam fixerant, quod non per hunc virum ipsi Proceres æque quam Ecclesiæ Præfecti crederent expediendum fore. Hæc scilicet sunt illa Tempora, quibus ego ab Academia Lugdunensi & Studiis Sacris heic tractatis in patriam redux, innotui demum Magno nostro Theologo, qui Coetus Ecclesiastici Nomine profectus meos exploravit, & laudavit, Ecclesiæ tum Midlumanæ inter Franequeram & Harlingam me tanquam Pastorem illamque mihi solenniter ex Suggestu commendans; & qui post alterum Examen Academicum cum Rectore & Senatu Doctoris

ɔctoris Theologiæ titulum mihi ab Arnoldo conferendum
:crevit, mox Serenissimo Principi & Amplissimis Proceribus
:eusque adeo commendans, ut ab his ipso Anno LXXVI. ter-
s Professor Ordinarius Theologiæ constituerer. Nec possum
ɔ horum recordari Annorum quin prædicem vitæ meæ feli-
atem in vicinia primum & dein in Societate WITSII inti-
: actæ, quando mire me juvenem ædificabant quotidie ejus
nciones Ecclesiasticæ, incitabant Tractationes Academicæ,
truebant Sermones familiares, ducebant Consilia saluberrima
mores candidissimi; & juvabat sic ipse omni modo. Sed
it magnum Viri Jubar, ut ejus usum longum Frisiis invide-
ıt vicinæ Gentes, ejus apud se habendi desiderio magno cor-
ɪtæ. Id tentarunt primum Groningo-Omlandicæ Acade-
æ Curatores, quando defuncto Jacobo Altingio Successo-
n dignum, tam in Cathedra Theologica & Philologica,
am in Templo Academico, daturi, exeunte Anno LXXIX.
ınequeram miserunt Virum Reverendum adhuc superstitem,
i oblatis honestis Conditionibus WITSIUM solicitaret. Sed
ea caruit Successu omni; siquidem ipse eadem cum Celsis-
ıo Principe cæterisque Frisiæ Academiæ Curatoribus commu-
ata, qui gratissima sibi ejus officia esse protestabantur, Gro-
ganis se honeste & modeste excusavit. Verum Groninganos
ssime exceperunt Trajectini initio Anni LXXX. cum post
:eberrimi Burmanni decessum indigere se Viro Magno judi-
ent ad Academiæ suæ augendam celebritatem & Ecclesiæ
: tuendam veterem pietatem, scirentque optime neminem
hæc instructum præ suo olim WITSIO. Itaque Legatio-
n Spectatissimam hi miserunt Franequeram, rogaruntque
ò, ut suam Academiam & Ecclesiam ornandam transire
let. Nec ægre admodum Legati obtinuerunt, quicquid ex
lissimi Viri amore magno obniterentur Frisii, ut votis Tra-
inorum annueret ipse; ista potissimum animi sui Religione
:tus, quod, cum omnia se propemodum sua Academiæ &
lesiæ illi debere agnosceret, non existimaret sibi esse com-
tendum, quin cum grati animi testificatione sua quæ pote-
, rependeret Officia. Post honestissimam hinc afflictorum
iorum missionem venit Trajectum ejusque Ecclesiæ Ministe-
initiatus est una cum nostro dein Triglandio, eodem Die
:V. Aprilis, & quatriduo post Professioni Academicæ, habi-

effet in Academico Senatu à Theologo Collega renunciatus, Professor ejusdem Disciplinæ inauguratus est Die XV. Aprilis, habita cum omnium undique accurrentium maximo applausu Oratione solenni, qua Ideam veri Theologi egregie exprimebat. Talem vero ipse se mox etiam exhibebat, una cum Venerando Sene Nicolao Arnoldi, cujus conjunctissimi Collegæ sui candorem & dicendi dexteritatem semper prædicavit WITSIUS, ita nec ego meminisse possum unquam absque magna laude Theologi Præstantissimi atque gratissimo Affectu illi ut Optimo Præceptori & Promotori & tandem Collegæ debito. Nempe ex Ecclesiastico Suggestu ita graviter & eleganter, & pie & solide, & utiliter, dicebat WITSIUS, ut torpor inveteratus excuteretur Populo, novæque vitæ motus se palam in maximis & minimis proderent. Et calebat ab ipsius sanctissimo igne Academica Cathedra, ad quam confluebat ex variis & dissitissimis Europæ partibus sacra Juventus magno numero, quæ vellet solide pieque sapere, quæque ad suos redibat cum eruditionis & pietatis profectu pari. Et ne ulla in parte Officio suo & Consilio vocantium deesset, vix pedem in Academiam intulit, quin inter publicos & domesticos labores quotidianos plurimos, ad utrumque munus spectantes, ad scribendum se composuit, ediditque intra brevissimum temporis spatium, præter selectas Academicas Disputationes ad firmandam Ecclesiæ pacem maxime facientes, & Diatriben minorem, Opera duo satis magna & erudita, quæ ad communem omnium essent usum, per Belgium & Europam omnem citissime distracta & plusquam semel dein excusa cum ab omnibus ubique summa cum laude legerentur, & legantur etiamnum. Non erat præterea aliquid grave extra ordinem agendum, etiam cum Schismaticis Labadiæ Asseclis; qui tunc in Frisia sedem suam præcipuam fixerant, quod non per hunc virum ipsi Proceres æque quam Ecclesiæ Præfecti crederent expediendum fore. Hæc scilicet sunt illa Tempora, quibus ego ab Academia Lugdunensi & Studiis Sacris heic tractatis in patriam redux, innotui demum Magno nostro Theologo, qui Coetus Ecclesiastici Nomine profectus meos exploravit, & laudavit, Ecclesiæ tum Midlumanæ inter Franequeram & Harlingam me tanquam Pastorem illamque mihi solenniter ex Suggestu commendans; & qui post alterum Examen Academicum cum Rectore & Senatu

Doctoris

Doctoris Theologiæ titulum mihi ab Arnoldo conferendum decrevit, mox Serenissimo Principi & Amplissimis Proceribus meusque adeo commendans, ut ab his ipso Anno LXXVI. tertius Professor Ordinarius Theologiæ constituerer. Nec possum ego horum recordari Annorum quin prædicem vitæ meæ felicitatem in vicinia primum & dein in Societate WITSII intima actæ, quando mire me juvenem ædificabant quotidie ejus Conciones Ecclesiasticæ, incitabant Tractationes Academicæ, instruebant Sermones familiares, ducebant Consilia saluberrima & mores candidissimi; & juvabat sic ipse omni modo. Sed fecit magnum Viri Jubar, ut ejus usum longum Frisiis inviderent vicinæ Gentes, ejus apud se habendi desiderio magno correptæ. Id tentarunt primum Groningo-Omlandicæ Academiæ Curatores, quando defuncto Jacobo Altingio Successorem dignum, tam in Cathedra Theologica & Philologica, quam in Templo Academico, daturi, exeunte Anno LXXIX. Franequeram miserunt Virum Reverendum adhuc superstitem, qui oblatis honestis Conditionibus WITSIUM solicitaret. Sed res ea caruit Successu omni; siquidem ipse eadem cum Celsissimo Principe cæterisque Frisiæ Academiæ Curatoribus communicata, qui gratissima sibi ejus officia esse protestabantur, Groninganis se honeste & modeste excusavit. Verum Groninganos citissime exceperunt Trajectini initio Anni LXXX. cum post celeberrimi Burmanni decessum indigere se Viro Magno judicarent ad Academiæ suæ augendam celebritatem & Ecclesiæ suæ tuendam veterem pietatem, scirentque optime neminem ad hæc instructum præ suo olim WITSIO. Itaque Legationem Spectatissimam hi miserunt Franequeram, rogaruntque serio, ut suam Academiam & Ecclesiam ornandam transire vellet. Nec ægre admodum Legati obtinuerunt, quicquid ex Utilissimi Viri amore magno obniterentur Frisii, ut votis Trajectinorum annueret ipse; ista potissimum animi sui Religione ductus, quod, cum omnia se propemodum sua Academiæ & Ecclesiæ illi debere agnosceret, non existimaret sibi esse committendum, quin cum grati animi testificatione sua quæ poterat, rependeret Officia. Post honestissimam hinc afflictorum Frisiorum missionem venit Trajectum ejusque Ecclesiæ Ministerio initiatus est una cum nostro dein Triglandio, eodem Die XXV. Aprilis, & quatriduo post Professioni Academicæ, habi-

ta Oratione elegantiſſima de Præſtantia Evangelicæ Veritatis, quæ ampliſſimæ expectationi omnium pleniſſime reſpondebat. Atque in hac demum Statione optatiſſima tuenda & ornanda, cum Viris clariſſimis, Petro Maſtrichtio, Melchiore Leideckero, & Hermanno dein Halenio, ad exemplum Doctorum & Deceſſorum ſuorum, quos venerari prolixe nunquam deſiit, vix dici poteſt, quam proſpere vixerit, valuerit, laboraverit, ultra duodeviginti annos laudatiſſimæ ætatis ſuæ. Habebat nempe in Eccleſiæ Miniſterio Cooperatores viros complures ad doctrinam, pietatem, pacem & Zelum Divinum formatos, ac inter hos veteres collegas in Eccleſiæ Leovardienſis cura Petrum Eindhovium, & Johannem Laſtdragerum. Habebat in Academia, præter Theologos nominatos atque omni Celebratione digniſſimos ſecum in Domino ad Eccleſiæ decus laborantes, ſuum non tantum Johannem Leusdenium Philologum egregium, ſed & Gerardum Vrieſium & Johannem Luitſium Philoſophos præſtantes, qui in Eccleſiæ uſus Juventutem Sacram gnaviter præformabant. Habebat coram Eccleſiaſtico Suggeſtu ſuo Chriſtianum Magiſtratum & Populum omnem, qui dicendi vim admirabantur atque varie commoto ad Religionem animo experiebantur. Habebat ante Academicam & domeſticam Cathedram non tantum Juvenum Egregiorum ex omni Orbis parte Coronam ampliſſimam, quæ ab ore ejus doctiſſimo, ſolidiſſimo, prudentiſſimo, & diſertiſſimo, pendebat; ſed & ad diſcendum ab eo quotidie convolabant Doctores ipſi magno numero. Atque hinc ipſe tantum conſpiciens operis ſui fructum, nullis ſe Laboribus ſubduxit, quibus, etiam inſomnes plurimas agens noctes, Academiæ & Eccleſiæ utilis eſſe poſſit. Nec ſufficiebat ipſi ore coram, concionando, prælegendo, colloquendo, & diſputando expromere utilem & variam Doctrinam ſuam, ſed & Theſauros ejus publicis & præclaris Scriptis plurimis expoſuit Orbi omni præſenti & futuro, duraturis nec perituris niſi cum doctrinæ ſolidæ & veræ pietatis ipſius interitu. Ingrata ſane Trajectum! ſi unquam meritorum maximorum WITSII obliviſcaris, qui veterem tibi pietatem tuam conſervavit, & Academiæ tuæ Splendorem eo uſque adauxit, ut neſciam an unquam ille vel major fuerit vel æquè magnus ſit futurus impoſterum. Incauta

vere

vere Trajectum! Si unquam alia conaris via vel stare vel Caput tuum extollere, quam eos fovendo & vocando Viros, qui in sanctissimæ veritatis, & infucatæ pietatis, & Christianæ simul pacis studio, WITSII tui vestigia premunt. Imo infortunata Trajectum, si unquam his destituaris, qui tuum sincere referunt WITSIUM non diu tunc constitura nec servatura antiquam Gloriæ tuæ nobilitatem; quod omne Deus benignissime avertat! Id vero ad Trajectinorum laudem ego dicere adhuc debeo, quod non tantum in Ecclesiasticis Cœtibus agnoverint semper prudentiam & Dexteritatem Viri, ad Dignitates in Synodis maximas ipsum oportunè vocantes, sed & Proceres factis æque ac dictis testati sint sibi dotes ejus esse exploratissimas, & æstimatissimas. Nec aliunde fluxit, quod bis ipsum auxerit summi in Academia sua Magistratus Insignibus, Anno LXXXVI. & XCVII. Et, quod prætermitti à me neutiquam debet, quod cum Anno LXXXV. Reipublicæ Belgii totius Legatio Splendidissima decreta esset ad Jacobum Magnæ Britanniæ Regem dein Gallorum & Romanensium fraudibus misere seductum & perditum, quam cum Illustrissimo Wassenario nostro Duvenvordiæ Domino, & Legato Ordinario Excellentissimo Cittersio, obiret quoque Nobilissimus & per utilissima in patriæ bonum gesta Perillustris Weedius Dykveldiæ Dominus; quod, inquam, hic Sociis Legationis facilè persuaserit, non alium quam WITSIUM sibi à Sacris esse assumendum, quem Theologum ad Ecclesiarum Belgicarum decus possent Anglorum genti coram exhibere absque offensionis & contemptus metu ullo. Nec displicuit illi hoc Illustrium Virorum Consilium, quando & ivit illuc licet corpore æger satis alacriter, & reversus inde post mensium quorundam lapsum fassus est, se cum Archi-Episcopo Cantuariensi, Episcopo Londinensi, aliisque tum Episcopalibus tum Dissentientibus in Disciplina Theogis plurimis, conversatum, haud pauca observasse, quæ ad doctrinæ suæ facerent augmentum, & quibus ad omnem Prudentiam redderetur instructior. Tum non dissimularunt ab eo tempore Angli, sic ipsis magis innotuisse WITSIUM, ut amare & celebrare hunc dein magnopere deberent.

Fecit post hæc omnia longe latequè per Orbem celeberrima WITSII fama, ut de Viro hoc Maximo in Academiam

Lugdunensem nostram vocando serio cogitarent hujus illustrissimi Curatores cum Spectatissimis Urbis Consulibus Anno XCVIII. ut sic damno occurreretur maturè quod ex instare viso Magni Spanhemii decessu metuebatur. Et placuit Gubernatori nostro optimo ac Britannorum Regi potentissimo Guilielmo III. immortalis Gloriæ Principi felicissimo, idem consilium, pro ea qua erat constanti pietate in Deum & Fide ac prudentia pari in Ecclesiam & Academiam nostram. Nec mora ulla fuit, vel in vocatione ad Munus Professoris Theologiæ apud nos decernenda, & exequenda vel in eadem ab ipso accipienda. Quanquam enim aliud maluissent Trajectini, habuit multas tamen gravesque causas WITSIUS noster, cur Lugdunensium Invitationi parendum sibi esse existimaret; ratus id ommino esse ex re æque sua quam Ecclesiæ, ut á Suggestus Laboribus dein exemptus seniles annos suos reliquos Academicis commodis tanto liberius impendere posset. Præsertim cum de voluntate Potentissimi Regis per illustrem Hollandiæ Consiliarium Heinsium certior esset factus. Uti deinceps ipse Rex ad Colloquium admisso comiter testatus fuit, gratum sibi fuisse quod Vocationi ad Lugdunensem Cathedram se autore decretæ obsecutus esset, addita promissione amplissima Regii sui Favoris, quam & ipso opere postea præstitit semper. Muneris vero sui cum huc venisset Auspicium apud nos fecit ex hoc ipso loco Die XVI. Octobris lætissimum habita Oratione gravi & eleganti prorsus qua Modestum pinxit Theologum. Et qua fide Munus idem heic per Decennium gesserit, qua assiduitate laboraverit, qua Sapientia & Prudentia docuerit, qua Elegantia dixerit, qua Alacritate disputans differuerit, qua pietate vixerit, qua Suavitate versatus fuerit, quo Nitore scribere perrexerit, quo Splendore Academiam ornaverit, adeò nostis omnes & constat Orbi toti, ut non sit quod mea se heic latius diffundat oratio. Enim vero vix annum unum apud nos egerat, cum Illustres & Præpotentes Hollandiæ Westfrisiæque Ordines ad Commendationem Academicorum Procerum, in locum pie defuncti Regentis Marci Essii, Collegii sui Theologici, in quo Reipublicæ suæ Alumni ingenui ad Ecclesiæ commoda crescunt, curam supremam WITSIO nostro, placidissime Juventutem suam ducturo, commiserunt, salvo honore omni & dignitate Muneris Professorii, quod & in Viro

Clarissimo

Clarissimo Antonio Hulsio ei conjunctum fuerat. Cui muneri cum inaugurararetur, elegantissima Oratione Latina, Actis Collegii istius inserta & dignissima, quæ ab omnibus publice legi posset, Illustris vere Præses Supremæ Batavorum Curiæ & Academiæ Curator Hubertus Roosenboomius Sgrevelsrechtæ Dominus, communi Procerum nomine, non tantum Novi Regentis laudes exposuit, sed & ad ejusdem debitam venerationem & officia alia omnia decentia istius Collegii Socios omnes excitavit; ad magnam sane Seculi nostri Gloriam, in quo adhuc supersunt & Reipublicæ apud Belgas & Batavos præsunt, qui Literarum bonarum & veræ Sapientiæ Studia ita tractarunt olim Juvenes, ut nec eorum in ipso senio sint obliti ullatenus. Accepit WITSIUS autem non admodum lubens novam istam Conditionem, quam scio ego non fuisse eum accepturum nisi Ordinum lubitui obsequendum & Ecclesiæ inserviendo consumendum se esse judicasset; sed onus tantum fidelissime tamen & summa cum Cura atque Subjectorum Juvenum commodo & amore sustinuit, æque quam ipsam in Academia Professionem tuitus est. Donec Anno MDCCVII. Die VIII. Februarii, ob ætatem adauctam viresque gravibus morbis plus detritas se judice magis quam ipso isthoc Collegio & rerum ejus consciis aliis omnibus, qui constantissimam Viri Alacritatem, Industriam & dexteritatem mirabantur, se in Conventu Curatorum & Consulum, spretis eorum votis & rogationibus adversis quas privatim & publice faciebant, atque rejectis emolumentis maximis omnibus quæ ex eo habebat, altero hoc munere se modestissimè abdicavit, simul etiam ex voto suo donatus immunitate à Publicis in Academia exercitiis Professorii muneris, ad quæ moribus antiquis præstanda corporis vires vix amplius sufficiebant, manente semper æternæ Mentis constantissimo vigore, quem & declaravit, plus semel ad me de hoc Consilio suo ita disserens, ut concluderet semper se malle desistere ab opere suo, quam in eo deficere.

Verùm enimvero vix puto, tot tantisque Laboribus aptum futurum fuisse WITSIUM nostrum, & tot tantaque Commoda ab eo habituram Ecclesiam & Academiam, nisi domi auxilia & solamina potentissima reperisset. Specto primum uxorem lectissimam & dilectissimam, Alettam van Borchorn,

 Wesseli

Wesseli van Borchorn honestissimi Civis & Mercatoris Trajectini & Dignissimi Ecclesiæ Senioris, atque Martinæ van Ysen filiam, quam media æstate MDCLX. post tres in Sacro Ministerio Annos exactos duxit; quæ singulari animi mansuetudine & virtute omni civili & christiana vere excelluit; quæ supra vulgarem modum maritum dilexit & coluit; quacum summa concordia & svavitate circa viginti & quatuor annos in Hollandia Boreali, Zelandia, Frisia, & Trajecti, vixit, & quæ tandem Anno LXXXIV. post notabiles & longas corporis infirmitates morte vere christiana marito suo subducta est. Specto deinde non minus prolem lætissimam, quam ex hac unica sua Conjuge habuit, non tam masculam geminam, morte dudum ablatam, quam fœmineam, ipsi ad ultimum vitæ halitum relictam. Filias scilicet Tres, vere lectissimas & ad Christianam non tantum sapientiam & pietatem sed & sermonum morumque elegantiam omnem egregie per divinam gratiam & sanctam Parentum curam formatas; Martinam, quæ ab annis aliquot est desiderium & decus mariti sui Henrici Dibbetsii Doctoris in Ecclesia nostra Lugdunensi facundissimi & præstantissimi; Johannam, quæ ab annis longe pluribus implet vota & gaudia amplissimi Conjugis sui Lucæ Walckierii, JCti atque Trajectinæ Urbis pridem Judicis & Senatoris, ut & curandis Rebus Belgarum maritimis ejus nomine apud Amstelodamenses Præfecti nunc in Trajectinæ ditionis cura suprema Assessoris dignissimi, [quem Senis nostri Generum unum & alterum diu servet Deus incolumem ad Reip. & Ecclesiæ Salutem;] tandem Petronellam, quæ optimi patris lateri ad maximum ejus Solatium & adjumentum constanter adhæsit, ab eo se avelli neutiquam passa, & quæ proximè ante lethalem Patris dilecti morbum ipsa ad mortis præsentissimæ justissimum metum ægra tantum solicitudinis & curæ paternæ ipsi peperit, ut maturata quoque hinc ejus fata suprema forte possent æstimari, si non etiam per gaudium novum, quod vita ejus filiæ quasi ex morte restitutæ in eo excitavit. Id præfiscine & verissime dicam, quantum amantissimus Pater de his filiabus tribus meruit per earum curam & culturam tenerrimam à primis unguiculis, tantum has quoque omnes, & ante & potissimum post dilectæ Matris decessum, Patri indulgentissimo rependisse debiti amoris, observantiæ assiduæ obsequii post Deum paratissimi & Servitii desideratissimi ac gratissimi.

Ex iſtis, quæ de Vita WITSII noſtri univerſa jam diximus, conſtare ſatis poſſunt admirandæ Viri Dotes & Virtutes quas balbutiente Lingua mea prædicaturus metuo equidem ne deteram nimium. Quanta fuerit Ingenii ejus Vis, in Rebus quibusvis etiam abſtruſiſſimis, percipiendis, indagandis, & illuſtrandis; quanta Judicii acrimonia, in iis curate diſcernendis, determinandis & diſponendis; quanta Memoriæ tenacitas in iis ſervandis & ſuggerendis; quanta gratiſſimi Eloquii promptitudo in iis exponendis, inſinuandis & urgendis; ſciunt probè quotquot unquam Virum viderunt vel audiverunt. Nec minor erat ipſius Latinus Nitor, omnibus dictis Scriptisque teſtatiſſimus, quam Belgice Facundia, qua ex Suggeſtu dicens, cum Geſtuum & vocis moderatione ſummè decora, rapiebat fidelis populi animos in aſſenſum ſanctiſſimum, & incredulos atque impios ipſos in Stuporem, pudorem & Metum. Et ſicuti nemo ipſo dignius laudaſſe Mariam Reginam defunctam deprehendetur ex Lectione Concionis funebris quam Orbi non invidit; ita & movere mentem tam doctam quam piam debent carmina plurima ſacra, quæ ſibi & aliis cecinit nitidiſſima in Dei Dominique noſtri Laudes decoras. Quod vero mihi nominabitis doctrinæ Genus, Theologum faciens & ornans, in quo ipſe non excelluerit multum? Philoſophiæ Apparatum neceſſarium tulit ipſe ſecum in Academiam, nec parum in ea hunc adauxit; nunquam ſtrophis & ſophismatibus incredulæ gentis capiendus, aut vana Sapientiæ majoris Specie abducendus à fide ſincera ad Seculi Errores impios ſeu fovendos ſeu tolerandos Philologiam omnem ſacram, Græcam & Hebræam, exhauſit, in Elegantias Literarum tam latinarum quam græcarum & orientalium profanas ſimul longiſſime exſpatiatus, atque illa hinc dexterrime colligens, quæ in Sacris decenter illuſtrandis uſum haberent, ita tamen, ut & heic omne nimium evitaret prudenter. Hiſtoriam veterem & recentem, Eccleſiaſticam & civilem, Judaicam & Chriſtianam, Patriam & Exoticam habebat exploratiſſimam; & ex ea ſeligebat ſemper curatiſſime, quæ potiſſimum præſenti uſui eſſe poterant. Et Theologiam ipſam per omnes partes didicerat intime, æque promptus in aſtruendis & vindicandis veritatibus monſtrandoque earum nexu, quam in redarguendis Erroribus & diſcernenda eorum Origine & diſtinguendo pondere. Sacras

cras inprimis amabat ipse, venerabatur, & commendabat Scripturas, tanquam ex quibus solis vere sapiendum; & has sibi longissimo usu fecerat familiarissimas, ut verba non tantum originalia ubique haberet in promptu, sed & Sensum eorum difficillimum absque mora & ambagibus, adderet re idexigente. Neque heic pendebat ab hominis ullius dictamine, optime ratus id non pati fidei Christianæ Divinam Gloriam, sed solius Spiritus Discipulum obsequentissimum se testabatur & præstabat. Hinc procul abfuit, æque à veterum fastidio & novorum pruritu, quam à novorum Odio & veterum insano, atque inerti amore. Noluit ille cogi à quoquam, sed nec cogere quemquam, partes nec sequi nec facere doctus. Placebat illi aurea illa *in Necessariis Unitas, in non Necessariis Libertas, & in omnibus Prudentia & Charitas*, quam pro solito Symbolo profitebatur. Nec potestis dubitare de Viri Zelo pro fide semel sanctis tradita & pro vera in Deum Pietate: quem scriptis monumentis expressit, cum esset apud Leovardienses & Franequeranos adversus surgentium tunc opinionum quarundam tam Theologicarum quam Philosophicarum pericula; quem apud Trajectinos & Lugdunenses demonstravit, cum rationis autoritatem supra Scripturam longissime extolli, & hanc illius Imperio prorsus subjici, vel interpretamentorum ludibriis everti, neutiquam se pati posse scriptis etiam publicis testaretur; & qui in ipso haud parum exarsit novissimo Tempore, ubi Disciplinam omnem Ecclesiæ adversus fidei vere Christianæ dicam an omnis, quin & rationis ipsius rectæ eversores, alibi sub inanissimis prætextibus conculcari palam, & male sanæ rationi omnia fere permitti ad subvertenda Christianismi fundamenta, aliis dolentibus quidem sed tamen tacere coactis, observavit. Utique non obliviscentur facile mecum Amici multi, quoties testatus sit gaudium de propinquo vitæ suæ fine, ob instantia quæ sagaciter hinc prævidebat Ecclesiæ mala; & quoties trepidare nos jusserit qui forte superessemus adhuc, cum de Veritate salutari æquè quam de vera pietate ad Ecclesiæ & Reipublicæ Interitum triumphos ageret Satanas per eos, quos minimé id deceret, & qui nunc adhuc religionem & constitutionum Politicarum atque Ecclesiasticarum Observationem astutè simularent, nisi mirabiliter averteret Deus, Zelumque Procerum adversus Atheismum & Pelagianismum ac utriusque Semina excitaret

citaret potentius. Quod cum dico facile credetis me nihil minus spectare quam leviores dissensus, qui in methodo res Theologicas digerendi, & in nonnullis loquendi modis, & forte in æstimatione majori vel minori glossarum Scripturæ Sacræ à celebri Theologo inter nos relictarum, sunt ab aliquo tempore observati; si quidem constat satis apud omnes, quanta animi æquitate & moderatione hæc ille opinionum discrimina semper tractaverit, dum serio in animorum divortia iniquissima invehebatur, & quanto cum Studio non laudaverit tantum sed & inculcaverit voce calamoque plurima viri cogitata, quæ omnia ut æquè probaret id à se solum impetrare non potuit. Et si dicere licet, quod res est, id & ego cum optimo & perspicacissimo Sene nostro semper judicavi, istos Fratres carissimos atque omni laude dignissimos, qui celeberrimi quem nostis omnes Theologi Lugdunensis seu phrases seu exegeses præ aliis amplectuntur, non magis sibi suæque huic causæ, quin & Viro multiplici Jure celebratissimo posse nocere, quam si unquam pessimorum hominum, id nomen mentientium & Religionis fundamenta vel etiam ipsam Religionem omnem turbantium, seu causam tueantur, seu personas foveant, & protegant, non omni dicam, sed vel minimo nisu. Fuit utique, si quisquam, Senex noster, in pacem & concordiam fratrum verorum pronus, nec aliquid egit unquam ad eam turbandam, sed omnia ad eandem seu firmandam seu revocandam, & tollenda dissensionum semina cuncta. Hoc scilicet suadebat ei verus, quem imbiberat, Christianismus; & hoc persuadebat animi singularis Mansuetudo, qua temere irascentibus indulgebat, & immerito conviciantibus, vel non respondebat, vel laudes etiam amplissimas rependebat, quas aliis modis merebantur. Ita vixit WITSIUS noster, nemini gravis, & omnibus quibus aliquâ ratione conjunctus fuit gratissimus, nec ulli humanitatis & fraternitatis officiis facile secundus. Et fuit simul in eo Prudentiæ Christianæ & Civilis, per longum rerum usum consummatæ & firmatæ, quam dicta & facta ejus omnia exprimebant, mira quædam conjunctio cum candore infucato, cujus alias obliviscuntur sæpe admodum homines astuti magis quam vere prudentes, & ad quem ipso nomine suo, per suum *candide* sigillis etiam inscripto, se vocatum credidit semper. Diligentia etiam præstandi id omne quod muneris

 ratio

cras inprimis amabat ipse, ven[illegible] judicari, dubito an Scripturas, tanquam ex qui[illegible] ad omnia illa paratissimus, sibi longissimo usu fec[illegible] & juvenes in Ecclesiæ bonum tum originalia ubi[illegible] Senectute se his unquam subducens rum difficillim[illegible] sibi nimium parcens. Fuit præte- exigent[illegible] singularis, quâ ipse non tantum *cum* optim[illegible] versabatur semper in tractandis Literis & sed [illegible] *sed &* qua sibi ipse vix placebat unquam in & [illegible] dixerat & scripserat, in necessariis horum n[illegible] Amicissimorum sinceritati diffidens. Nec po- [illegible] etiam *alius* sua Sorte, inter ipsa adversa quoque, ma- [illegible] contentus; quando publice etiam apud Trajectinos alta [illegible] tatus est, se provinciam suam in Academia & Ecclesia [illegible] cum regali fastigio neque cum Imperatoria Majestate un- [illegible] velle permutatam. Et ut alias taceam virtutes, seu po- tius unius ambitu complectar omnes, fuit ipse non ore tantum sed & opere ipso verus Theologus, sapientiam suam Divinam sincerâ Pietate in Deum & Servatorem suum exprimens semper. Erat enim in publicis Cultus Sacri Actibus assiduus, & perattento animo ad ea, quæ audiebat, nunquam fere magis afflictus, quam cum somnolentum redderent quandoque noctium plurimarum vigiliæ molestæ. Erat in Domesticis Pietatis Exercitiis sedulus, exemplum heic dans aliis quod imitarentur in Dei timore. Erat in divinis meditationibus præteritæ, præsentis, & futuræ gratiæ diligens, ad eas à Consortio aliorum gratissimo haud infrequenter se subducens. Erat in orationibus sanctissimis industrius, tum statis, tum jaculatoriis, & effulgebat in iis cum audirentur ipsius Spiritus dictamen & impulsus. Erat denique in id gnaviter incumbens, ut mali omnis fuga & boni studio præstaret se, Deo & hominibus pariter, dignum præterita per Christum Redemptione & per hanc solam Dei gratiam beata cælorum æternitate, quam cum mundi totius contemptu semper anhelabat.

Non mirabimini, sat scio, A. P. nunc amplius, hunc tam Insignem Theologum ad se & sui usum pertraxisse, ubicunque esset ipse, magnum Auditorum numerum qui lumine suo nunc Academias, Ecclesias & Scholas Europæ Reformatæ Splendissimas collustrant dudum multi, & quorum luctu jam atratorum

turbam

turbam vix numerabilem videor mihi cernere inter Belgas, Germanos, Gallos, Hungaros, Polonos, Borussos, Helvetios & reliquo orbe divisos non tantum Britannos, sed & Americanos, atque Indos ipsos. Non mirabimini perinde, quod viros ubique Doctos & Pios præ aliis sibi habuerit devinctissimos; quos cum omnes nominare non possim, tacere tamen nequeo venerandum nomen Guilielmi Seldeni, Theologi Enkhusani Delfensis & tandem Hagiensis vere incluti, qui quam fuerit in otio negotiosus ex doctissimis ejus Operibus Belgicis & Latinis est notissimum, cujusque viri conjunctissimi meritis hoc à Trajectinis tribui fecit olim WITSIUS noster, ut ipsi non roganti Titulum Theologiæ Doctoris tribuerent. Non mirabimini similiter, quod Viri plures præclari ab ipso Doctoris honores recipere desideraverint, postquam jam ad Ecclesiarum usum transiissent ipsi, inter quos numerare debeo, non tantum Johannem Malnoëum, Ecclesiæ nostræ Gallo-Belgicæ Decus magnum, sed & meum Antonium Klinglerum, Tigurinarum Ecclesiarum à multis retro annis Antistitem Venerabilem. Non mirabimini tandem, ab hoc tanto Theologo relictam nobis tantam esse Librorum eruditissimorum & utilissimorum Multitudinem, quorum tanquam ab omnibus celebratorum nomina nescio annon sit supervacaneum coram vobis recitare. Id sciatis velim, jam ipso Anno LX. elapsi Seculi, cum adhuc in prima Statione Ecclesiastica hæreret WITSIUS, editum ab eo esse *Judæum Christianizantem circa Principia fidei & SS. Trinitatem.* Nec in Ecclesia Wormerana à Scriptione abstinuit, Anno LXV. Belgis tradens *Praxin Christianismi* cum Imaginibus Spiritualibus hominis tum Irregeniti in eo quod laudabile habet, & Regeniti in eo quod carpi & corrigi meretur. Apud Leovardienses Belgico etiam Sermone *Litem* Domini cum vinea sua instruxit, atque adversus opponentes simul valide tuitus est. Ex Franequeranis Viri Laboribus habemus, præter minora alia majoribus voluminibus dein comprehensa, *Oeconomiam* Fœderum Dei cum hominibus, à Rev. Harlingio Ecclesiaste Hornano Belgice quoque versam, atque *Exercitationes* Sacras in Symbolum quod Apostolorum dicitur, quas Ven. Costerus Pastor Delfensis Belgis sua lingua legendas tradidit. Trajecti prodierunt *Exercitationes* Sacræ in Orationem Dominicam; *Ægyptiaca* & Decaphylon, cum Diatribe de Legione

 Fulmi-

Fulminatrice Christianorum; & *Miscellaneorum* Sacrorum Tomus primus, cum bona Parte Tomi Secundi; præter minora etiam quædam Opuscula. Denique Lugduni non tantum exiit absolutus Miscellaneorum Sacrorum Tomus alter, sed & heic nata sunt *Meletemata* quæ ipse vocavit Leidensia, quæ & Dissertationum Selectarum numero augeri possent. Sunt sane scripta isthæc omnia adeo celebrata non tantum sed & polita, utilia variaque eruditione & pietate referta, ut cedro dignissima ætatis nostræ Felicitatem sint seræ posteritati commendatura.

An nostis, A. P. inter mortales quemquam immortalitate præ hoc Sene nostro dignum? Sed erat ipse communi lege natus & cum atrocibus sæpe morbis tenue ejus corpusculum *jam* olim conflictatum fuit, unde longe citioris Decessus nonnunquam metus gravissimus fluxit. Nec erat sub divina providentia, nisi mentis cum pietate junctus vigor, qui ipsum tamdiu nobis servavit; etiam cum tam integro Sensuum usu, ut non multis retro mensibus nobis videntibus & audientibus sera Vespera solius Lunaris luminis ope Scripturas Græcas minutissimis Typis expressas prompte & expedite legeret, quod nemo alius poterat præstare. Ingravescente autem ætate sævos quandoque Arthritidis & diros nephritidis à calculo cruciatus est perpessus. Et sex fere abhinc annis in Cathedra Academica ipsoque Academicæ prælectionis actu, turbati subito cerebri manifestis equidem at evanescentibus extemplo signis fuit primum perculsus. Atque hæc mala clarissimi Medici Frederici Deckersii bona arte lenita, per leves tamen subinde insultus reditum minitabantur: vacillatio enim & languor, præteriti mali radices, necdum extirpatas indicans, metum incussit funesti hinc aliquando futuri morbi. Huic itaque dudum prævíso [secundum Clar. Bœrhavenii Medici narrationem] initium dedit Febris prima hora nocturna Die XVIII. Mensis Octobris, haud tunc opinantem opprimens. Qua cito extincta, summa superfuit corpori imbecillitas, & menti Torpor, cerebri affecti index. Hæc ipse considerans Sanctissimus Senex, lethalia fore magna animi constantis tranquillitate & mihi & amicis aliis & Medico prædixit. Neque præsagam mortis Sententiam objecta morbi levitas mutavit, dum consummatæ ætatis maximæque debilitatis sequelas alium haud pati eventum ominaretur. Nec falso.

Suavissi-

Suavissimi quippe somni blanda simulacra cum assiduo magis magisque demulcendo sopirent Sensus, postquam ultima etiam vitæ hora mihi ad fidei & Spei constantiam cum divinæ Gratiæ voto hortanti satis intelligibiliter annuisset, perbeatæ spei & cœlestis desiderii sui totiens ante testatissimi novam significationem, ipsa prima Meridiana Die XXII. Mensis Octobris lenem vitam mitissimo defectu emorientem quam placidissime reliquit, atque ad parata sibi à Domino suo gaudia à labore & certamine omni lubentissimè transiit, Ætatis suæ Anno LXXIII.

Ita vixit A. P. & mortuus est HERMANNUS WITSIUS dierum & bonorum hujus vitæ, sed & molestiarum satur. Vivit vero ille nunc demum vere in cœlis apud Deum, beatitatis nunquam finiendæ, ad quam nos adhuc aspiramus inter luctuosa Certamina, factus per Domini sui gratiam particeps. Et vivet iterum novissimo die, ut etiam in corpore decorato sit æternum cum Domino suo ad hujus laudes prædicandas inter cœlites. Imo vivere mortuus non desinet inter nos, qui ejus merita constanter venerabimur, & in seram usque posteritatem ex ejus exemplo discemus vere sapere, & pie agere, ad Dei Gloriam & Ecclesiæ bonum, & propriam nostram Salutem. Id autem omne faxit Deus ut præstemus alacriter & indesinenter! Spartam sic nostram vere ornaturi, atque olim præmia largissima per ipsius Gratiam consecuturi in lœto nunc à nobis ablatorum Spanhemiorum, Triglandiorum & WITSIORUM, quin & beatorum omnium hominum & angelorum Consortio! Qui idem Deus Ecclesiam, Patriam, & Academiam hanc, sibi conservet, & augeat potentissimè, superstites Doctores uniat in sancto nominis sui timore arctissime, & in vicem decedentium substituat nunc & semper benignissime Viros Dignissimos & Utilissimos, qui Juventutem numerosam ad publica commoda sollicite & feliciter forment, & summi Numinis Gloriam, cui uni omnes litare decet; multum promoveant!

DIXI.

D. M.

Reverendi plurimum & celeberrimi

Viri

HERMANNI WITSII

SS. Theol. Doct. Ejusdemque Facultatis in Acad. Lugd. Batav. Professoris.

Placide defuncti Anno Ætatis LXXIII. a. d. IX. Kal. Nov. MDCCVIII.

LEthifero ferrore artus correpta jacebat,
WITSIA, spes patriæ maxima lausque domus;
Actum erat! & quamvis exhausta Pæonis arte,
Herba laboranti nulla ferebat opem:
Cum Pater instanti turbatus funere natæ,
Abstineas avidas mors, ait, atra manus:
Abstineas mors atra precor, nec dulce Senectæ
Sub Phlegetonteis merge levamen aquis.
Illa Ministerio longe mihi cara fideli,
Illa regit dubios debilitate gradus:
Non patrem Æneas coluit mage, non pia tantum.
Antigone, patriæ duxque comesque viæ.
Si tamen è nostra quoddam, crudelia, gente
Poscitis, hoc canum tollite, fata, caput:
Lustra diu quatuor denis adjunximus; atque
Summa fuit vitæ non inhonora meæ:
Frisia me primum, post Trajectina Juventus
Audiit æterni sacra docere Dei:
His statio postrema novum decus addidit, & me
Annumerat doctis Leyda Batava viris.
Quin pridem emeritis etiam sua præmia Musis
Munifica Proceres constituere manu:
Nunc modo nunc salvam liceat si cernere prolem,
Unica pacatè sunt mea vota mori.
Dixerat, & pretio mors exorabilis illo
Annuit obscura terve quaterve coma:
Protinus ægrotum vis deserit ignea, jamque
Erigit ignavo Membra refecta toro

Lethæo

Lethæo ast contra perfusus tempora Somno
Robore languescit deficiente Senex:
Donec consumtis effœti viribus ævi,
Mors cava perpetua lumina nocte premit.
Sic votis ô Magne tuis, HERMANNE, potitus
Destituis sacri publica vota chori
Justaque perturbans Batavorum gaudia, cogis
Tristia Palladiæ vulnera flere domus.
At tu stirps sævo hoc propius quæ fulmine tacta es,
Tuque Patris Letho nata redempta tui;
Parcite non digna manes violare querela,
Illa semel cunctis ingredienda via est.
Hunc potius parta felicem dicite palma
Qui mutans fluxis non peritura bonis,
Sedibus & superis æterna in pace triumphans
Perfruitur Christo nunc propiore suo.

Metam properamus ad unam.



In obitum
Viri Clarissimi, Celeberrimi
D. D.

HERMANNI WITSII
Lessus.

QUid, quid jacentem tendere barbiton
Me Musa cogis? WITSIUS heu fuit!
Excessit! Excessit Lycei
Grande decus columenque nostri!
Laudare plectro, carmine non queo
Ingentis inquam encomia WITSII;
At surge: quid stertis? ciebo
Ipse animum nimis obstupentem.
Ergo resurgam, barbiton aut Lyram
Mox suscitabo, quodque opus est meæ

Tu

Tumulus

Admodum Venerandi & Celeberrimi
Viri

HERMANNI WITSII

In Academ. Franequerana, Ultrajectina & Lugd.
Batava, SS. Theol. Doct. & Professoris
clarissimi.

WITSIUS in Batavis lux præclarissima terris,
Hic cubat, in trinis fax veneranda Scholis.
Frisia, Trajectum, post hæc Hollandia turgent,
Lumine tam magni singula quaque viri.
Nunc micat in cœlis, firmamentumque superbit
Sydereum tanto sydere WITSIACO

Adrianus Pars.

2. Novemb. CIƆIƆCCVIII.



Liber I.

LIBER I.

DE PROPHETIS ET PROPHETIA.

CAP. I.

De Nominibus Prophetarum Hebraicis.

SUMMARIUM.

I. *Operis inſtitutum.* II. *Utilis eſt critica vocum obſervatio.* III. נביא *Nabi notat amicum Dei.* IV. *Ea amicitia tria complectitur.* V. A. *Familiarem patefactionem arcanorum Dei.* VI. B. *Converſationem cum Deo: tam in precibus,* VII. *quam canticis à Deo inſpiratis.* VIII. *Qualia etiam fuere in primitiva Eccleſia Chriſtiana.* IX. *Quod & in ſuis myſtis imitatus eſt Satanas.* X. C. *Denique ſermonem de Deo ad alios.* XI. Ἐναντιοφανὲς *de muliere prophetante,* XII. *Varie à variis tollitur.* XIII. *Singulari ratione à Molinæo.* XIV. Ἐπίκρισις. XV. *Nabi ſpecialiſſime notat eum qui præditus eſt cognitione rerum arcanarum.* XVI. *Quæ ſignificatio annecti huic voci cœpit tempore Samuelis.* XVII. *Atque hac obſervatione removetur ſpecies contradictionis.* XVIII. *Voces* חוזה & רואה XIX. *Quomodo diſtinguantur ignoramus.* XX. *Viri Dei.*

QUod ſibi glorioſum, nobis ſalutare, ac ſtudioſæ juventuti, totique Eccleſiæ, cui nos noſtraque debemus omnia, utile eſſe Deus Optimus Maximus jubeat; aggredimur, ipſo propitio, de PROPHETIS & PROPHETIA non perfunctoriam commentationem. Non rerum ſolum majeſtate, ubertate, varietate, &, quæ ex omnibus hiſce ſcaturit, incredibili jucunditate allecti; ſed & officii conſcientia, ac zelo Divinæ gloriæ impulſi; cujus nobis ſæpenumero adverſus profanas inſanientis ſapientiæ ratiocinationes ſuſcipiendæ erunt vindiciæ. Id unum abſterrere nos ab hac ſcriptione *I. Operis inſtitutum.*

tione potuisset, quod non vereamur solum, sed & certo prænorimus, futurum esse ut longe infra materiæ præstantiam, tam sermo noster, quam cogitationes subsideant: atque indignetur aliquando lector, ubi quam præclara nobis dicendi argumenta sumserimus deprehenderit, non ea à nobis proferri quæ voto ipsius atque exspectationi satisfaciunt. Attamen annitemur sedulo, ne nihil egisse, aut frustra nobis & lectori negotium hoc facessivisse videamur.

II. Utilis est critica vocum observatio.

II. Antequam vero ad *rem* accedamus, nonnulla de *vocibus* præmonenda sunt, quibus Sacer Dei Spiritus in hoc negotio utitur. Et quamvis critica solum, atque idcirco sterilis, dissertatio ista prima fronte videri queat, absterrendo magis quam alliciendo lectori idonea; polliceri tamen ausim, modo ne præcipiti tædio præoccupari se patiatur, per has ipsas criticas observationes futurum esse ut in multarum difficilium pericoparum intelligentiam deductum se comperiat.

III. Nabi notat amicum Dei.

III. Initio itaque occurrit vox נביא NABI, quæ in *Abrahami* historia primo omnium usurpatur, Gen. XX. 7. ubi Abimelechum regem, ob Saræ raptum increpitum, jubet Deus eam marito suo Abrahamo restituere, hac addita ratione, כי נביא הוא ויתפלל בעדך, *quia Propheta est, & orabit pro te.* Satis apparet per נביא eum hic intelligi, qui summi *numinis amicus* atque *familiaris* est, cujus injurias omnes, quasi sibi propemodum factas, ad animum suum Deus revocat, neque impunitas dimittit, nisi ipso qui læsus est, quique plurimum precibus suis valet, intercedente. Non dubium est, quin huc alluserit Psaltes, quando eadem mente Patriarchas נביאים vocitavit. Ps. CV. 14. 15. *Non sivit cuiquam illos injuria afficere, & arguit super ipsis Reges. Ne attingatis Unctos meos, & Prophetis meis ne malefaciatis.* Notabile est, eos & *Unctos Dei*, & *Prophetas* dici. *Unctos*, non utique corporeo aliquo oleo, quo serioribus temporibus, mandante Deo, delibuti *Sacerdotes* & *Reges* sunt; qui idcirco *Uncti Domini* appellantur: nunquam enim tale quid Abrahamo, aut filio, aut nepoti, factum esse legimus. Unctos tamen insigni Divinæ bonitatis indultu, qua charos eos atque eximios sibi habuit, ac favoris sui opulentia locupletavit. Et *Prophetas*, id est intima sibi familiaritate junctos: sic ut ne Regibus quidem impune futurum sit temere eos quomodocunque lædere. Hoc enim *Abrahamo* datum est, qui primus est omnium mortalium quem *Prophetæ* nomine decoratum esse legimus, ut dixerit ipsi Deus, *benedicam iis qui benedicent tibi, & qui maledixerit tibi eum execrabor.* Gen. XII. 3. Habemus itaque

itaque ex prima hujus vocis usurpatione in circumstantiis suis considerata, quod נביא is dicatur qui *Dei familiaris* atque intimus est.

IV. Sed necdum habemus omnia. Etenim illa cum Deo familiaritas *tria* complectitur, quæ omnia vocis illius ambitu continentur. Nimirum *cum familiari* suo *Deus loquitur*; & *is* iterum *cum Deo* in *precibus* & *gratiarum actionibus*, & *de Deo ad alios* in *prædicatione Divinæ voluntatis*. *IV. Ea amicitia tria complectitur.*

V. Id primum ex Dei amicitia consequitur, ut Deus ad amicum suum veniat, ei se patefaciat, arcana sua ei revelet, eumque de iis informet rebus quarum cognitio utilis ei, aut necessaria est. Atque hoc est quod amicis suis pollicetur Christus. Joh. XIV. 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo*; *& ego diligam eum*, *& ei conspiciendum exhibebo me ipsum.* Iterumque commate 23. *Pater meus diliget eum*, *& ad eum veniemus*, *& apud eum habitabimus.* Rursus cap. XV. 15. *Vos autem dixi amicos*, *quia omnia quæ audivi a Patre nota feci vobis.* Atque ab hoc Dei ad amicos suos adventu originem illius de qua agimus vocis deducunt nonnulli Hebræorum magistri: volunt enim נביא cum suis conjugatis esse a radice בוא, *venire*, *accedere*, *ingredi*; quod Deus ad talem occulto Spiritus afflatu accedat, & quæ ventura sunt indicet. Confer Ezech. II. 2. ותבא בי רוח, *& venit in me Spiritus* - - - *& audivi eum qui loquebatur mecum.* Neque valde abludit quod hoc ipso Cap. XX. Gen. exstat, com. 3. *& venit Deus ad Abimelechum in somnio nocturno.* Certe hoc nomine Abraham נביא dici potuit: quippe ad quem frequenter in apparitionibus suis accessit Deus, quemque amico adeo dignatus est sermone: *occultemne ego ab Abrahamo quod sum facturus*? Gen. XVIII. 17. Scilicet סוד יהוה *familiare Dei commercium*, atque hinc *arcanorum* suorum *patefactio*, (utrumque enim eadem voce significatur,) *est timentibus ipsum.* Ps. XXV. 14. Tales עמד בסוד יהוה *stant in consilio Domini*, consiliorum ipsius gnari. Jer. XXIII. 18. 22. Et סוד אלה עלי אהלם *familiare Dei commercium est apud tentorium ipsorum.* Job. XXIX. 4. *V. A. Familiarem patefactionem arcanorum Dei.*

VI. Præterea qui נביא dici meretur, eum oportet familiariter *cum Deo conversari* in *precibus.* Videmus enim duo hæc jungi, *propheta est*, & *orabit pro te.* Et sane quo quis inter prophetas excellentior fuit, ita & frequentior & validior in precibus. Pro exemplo sit Moses, cujus precibus ipsius Dei manus veluti ligabantur: ut dicere ei haberet Deus, *Nunc igitur*, *sine me.* Exod. XXXII. 10. & Elias, ad cujus preces continebant vel fundebant cœli pluviam. Jac. V. 17. Atque huc retulerim Psaltis illud Ps. XCIX. 6. *Moses & Aaron* בכהניו *in familiaribus ac præcipuis ministris ipsius*, *& Samuel in invocan-* *VI. B. Conversationem cum Deo, tam in precibus,*

vocantibus nomen ejus erant: inclamantes Jehovam ipse ilico exaudivit eos. Qui ibi laudantur indubie fuerunt נביאים, omnesque isthoc nomine insigniuntur. Eorum officia & privilegia insimul describit Psaltes. Fuerunt כהני יהוה. Non est necesse ut id præcise de sacerdotibus interpretemur, quamvis id quoque verum sit, omnes hosce, sive ordinario, sive extra ordinem, sacerdotum partibus functos esse. Suffecerit observare, vocem כהן generatim significare *ministrum* qui *Regi proximus* & a sanctioribus consiliis est. Quod alibi demonstratum, nunc facile supponimus. Porro quum Deus Rex cœli sit; *Cohane* Dei sunt, qui *jus habent accedendi ad ipsum.* Tales sunt, non sacerdotes solum stricte sic dicti, sed & *Nebiim*, *Prophetæ* omnes, in quibus eminuerunt primis illis temporibus Moses & Aaron, & post eos Samuel. Iidem autem, pro isthoc familiaritatis suæ apud Deum jure, crebris ferventibusque precibus multa populo bona impetrarunt. Atque hoc tandem est esse *Nabi*, familiariter cum Deo conversari, & ex ista familiaritate multum valere precibus. Quamobrem de Elisa quoque dicebat Naaman Syrus, *procul dubio exiturus est ad me, & consistens invocaturus nomen Jehovæ Dei sui.* 2. Reg. v. 11.

VII. *Quam canticis a Deo inspiratis.* VII. Cæterum & is dicitur התנבא *prophetare*, qui sacra *cantica* Deo ad laudem & gloriam recitat. Hac mente Sauli dicebat Samuel: 1 Sam. x. 5. *Eritque quum ingressus fueris civitatem, ut occurras turbæ prophetarum descendentium de illo excelso, cum nablio, & cum tympano, & tibia, & cithara ante se,* והמה מתנבאים *& illi prophetabunt.* *Paraphrastes Chaldæus* illud מתנבאים exponit per משבחין *laudantes*, & *Kimchius* addit: נבואתם היתה שירות ותושבחות לאל נאמרות ברוח הקדש *prophetia eorum erant cantica, & celebrationes Divini numinis Spiritu Sancto prolatæ.* Rectissime: nam observandum est probe, non omnia sacra cantica prophetiarum nomine venire, sed ea quæ singulari Spiritus impulsu, vel concepta, vel cantata, magnam canentis cum Deo consuetudinem arguebant. Hoc enim sequentia verba indicant com. 6. *irruetque super te Spiritus Jehovæ ut prophetes cum iis, & mutaberis in virum alium.* Credibile omnino est, eos qui in hoc prophetantium cœtu præstites fuere, afflatu Spiritus extraordinario sacrum aliquem hymnum præcinuisse, cæteros, ejusdem Spiritus communione aliqua donatos, voce ac instrumentis subsecutos esse. Ita enim comparati fuisse videntur singulorum animi, uti fides testudinis alicujus æqualiter tensæ, quarum una si a Dei Spiritu tangeretur, cæteræ eodem tono respondebant, ad formandam harmoniam longe suavissimam. Eodem sensu *prophetandi*

vox

vox usurpatur 1 Chr. xxv. 1, 2, 3. *Distinxit quoque David cum principibus militiæ, ad ministerium, in filios Asaphi, & Hemanis & Jeduthunis, eos qui prophetabant citharis, & nabliis, & cymbalis. &c. Ad manum Asaphi prophetabat ex præscripto Regis. &c. Prophetabat de celebrando & laudando Deo.* Ubi prophetandi officium temere aliter exposueris quam de sacris canticis, a Deo dictatis atque inspiratis, quibus, tam assa voce, quam instrumentis musicis, nominis Divini gloriam celebrabant.

VIII. Idem in primitiva Ecclesia Christiana viguisse haut immerito colligit *Grotius* ex 1 Cor. xiv. 26. Ἕκαστος ὑμῶν ψάλμον ἔχει; *Extemporales*, inquit, *isti hymni sæpe ab afflatu erant. Talis fuit hymnus Simeonis, & Annæ viduæ, &, ut credibile est, Mosis & Mariæ sororis ejus, & alter Mosis, & Deboræ, & Annæ quæ nupta Elcanæ, & hymnus Jesaiæ cap.* v. *Omnia quæ olim aut ex ingenio, aut ex labore veniebant, tunc multis dabantur subito & divinitus, ut ex eo intelligeretur Dei summa beneficentia.* Sed nec serioribus temporibus donum illud prorsus cessavisse videtur. Huc enim, nisi fallor, *Tertulliani* verba pertinent *Apolog. Cap.* xxxix. *Post aquam manualem & lumina, ut quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere.* VIII. *Quaлia etiam fuere in primitiva Ecclesia Christiana.*

IX. Quod & in suis mystis imitatus est Satanas. Nam & Gentiles carminibus Deos suos venerati sunt: quæ prisci Romani *Assamenta* vocaverunt. Hinc *Assamenta Janualia, Junonia, Minervia:* hoc est, privata poëmata in singulos eos Deos conscripta. Græci habebant suos ὕμνυς, tam quibus propitios Deos colebant, κλητὺς ὕμνυς, Latini dicunt *Indigitamenta* aut *Carmina Calatoria*, quam quibus Vejoves aut læva numina a nocendo avocabant, ὕμνυς ἀποτροπαίυς, *Carmina Averruncalia.* Ne eos nunc hymnos dicam, qui certis quibusdam numinibus destinati erant: ut Ὕπιγγος Dianæ, Παιὰν Apollini, Ἴυλος Cereri, Διθύραμβος Baccho, Ἀδωνίδια Adonidi, de quibus *Proclus* in *Chrestomathia.* Hæc autem Carmina enthusiasmo quodam correpti diis suis sacrificuli occinebant. Nam *Proclo* teste, hymnus ille *Io Bacche* erat βεβαπτισμένος πολλῷ φρυάγματι *plurimo tinctus fremitu*, & Dithyrambus πολὺ τὸ ἐνθυσιῶδες *multum Divini afflatus* habebat: & Corybantes, auctore *Strabone Geographiæ Lib.* x. erant ἐνθυσιαστικοί τινες, ideoque in summo apud suos pretio. Nam, uti subjungit Strabo, ὁ ἐνθυσιασμὸς ἐπίπνευσίν τινα θείαν ἔχειν δοκεῖ, καὶ τῷ μαντικῷ γένει πλησιάζειν. *enthusiasmus ille divinum quendam nutum habere videtur, & proxime ad fatidicum genus accedere.* IX. *Quod & in suis mystis imitatus est Satanas.*

X. C. Sermonem de Deo ad alios.

X. Sed omissis hisce Satanæ præstigiis, ad nostra, id est vere Divina, redeamus sacra. Hoc quoque prophetandi nomine comprehenditur, ut quis *de Deo rebusque Divinis ad alios loquatur*, eos erudiendo, atque informando, atque ita internuncium Dei agat apud homines. Ista mente Mosi dixit Deus: Exod. VII. I. *Aaron frater tuus* יהיה נביאך *erit Propheta tuus. Onkelos* Chaldæus reddit מתורגמנך *interpres tuus. Kimchius* optime explicat ex Exod. IV. 16. *Aaron erit tibi vice oris.* Neque contemnenda est *Rabbi Salomonis* annotatio: כל לשן נבואה אדם המכריז ומשמיע לעם דברי תוכחות והוא מגזרת ניב שפתים ינוב חכמה ויכל מהתנבא דשמואל ובלעז קורין לו פרידיגר *Prophetæ nomine passim talis homo designatur qui prædicat & promulgat populo verba increpationum ad eruditionem facientia. Estque deflexa hæc vox à radice* נוב, *quæ occurrit* Jes. LVII. 19. ניב שפתים *fructus labiorum.* Et Prov. X. 31. פי צדיק ינוב חכמה *os justi proferet sapientiam. Atque huc pertinet* I *Sam.* X. 13. *quum absolvisset prophetare. Talisque lingua vulgari Germanica vocatur* Prediger. Nimirum cum iis facit *R. Salomon*, qui vocem נבא derivant a ניב; ut נביא sit *concionator*, *doctor*, qui profert ניב *germen labiorum.* Quæ etymologia quam concinna sit, nunc non inquiram; id solum remaneat, eum dici prophetare, non modo qui loquitur mysteria & arcana per revelationem extraordinariam; sed & qui loquitur Divina per revelationem ordinariam, sive cum Spiritus approbatione, sive alioquin in bona conscientia. Atque hac mente de prophetiis in Ecclesia Corinthiaca prolixe scribit Paulus, & præ cæteris omnibus donis spiritualibus jubet ambire *prophetandi donum.* I Cor. XIV. I. 39. id est, eam facultatem qua Scripturas scite exponere, & de Divinis rebus perite disserere, idonei reddantur.

XI. Ἐναντιοφανὲς *de muliere prophetante.*

XI. Quas modo memoravimus observationes, occasionem nobis suppeditant tollendi aliquod ἐναντιοφανὲς, quod alioqui Pauli verba præ se ferunt. In priori ad Corinthios Epistola Cap. XI. 5. jubet *mulierem prophetantem caput velare.* Idem tamen Paulus in eadem Epistola Cap. XIV. 34. in hunc modum sciscit: *Mulieres vestræ in conventibus sileant: nec enim permissum est eis ut loquantur.* Quod repetit I Tim. II. 12. *Mulieri enim docere non permitto.* Si mulieri docere non liceat, imo nec loqui in Ecclesia, sed indictum ei sit silentium; qua ratione mulier prophetans a Paulo introducitur, & quidem cum mandato ut non nisi velato prius capite se ad prophetandum accingat?

XII. *Varie a variis tollitur.*

XII. Quo hæc pacto conciliabuntur? Num prophetare, quando mulieri attribuitur, significat alium prophetantem audire? Non vide-

videtur. Nam quo modo verſ. 4. vir aliquis dicitur orare aut prophetare, eodem modo mulier verſ. 5. orare aut prophetare dicitur. Vir autem orat & prophetat, loquendo, non audiendo. Et ſane, ſi qui prophetantem audit, idcirco prophetare dicatur, quid obſtat quo minus is qui canentem audit, dicatur cantor; qui blaſphemantem, blaſphemus? Num prophetia mulieri permittitur domi, & intra privatos parietes? Atqui hic de eo quod in Eccleſia geritur ſermo eſt. Neque conſentaneum videtur, ut materfamilias inter liberos ancillaſque domi loquens caput obnubat, ne ab iis conſpiciatur.

XIII. Quid ergo? *Molinæus in Vate Lib.* I. *Cap.* VII. opinatur inter initia Eccleſiæ Corinthiacæ hunc fuiſſe morem, ut tam viri quam fœminæ in propatulo loquerentur de rebus Divinis; & fœminæ id auderent nudato capite. Quod fœminæ loquerentur, id Apoſtolus ibi neque probat diſerte, neque damnat: ſed vult tantum, ſi fœminam inceſſat lubido publice loquendi, ut prius obnubat faciem. At capite XIV. reſumens eundem ſermonem, conſuetudinem illam prorſus abrogat. Imo & quod hic dicitur eo tendit. Quum enim res ſit perabſurda publice loqui obtecta facie, qui mulierem flammeo caput obnubere jubet, is eam publice loqui vetat. Ingenioſa enimvero commentatio, ut cætera Magni iſtius Viri omnia; ſed audacula. XIII. *Singulari ratione a Molinæo.*

XIV. Mihi ſic videtur: prophetare 1 Cor. XI. 5. ſignificat ſacro concentu, Spiritu aurigante, Deum celebrare. Id univerſæ commendatum eſt Eccleſiæ Eph. V. 18. 19. Col. III. 16. & mulieri etiam in Eccleſia licebat vocem ſuam publicis concentibus miſcere: ſed ſervato decore, atque integra verecundia. Publice loqui non licebat, niſi forte adeſſet extraordinarius Dei impulſus, qui legem non habet. XIV. *Ἐπικρίσις.*

XV. At omnium ſpecialiſſime vox נביא eum notat, qui *præditus eſt cognitione rerum arcanarum*, ſive eæ præteritæ ſint, ſive præſentes etiam, maxime tamen futurarum; ad quarum ſcientiam nemo mortalium niſi Divino Spiritu revelante pervenire poteſt. Ita de Samuele narratur, *totum Iſraëlem cognoviſſe Samuelem ſtabilitum eſſe Prophetam Jehovæ*, quia nimirum Jehova frequenter ei apparebat, & arcana patefaciebat, *neque patiebatur ullum ex omnibus ſermonibus ejus decidere in terram.* 1 Sam III. 19. 20. 21. XV. *Nabi ſpecialiſſime notat eum qui præditus eſt cognitione rerum arcanarum.*

XVI. Non videtur autem hæc ſpecialiſſima ſignificatio huic voci annecti cœpiſſe niſi circa tempora Samuelis. Huc enim ea obſervatio critica pertinet quam placuit Spiritui Sancto Divinæ hiſto- XVI. *Quæ ſignificatio annecti huic voci*

cœpit tempore Samuelis. historiæ inserere. 1 Sam. IX. 9. *Antiquitus in Israële sic dicebat quisque, quum profecturus esset ad consulendum Deum, agite eamus* עד הרואה *ad Videntem; nam qui* נביא *Propheta hodie, is antiquitus vocabatur Videns.*

XVII. Atque hac observatione removetur species contradictionis. XVII. Quæ si bene attendantur, idonea sunt tollendæ difficultati haut exiguæ, quæ ex collatione historiæ Samuelis cum scriptis Mosaicis in animis legentium non potest non oriri. Samuelis enim historia docere videtur, vocem נביא recentem admodum iis temporibus fuisse, illiusque loco antiquitus fuisse usitatam vocem רואה sive *Videntis*. Apud Mosen tamen in ipsis reipublicæ Israeliticæ primordiis nihil frequentius est voce נביא: vox autem רואה ne semel quidem, quod sciam, ibi invenitur. Unde non nemo concludit, scriptionem Pentateuchi Samuelis ætate aliquanto esse posteriorem; quum nomen priscis Israëlitis incognitum familiariter ibi repetatur. Cæterum si æqua lance rem perpendimus, inveniemus non negari in sacra Samuelis historia vocem נבא priscis quoque cognitam atque usitatam fuisse; sed solum doceri, quod ei circa Samuelis ætatem annecti cœperit significatio per quam synonyma facta est voci *Videntis*. Antiquitus enim generalius usurpari solebat, iis notionibus quæ modo a nobis sunt expositæ; ut significaret amicum Dei, & rerum sacrarum interpretem: sed ab eo tempore in frequentiori usu notavit arcanarum rerum indagatorem & indicem, per quem Deus consulebatur, circa illas res quas nisi Deo indicante assequi mortales desperabant. Atque hæc quidem de voce נביא, & Prophetæ nomine, dicta nunc nobis sunto.

XVIII. *Voces* חוזה *&* רואה XVIII. Affinia sunt nomina רואה & חוזה, quæ ita junguntur nomini נביא, ut eandem quidem rem dicere videantur, at respectu aliquantulum diverso. Apprime huc facit 1 Ch. XXIX. 29. ubi narratur res gestas Davidis scriptas esse *in verbis Samuelis* הרואה ROEH *Videntis, & in verbis Nathan* הנביא NABI *Prophetæ, & in verbis Gadi* החוזה CHOSEH *Cernentis*. Nescio an probabile sit, voces has significatu prorsus promiscuo, solius elegantiæ caussa, distincte ita adhibitas esse; quandoquidem eadem epitheta alibi quoque iisdem personis, non sine emphasi aliqua, attribui videntur. Nam Samuel passim vocatur *Roëh* 1 Chr. IX. 22. XXVI. 28. & Gad, *Choseh* 2 Sam. XXIV. 11. 1 Chr. XXI. 9. XXIX. 29. Uti Nathan, *Propheta*. 2 Sam. VII. 2. XII. 25. 1 Reg. I. 8. 10. 22. aliisque locis quamplurimis. Quamvis tam Samuel quam Gad alicubi Prophetæ vocentur, non tamen invenio quod Samueli elogium חוזה, aut Gado titulus רואה tribuatur.

XIX. Quæ-

XIX. Quænam ergo inter hæc tria nomina significationis est diversitas? Enimvero fateor me ignorare. Nisi fortassis *Cocceji* Critice hic inveniat locum. Is existimat Samuelem dici *Roeh* videntem, a voce Divina, quam accepit coram veluti ex ore Dei; *Prophetas* dici eos qui publice locuti sunt: חוזים dici omnes qui revelationes haberent, sive ordinario studio ac meditatione, per Scripturam, sive per extraordinariam inspirationem. Quod si obtineat, vocabulum חוזה esset omnium generalissimum, notaretque hominem peritum rerum Divinarum, tam sua solertia atque industria, quam singulari gratia Dei atque inspiratione. רואה esset aliquanto specialius, significaretque eum cui Deus visione prophetica res arcanas patefacit. נביא autem pro interprete Divinæ voluntatis usurpari, tralatitium est. Cæterum optandum esset, Clarissimum *Coccejum* hæc exemplis & rationibus confirmasse: tum etiam exposuisse cur Gado speciatim titulus *Choseh*, Samueli titulus *Roeh*, Nathani titulus *Nabi*, attribuantur; quum omnes & ingenii solertia polluerint, & Divinis inspirationibus gavisi sint, & voluntatis Dei interpretes, atque arcanarum rerum indices fuerint. Annitendum quidem homini industrio est, ut quantum fieri potest paucissima ignoret: at confitendum homini ingenuo, quantacunque se fatiget diligentia, multa tamen superesse quæ ignorare cogatur. Atque huic sane hominum generi meum accenseri nomen cupio. *XIX. Quomodo distinguantur ignoramus.*

XX. Dicebantur etiam Prophetæ VIRI DEI. 1 Reg. XIII. 1. 1 Tim. VI. 11. 2 Tim. III. 17. 2 Pet. I. 21. Quia in sacra sua functione, non sui, nedum aliorum hominum, sed prorsus Dei sunt, ad illius præscriptum se gerentes, ad illius gloriam omnia referentes; & quos nemo læserit, quin Deum lædat in ministris suis. *XX. Viri Dei. Adde quæ dicuntur in Præf. §. I.*

CAP. II.

De Prophetia.

I. *Prophetiæ definitio.* II. *In prophetia est cognitio, & patefactio,* III. *Rerum arcanarum: tam præteritarum,* IV. *quam præsentium.* V. *At maxime futurarum.* VI. *Cognoscendarum, non ex propria,* VII. *Nec aliorum informatione.* VIII. *Sed revelatione cælesti.* IX. *Eaque extraordinaria.* X. *Distinctiones quædam.*

I. *Prophetia definitio.*

SEd ad *rem* ipsam denique accedendum est. PROPHETIAM igitur sic finio: est COGNITIO ET PATEFACTIO RERUM ARCANARUM, QUAS QUIS NON EX PROPRIA SOLERTIA, NEQUE EX ALIORUM RELATU, SED EX COELESTI, ATQUE EXTRAORDINARIA DEI REVELATIONE NOVIT. Digna sunt hæc quæ aliquanto dilucidius exponantur, & probentur.

II. *In prophetia est cognitio, & patefactio.*

II. Dico ad prophetiam requiri certarum quarundam rerum *cognitionem*, respectu prophetæ, & *patefactionem*, respectu aliorum, quibuscum ea quæ novit communicat. Illa ad hanc concedi solet. Nam prophetam primo *in consilio Dei* stare oportet, dein verba quæ audivit *pronunciare* populo: uti est Jer. XXIII. 22. primo *habere somnium*, *Deique verbum*, id est revelationem, tum id *enarrare* atque *eloqui*. vers. 28. *Propheta, penes quem est somnium, enarret somnium; & penes quem est verbum meum, eloquatur verbum meum vere.* Quamvis enim fieri quandoque potuerit, ut Deus alicui arcanam suam voluntatem revelaverit, quæ ejus potissimum cui revelabatur instructioni inserviret, & quam ut publicaret nulla is necessitate tenebatur; ii tamen singulari ratione Prophetæ dici solent, per quos veluti internuncios suos aliis se Deus manifestat.

III. *Rerum arcanarum tam præteritarum,*

III. At res illas, quæ per prophetiam cognoscuntur, *occultas* atque *arcanas* esse oportet. Neque refert tum, an *præterita* sint, an *præsentes*, an *futura*. Nam & *præterita* aliquando non nisi divinando sciuntur. Sic nemo certe ordinem creationis universi, quomodo illa à Mose enarratur, perspectum habere potuit nisi ex Divina revelatione: & qui primus eum hominibus explicuit, hunc a Deo oportuit esse edoctum. Et *Daniel* prophetam se esse demonstravit, non minus quando Nebucadnetzarem redire fecit in tam accuratam memoriam somnii, cujus ipsum ceperat oblivio, quam quum exposuit ea quæ labentibus aliquot seculis futura somnio præsignificabantur. Neque male Samaritana illa Christum prophetam esse collegit ex eo quod anteactæ suæ vitæ rationem & ipse exploratam haberet, quamvis nullo illi commercio junctus, & tam dilucide ac sine circuitione ob oculos ei poneret. Joh. IV. 18. 19.

IV. *Quam præsentium.*

IV. Sed & res *præsentes* inter objecta prophetiæ sunt. Non enim aut corporis oculis, aut sola mentis suæ imaginatione, sed prophetico Spiritu videbat *Elisæus* famulum suum *Gehazi*, quando de muneribus accipiendis cum Naamane Syro, Domini sui ope a lepra purgato, agebat. 2 Reg. v. 26. Eodemque Spiritu *David* occul-

occultam illam ſcripturam legit, quæ tantum trepidationis incuſſerat Belthazari. Dan. v. 8. 17. 25. Quæ qualis fuerit, curioſe quæritur, temere definitur. Sufficit fuiſſe talem, ex cujus lectione & interpretatione Danielis cum Deo commercium appareret. Fortaſſis literæ iſtæ nemini niſi Regi viſæ fuerunt, & Danieli. Magi ſuis incantamentis viſibiles, aut certe legibiles, ſibi facere non potuerunt. Non eſt credibile, literas illas prorſus novas fuiſſe, omnibuſque hactenus mortalibus, aut ſaltem Chaldæis, plane incognitas, quas Daniel primus didicerit, Regemque docuerit. Quomodo enim de genuina earum lectione tam cito, tamque facile Regis animum conviciſſet? Hoc modò teneatur, ita eas repræſentatas fuiſſe, ut niſi interveniente Deo legi atque intelligi nequiverint.

V. Præſertim tamen res *futuræ* ad Prophetiam pertinent, *contingentes* nimirum & *liberæ*: maximè ſi non generatim duntaxat, ſed cum circumſtantiis perſonarum, loci, temporis prædicantur. Atque hac ſane re omniſcientiam ſuam Deus comprobat, Divinitatemque ſuam adverſus ficta gentium numina ſolide aſſerit; quod ipſe per ſe futura cognoſcat, eaque quibus vult patefaciat. Jeſ. XLI. 21. 22. 23. *V. At maxime futurarum.*

VI. Præterea & hoc obſervandum eſt, ad prophetiam requiri, ut res illæ occultæ non cognoſcantur *ex propria induſtria* aut ſolertia, neque *aliorum* a Deo edoctorum *ſermonibus*, ſed ex cœleſti atque *extraordinaria revelatione* Dei. Non illud: Nam *ſolertia* in indagandis rebus arcanis *prudentem* facit, non *prophetam*. Et de tali prudentia atque ſagacitate intelligendum eſſe arbitror, quod exſtat Prov. XVI. 10. קסם על שפתי מלך *Divinatio eſt in labiis Regis, in judicando non prævaricatur os ejus.* Cujus ſagacitatis ſive εὐστοχίας in ſubodorandis occultis notabilia quædam exempla congeſſit *Lipſius Mon. & Exempl. Pol. Lib.* II. *Cap.* IX. *Mon.* III. Eadem mente Græci μαντείας, Latini *augurii* vocabulis uſi ſunt. Hinc vetus illud: *VI. Cognoscendarum, non ex propria ſolertia.*

Μάντις ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς.

Qui bene conjecit, vatem perhibebo optimum.

Hinc & illud *Ovidii Triſt. Lib.* I. *Eleg.* VIII.

Augurium ratio eſt, & conjectura futuri.

VII. Neque iſtud. Nam ita ſcire & exponere, *interpretis* eſt, non *Prophetæ* ſtricte ſic dicti. Fieri tamen poteſt ut Deus eandem rem, iiſdem propemodum verbis, diverſis Prophetis revelet, & prædicare jubeat; uti patet ex collatione Jeſ. II. 2. cum Mich. IV. 1. Jeſ. XVI. 7. cum Jerem. XLVIII. 29. *VII. Nec aliorum informatione.*

VIII. *Sed revelatione cœlesti.*

VIII. Sed hoc. Id enim sibi vindicat Deus, quod ex suæ omniscientiæ plenitudine solus servos suos erudiat Jes. XLIII. 12. *Ego indico & servo & prænuncio, non autem ullus in vobis alienus.* Adde Amosi III. 7. *Non facit Dominus Jehovi quicquam, nisi quum revelaverit secretum suum servis suis Prophetis.*

IX. *Eaque extraordinaria.*

IX. Nec sine ratione est, quod non cœlestem solum, sed & *extraordinariam* revelationem dixerim: qualem sibi Paulus contigisse memorat circa mysteria Evangelii: quæ *non ab homine accepit*, humana informatione usus, *neque edoctus est*, sic ut cum tempore proficeret, sed *cognovit per revelationem Jesu Christi*, quæ repente eum difficillimo Apostolatus muneri idoneum reddidit. Gal. I. 12. Nam est etiam cœlestis aliqua revelatio per Spiritum gratiæ, quæ omnibus contingit fidelibus; consistitque in interiori illa mentium illuminatione qua animis ingeneratur fides electorum Dei. De qua idem Paulus I Cor. II. 10. 12. *Nobis autem ea retexit Deus per Spiritum suum.* Nobis, non solum qua *Apostolis*, sed & qua *fidelibus.* Sic enim pergit: *Nos vero non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est; ut sciamus quæ Deus nobis est gratificatus.* Qui spiritus fideles ab hominibus hujus mundi discriminet, eum quoque fidelibus omnibus communem esse oportet. Et profecto fidelibus Ephesiis apprecatur Paulus Cap. I. 17. 18. ut *Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater ille gloriæ, det iis Spiritum sapientiæ & revelationis, per agnitionem ipsius, illuminatis oculis mentis eorum, ad sciendum quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis.* Tales autem, quamvis immediata aliqua revelatione gaudeant, Prophetæ tamen non sunt, nisi notione valde generali, & sensu laxissimo.

X. *Distinctiones quædam.*

X. Ad majorem harum rerum elucidationem distinctiones quædam necessariæ esse videntur. Distingui ergo in prophetia potest, *Donum*, quod & privatis contigit, & in revelatione rerum arcanarum consistit, & *Munus*, quod extraordinaria in Ecclesia functio erat, certarum quarundam personarum, speciali vocatione Divina eo destinatarum. Item *Revelatio* rei arcanæ, & *Agitatio* ad eam vel ore, vel scripto, vel aliis quibusdam symbolis proferendam in publicum. Prophetia etiam vel *momentanea* est, certa solum occasione, deinde cessans, qualis in illis LXX. de quibus Num. XI. 25. *Fuitque quum resideret super illos Spiritus ille, ut tum prophetarent, & non amplius.* Vel *permanens*, qualem in iis cernere est qui munere prophetico per multos annos functi, identidem crebras revelationes habuere. Nulli tamen prophetiam habuerunt

per

per modum *facultatis* alicujus supernaturalis, aut habitus infusi, ex quo agerent quandocunque vellent. Quod de se professus Elisæus est 2 Reg. IV. 27. *Jehova celavit me, neque indicavit mihi.* Imo & Moses ipso facto ostendit Num. XV. 33. 34. Quum enim ad ipsum & Aaronem adductus esset aliquis, quem Israëlitæ invenerant ligna colligentem die Sabbathi, non mox sententiam in eum protulit Moses Spiritu Prophetico, sed posuit in custodia, donec declararetur a Deo quid eo faciendum esset. Conf. Lev. XXIV. 12.

CAP. III.

De Variis modis Revelationis.

I. *Modi revelationis diversi admodum sunt.* II. *Aliquando Deus solo Spiritus sui instinctu voluntatem suam revelavit.* III. *Aliquando accedentibus symbolis: quæ nonnunquam sensibus externis oblata sunt.* IV. *Huc pertinent sortes.* V. *Et Filia vocis.* VI. *Ejus exempla.* VII. *An cum ratione negata?* VIII. *Aliquando objecta symbola Phantasiæ.* IX. *Hominum vigilantium.* X. *Quæ sua se commendabant repræsentaminis claritate.* XI. *At non tanta semper, quin enucleatione indiguerint.* XII. *Quæ ne ipsis quidem Prophetis semper est concessa.*

NOtandum porro est, MODOS REVELATIONIS tam fuisse varios, ut difficile sit eos ad certas classes ordine revocare. Multum hic sudarunt viri longe doctissimi, neque uno modo se expedierunt. Nobis itaque interdictum non sit, post alios aliquid conari. Revelatio Prophetica vel IMMEDIATA est, vel MEDIATA. *Immediatam* voco, quæ ita a Deo proficiscitur nulla ut creata persona interveniat. Ea iterum vel SIMPLEX est, *solo interno Spiritus instinctu* peracta, vel SYMBOLICA *accedentibus quibusdam Symbolis insignita.*

I. Modi Revelationis diversi admodum sunt.

II. Non videtur dubitandum, quin sacri Dei homines quædam aliquando arcana cognoverint, eo solo quod Deus ipsos ea cognoscere voluerit, voluntate illa efficaci qua facit ut quæque res existat. Et uti ipse purissima mens est; ita cum mente hominis intime agere potest, secreto alloquio, quod non auditur, neque intelligitur, nisi a mente ad quam, vel potius in qua fit. Huc, nisi fallor, postrema Davidis verba nos ducunt 2 Sam. XXIII. 2. 3. *Spiritus Jehovæ locutus est IN ME. Dixit Deus Israëlis, mihi locuta est rupes Israëlis.* Et alibi satis frequenter legimus de verbo Dei *in* *Pro-*

II. Aliquando Deus solo Spiritus sui instinctu voluntatem suam revelavit.

Prophetis, hoc est quod ipsis ἐδήλου τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ, *declarabat Spiritus Christi qui in iis erat.* 1 Pet. I. 11. Sic Apostolis repente data cognitio mysteriorum Evangelii, linguarumque quibus illud omnes sine discrimine nationes docere habebant. Neque aliter Paulus Evangelium accepit, nisi per internam ejusmodi *revelationem Christi*, *quando libuit Deo revelare filium suum in ipso*, Gal. I. 12. 15. 16. Nam quamvis & viderit, & audiverit aliquid in via versus Damascum, id quod tum videbat audiebatque præparatio potius animi ad docilitatem fuit, quam ea Divina revelatio, qua ad tam exactam mysteriorum Evangelii peritiam informatus est.

III. *Aliquando accedentibus Symbolis: quæ nonnunquam Externis sensibus oblata sunt.*

III. Alias tamen SYMBOLA, sive species aliquas accedere voluit Deus. Eæque vel EXTERNIS sunt oblatæ *sensibus*, vel PHANTASIÆ. Inter Externos sensus maxime afficere placuit *Visum* & *Auditum*, nonnunquam & *Tactum*: aliquando *omnes hos sensus simul*. *Visas* esse linguas dispertitas igneasque insidentes unicuique Apostolorum, Lucas memorat Act. II. 3. Omnes novimus *Auditam* esse Adamo Dei in horto ambulantis vocem. Gen. III. 9. Mosen, quum ingressus esset Tabernaculum conventus, vocem se alloquentem e propitiatorio audivisse. Num. VII. 4. 89. Itemque vocem se auribus Samuelis ingessisse. 1 Sam. III. Certum quoque est duo hæc ita quandoque juncta fuisse, ut *simul* aliquid *viderint audiverintque* ii quibus se ipsum declarare Deo libuit. Quod factum est in baptismo Christi; ubi & Spiritus Sanctus sub specie columbæ visus est, & testimonium Patris de unice sibi dilecto Filio auditum. Matth. III. 16. 17. Locumque semper habuit in apparitionibus ejusmodi quibus mixta fuere colloquia. Gen. XVIII. 17. Sed & *tactum* aliquando una cum auditu affecit Deus; cujus exemplum habemus in Daniele. Cap. X. 9. 10. 10. & Johanne. Apoc. I. 17. Omnia concurrunt simul in historia Jacobi. Gen. XXXII. *Videt* Deum specie humana secum luctantem, *sentit* acetabulum femoris sui lædi, *auditque* luctatorem istum varios secum miscentem sermones.

IV. *Huc pertinent Sortes.*

IV. Ad ea quæ *oculos* afficiebant referre possumus SORTES DIVINATORIAS, quarum usus vel in *consultationibus*, ad detectionem rei obscuræ, ut in Achane, Jos. VII. 14. in Saule & Jonathane, 1 Sam. XIV. 42. & in Jona; Jon. I. 7. vel in *distributione hæreditatum*, cujus exempla sunt in libro Josuæ; vel denique in *electione*, ut Act. I. 26. Quo referenda sit responsio Dei per *Urim & Tummim*, in obscuro est.

V. Ad

V. Ad ea quæ auditui objecta sunt pertinet בת קול Filia vocis. Qua mirabili nomenclatura Targumistæ, Talmudistæ, cæterique Rabbini nuncupant certam speciem, certumve gradum Divinorum oraculorum, ex מדרגות רוח הקדש *gradibus Spiritus Sancti*, uti loquuntur; sive *vocem cœlestem Divinitus emissam*, quæ potissimum viguerit sub Templo secundo. Vocant autem *Filiam vocis*, quod Scriptura *Vocem*. Kabbalistæ dicunt esse proprietatem quandam Divinam, quæ vocetur קול, *Vox*: illius egressio & patefactio esset בת קול, *filia vocis*. Ita *Elias* in *Thisbi*. Glossa Talmudis vult, non ipsam vocem cœlestem auditam esse hominibus, sed illius repercussionem aliquam. Vide *Buxtorf. in Lexico p.* 321. Magis tamen assentior *Christiano Schotano*, *Triumpho script. Lib.* II. *Cap.* VII. existimanti, קול *Vocem* significare *sonum* qui aërem ferit, בת קול *filiam vocis*, verba & dicta sono isto expressa. *Tonitru* est *vox Domini*. Ea *vox* aliquando audita est, ut non audiretur *filia vocis*, articulatio istius soni in certa verba. Atque ita fortassis conciliari debet id quod exstat Act. IX. 7. cum eo quod legitur Act. XXII. 9. Priori loco dicitur, comites Pauli *audivisse vocem*, id est sonum inarticulatum: posteriori, τὴν δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν τοῦ λαλοῦντός μοι, id est sermonem in verba intelligibilia distinctum. V. *Et Filia vocis.*

VI. Pro exemplo hujus oraculi afferri solet ex Evangelio Joh. XII. 28. 29. Ubi Christo orante, *Pater glorifica nomen tuum*, *venit vox e cœlo*, *dicens*, *& glorificavi*, *& rursus glorificabo*. Narraturque porro turbæ quæ audiverat diversum de ea judicium: aliis arbitrantibus fuisse tonitru, aliis Angelum ei esse locutum. Adde Matth. III. 17. & XVII. 5. Aliud exemplum ex Talmude Hierosolymitano producit *Buxtorfius in Lexico Talmudico p.* 553. Rabbi Simeon Ben Jochai latebat in quadam spelunca. Die quodam sedens ad ostium speluncæ, & videns aucupem aves capientem, & rete extendentem, audivit Filiam vocis, quæ quum dicebat דימוס *Dimus*, quod glossa explicat הנצל *eripe te*, tum evadebat avis. Quando autem Filia vocis dicebat פסיקולא *Pesicola*, tum capiebatur. Unde dicebat oraculum צפור מבלעדי שמיא לא יבדא כל שכן בר נשא *Avicula sine cœlo non perit*, *quanto minus homo.* Quod conferri meretur cum Matth. x. 29. VI. *Ejus exempla.*

VII. Plurimæ consimiles historiolæ exstant, sed quæ ineptæ & superstitiosæ quum sint, totius hujus oraculi fidem vacillantem reddiderunt apud emunctæ naris viros. *Molinæus in Vate Lib.* I. *Cap.* VII. & *Vogelsangius Exercit. Theol.* II. §. XIV. pro figmento & somnio Judaico habent. *Lightfootus ad Matth.* III. 17. ex parte VII. *An cum ratione negatum?*

te

te fabulis, ex parte præstigiis Diabolicis annumerandum id omne censet, quod de *Bath Kol* referunt Judæi. Neque abludit *Josephus de Voisin*, in observationibus ad *Raimundum. fol.* 272. Ego uti id de inficetis Rabbinorum narrationibus pro certissimo habeo, ita prorsus negare non ausim, vocem aliquando coelitus auditam fuisse, etiam post excessum Prophetarum. Nam quamvis Spiritum sub Templo secundo defuisse tradant, non tamen illud universaliter intelligendum esse, docet historia Jaddi Pontificis alibi nobis memorata, & Simeonis atque Annæ Prophetissæ. Luc. II. 26. 36.

VIII. *Aliquando objecta sunt symbola Phantasiæ.*

VIII. Atque hæc quidem symbola *externos sensus* feriunt. Sunt alia quæ PHANTASIÆ objiciuntur: quando videlicet non res aliqua corporea reali actione afficit organa sensuum, sed spiritus animales per voluntatem Dei ita agitantur in cerebro, & cerebrum eo modo afficiunt, quo modo externa objecta illud commovissent. Id autem vel VIGILANTIBUS contingit, vel DORMIENTIBUS.

IX. *Hominum vigilantium.*

IX. *Vigilantes* aliquando visi sunt sibi iis in locis esse ubi revera non erant, eaque ibi cernere quæ non nisi imaginationi ipsorum repræsentabantur. Sic *Jesaias* vidit Jehovam insidentem solio celso, indutum vestibus quarum fimbriæ replebant templum, adstantibus superne, & acclamantibus sibi invicem Seraphinis. Jes. VI. 1. 2. Sic *Ezechieli*, versanti inter deportatam multitudinem ad fluvium Chebaris, aperti sunt coeli, ut videret visiones Dei, quas prolixe describit Cap. I. Talis etiam esse creditur revelatio illa de cingulo *Jeremiæ* deposito ad crepidinem Euphratis, ibique computrescente, quod Propheta reassumere & portare jussus est. Jerem. XIII. Non potuit illud nisi quadam visione tenus factum esse, si certum sit, quod supponunt Viri doctissimi, de quo tamen dubitare nefas non est, urbem tunc obsessam a Chaldæis fuisse; certe Euphrates Hierosolyma distabat, etiam pediti εὐζώνῳ, itinere octodecim aut viginti dierum. Talis etiam a quibusdam asseritur fuisse revelatio de libro comesto ab Ezechiele. Cap. III. 1. & de mandato incumbendi uni lateri trecentos nonaginta dies. Ezech. IV. 5. & de comedendo pane cocto cum excrementis humanis, pro quibus dein concessa ipsi sunt egesta boum. ib. vers. 12. 15. Sed de hac re commodior alibi erit disputandi occasio. Nunc ea solum dicamus quæ certa sunt. Sane talis fuit ea revelatio, qua sedens domi suæ inter seniores Judæ, visus sibi est cincinno capitis arripi, & inter terram coelumque deduci Hierosolymam,

Vide Præf. §. II.

lymam, ut cerneret abominationes istas quæ ab improbis hominibus in templo patrabantur. Ezech. viii. 1. & seq. Sic & *Danieli* ostensi sunt throni dejecti, libri aperti, forma judicii, Angelorum myriades. Dan. vii. Sic *Micheas* vidit Jehovam insidentem solio, exercitum cœlorum stantem, Israëlem palantem. 1 Reg. xxii. 19. Sic denique *Johanni* pleraque repræsentata sunt in Apocalypsi.

X. Neque fuerunt hæc vana illusarum mentium repræsentamina, & cassæ rerum imagines; sed figuræ maximorum mysteriorum, quæ, nihil refert quomodo, sane ad informationem & convictionem animi efficacissime Vatibus objiciebantur: quarumque vis non pendet a corpore & substantia objecti, sed ab aptitudine & claritate repræsentaminis. *X. Quæ suasse commendabant repræsentaminis claritate.*

XI. Quæ tamen claritas tanta non semper fuit, ut Prophetæ primo intuitu mentem istorum symbolorum assecuti sint. Aliquando in prima ista revelatione ænigmatica nihil intellexerunt. *Zacharias*, quum videret lychnuchum aureum cum suo apparatu, rogatus ab Angelo, ecquid intelligeret quid sibi ista velint, candide respondit, *Non Domine mi.* Zach. iv. 5. Similiter *Johannes* interroganti alicui ex viginti quatuor senioribus, *isti qui amicti sunt stolis albis, quinam sunt, & unde venerunt?* regessit, *Domine, tu nosti*, suam fassus ignorantiam. Apoc. vii. 13. 14. Attamen plerumque Deus per Angelos sensum eorum symbolorum explicuit, saltem generalem: qua de re mox uberius disputabimus. *XI. At non tanta semper, quin enucleatione indiguerint.*

XII. Verum non semper ita, quin singularia multa abscondita manserint, non *auditoribus* saltem, sed & ipsis *Prophetis*. Hoc est quod Deus dicebat Danieli, Cap. xii. 4. *Tu vero Daniel, occlude hac verba, & obsigna hunc librum ad tempus determinatum usque.* Non enim necessarium neque utile Ecclesiæ existimabat Deus, ut mox omnia Danielis vaticinia intelligerentur, donec tempus exsecutioni destinatum, vel appropinquaret, vel ipso rerum eventu facem prophetiis accenderet. Imo & ipse Daniel nonnulla ignorare coactus est. ibid. vers. 8. 9. *Quumque ego audiens non intelligerem, dixi, Domine mi, quis finis futurus est istorum? Et ille; abi, inquit, Daniel: nam occlusa sunt, & obsignata hæ res, usque ad tempus determinatum.* Atque hinc Prophetæ ipsi sua diligenter meditati sunt vaticinia, ut latentem eorum sensum eruerent. 1 Pet. 1. 10. 11. *XII. Quæ ne ipsis quidem Prophetis semper est concessa.*

CAP. IV.

De Ecstasi.

I. *Ecstasis quid sit.* II. *Est vel Naturalis*, III. *Vel Diabolica*, IV. *Vel a callidis hominibus ficta*, V. *Vel Divina.* VI. *Quæ aliquando sequitur revelationem.* VII. *Aliquando antecedit.* VIII. *Pauli notabilis raptus.* IX. *Qui de se, ut alio, per modestiam loquitur.* X. *Dubitatque, an in corpore, an extra corpus cœlestibus rebus interfuerit.* XI. *Certe audivit ἄῤῥητα ῥήματα.* XII. *Majora quam ut nudo homini ea dicere fas sit.* XIII. *Cur Ecclesiæ ea non enarraverit?*

I. *Ecstasis quid sit?* AD revelationem per *Symbola phantasiæ* repræsentata referri potest Ecstasis. Quæ vox ἀπὸ τοῦ ἐξίςαμαι derivata, observante *Stephano*, significat generatim *dimotionem rei alicujus e statu in quo erat:* sed speciatim ad *mentem* refertur: & tunc notat vel *grandem aliquam admirationem* aut *terrorem*, quo mens e statu ordinariæ suæ tranquillitatis dimovetur. Marc. v. 42. xvi. 8. Luc. v. 26. vel *tantam mentis alienationem, ut cessantibus externorum sensuum functionibus, ipsa eorum quæ in corpore geruntur prorsus ignara, tota vehementibus fixisque cogitationibus occupata sit.*

II. *Est vel Naturalis*, II. Ea quandoque mere naturalis est; quæ oritur vel ex *morbo*, ita cerebrum afficiente, ut homines ad horas, vel etiam dies aliquot, exanimis similes jaceant, sine sensu ac motu, qui tamen deinde ad se redeuntes, veluti ex profundissimo somno, mira sibi visa narrant: vel ex *vehementibus studiis*, quibus id effici posse aliqui credunt, ut animus assuetus profundis meditationibus, iis aliquando tam alte se immergat, ut sensuum functionibus ad tempus supersedeat. Quod de *Thoma Aquinate* tradunt, qui jugi contemplationi ita se assuefecerat, ut frequenter in mentis ecstasin cadens adstantibus mortuus videretur: interim tamen recondita Divinarum literarum mysteria hauriebat, quæ ad se reversus communicabat cum aliis. Vide sis *Gaultperium ad Act.* x. *Cardanus* de se ipso scribit *Lib.* viii. *variarum rerum Cap.* xliii. *quoties velit in ecstasin se transire, ita ut voces quidem adstantium leviter audiat, non tamen intelligat, vellicationem validam, & ne podagræ quidem dolores prorsus sentiat.* Cujus tamen rei fides penes auctorem sit.

III. Ne-

III. Neque negandum esse videtur dari ecstasin quandam Diabolicam, quando nequam spiritus, utens occasionibus quas μελαγχόλικα πάθη præbent, cerebrum mire perturbat, animæ phantasmatibus se insinuans, menti dum sibi a corpore abesse videtur, arcana quædam, vel futura etiam, aut in locis procul dissitis gesta, ingerit, quæ ad se redeuntes veluti sibi visa narrant. Exempla exstant apud *Peucerum de Divinatione*, Titulo *de Theomanteia.* III. *Vel Diabolica,*

IV. Quamvis non improbabile existiment, multa a callidis hominibus ficta fuisse, ut arti suæ fidem ac venerationem conciliarent. Quod prudenter observatum est à *Maximo Tyrio*, cujus verba, quia non contemnendam huic rei lucem præbent, digna sunt quæ hic appingantur. Sic ergo ille *Dissert.* XXII. *Fuit & in Proconneso Philosophus quidam, cui* Aristeæ *nomen erat: cujus sapientiæ primo omnes derogabant, quod nullum ejus præceptorem proferret. Huic ut occurreret, tale adhibuit remedium. Animam dixit suam relicto corpore recta cælum petiisse, unde totam Græcorum Barbarorumque terram, omnes insulas ambivisset, fluvios & montes: tandemque in Hyperboreis constitisse finibus. Hinc se ritus omnes, omnium rerum publicarum observasse mores: terrarum omnium ingenia, mutationes aëris, alluviones maris, fluviorum ostia: quin & cælum ipsum multo facilius quam inferiora lustrasse. Et tamen plus fidei hoc ipso* Aristeas *consecutus est, quam* Xenagoras, *aut* Xenophanes *ille; aut si qui alius rem ut habebat proposuit.* IV. *Vel a callidis hominibus ficta,* *Vide præf.* §. 3.

V. At nos nunc non de *Naturali*, neque *Diabolica*. nedum ab ipsis hominibus *conficta*, sed de vere Divina Ecstasi agimus, quando Dei Spiritus totam mentem invadens atque implens, eam, ab omni corporis commercio pro isthoc tempore abstractam, arcanarum Divinarumque rerum contemplationibus ac meditationibus prorsus occupatam tenet. V. *Vel Divina.*

VI. Quæ abstractio, ut ita dicam, mentis a corpore aliquando facta esse videtur post primam rerum Divinarum repræsentationem; quando videlicet tanto fulgore majestatis circumfundebatur animus, ut in hac cum corpore conjunctione tam cœlesti splendori impar esset: unde contingebat ut corpus viribus defectum, imo veluti mortuum, sine motu sensuque jaceret. Cujus rei exemplum habemus Dan. X. 8. 9. & Apoc. I. 17. VI. *Quæ aliquando sequitur revelationem.*

VII. Aliquando etiam repræsentationem illam antecessit, vel initio repræsentationis juncta fuit, ut mens in isthoc statu tota, sine ulla distractione, rei repræsentatæ contemplationi incumberet. VII. *Aliquando antecedit.*

ret. Idque Petro contigisse credibile est, qui quum circa horam diei sextam ad preces solitarias in solarium ascendisset, ac valde esuriret, incidit in eum mentis excessus, conspexitque cœlum apertum. Act. x. 9. 10. 11.

VIII. *Pauli notabilis raptus.*

VIII. Sed & Pauli non unus raptus narratur: nam præter illum cujus Lucas mentionem facit Act. XXII. 17. notabilis admodum iste est quem non sine insigni verborum apparatu ipse describit 2 Cor. XII 2. 3. 4. *Novi hominem in Christo ante annos quatuordecim (an in corpore, nescio: an extra corpus, nescio: Deus novit:) raptum in tertium usque cœlum. Et novi ejusmodi hominem (an in corpore, an extra corpus, nescio, Deus novit:) raptum fuisse in Paradisum, & audiisse ineffabilia verba, quæ non liceat homini loqui.*

IX. *Qui de se, ut alio, per modestiam loquitur.*

IX. Non puto quenquam esse qui dubitet, quin hæc de se ipso narret Apostolus, quamvis in tertia persona scribat, & eum hominem de quo agit a se ipso distinguere videatur. vers. 5. Cuivis enim patet, hoc modestiæ caussa ab Apostolo fieri, vitante quasi quantum pote est, ac trepidante dicere quæ sibi evenerunt. Sed & agnoscente tale id tantumque fuisse, ut humanam sortem ac conditionem servorum Dei in hac terra propemodum superaret.

X. *Dubitatque, an corpore, an extra corpus, cœlestibus rebus interfuerit.*

X. Nam raptus fuerat in Paradisum, in tertium usque cœlum, tanta rapientis Spiritus vehementia: ut dubium ipsi fuerit, an sola ecstatica repræsentatione in cœlum fuerit translatus, sine ulla loci mutatione, tam quoad corpus quam quoad animam; an vero relicta terra ad superas sedes fuerit transvectus: atque id si factum sit, an contigerit sibi corpore & anima junctis, quoad totum ὑφιςάμενον, an quoad solam animam tantisper a corpore separatam. Apostolo nihil definiente, neque nos definiamus. Sufficiat observasse, tantam fuisse revelationis hujus claritatem, ut ipse sibi visus sit rebus illis cœlestibus præsens interfuisse.

XI. *Certe audivit ἄῤῥητα ῥήματα.*

XI. Cæterum quum nihil eorum memoret quæ *viderit*, fibulam quidem imponit nimiæ curiositati; narrando tamen quæ *audiverit*, generatim saltem, de rebus magnis nos edocet. Narrat autem, audivisse se ἄῤῥητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. Multum hæc sententia torsit interpretes. Si dici non possunt hæc verba, quomodo audiri potuerunt? Nam quod auditur, id utique dicitur. Tum si non possunt dici, cur additur, fas non esse ut ab homine dicantur? Frustra enim vetes ea renunciare, quæ dici non possunt. Confugiunt hic Viri eruditi ad doctas subtilitates. Mihi simplicitas placet. Non puto necessariam hic esse

esse confessionem ταυτολογίας. Quæ evitari potest bifariam. Verba ἄῤῥητα dicuntur, respectu ejus qui audiverat. Ei enim qui loquebatur, erant utique ῥητά. Sed qui audiverat is sibi ea ἄῤῥητα dicit, non quod omnino ea repeti non possent, sed quod majorem haberent vim & significationem quam quibus ad plenum explicandis humanus sermo sufficiat. Addit: *quæ homini loqui non licet*, scilicet familiari sermone inter homines in terris commorantes; partim ne sui sermonis humilitate tantæ rerum majestati detrahat, partim quod ea verba in Paradiso solo audiri conveniat, quippe quæ reserventur futuro seculo.

XII. At neque temnendam esse arbitror Clarissimi *Cocceji* interpretationem: qua non modo omnis ταυτολογίας species tollitur, sed & magna sermoni Apostolico emphasis additur. Is putat hanc pericopæ partem, *quæ homini loqui non licet*, ad eum referendam esse qui Paulo loquebatur: hoc sensu, fuisse verba tantæ majestatis, ut, homine majora, Deum auctorem arguerent. Sunt quædam verba, quæ Angeli, quæ Prophetæ Dei nomine dicere possunt. Sunt alia, quæ Deo ita sunt propria, ut transferri in creaturas nulla ratione queant. Innuit ergo Paulus, se quod audivit ex ipsius Filii Dei ore audivisse. XII. *Majora quam ut nudo homini ea dicere fas sit.*

XIII. At quorsum audivit, si cum Ecclesia communicare non liceat? Nonnullis respondere libet, quod ea quibusdam, arcaniori sapientiæ initiatis, quasi in aurem dixerit. Verum id non liquet. Satius est ut statuamus, I. Paulo hæc patefacta ad sui privatam consolationem, adversus ministerii labores, neque continuisse aliquid de communi doctrina, quam Ecclesiam scire interesat. II. Id ipsum maxime facere ad utilitatem Ecclesiæ, & conconfirmationem nostræ fidei, quod audiamus Apostolum in Paradisum raptum, & ex eo reversum, testem factum esse, dari locum beatitudinis, ubi & Christum viderit, & præclara, prorsusque admirabilia ex ore ejus audiverit. III. Ea quæ in Paradiso geruntur adeo esse eximia, ut neque humano sermone exponi queant, & captum humanarum mentium in hac seculi nostri caligine superent; quamobrem hoc potius agendum esse ut ad eorum fruitionem suo tempore admittamur, quam ut nil profutura curiositate in ea inquiramus. IV. Ex Christi ore verba audiri, quibus comprobetur homine major esse, Deus benedictus in secula. XIII. *Cur Ecclesiæ ea non enarraverit?*

CAP. V.

De Insomniis.

I. Insomnia vel Naturalia sunt, vel Supernaturalia. II. *In communi providentiæ suæ cursu multa Deus homines per insomnia docet.* III. *Cujus rei plurima sunt ac fide digna exempla.* IV. *Peuceri somnium.* V. *Peireskii.* VI. *Gassendi super eo judicium.* VII. *Mirum somnium Grotio memoratum.* VIII. *Somnia Diabolica.* IX. *Quibus notis à cæteris dignoscantur?* X. *Divina, in magna varietate.* XI. *Cur Nebucadnetzarem somnii sui ceperit oblivio?* XII. XIII. *Cur Deus dormientibus se patefacere voluerit?* XIV. *Quibus indiciis somnia Divina à Naturalibus aut Diabolicis secernantur?*

I. *Insomnia vel Naturalia sunt, vel Supernaturalia.*

CÆterum non *vigilantibus* solum, sed & DORMIENTIBUS se aliquando patefacere dignatur Deus. Qua de re, more Orientalium, magnifice loquitur *Eliphaz Themanites* Job. IV. 12-16. Vulgatissima distinctio est, ut insomnia alia NATURALIA, alia SUPERNATURALIA esse dicantur. De illis ut prolixe agamus, haut patitur instituti nostri ratio.

II. *In communi providentiæ suæ cursu multa Deus homines per insomnia docet.*

II. Hoc solum inquisitu dignum est, an in communi providentiæ suæ cursu Deus per insomnia mortales de rebus sibi utilibus edoceat, & consequenter homini prudenti ad somnia sua attendendum sit. Certum utique est, Scriptura, Ratione, & Experientia in idem testimonium conspirantibus, *multitudini somniorum inesse vanitates.* Eccl. v. 6. & inutili se labore fatigare qui *Oneirocritices* præcepta docent discuntve. Non tamen prorsus homini rerum suarum satagenti somniorum suorum observatio est negligenda. Nam præterquam quod indicia esse possunt tam latentis in animo vitiositatis, quam efficaciter operantis Divinæ gratiæ (quoniam interiora mentis nunquam infucatius sese pandunt, quam in silentio ac solitudine noctis. Ps. XVII. 3.) in iis quoque tam mirabilem sese præstat Divina providentia, ut somniantibus in mentem venire faciat, quæ ad vitam Animalem, Oeconomicam ac Spiritualem apprime sunt conducibilia: & quæ, si cum eventu confligantur, Divini in omnia regiminis luculentissima sunt testimonia.

III. *Cujus rei pluri-*

III. Plena exemplorum omnis historia est, tam prisca, quam recentior; quæ cuncta adunco suspendere naso, proficisci non po-

potest nisi ab ingenio quod Divina atque humana susque deque habet, & sapientiæ culmen constituit ἐν τῷ ἀπιςεῖν. Non peccabo in tempora lectoris eorum recensione quæ omnibus nota, passimque obvia sunt. Paucula commemorare lubet, quæ memorabile aliquid præ se ferunt: unde palam erit, quomodo Divina prudentia in humanis rebus sancte sapienterque ludat. *ma sunt ac fide digna exempla.*

IV. Caspar Peucerus, celebris ille magni Melanchtonis gener, quum in diuturno durissimi carceris squalore langueret, visus sibi per somnium est Illustris fœminæ exsequiis interesse, funemque quo campana trahebatur sua manu tenere, quem forte ruptum projiceret: proclamans verba Psalmi CXXIV. 7. *laqueo effracto nos erepti sumus.* Eodem somnio ingerebantur ei verba Dei ad Ezechiam ex Jes. XXXVIII. 5. *Ecce ego addam diebus tuis annos quindecim.* Utramque somnii partem eventus comprobavit. Nam paucis post diebus obiit Anna Electoris Saxoniæ uxor, quæ infesto odio Peucerum prosequebatur, ejusque mortem mox consecuta captivi liberatio est. Atque ab illo tempore sexdecim annos exegit, optima fruens valetudine, & cumulatus honore ac divitiis. IV. *Peuceri somnium.*

V. Narrat *Gassendus* in vita *Peireskii* ad Annum MDCIX. quod in itinere Monspelium ac Nemausum inter, somniaverit *Peireskius*, ac nescio quid insolitum obmurmurare visus fuerit: quare Rainerius itineris comes, ipsum, ecquid novi esset rogando, expergefecit. Tum ille, proh! inquit, quam gratum bellumque excussisti somnium? Quærenti Rainerio, quidnam rei foret, somniabam, inquit, me esse Nemausi, oblatumque mihi fuisse ab aurifice numisma aureum Julii Cæsaris, pretio scutatorum quatuor: jamque eram illi ad ipsum habendum numeraturus pecuniam, quum, excitante te importune, & ex oculis aurifex, & ex manibus numisma evanuit. Exinde, somnium nihil moratus, discessit Nemausum, & quum prandium appararetur, per civitatem digressus est. Casu autem plane stupendo in aurificem, ecce, incidit: ex quo dum requireret, si quippiam forte rarum haberet, habere se ille respondit Julium Cæsarem aureum. Rogavit, quanti eum venderet: respondit pretio scutatorum quatuor. Itaque id pretium statim numeravit, acceptoque Julio, somnium suum felicitate mira complevit. Lubet apponere *Gassendi* super hoc somnio judicium. V. *Peireskii.*

VI. *Facile*, inquit, *cogitare Peireskius Nemausum potuit, quo sequente luce erat accessurus: potuit illud Julii numisma, quod vigilans sæpe* VI. *Gassendi super eo judicium.*

sæpe exoptaverat; potuit id repertum in ea civitate, in qua tot Romanæ antiquitatis vestigia: potuit autem aurificem, ad quod genus hominum vulgo referunt, qui talia effodiunt: potuit valorem mediocrem, quo aurifices potius quam antiquarii ista pendunt: potuit scutatorum quatuor, quo moderato pretio artifex posset esse contentus: denique potuit aurifex, & Nemausi quidem, ac eo pretio habere nummum: verum hæc omnia concurrisse, & eventum somnio ita respondisse, admirabile prorsus est. Non autem is erat Peireskius, qui propterea somnii caussam præternaturalem putaret, quod forte fecisset, si sæpius contigissent similia: sed quum nosset fortunæ lusus, habebat duntaxat hunc casum inter eos, qui sua raritate stuporem apud vulgus creant. Hactenus Gassendus.

VII. Mirum somnium Grotio memoratum.

VII. Finem huic rei faciam postquam paucula adscripsero ex *Grotii* quadam ad fratrem suum epistola, quæ exstat Part. II. Epist. CCCCV. Sic ergo Grotius: *Addam mantissam de somnio. Est enim & Philosophiæ hastata materia. Quidam ad Landresium in operibus proxime oppidum cubans, somnio monitus ut cuniculum hostis caveat, surrexit. Vix egressus erat, prorumpit vis tecta, locumque disjicit. Si Salmasium si videris, historiam tibi referet patre suo auctore. Ad eum venit quidam Græcæ linguæ plane ignarus. Is in somnio voces Græcas has audierat: ἄπιθι ὐκ ὀσφραίνῃ τὴν σὴν ἀψυχίαν; experrectusque Gallicis literis sonum earum vocum perscripserat. Quum ejus nihil intelligeret, rogatus Senator Salmasius ei verba interpretatur: est enim filii doctissimi doctus pater. Migrat homo ex ædibus. Eæ nocte sequente corruunt.* Ex quo principio somnium hoc arcessendum, & ad quam speciem referendum sit, iis per me determinare licet qui majorem harum rerum quam ego profitentur peritiam. Mihi sufficerit providam Dei curam erga genus humanum admirari, qui & dormientes de salute sua stupendis modis erudit.

VIII. Somnia Diabolica.

VIII. SUPERNATURALIA insomnia dicuntur, quæ spiritum aliquem extrinsecus operantem auctorem habent. Eaque vel DIABOLICA, vel DIVINA sunt. DIABOLICA sunt, quæ sub ductu quidem Divinæ providentiæ, attamen a spiritu nequam & fallaci sunt immissa Prophetis, vel aliis quibuscunque mortalibus, ad decipiendum. De iis legimus Deut. XIII. I. Jer. XXIII. 27. & XXIX. 8. Gentilibus quoque loca quædam sacra fuerunt, ubi ad insomnia impetranda pernoctabant. Tale fuit templum Amphiarai, Amphilochi, Trophonii, Æsculapii. Ubi cacodæmon post lustrationes quasdam dormientibus ostendebat pharmaca, quibus sanarentur ægri, & de aliis quoque rebus respondebat. Quorum crebra apud historicos exempla exstant, alibi quærenda.

IX. Nos

IX. *Quibus notis à cæteris dignoscantur?*

IX. Nos id solum disputemus, quibus notis Diabolica ejusmodi insomnia dignosci a cæteris queant. In quam rem hæc fere a Theologis observantur. I. Si significent res contingenter aut libere futuras, vel cæteroquin a caussis arcanioribus pendentes, quarum cognitio non tam ad utilitatem aliquam facit, quam ad inanem scientiæ ostentationem. II. Si sub specie Divinitatis ad idololatriam aut superstitionem ducant. III. Si viris piis & castis tetra, fœda, obscœna objiciantur, a quibus toto animo abhorrent. Vide *Rivet. in Gen. Exercit.* CXXIV.

X. *Divina, in magna varietate.*

X. Divina sunt, quæ, extra communis Providentiæ cursum, speciali quadam ratione a Deo hominibus immittuntur ad certam rerum arcanarum patefactionem. In talibus aliquando tam *somnus*, quam *insomnium* a Deo sunt. Uti Gen. II. 21. XV. 12. Aliquando *somnus* quidem naturalis fuit, at *insomnium* θεόπεμπτον. Gen. XXVIII. 11. 12. Imagines in somniis repræsentatæ, interdum fuerunt *Muta*, ut vaccæ & spicæ Pharaonis. Gen. XLI. interdum *Vocales*. Gen. XX. 3. interdum *Mista*, ut in scala Jacobi, Gen. XXVIII. & in Macedone apparente Paulo, Act. XVI. 9. Nonnunquam Deus immediate docere dormientes instituit, data simul cum somnio illius intelligentia: alias alterius operam intervenire, qui somnium non intellectum exponeret, uti Josephum adhibuit apud Pharaonem. Imo est ubi & somnii oblivionem capere dormientem voluit, ut illius interpreti majorem conciliaret fidem. Quod Nebucadnetzaris ac Danielis historia evincit.

XI. *An Nebucadnetzarem somnii sui ceperit oblivio?*

XI. Non enim assensum impetrant Viri eruditissimi, l'*Empereur*, *de Dieu*, *Coccejus*, & si qui alii, qui verba Chaldaica Dan. II. 5. מלתא מני אזדא non de somnii oblivione, sed de sententiæ judiciariæ promulgatione exponunt. Quasi dixisset: *Edictum à me exit*, ego sic decerno, edico, pronuncio. Nam I. uti דבר Hebræis, ita & מלה Chaldæis, non *verbum* solum significat, sed & *rem*, sive *negotium*: &, ne longe abeamus, in hac ipsa pericopa negotium, id est, somnium Regis, notat. Sic enim Chaldæi com. 10. *nemo est in terris mortalium*, די מלת מלכא יוכל להחויה *qui negotium regis possit indicare*. Et Daniel similiter, com. 23. מלת מלכא הודעתנא, *negotium regis notum fecisti nobis*. Ubi certe מלה non significat regium edictum, sed somnium. II. Non videntur eadem verba tam commode eam mentem admittere vers. 8. ubi rogantibus Chaldæis ut Rex somnium enarraret, ac tunc ejus interpretationem pollicentibus, respondet Rex, *vere agnosco, vos tempus redimere, quandoquidem videtis* די אזדא מני מלתא *abivisse*

à me verbum. Nimirum caussabantur identidem, præmittendam Regi esse somnii sui recensionem, neque prius adigi sese posse ad sua edenda oracula. Atque hanc tergiversationem urgebant confidentius, quod viderent somnium regi excidisse, atque sperarent ita se ab interpretatione, quæ discriminis plena erat, liberatum iri. Consilii istius astutiam indignanter arguit Rex. Nonne simplicior hæc interpretatio est altera illa paraphrasi quæ *Ludovico de Dieu* allubescit, *Ex responsione vestra intelligo, vos hoc tantum agere, ut tempus prorogetis, quia nempe videtis ex edicto meo imminere vobis mortem, quam prolongando tempus effugere speratis.* Etenim quum sententia mortis pronunciata esset non minus adversus eos qui somnium non indicabant, quam qui non interpretarentur, consideratio regii edicti contra non indicantes effectura potius fuisset deprecationem pœnæ, propter τὸ ἀδύνατον postulati, quam procrastinationem rei quam non pollicebantur in futurum, sed numerabant ἐν τοῖς ἁπλῶς ἀδυνάτοις. III. Adde & hoc; quum Rex maximo somnii intelligendi teneretur desiderio, cur, quando de illius per Chaldæos commemoratione prorsus desperabat, non ipse tandem narravit, si forte pollicitationibus suis Chaldæi satisfacerent, eamque adferrent interpretationem in qua liceret Regis animo acquiescere? Malebat enim somnii sui sensu quomodocunque erudiri, quam intempestiva crudelitate omnem sibi interpretationis occasionem ac spem præscindere.

XII. XII. Quæri hic merentur duo, I. Cur Deus singulari isthac ratione noctu & dormientibus sese patefacere voluerit, quum patefactio ista videatur obscura, incerta, & parum conveniens dignitati revelantis ac rerum revelatarum, atque utilitati ejus cui revelatio talis obtingit? II. Deinde quibus characteribus *Divina* insomnia a *Naturalibus* aut *Diabolicis* secernantur.

XIII. *Cur Deus dormientibus se patefacere voluerit?* XIII. Ad prius respondere non admodum difficile est. Summa enim hujus rei caussa Divina voluntas est; cujus rationes inquirere, neque tutum semper est, nec quærendo assequaris. Eam tamen, ut ubique, ita & hic sapientem esse, multa docent. Nam I. Mens nocturno tempore, & in rerum omnium silentio, recipiendis rerum spiritualium notionibus aptior esse videtur: non turbata vel objectis extrinsecus in eam agentibus, neque distracta aliarum cogitationum varietate, neque exagitata animi passionibus, sed in mera quiete Divino exposita influxui. Observatumque est a rerum naturæ studiosis, in somno objecta omnia majora videri, mentemque iis affici validius. II. Ita ostenditur illimi-

tata

tata Dei in mentem hominis potentia. Nos nisi vigilanti loqui non possumus: Deus etiam dormienti. Ne sopor quidem hominis numini obstaculo est, quotiescunque notiones suas animo imprimere vult. III. Docemur, Deum nostri memorem esse, quando nos nec Dei, nec nostri. IV. Nullum tempus subducendum esse Deo, atque in stratis etiam vacandum meditationi rerum cœlestium. V. Deum auditorem exigere compositum ac docilem, non altercantem, obmurmurantem, disputantem, sed excipientem revelationem cœlestem sine contradictione, quemadmodum imagines in somno nobis obrepunt. Alia plura vide apud *Rivetum Exercitatione modo laudata*, & *Spanhemium Dub. Part.* II. *p.* 467.

XIV. Aliquanto intricatior altera quæstio est; nobis saltem, quibus extraordinariarum ejusmodi in somnio revelationum non est facta copia. Credibile est visis tantam adfuisse claritatem, & accessisse tam convincentem Spiritus Sancti efficacitatem, ut dubitare ea de re non potuerint. Non enim exspectandum habuerunt donec somnio responderet eventus, ut demum ex utriusque conflictu, quadam argumentandi serie, Divinitatem somnii inferrent. Sed mox præsens animo numen deprehenderunt, intellexeruntque se a Deo moneri. Gen. XXVIII. 16. 17. *Quum itaque evigilaret Jacob à somnio suo dixit: certe Jehova in hoc loco est, attamen ego nesciveram. Postea ductus reverentia dixit: quam reverendus est hic locus! nihil est hic locus, nisi domus Dei, & porta cœli hæc est.* Conf. Job. IV. 12. 16. *Augustinus, Conf. Lib.* VI. *Cap.* XIII. de Monica matre sua ita scribit: *Dicebat enim decernere se, nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter revelantem te, & animam suam somniantem.* Ipse etiam Pharao & Nebucadnetzar in somniis suis extraordinarium & Divinum aliquid deprehendisse videntur, quum tanta animi consternatione atque solicitudine in eorum interpretationem inquirerent.

XIV. *Quibus indiciis somnia Divina a Naturalibus aut Diabolicis secernantur?*

CAP. VI.

De Revelatione per Angelos.

I. *Revelatio frequenter facta per Angelos.* II. *Nominatim per Gabrielem.* III. *Filius Dei aliquando apparuit Prophetis specie illustris Angeli.* IV. *Uti Dan.* X. 5. 6. V. *Ubi illi alius minister jungitur.* VI. *Cui simile exstat Zachar.* I. 8. VII. *Et Zachar.* II. 3. 4. VIII. *Coccejus Spiritum S. Angeli specie apparuisse putat. Dan.* X. 5. IX. *Et Zach.* I. 9.

1. 9. X. *Et Zach.* 11. 3. XI. *Quod tamen non solide demonstrat* [illegible] *conscientiam.* XII. XIII. *Diligentius excutitur Dan.* x. 5. XIV. C[illegible] *to. Angelo Domini nomen à Zacharia tribui potuit.* XV. *Ex phras*[illegible] *Literarum non patet S. S. Dominum à Zacharia dici.*

I. Revelatio frequenter facta per Angelos. HActenus de iis revelationum speciebus locuti sumus q[illegible] *immediate* a Deo hominibus obtigerunt: sed & aliæ [illegible] stant quæ INTERVENIENTIBUS ANGELIS ad eos delatæ su[illegible] Sive Angeli integrum nuncium detulerint, sive eo[illegible] opera usus fuerit Deus ad repræsentamina quædam exponen[illegible] quæ aut vigilantibus aut dormientibus facta sunt. Quarum re[illegible] exempla ubique obvia sunt atque notissima.

II. Nominatim per Gabrielem. II. Insignem heic Deo operam præstitit Angelus *Gabriel*, q[illegible] futuram Messiæ nativitatem plurimaque eo pertinentia prænunci[illegible] vit Danieli primum, Dan. IX. 21. tum & Zachariæ, Luc. I. 19. denique Mariæ. ibid. vers. 26. Non possum Coccejo assentiri, existimanti *in Dan.* IX. 21. *nomen hoc non esse unius Angeli proprium, sed omnium myriadum Sanctorum, ex quibus unus loquatur nomine Dei ad homines quod ad glorificandum Deum facit.* Etenim Daniel hu[illegible] Angelum Gabrielis nomine insignitum a cæteris dignoscit, de[illegible] prehenditque eundem esse quem ante conspexerat. Ipseque A[illegible] gelus signanter Zachariæ dicit, *Ego sum Gabriel, qui adsto cor[illegible] Deo*; ea emphasi verbis suis majorem fidem adstruens, docens[illegible] se eundem esse qui olim tremenda illa mysteria revelaverat D[illegible] nieli. Significat autem vel *Virum Dei*, secundum quosdam; v[illegible] τὴν δύναμιν Θεοῦ, secundum Grotium & alios; vel, quod ego [illegible] lim, *fortitudo mea Deus est.* Atque ita continet nomen hoc A[illegible] gelicum professionem momentosissimæ veritatis, potentiam etiam valentissimarum creaturarum in Deo sitam, atque omni modo [illegible] eo dependentem esse. Quam veritatem quum quidam Angelo[illegible] rum abnegarent, dum sui volebant esse arbitrii, eo ipso facti su[illegible] mali dæmones. Atque hac in parte superba gloriatio tam prisca, quam recentis Babylonis, directe opposita confessioni Angelicæ. Babylon *vim suam pro Deo habet.* Hab. I. 11. Angeli Deum pro su[illegible] vi atque virtute.

III. Filius Dei aliquando apparuit Prophetis specie illustris Angeli. III. Non creatos modo Angelos, sed & ipsum Dei Filium, Angelorum omnium Dominum, illustris Angeli specie Prophetis aliquando apparuisse, & tam ipsum per sese, quam per ministrum aliquem Angelum, arcana Dei patefecisse, multa persuadent.

IV. Ne-

IV. Neque de alio interpretandum arbitror id quod apud Daniëlem exstat. Dan. x. 5. 6. *Sublatis oculis meis vidi, quod ecce vir unus indutus vestibus lineis aderat, cujus lumbi accincti erant insigni auro Uphazi. Corpus ejus simile beryllo thalassio*, aut, ut Coccejus vertit, *sardonychi, & vultus ejus similis speciei fulguris, oculique ejus similes tædis ardentibus, & brachia ejus ac pedes similes colori æris tersi: sonus autem verborum ejus similis sono multitudinis.* Atque ubi trepidationem suam ad tam illustris visionis majestatem narrasset Daniel, subjungit comm. 9. *tunc audivi sonum verborum illius*, sine dubio aliquid enuntiantium quod tanta dignum erat majestate. Multum discrepant Interpretes cui subjecto illustria hæc prædicata conveniant. Nonnulli qua Veterum qua Recentiorum intelligunt gloriosum aliquem Angelum creatum, Gabrielem puta, vel, quod *Grotius* mavult, Michaëlem. Verum magnificentior hæc species est, quam ut creato Angelo conveniat. Nec augustiori pompa conspiciendum se exhibuit Angelorum omnium Creator ac Dominus. Exod. xxiv. 10. Ezech. i. 26. 27. Omnia nos ad Filium Dei ducunt, sive vestitum spectemus, sive corporis habitum, sive verborum sonum, sive totum apparitionis schema, sive denique spectantis consternationem; omnia, inquam, illa similia sunt apparitioni Christi quam sibi contigisse Apocalypsios suæ initio Johannes memorat. Parallelismum accurate satis instituerunt Viri Docti, *Alcazar in Apocalypsin, A Lapide in Danielem*, & prolixe *Calovius in Annot. ad Grot.* h. l. duodecim adductis pro hac sententia rationibus.

IV. Uti Dan. x. 5. 6.

V. Ab hac persona apparente distinguendum esse existimo Angelum illum, qui manu sua Danielem tetigit, compellavit, informavit, quemque probabile est fuisse Gabrielem. com. 10. 11. 12. I. Quia & alias Viro illi vestibus lineis vestito adstiterunt duo alii Angeli, uti satellites Domino. Dan. xii. 5. 6. II. Quia eadem hæc alibi tribuuntur Gabrieli. Dan. viii. 18. & ix. 21. III. Quia manus, Danielem confirmans, non fuit, uti credibile est, ahenea, qualis est illius qui describitur com. 6. verum mollis potius & blandiens, sicuti humana manus esse solet. IV. Quia forma tangentis Danielem, fuit *instar filiorum hominis*, distincta ab augustiori forma illius qui ex adverso Danieli stabat. com. 16. Verum quidem est, Danielem non ea distinctionis accuratione quam alibi adhibet, visarum sibi personarum discrimen hic enarrare: attamen prædicata ipsa lectori non segni subjectum suum satis assignant. Illud palam est, duos apparuisse Danieli, quos distincte Domini nomine compellat. com. 17. *Quomodo ergo poterit* עבד אדני זה לדבר עם אדני זה *ser-*

V. Ubi ille alius minister jungitur.

servus Domini mei hujus, loqui cum Domino meo illo? Sic enim commodissime verba exponi arbitror, quando pronomen זה in utraque periodi parte refertur ad אדני. Horum autem duorum alterum esse Christum, alterum Angelum ejus ministrum, ante dicta probant.

VI. *Cui simile exstat Zach.* I. 8. 9. VI. Idem mihi judicium ferendum esse videtur de illo *Viro* qui Zachariæ visus est, *equitans in equo rufo, & stans inter myrtos quæ in profundo erant, pone quem erant equi rufi, balii*, (aut, ut Coccejus mavult, *punicei*, Bochartus, *gilvi*, de Dieu, *fulvi*) *& albi*; qui vocatur *Angelus Jehovæ*, & a quo distinguitur alius *Angelus alloquens Zachariam*. Cap. I. 8. 9. II. *Vir* ille Christus est, sæpe eodem nomine designatus, etiam Zachariæ nostro Cap. VI. 12. Estque in isthoc apparitionis schemate futuræ ἐνσαρκώσεως symbolum. *Insidet equo*, ut denotetur dominii majestas, potentia & promtitudo ad auxilium populi sui. Conf. Ap. XIX. II. Equus iste *rufus* est, sanguinei coloris, quo adumbratur cædes hostium, & purgatio Ecclesiæ a peccatis per calamitates. *Stat inter myrtos*, quibus notatur Ecclesia Israëlitica, non tam secundum carnem, quam secundum spiritum, semper virens, semperque gratum exhalans odorem: & myrtos quidem *in profundo* collocatas, id est, Israëlitas in statu humili & afflicto; inter quos *stat* gratiosa sua commoratione illos tuens. Qui *pone* eum sunt, *equi rufi, balii & albi* cum suis equitibus, sunt Angeli ministri, quorum opera Deus in aliarum gentium gubernatione utebatur, quorumque diversi colores varias istarum gentium fortunas designare possunt, partim adversas, partim lætas, partim ex utroque mixtas. Hi ut satellites & ministri sunt pone Angelum inter myrtos stantem, eique, uti Domino, expeditionum suarum rationem reddunt. Hæc quum nondum intelligeret Zacharias, rogavit quid hi essent; respondet *Angelus ad ipsum loquens*, qui solet eum ad mysteriorum Divinorum intelligentiam introducere, *Ego tibi monstrabo, quid hi sint*. At prævenit eum *Vir inter myrtos stans*, & quam pollicitus erat alter ille Angelus expositionem, eam ipse occupat, dicens, *hi sunt quos misit Jehova ad ambulandum in terra*. Habemus itaque hic duos Angelos Zachariam erudientes, quorum alter pro Domino se gerit, ipse Filius Dei, alteri certum quasi officium attribuitur loquendi cum Zacharia, & explicandi illi arcanos visionum significatus, cujus frequentissima in sequentibus occurrit mentio.

VII. *Et Zachar.* II. 3. 4. VII. Manifestissime autem, & sine ullis ambagibus, eadem res docetur Zach. II. 3. 4. *Ecce autem Angelo illo qui alloquebatur me procedente; Angelus alter processit obviam ipsi, cui edixit, Curre, alloquere puerum istum.*

VIII. At-

VIII. Atque hæc quidem satis explanata esse videntur, uti recepta apud Orthodoxos sunt. Sed alias lectoribus cogitationes præformat Celeberrimus *Coccejus*, qui *Spiritum Sanctum* Angeli specie apparuisse, & Prophetas instruxisse opinatur. Et Dan. x. 5. exponit de persona Divina quæ mitti possit, distincta tamen sit a Michaële, quo nomine in hac prophetia appellatur Christus, id est, de Spiritu Sancto. *Nam ubique testatur Deus, opera sua & Christi esse etiam opera Spiritus sui, & eum docere Prophetas, & à Christo impetratum esse, & ab ipso mitti. Et quia loquens à Michaële distinguitur, & nullus Angelus minister dicere potest se solum stare contra Principem Persiæ, h. e. Diabolum aut Angelum Diaboli, & non habere adjutorem nisi Michaëlem, denique quia sese indicat missum ad Danielem*, hinc colligit, *personam hanc Divinam esse, distinctam à Mediatore, habitantem in hominibus, & vivificantem homines, atque adeo missam ad homines.*

VIII. *Coccejus Spiritum S. Angeli specie apparuisse putat.* *Dan. x. 5.*

IX. Similiter ad Zach. 1. 9. hæc observat: *In interrogatione est appellatio* אדני *Domine mi. Nulla hujus personæ præcedit mentio. Statim significat illum fuisse Angelum, distinctum ab illo qui in equo rufo stabat inter myrtos: eique attribuit quasi certum officium, nempe quod ad ipsum sit locutus. Angelum Dominum suum compellat. Cogitemus Zachariam discipulum Mosis & Prophetarum, & in phrasi ipsius λέξιν Spiritus Sancti animadvertamus. David Ps.* CX. 1. *Dominum suum appellat Christum. Quid mirum si Zacharias Spiritum Christi loquentem in se & in omnibus prophetis 1 Pet. 1. 11. Dominum suum nuncupet?*

IX. *Et Zach. 1. 9.*

X. Iterumque ad Zach. 11. 3. aut secundum Junii & Cocceji divisionem com. 7. *Visum secundum, Angelus collocutor exiens, & Angelus alius exiens in occursum ejus. In nova hac visione Angelus collocutor rursus de cælo prodit, & ei obvius fit alius Angelus, dictans ei revelanda prophetæ. Hæc non carent mysterio. Nam ad quid tot Angeli? Et quid Angelorum concursus? Spiritus Christi prophetas excitans ad secundum, accipit à Filio, jam præparante omnia ad παρουσίαν, & sic veluti egrediente ex habitaculo sancto suo, quæ annunciet Ecclesiæ per Prophetas.*

X. *Zach. 11. 3.*

XI. Enimvero hæc nimis pia sunt, nimis ad honorem Spiritus Sancti facientia, quem ut Divinam & coæternam Patri ac Filio personam tota Ecclesia Orthodoxa veneratur; nimis etiam erudite & probabiliter exposita, quam ut temere rejiciantur, eo nomine quod nova, & ab aliis fortasse non ita observata sint. Cæterum id inquiri meretur, an solide satis, atque ad conscientiæ convictionem a Doctissimo auctore demonstrata? Quod equidem affirmare non sustineo.

XI. *Quod tamen non solide demonstrat ad conscientiam.*

XII. Pri-

XII. *Diligentius excutitur Dan. x. 5.* XII. Primo ea excutiamus, quæ apud Danielem exstant. Id ipse Vir candidissimus agnoscit, ea quæ laudato isti apud Danielem Viro attribuuntur, talia esse ut Apocalypsis similia iis de Christo dicat, & aliquoties repetat & inculcet quæ in Christo visa Johanni. Hæc ergo ut de Christo quoque intelligantur, prima cogitatio est quæ lectori Apocalypsios perito, & similia apud Danielem invenienti, in mentem venire potest. Valdeque in ista hac sua cogitatione confirmabitur, si in memoriam sibi revocans similia hisce visa, in omnibus illis nullum inveniat, quod alteri alicui personæ Divinæ, si a Christo discesseris, applicare cogatur. Neque facile se ad Spiritum Sanctum hic intelligendum determinabit, donec ostensum fuerit eum alibi quoque augusti alicujus Angeli specie conspiciendum se in visione Prophetica exhibuisse. Quod enimvero in Scripturis narratum esse, nunc non memini. Magnas itaque caussas subesse oportet, cur præter suetum Scripturis morem, hoc emblemate nunc Spiritum Sanctum hic significari quis credat, quum alibi eodem, aut alio prorsus simili, Christum significari in confesso sit.

XIII. XIII. Imo vero, inquit, ingentes sunt rationes. Quæ sodes? Describitur *persona, quæ Divina minor non sit.* Concedo certe. Atqui *eadem à Mediatore distinguitur.* Id probationem exigit. Probatur, inquit: quia vers. 13. *Angelus ille distinguit se à Michaële. — Michael autem est Mediator.* Neutrum nunc negare lubet. At id probandum restat, Angelum isthoc commate, loquentem, eundem esse cum persona vers. 5. descripta. Quod secus se habere, non contemnendis argumentis supra a nobis est addictum. Instat; *atqui nullus Angelus minister est, qui possit dicere se solum stare adversus Principem regni Persarum, & non habere adjutorem nisi Michaëlem.* Verum, inquam ego, non dicit ille Angelus se *solum* stare, *& non habere adjutorem nisi Michaëlem*; dicit, se *stare adversus Principem Regni Persarum, & venisse Michaëlem ut juvaret ipsum.* Et quidni Angelus aliquis minister, sume Gabrielem, id dicere queat? An non talis aliquis a Deo designari potest, ut se opponat Diabolo aut Angelo Diaboli? An adjutus a Michaële, non sufficit Diaboli conatibus eludendis? Imo ausim dicere, sermonem hunc convenientiorem esse in ore Gabrielis, quam Spiritus Sancti: quoniam decentius est Mediatorem venire suppetias Gabrieli latum, quam Spiritui Sancto. Unde concludo, non esse cur a recepta interpretatione recedamus, & ea quæ de Filio Dei dicuntur transferamus ad Spiritum Sanctum.

XIV. Nunc

XIV. Nunc consideremus quæ ad Zachariam annotavit Vir longe Doctissimus. Ubi vis argumenti in eo potissimum consistit, quod Zacharias Angelum collocutorem, distinctum ab Angelo qui inter myrtos stabat, *Domini* nomine compellet. Cæterum id primo mirari subit, cur, qui Ecclesiam Testamenti Veteris subjectam Angelis, uti Diis, fuisse, vehementer alioqui pugnat, nunc existimet Prophetam Testamenti Veteris non decere, ut Angelum Dominum suum nuncupet: nam sane qui sunt λεγόμενοι θεοί, iidem sunt λεγόμενοι κύριοι, ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ, καὶ κύριοι πολλοί. 1 Cor. VIII. 5. Deinde compellatio Domini tralatitiæ est humanitatis, & ex civili usu adhibita erga eos omnes qui aliquas dignitatis notas præ se ferebant; præcipue erga eos qui uti veritatis Doctores considerabantur. Sic Johannes in Apocalypsi uni ex *senioribus*, interroganti, isti qui amicti sunt stolis albis, quinam sunt, & unde venerunt, respondet, *Domine, tu nosti.* Apoc. VII. 13. 14. Si Johanne indignum non fuit seniorum aliquem Dominum vocare, cur Zacharia indignum est id nominis dare alicui ex Angelis? Adde quod citra controversiam Angelus aliquis creatus eodem honoris titulo compelletur. Act. X. 3. 4. Ubi Cornelius *per visionem manifeste videns Angelum Dei introeuntem, & dicentem ipsi, Corneli, intentis in eum oculis, & expavefactus, dixit, Quid est Domine?*

XIV. Creato Angelo Domini nomen a Zacharia tribui potuit.

XV. At *cogitemus*, ait Vir Clarissimus, *Zachariam discipulum Mosis & Prophetarum, & in phrasi ipsius λέξιν Spiritus S. animadvertamus.* Recte, inquam ego. At quænam est λέξις Spiritus Sancti? *David Dominum suum vocat Christum.* Optime. Ergo quem Zacharias Dominum vocat, hic Spiritus Sanctus est. Sequela nulla. *Saltem*, inquit, *mirum non est, si Zacharias Spiritum Christi loquentem in se Dominum nuncupet.* Fateor. At quæritur, an id ex hoc loco, ista argumentatione, probetur? Qui aliunde didicit, Spiritum Sanctum æternum cum Patre Filioque Deum esse, is dubitare non potest, quin dignus sit qui Domini nomine compelletur. Sed hoc nunc disputatur, an quia Zacharias Angelum aliquem Dominum dicit, & a Christo distinguit, exinde sequatur eum Angelum Spiritum Sanctum esse. Præterea estne hæc λέξις apud Mosen & Prophetas usitata, ut persona Spiritus Sancti distinctim ac nominatim primo Angelus, tum Dominus vocetur? Gratum mihi futurum est, si utriusque locutionis aliquot præbeantur exempla. Quod porro annotat de Angelorum occursu, id non minus commode exponi potest de Angelo ministro, qui, ad om-

XV. Ex phrasi S. Literarum non patet S.S. Dominum a Zacharia dici.

nia obsequia promtissimus, Domino suo, ubi res exigebat, præsto semper erat, quam de Spiritu S. Atque hæc quidem de variis revelationum modis disputata sunto hactenus.

CAP. VII.

De Privilegiis Mosis.

Vide Præf. §. IV. V. VI.

I. *Privilegia Mosis. Num.* XII. *6. 7. 8.* II. *Illius cum cæteris Prophetis convenientia & disconvenientia.* III. *Cæteris se revelavit Deus per visionem symbolicam & somnium.* IV. *Mosi ore ad os.* V. *Per adspectum.* VI. *Quamvis* מַרְאֶה *&* מַרְאָה *non semper distinguantur.* VII. *Similitudinem Jehovæ contemplatur.* VIII. *Nemo ei par operibus prodigiosis.* IX. *Doctrina Mosis est norma omnium omni tempore in Ecclesia dicendorum.* X. *Est qui Mosen infra mediocritatem sapuisse contendat.* XI. *Tortis eo quibusdam Scripturæ dictis.* XII. *At injuriam Mosi facit.* XIII. *Ab ineunte ætate sapientia Ægyptiorum erudito.* XIV. *Atque hoc nomine in sacris laudato.* XV. *Ægyptiorum sapientia, pro seculorum istorum captu, magni æstimata fuit.* XVI. *At commendabilior fuit Moses rerum Divinarum peritiâ: etiam ante missionem suam.* XVII. *Nequaquam putavit plures esse Deos, discretis nominibus distinguendos.* XVIII. *Tarditas linguæ non præjudicat sapientiæ ipsius.* XIX. *Uti diligentia ipsius pessimo argumento ad imperitiam trahitur.* XX. *Neque tam stultus fuit, ut Deum corporeum esse crederet.*

I. Privilegia Mosis. Num. XII. *6. 7. 8.*

PRæ cæteris Prophetis insignia προτιμήματα habuit MOSES, ab ipso Deo laudata Num. XII. 6. 7. 8. *Audite nunc verba mea: si est Propheta ex vobis, ego Jehova* בַּמַּרְאָה *per visionem me ipsum notum facio ei, aut per somnium alloquor eum. Non sic servus meus:* MOSES, *qui est in tota domo mea fidelis.* פֶּה אֶל פֶּה *Ore ad os alloquor eum,* וּמַרְאֶה *& visionem, & non in ænigmatibus* בְחִידֹת *& similitudinem Jehovæ intuetur.* יְהוָה יַבִּיט

II. Illius cum cæteris Prophetis convenientia & disconvenientia.

II. Comparatio quam hic instituit Deus inter Mosen cæterosque veros Prophetas, primo utrorumque convenientiam indicat, dein disconvenientiam. Convenientia sita est in hisce. I. Quod utrique Prophetæ. II. Ex Israële. III. Utrisque se patefaciat Deus. Disconvenientia est in patefactionis modo & gradibus: qui humiliores in cæteris, sublimiores in Mose.

III. Cæteris se revelavit

III. Cæteris se patefacit Deus I. *Vigilantibus* בַּמַּרְאָה, *per visionem,* Symbolicam scilicet, & ænigmaticam, ubi aliud videtur aliud intelli-

telligitur: quomodo se Ezechieli patefecit Deus per visionem currus, & campi cum ossibus aridis. Jeremiæ per visionem virgæ amygdali, & ollæ bullientis. Abarbanel laudat aliquem, qui observat vocem מַרְאָה quæ in plurali habet מַרְאוֹת *specula*, Exod. XXXVIII. 8. distingui à voce מַרְאֶה sic ut doceatur, omnem repræsentationem cæteris Prophetis factam, fuisse duntaxat tanquam imaginis in speculo exhibitæ: quæ A. Tantum exteriorum, non interiorum est. B. Quorundam motuum & gestuum, non vocis. C. Minus accurata: nam minutiora & subtiliora non tam bene in speculo cernuntur. D. Denique imaginis solum est, non rei ipsius. An forte huc respexerit Paulus? 1 Cor. XIII. 12. *βλέπομεν ἄρτι ἐν ἐσόπτρῳ, ἐν αἰνίγματι, ἐκ μέρους.* Deinde patefacit se quoque Deus, II. *Dormientibus*, per *somnium* nocturno tempore sopitis exhibens phantasiæ visa & colloquia actionesque varias. *Deus per visionem symbolicam & somnium.*

IV. Secus sese res in Mose habuit. Nam I. Ei loquitur Deus ore ad os. Septuaginta vertunt *ἐνώπιον ἐνωπίῳ*, *præsens præsenti*. Johannes 2. Epist. vers. 12. aliquanto significantius, *στόμα πρὸς στόμα λαλῆσαι*. Sed videtur hæc phrasis, hoc saltem loco, amplius aliquid notare quam פנים אל פנים *facie ad faciem*, quomodo Deus apparuisse legitur *Jacobo* Gen. XXXII. 30. & allocutus esse universum *Israëlem*. Deut. V. 4. Significatur igitur alloquium familiare, quale est amici ad amicum, sine metu & trepidatione. Exod. XXXIII. 11. Notat *R. Menachem*, differentiam etiam aliquam in modo locutionis esse. Allocutus Israëlem Deus est פנים בפנים. Deut. V. 4. Mosen פנים אל פנים. *IV. Mosi ore ad os.*

V. II. Adscribitur ei מַרְאֶה, *adspectus clarus*, distinctus, rerum ipsarum. Qui A. Non exteriorum modo, sed & interiorum est. Moses enim, qui fidus servus in tota domo Dei fuit, ut Judæorum magistri observant, omnia conclavia, etiam penitissima, adeundi jus habuit. B. Non gestuum duntaxat & motuum, sed & vocis perceptio, quæ ad vigilantem delata est; quum ore ad os ipsocum loqueretur Deus. C. Quo omnia penitus cognovit, secus ac reliqui, qui, Symbola videntes, non omnia sibi visa intellexerunt. D. Quo denique non imagines, sed res ipsas introspexit: quod sequentia etiam docebunt. *V. Per adspectum.*

VI. Fatendum sane est, eam vocis differentiam non ubique attendi. Nam vox מַרְאָה aliquando visionibus ænigmaticis denotandis adhibetur. Exod III. 3. & aliis Prophetis attribuitur: Ezechieli, Cap. XI. 24. XLIII. 3. & Danieli. Cap. X. Hic tamen distinctionem illam negligendam non esse, res ipsa clamat. *VI. Quamvis Mareh & Marah non semper distinguantur.*

 VII. III. Si-

VII. *Similitudinem Jehova contemplatur.*

VII. III. *Similitudinem Jehovæ contemplatur*, quam Israëlitæ ad montem Sinai vidisse negantur. Deut. IV. 12. תמונה non notat hic ipsam Dei essentiam, neque tantum Divinæ Majestatis splendorem, quantus videbitur a beatis, & quem oculis usurpare in hac mortali vita neque fas neque possibile est. Exod. XXXIII. 20. 23. Sed radium quendam Divini splendoris eximium, fortassis elucentem in specie humana, qualem in Christo conspicati sunt Apostoli. Joh. I. 14.

VIII. *Nemo ei par operibus prodigiosis.*

VIII. Et sicuti ipse Jehovam singulari ratione cognovit, ita & a Jehova præ cæteris omnibus cognitus, amatus, multisque præeminentiis donatus fuit. Deut. XXXIV. 10. 11. 12. *Non surrexit Propheta praterea in Israële par Mosi*, אשר ידעו יהוה פנים אל פנים, *quem cognoverit Jehova facie ad faciem. Tum omnibus signis & prodigiis, quæ miserat eum Jehova facturum in terra Ægypti &c. Tum omnibus operibus manus fortis, & omnibus operibus terribilibus maximis, quæ fecit Moses ante oculos totius Israëlis.*

IX. *Doctrina Mosis est norma omnium omni tempore in Ecclesia dicendorum.*

IX. Quæ omnia valide faciunt ad commendandum Mosis ministerium. Ministerium, inquam, cujus vis duratura esset in omnem Ecclesiæ ætatem. Unde non solum, per ultimum Prophetarum Malachiam auctoritatem ejus de novo commendavit Deus. * Cap. IV. 4. *Recordamini legis Mosis servi mei:* sed & Dominus noster Jesus dixit, *si quis Mosen non audiat, eum ne quidem persuasum iri, si quispiam ex mortuis resurrexerit.* Luc. XVI. 31. Et Paulus testatur, eum *fidum fuisse in tota domo Dei*, εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων, *in testimonium eorum quæ post dicenda sunt.* Heb. III. 5. Sic ut omnia quæ in tradenda Testamenti Novi doctrina dicuntur, testimonium in Mose habere debeant, ad Mosis doctrinam examinari, atque ex ea confirmari. Semper illud Jesaiæ obtinet: Cap. VIII. 20. *Ad legem & testimonium: si qui non loquantur in illam sententiam, non erit illis aurora.* Ea omnia quæ quam maxime spiritualia sunt in Evangelio, sunt complementum figuratum Mosis. Et quum Mosaica doctrina figura sit, eo ipso suæ evanescentiæ continet testimonium: sed gloriosa illa evanescentia, amplissima ejus confirmatio est.

X. *Est qui Mosen infra medio-*

X. Quæ observavimus hactenus, eo comparata sunt ut ingentibus de Mose cogitationibus animum nostrum impleant. Uti e con-

* In aliis Bibliorum S. editionibus est Cap. III. 22. sicuti etiam alibi istiusmodi varietas observatur; quod semel heic monuisse suffecerit, ne B. L. suspicetur menda esse, quæ nos diligenter omnia correximus.

contra ad vituperium, opprobrium ac vilipendium illius tendunt, quæ nuper Viro alicui eruditissimo de eo commentari libuit. *Johannes Clericus*, Celebris ille *Bibliothecæ Universalis* compilator, in Libro cui titulum fecit, *Judicia quorundam Theologorum Batavorum super Historia Critica Richardi Simonii*, de multis rebus libere, aperte & γυμνῇ κεφαλῇ animi sui sententiam, quamvis sub aliena quandoque persona, exponit. At pleraque illius cogitata talia sunt, ut demonstrent eum exigua admodum sacrarum literarum reverentia duci. In iis quæ nunc enotanda veniunt hoc est, quod ægre ferat Mosen *consummati Legislatoris* encomio decorari, & indignetur Josephum, infinitosque post eum auctores Christianos, Mosen pro magni animi magnæque sapientiæ viro habere. Quum ex ipso Pentateucho appareat non fuisse eum hominem ingeniosum, magnisque rebus idoneum: quamvis vir honestus fuerit, quique gentem suam tenerrimo prosequebatur affectu. Revera quidem educatus fuit inter sapientes Ægypti, eorumque sapientiam edoctus: verum, inquit, sapientia illa plena erat ridiculis de Divinitate opinionibus, ac mysteriis quæ propius ad affectationem & hypocrisin accedunt, quam veram sapientiam. Ideoque mirum non est, si exigua scientiæ luce præditus fuerit, antequam se ei Deus cognoscendum præberet. *critatem sapuisse contendat.*

XI. Quod porro Scripturæ quibusdam testimoniis confirmatum it. *Quum Deus*, inquit, *de ipso mittendo ageret, rogat Deum de nomine suo*, Exod. III. 13. *quasi plures essent Dii, discretis à se invicem nominibus distinguendi. Sed Ægyptii millenas habebant super Deorum suorum nominibus subtilitates: quorum etiam tunc opinionibus occupatus fortassis Mosis animus erat. Adhæc, ipse Moses tarditatem linguæ, & difficultatem eloquii caussatur, Exod.* IV. 10. *Quod non admodum cum idea perfecti Legislatoris convenit, in cujus cæteris dotibus eloquentiam eximiam esse oportet. Porro* Magnus hic Legislator *non animadvertebat se solum tantæ rerum moli imparem esse, debuitque à socero suo moneri, non rite ipsum neque ordine facere, futurum esse ut succumbat tanto oneri, seque ipsum & populum sibi concreditum perdat.* Exod. XVIII. 17. Addit, *non deesse homines eruditos qui defectibus Mosis annumerent preces illas, quibus à Deo ad gloriæ suæ conspectum admitti petebat,* Exod. XXXIII. 18. *quasi credidisset Deum esse corporeum. Manethos, referente Josepho in primo contra Appionem, in historia sua Ægyptiaca narrat Orum & Armenophin Ægyptiorum Reges, ingenti desiderio videndorum Deorum flagrasse. Fortasse*, inquit Clericus, *eadem cupidine tenebatur Moses.* Nescio an ex *Spinosa* hæc hauserit Doctissimus Criticus. Certe is *XI. Tortis eo quibusdam Scripturæ dictis.*

Discursu suo Theologico-Politico, Cap. 11. p. 26. pugnat *Mosen credidisse, Deum esse visibilem, hoc est, ex parte Divinæ naturæ nullam id implicare contradictionem. Alias enim,* inquit, *nihil simile petiisset.* Vultque Deum respondisse Mosi secundum Mosis imaginationem, quando dicit, *nemo me videbit & vivet. Reddit*, inquit, *rationem opinioni Mosis consentaneam. Non enim dicit, id ex parte naturæ implicare contradictionem, ut res revera se habet; sed id contingere non posse propter humanam imbecillitatem.* Hæc Spinosa. At mihi perinde est, quos nam Clericus per eruditos suos intelligat, quibus hanc considerationem debeat. Non enim animus mihi est ex alienis nominibus cuiquam invidiam creare. Id potius observemus quod invidiam minuit. Pugnat igitur suas hasce observationes, non solum non præjudicare auctoritati Legum Mosaicarum, quippe quam non a Mose sed a Deo habeant; sed & ad eandem confirmandam plurimum facere. *Facilius enim eas à Deo profectas esse credet, qui de simplicitate Mosis* (quam Latini stoliditatem dicerent) *bene persuasus est, quam qui Mosen istiusmodi legibus excogitandis idoneum fuisse arbitratur.*

XII. *At injuriam Mosi facit.*

XII. Digna hæc sunt, quæ paullo accuratiori examine expendantur. In eo quidem Viro eruditissimo consentio consciscoque, auctoritatem Legum Mosaicarum non esse æstimandam ex naturali ingenio Mosis; eaque quæ uti Propheta egit non esse censenda ex ullis qualitatibus personalibus quibus fuerit præditus, sed in universum arcessenda esse a revelatione qua eum dignatus est Deus. Sed id confidenter pronuncio, injuriam vægrandem fieri magno illi supremi numinis amico atque familiari, si tantæ stoliditatis suspicione, citra ullam probabilem rationem, gravetur. Maxime, si stoliditatem illam nondum deposuisse credatur, postquam Deus eum alloquio, missione, & crebris miraculis decorasset, & ministerium ejus Propheticum populo approbasset. Huc enim Clerici argumenta tendunt. Quæ si id non probant, nihil probant. Si autem vera sunt, non procul a vero aberrabit Spinosæ blasphemia, impuro ore tetra hæc verba eructantis: p. 21. PROPHETIAM NUNQUAM PROPHETAS DOCTIORES REDDIDISSE, SED EOS IN SUIS PRÆCONCEPTIS OPINIONIBUS RELIQUISSE; AC PROPTEREA NOS EIS CIRCA RES SPECULATIVAS MINIME TENERI CREDERE.

XIII. *Ab ineunte ætate sapientia Ægyptiorum eruditio.*

XIII. Probabilene est, hominem bene natum, ad maxima negotia obeunda a Deo destinatum, in aula potentissimi Regis magna cura, nec minori spe, eductum, omnem Ægyptiorum, quæ gens cæteras omnes isthac ætate ingenii solertia antecellere credebatur, omnem, inquam, Ægyptiorum sapientiam probe edoctum; tanta

-tanta fuisse stupiditate atque socordia, quantam in eo deprehendere sibi videtur Clericus?

XIV. Non sane ita de eo arbitratus est Stephanus Protomartyr: qui Mosis præclara in populum Israëliticum merita enarraturus, hoc eum in primis nomine laudat, quod a *filia Pharaonis pro filio nutritus, & omni Ægyptiorum sapientia eruditus fuerit.* Act. VII. 21. 22. Quod profecto non dixisset, nisi credidisset Ægyptiorum artibus, prout captus istius seculi erat, magnam naturalis ac civilis Philosophiæ partem comprehensam fuisse. Notanda imprimis occasio est, qua hæc de Mose prædicavit Stephanus. Nimirum quidam ex Synagoga Libertinorum, aliique, altercati cum Stephano fuerant, stiterantque falsos testes, qui dicerent *se audivisse eum loquentem verba blasphema in Mosen & Deum.* Act. VI. 11. Ei calumniæ suam opponit Apologiam, qua ostendit se eximia quæque de Mose sentire. Quum autem plurima de ipso celebranda haberet, hinc incipit, quod *eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum.* Vix potuit ulli genti illustrius sapientiæ encomium dari, quam hoc sermone Stephani datum est Ægyptiis.

XIV. Atque hoc nomine in sacris laudato.

XV. Consentit historia Sacra 1 Reg. IV. 30. Ubi quum incomparabilem Salomonis sapientiam justis elogiis prædicat, dicit, eam *majorem fuisse sapientia omnium Orientalium, &* OMNI SAPIENTIA ÆGYPTIORUM. Quæ nisi insignis admodum eo tempore habita fuisset, absurda ea comparatione Salomonis laudibus detritum foret. Præcipue autem excellere credebantur Ægyptii *sapientia Naturali* & *Civili.* Quod *naturalem* attinet, Macrobius *Ægyptios omnium Philosophiæ disciplinarum parentes* vocat, *quos secutus sit Plato:* Ægyptumque, *Matrem artium.* Alibi *Ægyptiorum retro majores primos omnium cœlum scrutari & metiri ausos fuisse* testatur, invitatos loci oportunitate, quum *perpetua apud se serenitatis obsequia cœlum semper suspectu libero intueri daretur. Civilis* autem sapientiæ famam indicat ea Dei apud Jesaiam comminatio, qua omnem sese sapientiam istam ad insaniam redacturum pronunciat. Jes. XIX. 11. *Enimvero stulti sunt Principes Tzohanis; sapientum & consiliariorum Pharaonis consilium obbrutescet: Quomodo dictatis Pharaoni, Filius sapientum sum?* Hæc tamen omnia non impediunt, quominus sapientia illa Ægyptiorum multa Magicæ superstitionis ineptæque curiositatis mixtura corrupta fuerit. Verum id saltem evincitur, non posse illum pro homine stolido ac stupido censeri, uti tunc erant tempora, qui ab ineunte ætate sapientiam Ægyptiorum edoctus est.

XV. Ægyptiorum sapientia, pro seculorum istorum captu, magni æstimata fuit.

In Somn. Scip. Lib. 1. Cap. XIX. Satur. Lib. 1. Cap. XV. Somn. Scip. Lib. 1 Cap. XXI.

XVI. At

XVI. *At commendabilior fuit Moses rerum Divinarum peritia, etiam ante missionem suam.*

XVI. At Paulus solidiori adhuc fundamento sapientiam Mosis laudat, & quidem in rebus Divinis, multis etiamnum annis ante missionem suam ad Pharaonem; dum in hunc de eo modum disserit. Heb. XI. 24...27. *Per fidem Moses jam grandis renuit vocari filius filiæ Pharaonis. Potius eligens simul malis vexari cum populo Dei, quam temporariam retinere peccati fruitionem. Majores ducens divitias probrum Christi, quam Ægyptiorum thesauros; intuebatur enim in præmii retributionem. Per fidem dereliquit Ægyptum, non metuens excandescentiam Regis: nam ut qui videret eum qui est invisibilis, ita forti animo fuit.* Sapientiæ est, rebus omnibus justum suum pretium statuere, atque ita animum in potestate habere, ut, æstimatione illa semel facta, totum vitæ institutum ad eam componas. Id fecit Moses, grandis factus, id est quadragenarius. Sapientiæ est, Deum cognoscere, & Ecclesiam, & alterius ad alteram relationem. Id cognovit Moses. Sapientiæ, & quidem eximiæ, fuit, isthoc tempore Messiam nosse, & considerare communionem in opprobrio Messiæ. Id consideravit Moses. Sapientiæ est, futuram præmii retributionem tam probe perspectam habere, & tam alte animo infixisse, ut quis illius intuitu maxima quæque sui seculi relicta habeat. Id fecit Moses. Denique sapientiæ est, Deum invisibilem, ita videre oculis fidei piarumque meditationum, ut eo conspectu ad pulcherrima quidem, sed & ardua opera animeris. Ita Deum vidit Moses. Quæ profecto procul absunt ab ea ruditate, cujus eum insimulat Clericus.

XVII. *Nequaquam putavit plures esse Deos, discretis nominibus distinguendos.*

XVII. At quibus argumentis? *Rogat*, inquit, *Deum de nomine suo, quasi plures Dii essent, discretis à se invicem nominibus distinguendi.* Itane vero? An Moses jam octogenarius, ignorabat Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi, verum unicumque Deum esse, qui quadragenarius non Deum solum, & quidem ut Deum populi Israëlitici, sed & Christum, auctore Paulo, cognoscebat? An tanto ignorantior erat reliquo omni populo, qui utique non ignorabant Deum patrum suorum, cujus opem in afflictionibus suis imploraverant? Exod. II. 23. 24. 25. *At quorsum igitur de nomine suo Deum interrogat?* Non profecto ex mera veri Dei ignorantia, neque propter nescio quas subtilitates Ægyptiacas de nominibus Deorum; sed ut certo aliquo & notabili nomine symbolico, quo se Israëlitis commendabilem facere summo numini placeret, facilius se eorum insinuaret animis. Nimirum Deus in apparitionibus priscis nomine aliquo insigni se manifestaverat. Abrahamo dixerat,

Ego

Ego sum Jehova, qui eduxi te ex Ur Chaldæorum. Gen. xv. 7. Iterumque, *ego sum* אל שדי *El schaddai* Gen. xvii. 1. Isaaco, *Ego sum Deus Abrahami patris tui.* Gen. xxvi. 24. Jacobo, *Ego sum Jehova Deus Abrahami patris tui, & Deus Isaaci.* Gen. xxviii. 13. Iterumque, *Ego sum Deus Bethelis* Gen. xxxii. 13. Eadem ratione nunc rogat Moses, ut indicetur sibi notabile aliquid mittentis nomen, quod edere Israëlitis possit, si quidem illud ex se requirant, non contenti appellatione *Dei patrum suorum.*

XVIII. Pergit Clericus: *ipse Moses non dissimulat tarditatem linguæ suæ, & difficultatem eloquii.* At non si demus oratione parum valuisse, idcirco maximarum rerum intelligentia destitutum fuisse consequitur. Non omnes qui sapientia pollent, volubilem ad tinnulum grati sermonis sonum linguam habent. *Atqui*, inquit, *eloquentia in præcipuis Legislatoris dotibus est.* Minus certe quam prudentia, & auctoritas in sapientiæ & probitatis opinione fundata. Multum interest inter Legislatorem, & Oratorem. Et quænam tandem ea eloquentia est quæ potissimum in Legislatore requiritur? Enimvero non tam linguæ promtitudo, quam facultas animi sui sententiam claris, perspicuis & propriis vocibus exponendi. Eam autem Mosi nequaquam defuisse, probat eximie prolixa illa, & ad docendum pariter ac persuadendum aptissima oratio, qua in Deuteronomio populum Israëliticum compellasse legitur. Neque imparatum eum fuisse ab Oratoriæ & Poëtices floribus atque ornamentis, evincunt Cantica illa, affectuosissimo sermone atque elegantissimis verbis composita. Desinant ergo Mosaicarum laudum æmuli, ex corporis vitio, quod ipse agnovit, animi facultates detritum atque imminutum ire.

XVIII. Tarditas linguæ non præjudicat sapientiæ ipsius.

XIX. At ne hic quidem finis est. Magnus, inquit, Legislator *ille non animadvertebat se solum tantæ rerum moli imparem esse.* Non puto me recte facturum nisi succenseam huic scommati *Magni Legislatoris*, ironice in Mosen vibrato; quod ut condonet Deus homini, cum ludibrio de tanto Propheta & amico summi numinis loquenti, ex animo ipsum veneror. Quid tandem audiemus? Illudne sapientiæ Mosis quidquam derogat, quod totos dies juri dicundo vacaverit? Certe nimius hic labor fuit, quam cui solus sufficere possit. At hoc diligentiam arguit, animumque nulli difficultati cedentem: stoliditatem ruditatemve ingenii non arguit. Enimvero qui tot litibus, tam inconditæ multitudinis, dirimendis utilissimam navaverat operam, eum juris & æqui peritissimum esse oportuit. Suadet equidem Jethro ut parceret labori

XIX. Uti diligentia ejus pessimo argumento ad imperitiam trahitur.

ri Moses, multum sibi molestiæ demendo: at non exprobrat ei imperitiam. Econtra quum res maximas difficilimasque ad Mosen referri jubet, eo ipso ostendit quanti prudentiam ipsius æstimet. Dijudicanda quidem fuerunt omnia ex præscripto legum Divinarum: at earum ad singulos casus applicatio non vulgaris judicii acritatem exigit. Nihil hic in Mose culpandum nisi nimia diligentia; quæ ipsa argumentum est animi multarum rerum capacis, & industriæ infatigabilis, donec communi humanitatis sorte imbecillitatis suæ moneatur.

XX. *Neque tam stultus fuit, ut Deum corporeum esse crederet.*

XX. Et quis sine indignatione audiat, *defectibus Mosis annumerari preces illas quibus se ad Dei conspectum admitti petit? quasi exinde concludi possit ipsum credidisse Deum esse corporeum.* Idemne David credidit, quando dixit, *Ego in justitia videbo vultum tuum.* Ps. XVII. 15.? & Ps. LXIII. 3. *Certe in sanctuario vidi te, videns robur tuum, & gloriam tuam?* An Deus stultam eam opinionem Mosis fovit, quando monuit, *posteriora sua visum iri, at faciem videri non posse?* Exod. XXXIII. 23. & quando de Mose testatus est, adspicere eum תמונת אלהים *formam Dei*? quod modo a nobis est expositum. Quid est cur credat Clericus, non potuisse Mosen distinguere inter visionem Divinæ substantiæ uti corporeæ, quæ oculis corporis fiat; inter visionem intellectualem, quæ sola mente peragitur; & inter visionem Dei in extraordinario aliquo & luculentissimo symbolo suæ gloriæ? Cur eam solum a Mose desideratam vult, quæ ab omni sana ratione longissime abludit, quamque absurdam & impossibilem esse, ne Gentilium quidem Philosophi nesciverunt: Hæc ærugo sunt, & succus atræ loliginis. Melius & sincerius de Mose Paulus: Heb. XI. 27. Τὸν γὰρ ἀόρατον ὡς ὁρῶν ἐκαρτέρησε. Atque hanc quidem apologiam famæ Mosis iniquissimis contumeliis læsæ debuisse me arbitror.

CAP. VIII.

An vaticinandi potestas homini naturalis sit?

I. *Tria circa prophetandi facultatem quæsita.* II. *Eam homini naturalem esse, quidam pugnant.* III. *Primo quia memoria præteriti, quæ indubie naturalis est, æque facilis aut difficilis esse videtur, quam prænotio futuri.* IV. *Deinde, quia vaticinatio etiam præteritorum ac præsentium est.* V. *Porro, quia multi morti appropinquantes vaticinati sunt.* VI. *Denique, quia cupiditas futura cognoscendi innata est omnibus.*

nibus. VII. *At contra sciscit sapientum consensus.* VIII. *Adstipulante ratione, & experientia.* IX. X. XI. XII. *Respondetur ad rationes adversas.*

SI ulla Divinarum revelationum ducamur reverentia, dubitandum non est, quin eos iis pro suo arbitrio dignetur Deus, quos vult: neque ullam caussam idoneam adsignari posse, cur hic magis propheta sit quam alius quivis, nisi quia ita Deo libuit. Non tamen hæc res impedit, quo minus quæsitum a Viris eruditissimis sit, I. *An vaticinandi potestas animis hominum sit innata, sic ut non minus facultate aliqua instructi sint, qua præcognoscant futura, quam qua recordentur præteritorum?* II. Id si non obtineat, *an saltem in hujus hominis temperamento, ingenio, atque indole, major dispositio ad prophetiam sit, quam illius?* III. Denique, *an ad propheticum influxum recipiendum ipsi prophetæ se disponere ac præparare non potuerint, debuerintque?* De quibus quæstionibus non abs re erit aliquanto diligentius disputare. *I. Tria circa prophetandi facultatem quæsita.*

II. Ut a prima ordiamur: *Ammonius* apud *Plutarchum* in Libello de *oraculis defitis:* argumentis aliquot pugnat, a natura animæ alienum non esse divinandi munus, hancque facultatem qua futura præsentiat. Ea argumenta fusius exposuit, pressiusque ursit *Petrus Petitus*, Philosophus & Medicus Parisiensis, *De Sibyllis Lib. I. Cap.* VIII. *II. Eam homini naturalem esse, quidam pugnant.*

III Primo quidem sic argumentatur. Quod anima nostra quorundam naturaliter recordatur, hinc patet, posse hanc ea quæ amplius non existunt, sed fuerunt, cognoscere: cur igitur non etiam ea quæ nondum sunt, sed erunt? Et quod discrimen in iis fingi potest, quæ pariter non sunt? Quod enim præteritorum, quæ non sunt amplius, recordemur, ex eo est quod species quædam, sive figuræ rerum, menti naturaliter obversentur, ex quarum combinatione, & combinatarum applicatione ad certum tempus ac seriem, memoriæ ope, redit mens in cognitionem rerum quæ olim gestæ sunt. Eædem autem species perinde ad futura prospicienda inservire possunt. Vix enim fieri potest, ut aliquid posteris seculis accidat ita inusitatum, ut non per eas quas nunc in animo habemus species exprimi possit, modo mens species eas componere norit, ut ex iis apta unius de altero prædicatio atque enunciatio, futuro post eventui congruens, efficiatur. In quo sane est difficultas & labor divinandi futura: at non minor esse videtur in recolendo quæ transacta sunt. Quippe & horum solæ seorsim species in animo remanere videntur, composítio *III. Primo, quia memoria præteriti, quæ indubie naturalis est, æque facilis aut difficilis esse videtur, quam prænotio futuri.*

sitio autem ipsorum pridem cum rerum existentia & sensu evanuit. Quare quum animus sua ipse facultate compositionem illam efficiat, par esse videtur sive facilitas, sive difficultas, revocare eam, quæ in præterito tempore facta est, specierum compositionem, & novam, ex iis quæ sunt in animo phantasmatis, excitare, quæ sit futuro rerum eventui congruens.

IV. Deinde quia vaticinatio etiam præteritorum ac præsentium est.

IV. Fortius stringet hoc argumentum, si consideremus, divinationem, sive, ut Theologi loqui amant, prophetiam, non minus ad præterita & præsentia, quam futura extendi.

- - - *Novit namque omnia vates,*
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Quid igitur præteritorum respectu divinatio a memoria differt? Sane non in rebus ipsis differentia esse videtur; quippe quibus id commune omnibus, ut fuerint. Hoc solum intercedit discrimen, quod plura vates de præteritis & futuris dicunt, quam hominum quivis, quamvis memoria excellens, dum recordatur. Cæterum id discrimen graduum potius quam speciei est.

V. Porro, quia multi morti appropinquantes vaticinati sunt.

V. Tertia ratio ab experientia ducitur multorum, qui morti appropinquantes vaticinantur: cujus rei complura narrantur exempla. Ex quo *Plutarchus* sic arguit: non est verisimile aliquas animam lucrari facultates & proprietates in discessu e corpore, quas antea non haberet: multo verisimilius est, si quam morti vicina ostendat, qua antea non uteretur, habuisse quidem eam sibi innatam, sed obscuratam atque impeditam corporis contagio; quam tunc exserat, quum resolvi incipit, & minus membrorum caducorum, & humorum sarcina premitur.

VI. Denique quia cupiditas futura cognoscendi innata est omnibus.

VI. Quartum argumentum petitur ex innata omnibus cupiditate cognoscendi, quæ sibi eventura sint. Qua cupiditate vix alia vehementior animos incessit. Ex quo intelligi potest, non esse futuri notitiam naturaliter supra hominis captum, sed posse, saltem in nonnullis, expleri naturæ appetitum; alioqui frustra esset; natura autem nihil in cassum facit. Alia prætereo, utpote quæ consideratione nostra vix, aut ne vix quidem, digna sint.

VII. At contra scisscit sapientum consensus.

VII. Cæterum sententia hæc, utut acute defensa, prædamnata sapientum fere omnium calculis est, & rationi adversa, & a fundamentis suis haut difficulter divellitur. Sapientes propemodum omnes uno ore futurorum præscientiam soli Deo vindicant: eorum dico, non quæ ex præsentibus & præteritis ita apta sunt, ut a peritis & prudentibus prævideri possint, sed quæ a libero hominum arbitrio, vel fortuna pendent. Scitum illud *Hesiodi*;

Μάντις

Μάντις δ' ὐδείς ἐςιν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
Ὅςις ἂν εἰδείη Ζηνὸς νόον αἰγιόχοιο.
Vates autem nullus est inter homines terræ incolas,
Qui noverit mentem Jovis Ægiochi.

Unde consequitur, non posse mortalium quemquam futura ejusmodi præscire, nisi ex Divina revelatione. Præclare *Socrates*, apud *Xenophontem Memorabil. Lib.* I. haut procul initio, μηδὲν τῶν τοιούτων οἰομένυς εἶναι δαιμόνιον, ἀλλὰ πάντα τῆς ἀνθρωπίνης γνώμης, δαιμονᾶν ἔφη, *horum omnium si qui nihil ad numen referant, sed universa potius ad hominis consilium, furere dicebat.* Adeoque necesse esse dicebat, *ut quæ hominibus discendo cognita facere dii vellent, discantur*: ἃ δὲ μὴ δῆλα τοῖς ἀνθρώποις ἐςὶ, πειρᾶσθαι διὰ μαντικῆς παρὰ τῶν Θεῶν πυνθάνεσθαι. τὺς Θεὺς γὰρ οἷς ἂν ὦσιν ἵλεῳ σημαίνειν, *quæ vero sunt obscura hominibus, in iis conandum ut per divinationem dii consulantur. Nam significare Deos hæc illis quibus sunt propitii. Celsus Philosophus* apud *Origenem Lib.* VII. eandem veritatem inculcat. Εἴ πως πνεῦμα Θεῖον κατιὸν ἐκ Θεῦ προαγγέλλει τὰ Θεῖα, τῦτ' ἂν εἴη τὸ ταῦτα κηρύτlον, τῦ δὴ πλησθέντες ἄνδρες παλαιοὶ πολλὰ κἀγαθὰ ἤγγειλαν. *Si forte Divinus Spiritus ex Deo descendens, divina prænunciat, nempe Spiritus hæc prædicans is est, quo repleti viri antiqui multa eaque bona annunciarunt. Jamblichus*, magni inter suos nominis Philosophus, egregium opus scripsit de *Mysteriis*, in quo totam fatidicam vim ad unum Deum referendam esse, prolixe contendit. Vide sis *Huet. Demonst. Evang. Axiom.* IV.

VIII. Sed quid plura coacervamus testimonia? quum & ratio & experientia dictet, non inesse menti humanæ eam facultatem, qua futura fortuita & libera per se prænoscere valeat. Eventus enim illi prænosci non possunt nisi ex suis caussis, & caussis quidem simul sumtis, atque in unum effectum conspirantibus. Conjunctio illa caussarum ex natura non est, sed ex libera & arcana constitutione numinis, cui inserviunt humanæ deliberationis consilia, quæ quo casura sint fieri non potest ut cognoscat quisquam nisi qui animos hominum in sua potestate habet: quandoquidem ne de se ipso quidem animus hominis prænoscit, quid multorum deliberationibus implicitus, post rationum hactenus sibi ignotarum examen, constituturus sit. Hoc *Jamblichus* quoque vidit, ita argumentans: *Ergo est impossibile judicare certos eventus, quum omnium caussarum concursum comprehendere nequeamus, nisi per inspirationem Divinam id assequamur.* Breviter: quisquis futurum ejusmodi effectum prænoverit, ex caussis prænoscat necesse est. Caussæ au-

VIII. Adstipulante ratione, & experientia.

autem illæ partim in arcanis Dei consiliis latent, & simul sumtæ infinitæ sunt. Hinc necesse est, futuri præscium & arcana numinis explorata habere, & propter infinitarum caussarum peritiam omnia scire. Atqui neutrum in humanam naturam cadit. *Quis enim hominum novit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in eo? ita etiam ea quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei*, 1 Cor. II. 11. Atque hæc est ratio cur ex futurorum præcognitione Deus ipse Divinitatem suam arguat. Jes. XLI. 21. *& seq. &* XLIV. 6. 7.

IX. Respondetur ad rationes adversas.

IX. Nunc ad contrariæ sententiæ argumenta accedamus, quorum refutatione breviter poterimus defungi. *Primum* quam sit invalidum, ex eo liquet, quod plane diversa ratio præteritorum ac futurorum sit. Præterita enim certum, evidentem & effectu ipso comprobatum nexum habent; quem memoria non minus repræsentat quam simplices rerum præteritarum ideas: virtute quidem mirabili ac stupenda prorsus, cujus rationem subtilissimi Philosophorum non exponant, at quam singuli tamen in nobis ipsis experimur. Futura autem contingentia, nostræ cognitionis respectu, nullum certum nexum habent; sed in earum rerum genere sunt, quæ menti nostræ obversantur, uti quæ æque non fieri ac fieri possunt. Omnis eorum nexus latet in abdito fatorum: quo penetrare mens nostra per sese potis non est. Non esse admodum difficile, in memoriam revocare res quas pridem uti gestas novimus, & quarum nexum dum exstabant cognitum habebamus, docet experientia. Sed ex simplicibus rerum ideis, formare nexum rerum futurarum, qui nexus pendet a serie caussarum impenetrabili, id humanæ menti prorsus ἀνέφικτον est.

X. Ad *Secundum* respondeo, evidentissimum esse discrimen inter præteritorum divinationem, & memoriam. Memoria enim eorum est quæ antea cognita nobis fuerunt. Divinatio est ignotorum. Neque hæc gradu solum aliquo, sed tota specie distinguuntur.

XI. Ad *Tertium*. Nolim negare sæpius esse factum, ut qui morti vicini erant vaticinati fuerint; cæterum id non ex eo procedit, quod facultas antea in anima latens tunc demum vires suas exserere incipiat, sed quod anima tunc corporis vinculis solvere se incipiens, ac numinis communioni propior, magis capax efficiatur eorum quæ puræ menti conveniunt; in quibus est immediatius affici posse a Deo & intelligentiis, novamque eorum munere cognitionis lucem accipere.

XII. Ad *Quartum*. Dubitari merito posset, an cupiditas illa fu-

futura, atque ea præ cæteris quæ sibi eventura sunt, cognoscendi, humanæ menti per naturam indita sit, an vero ex vitiosa curiositate & περιεργίᾳ nascatur; quæ castiganda sit æqua animi submissione sub παιδαγωγίᾳ Dei. Ne utilem quidem nobis hominibus esse futurarum rerum scientiam, eleganter, ut solet, disputat *Cicero, Lib.* II. *de Divinat.* Scilicet

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus.

Malorum a Deo decretorum præsensio accelerat dolores; & futura mala vertit in præsentes miserias. Imo vero mala sæpe plus cruciant metu antequam accidant, quam sensu postquam acciderunt. Solemus enim patientius ferre res adversas, quam dubias: malumusque semel cadere, quam diu pendere. *Unicuique diei sufficit sua miseria.* Matth. VI. 34. Sed demus innatam esse homini cupiditatem cognoscendi quæ sibi futura sunt; non exinde consequitur, illi cupiditati per naturam satisfieri posse. Innatum quoque humanæ menti summi boni æternæque felicitatis desiderium est: ad quam tamen non humanis viribus pervenitur, sed Divina gratia. Neque omni innatæ cupiditati naturaliter satisfieri posse, hoc ipso de quo disputatur exemplo manifestum fit. Supponitur omnibus innatam esse cupiditatem cognoscendi quæ sibi eventura sunt. Nec tamen omnes eam vaticinandi facultatem habere, qua futura cognoscant, neque quenquam præstantissimorum omnia futura sibi prænoscere, fatentur omnes. Ergo in quibusdam saltem ea præsciendi cupiditas sine effectu, atque hactenus frustra est; in omnibus frustra est secundum ea quæ non assequuntur, quantumvis assequi laborent.

CAP. IX.

De Dispositione naturali ad prophetiam.

I. *Dispositio naturalis ad prophetiam quibusdam esse creditur* I. *Præstantia indolis ac mentis.* II. II. *Temperamentum melancholicum.* III. *Pro cujus temperamenti diversitate Prophetias diversificari contendit Spinosa.* IV. III. *Cælum & situs siderum.* V. IV. *Haustus halitus subterranei.* VI. *Ex rei veritate, præstantia mentis multum valet ad accuratiorem rerum Divinarum perceptionem.* VII. *Non tamen idcirco dispositio ad prophetiam est.* VIII. *At nec obest prophetiæ.* IX. *Quod Spinosa calumniatur.* X. *Vis temperamenti melancholici ad profundas meditationes.* XI. *Mi-*

XI. Mira melancholiæ symptomata. XII. Quibus supernaturales causæ se quandoque miscent. XIII. Non tamen idcirco melancholia dispositio ad prophetiam est. XIV. Non liquet Mosen atrabiliarium fuisse. XV. Uti nec Eliam. XVI. Spinosa refutatur. XVII. Positus siderum ad ingenium hominum vim exiguam, ad prophetiam prorsus nullam habet. XVIII. Idem statuendum de haustu halituum ex specubus. XIX. Qui si quid unquam ad prophetiam contulerit, non naturæ id, sed numini aut spiritui alicui imputandum. XX. Ammonii pulcra observatio. XXI. Porphyrius judiciose adscribit malis dæmonibus. XXII. At pleraque hujus rei historiæ vafrorum hominum commenta sunt. XXIII. Ciceronis observatio. XXIV. In antro Delphico ad fraudem comparata fuerunt omnia. XXV. Uti fatentes habemus reos. XXVI. Conclusio.

I. Dispositio naturalis ad Prophetiam quibusdam esse creditur 1. Præstantia indolis ac mentis.

ALtera quæstio est, *an in unius hominis temperamento, ingenio atque indole, major dispositio ad prophetiam sit quam alterius?* Hic lubet nonnullis, affirmativam tuentibus, prolixe admodum philosophari. Quorum philosophemata collegit laudatus modo nobis *Petitus*, de *Sibylla Lib.* I. *Cap.* X. Is PRIMAM naturalium ad prophetiam oportunitatum censet esse, *præstantem mentis indolem ac sublimitatem*, qua qui præditi sunt, sic ad Divinorum contemplationem naturaliter rapiuntur, uti ferrum ad magnetem. Hæc autem propensio non inest nisi iis qui animum naturaliter magnum habent; vim scilicet mentis præstantem, excelsam & luminosam nacti sunt. Quæ quibus singulari naturæ dono tributa est, natura ad prophetiam apti præ aliis omnibus censentur. Lumen quidem propheticum totum a Deo pendere fatetur, sic tamen ut consentaneum sit, magis & congruentius tribui illustribus ingeniis. Qualem quum fuisse indolem *Platonis*, *Pythagoræ*, *Heracliti*, *Parmenidis*, *Anaxagoræ*, *Aristotelis*, & aliorum sapientum, nemo non fateatur; quis tales viros magis ad prophetiam natura aptos esse neget?

II. 11. Temperamentum melancholicum.

II. ALTERUM quod homines quosdam magis affines atque aptos reddit Spiritui illi concipiendo, qui prophetas facit, esse *temperamentum* illud quo plurimum in corpore *atra bilis* congestum est, non solum *Aristotelis* auctoritate & rationibus probat *Petitus*, Cap. XI. sed & exemplis *Mosis* atque *Eliæ*, qui duo Hebrææ gentis maximi omnium Prophetæ exstiterunt, sed & ambo sic in sacris literis depinguntur, ut temperamento & habitu corporis melancholicos fuisse appareat. De *Mose* id colligit, I. Ex amore solitudinis, quo verisimile est impulsum eum fuisse, ut Jethronis

thronis soceri sui oves in campis vir tantus pasceret. II. Ex βαρυγλωσσίᾳ & ἰσχνοφωνίᾳ, sive minus expedito sermone ob linguæ hæsitationem. Quod vitium melancholicis familiare esse, notat Philosophus. III. Ex eo quod quadraginta dies absque cibo permansit incolumis in monte Sinai. Tametsi enim Divina virtute sustentatum fuisse facile credat Petitus; non tamen omnino negandum existimat, quin aliquid fuerit in corpore ejus, quo ad tam longi jejunii patientiam naturaliter juvaretur. Non desunt autem ex naturæ indagatoribus, qui hanc etiam nigri humoris proprietatem putent, ut homines diu sine cibo conservet. Hæc de Mose. *Eliam* etiam insigniter melancholicum fuisse, probat, tum ex moribus ejus, & ὀρειβασίαις, quippe qui in locis ab humano commercio remotis, ignotis scilicet montibus, & juxta torrentes, libenter habitabat; tum etiam ex corporis habitu, quem Auctor Librorum qui *Melachim*, hoc est *Regnorum*, inquit Petitus (debuisset dicere *Regum*) inscripti sunt, in IV. Cap. I. (sive, ut nos solemus numerare, 2 Reg. I. 8.) sic depingit, *Vir pilosus & zona pellicea accinctus renes.* Maxima autem pars melancholicorum tali est corporis habitu.

III. Aliquanto ulterius procedit *Spinosa*, auctor *Discursus Historico-Politici Cap.* II. *pag.* 18. 19. Qui non solum temperamentum hominis plurimum valere vult ad prophetiam generatim consideratam: sed & pro ratione temperamenti varii prophetias variare. *Nempe si propheta erat biliaris, ei revelabantur victoria, pax & qua porro homines ad lætitiam movent. Tales enim similia sæpius imaginari solent. Si contra tristis erat, bella, supplicia, & omnia mala ei revelabantur. Et sic prout propheta erat misericors, blandus, iracundus, severus; eatenus magis aptus erat ad has quam ad illas revelationes.* Quod porro ex Scriptura hoc modo conficit. *Primum*, inquit, *constat ex illo casu Elisæ*, 2 *Reg.* III. 15. *qui, ut Joramo prophetaret, organum petiit, nec Dei mentem percipere potuit, nisi postquam Musica organi delectatus fuit. Tum demum Joramo cum sociis læta prædixit: quod antea contingere nequiit, quia Regi iratus erat. Et qui in aliquem irati sunt, apti quidem sunt ad mala, non vero bona de iisdem imaginandum.* Post pauca pergit: *Ezechieli, pra ira impatienti, miseria & contumacia Judæorum revelata fuerunt.* Ezech. III. 14. *Et Jeremias, mœstissimus, ac magno vitæ tædio captus, calamitates Judæorum prophetavit. Adeo ut Josias eum consulere noluerit, sed fœminam ei contemporaneam: utpote quæ ex ingenio muliebri magis apta erat, ut ei Dei misericordia revelaretur*, 2 Paralip. XXXIV. Sed ad *Petitum* redeo.

III. Pro ejus temperamenti diversitate prophetias diversificari contendit Spinosa.

IV. III. *Cœlum & situs siderum.*

IV. Qui TERTIO ex *cœlo ipso & siderum positu* aliqua descendere autumat, ad hanc de qua agimus functionem oportuna. Cap. XIII. Tametsi enim nullam censeat humani ingenii facultatem ad eam quæ facit vates virtutem pertingere posse; quum tamen Deus, naturæ auctor, & suaviter omnia disponens in universo, vim suam libenter accommodat hominum naturis, atque aliarum rerum quibus utitur; absurdum videri non debet, eundem & siderum viribus & dispositione, cujus & ipse auctor est, uti aliquando, imo sæpius, ad conciliandas sibi hominum mentes, & vaticinio illustrandas; si quidem hujusmodi vim cœlo inesse aliqua probabili ratione ostendatur. Ex astrorum autem dispositione atque influxu, mores hominis configurari, tum & miras naturis hominum singularium innasci proprietates, non infimi subsellii Philosophi fatentur. Si hæc ab astris, cur non & divinatio? Non quidem, ut hanc principalem hujus caussam statuat, cum *Cardano*; sed ut præparationem, cum *Pomponatio*.

V. IV. *Haustus halitus subterranei.*

V. QUARTO, *subterranei quoque halitus haustum* aliis oportunitatibus accensendum credit, quibus mens ad vaticinandum comparatur: & postquam Cap. XIV. ex *Leonico Thomæo* miraculum aliquod narrasset, quod superioribus annis in agro Veronensi, non longe a Benaci lacu Alpes versus, vulgo proditum est contigisse, de vi halitus in templo quod Divæ Mariæ in eo tractu dicatum erat; addit se eo libentius hæc adscripsisse, *ut desinant osores literarum multa ejusmodi quæ in Veterum libris leguntur, illumque specus Delphici halitum, fabulis annumerare.* Tum exponit, qua ratione illa in antris commoratio animum ad vaticinandum disponere potuerit. Nimirum, solitudine ac silentio tenebrisque ipsis animus non parum attolli atque ali videtur. Accedit, quod antrorum horror admirationem atque venerationem in animo excitet. Hinc, ut *Marsilius Ficinus* philosophatur, *Sibyllæ & Pythiæ sacerdotes, quum succederent in Jovis aut Apollinis antrum, ubi numen ipsum adesse credebant, tanto admirationis venerationisque stupore de majestate numinis cogitabant, ut sensus, phantasia, ratioque actus suos ilico prætermitterent. Tunc mens soli exposita numini, sive Deus ille fuerit, sive Dæmon, supernos præsentiebat motus.* Denique quod ad *terræ exspirationem* attinet, neque hæc omnino opinio repudianda Petito videtur, qui nonnullam *speluncis* vim inesse vaticinio oportunam statuit: ea ratione qua succus melancholicus, qui omnium corporis humorum maxime est terreus, siccus, densus, calore concepto homines reddit amentes, & ἐκστατικοὺς, quam proximam esse ad divinan-

vinandum præparationem docet Ariſtoteles. Quod ſi illi humori ineſt ex terræ, quæ in ipſo dominatur, proprietate; quanto magis terræ ipſi ineſſe exiſtimandum eſt? Atque hæc quidem *Petitus*.

VI. Super cujus non ineleganti diſſertatione, dividiæ ne ſit, ſi & nos aliquanto prolixius philoſophemur. Quo mens præſtantiore & ſublimiore intelligendi facultate eſt prædita, eo ipſam quoque aptiorem eſſe ad accuratiorem & profundiorem rerum Divinarum meditationem, nemini ſano poteſt eſſe dubium. Lux enim illa menti indita, multiſque exercitationibus aucta, ad omnia ſe objecta extendit, quibus ſe applicat. Verum uti lucem illam *naturalem* eſſe ſupponimus, ita non niſi *naturalem* rerum Divinarum apprehenſionem gignit; eamque, ſi vis, excellentiſſimam, pro proportione luminis *naturalis*, illiuſque recto uſu. Addo, ſi contingat mentem, tam eximia intelligendi facultate præditam, colluſtrari *lumine Divinæ gratiæ*, quod a *Spiritu regenerante* ac *ſanctificante* eſt, eam multo penitius intrare in cognitionem myſteriorum Dei, quam ſi quis aliquanto hebetior eundem ſpiritualis illuminationis gradum nanciſceretur. Denique nec illud abnuendum arbitror, ſi donum *prophetiæ* concedatur alicui, qui præſtantem mentis indolem magnamque recte cogitandi vim a natura conſecutus eſt, eum viſiones Propheticas diſtinctius animadverſurum, ordinatius animo digeſturum, & copioſius atque ornatius expoſiturum eſſe. Etenim dona gratiæ, ſive ordinariæ, ſive extraordinariæ, non tollunt, neque minuunt, neque impediunt dona naturæ; ſed extollunt potius ad objecta nobiliora, ac ſubliniores circa ea operationes. Ex exemplis quoque patet, Spiritum gratiæ, etiam quando extra ordinem operatur, accommodare ſe tamen indoli miniſtrorum ſuorum; & Jeſaiam, regiæ ſtirpis ac magni ingenii virum, ac Paulum, multa doctrina ſubactum, haut paullo ſublimius de myſteriis, quæ per prophetiam edocti erant, diſſerere; quam Amoſum, vel Petrum. An tamen idcirco ſublimis illa ingenii indoles, diſpoſitio quædam ad prophetiam dici debeat, id enimvero anquiſitu dignum eſt.

VI. Ex rei veritate, præſtantia mentis multum valet ad accuratiorem rerum Divinarum perceptionem.

VII. Mihi ſecus videtur: etenim quum prophetiæ donum ex mera, libera, & liberali Dei gratia dependeat, & ſit extra ordinem rerum naturalium, prorſuſque diverſi ab illis generis, non puto ſagacitatem aliquam naturalem, quantacunque illa ſit, diſpoſitionem ad prophetiam eſſe. Alterutrum enim neceſſe foret, ut id eſſet vel ex *natura rei*, vel ex *conſtitutione* aliqua *Divina*. At neutrum dici poſſe videtur. Non ex natura rei; nam earum re-

VII. Non tamen idcirco diſpoſitio ad prophetiam eſt.

rum una dispositio ad alteram naturaliter est quæ sunt in eodem rerum genere atque ordine, sic ut altera præparatio quædam subjecti ad alterius receptionem sit. Si vero res toto genere distent, una non est dispositio ad alteram. Solertia illa & agilitas quæ in aviculis quibusdam, in simiis, in canibus reperitur, quaque tarditatem boum ac suum longo intervallo superant, non est dispositio ad intellectum humanum. Neque vitæ animalis quantacunque præstantia, dispositio est ad vitam spiritualem; quia res hæ toto genere distant. Ob eandem rationem sagacitas ingenii non est dispositio ad prophetiam; quia illa est in genere rerum naturalium; hæc in genere rerum supernaturalium, & quæ ex libera Dei dispositione pendent. At neque *constitutio* aliqua *Divina* exstat, qua inter ingenii excellentiam & prophetiam nexum fecerit. Non enim verbo illam suo, in quo nullum hujus rei invenitur testimonium, aut factis declarat. Magna *illa* ingenia *Platonis*, *Pythagoræ*, *Democriti*, *Aristotelis*, similiumque, tam præclare, ut Petitus existimat, ad prophetiam disposita, dono illo destituit, quo bubulcos & piscatores dignatus est.

VIII. *At nec obest prophetiæ.*

VIII. Plurimum a *Petito* recedit *Spinosa*: sed ob rationem multo turpiorem. *Prophetæ*, inquit, p. 15. *non fuerunt perfectiore mente præditi, sed potentia vividius imaginandi. De Salomone enim constat, eum sapientia quidem, sed non dono prophetico cæteris excelluisse. Prudentissimi etiam illi, Heman, Darda, Calchol prophetæ non fuerunt; & contra, homines rustici, & extra omnem disciplinam, imo mulierculæ etiam, ut Hagar ancilla Abrahami, dono prophetico fuerunt præditæ.* Quæ eo fine ab impuro homine dicuntur, ut prophetiam omnem infra philosophiæ certitudinem & accurationem deprimat.

IX. *Quod Spinosa calumniatur.*

IX. Sed multa paucis verbis falsa comprehendit. Falsum est, non fuisse in prophetis qui perfectiore quam plurimi mortales mente essent præditi. Pro exemplo sint Moses, Nathan, Jesaias, Daniel, homines sapientissimi. Falsum est, Salomonem non fuisse prophetam. Nam bis saltem apparuit ei Deus. Falsissimum est, & pro tetra habendum calumnia, quod alibi de Salomone scribit p. 27. *Nullum in Veteri Testamento haberi, qui magis secundum rationem de Deo locutus est quam Salomon, qui lumine naturali omnes sui seculi superavit.* Hactenus tolerari potest. Sed blasphemum est quod addit: ET IDEO ETIAM SE SUPRA LEGEM EXISTIMAVIT: NAM EA IIS TANTUM TRADITA EST, QUI RATIONE ET NATURALIS INTELLECTUS DOCUMENTIS CARENT. Credíditne Salomon

non se supra legem esse ob eam rationem quod lumine naturali superaret omnes? An ergo pro figmento, dementia, furore habuit, sapientissimi patris monitum, quo Legis Mosaicæ observantiam moriturus ipsi commendabat, 1 Reg. II. 3. & quidem ut maximam veræ sapientiæ partem? 2 Chron. XXVII. 9. Prov. IV. 4. 5. An Lex iis tantum tradita est, qui ratione & naturalis intellectus documentis carent? An ergo mentitus est Moses, quum dixit: Deut. IV. 6. *Observabitis ergo atque facietis; nam hæc est sapientia vestra, & prudentia vestra, ante oculos populorum: qui audientes omnia statuta ista dicent, tantum gens ista maxima populus sapiens est & prudens?* An mentitus est David, qui postquam de lumine naturali, & cognitione Dei per illud, scite disseruisset, Ps. XIX. de lege Jehovæ ita infit vers. 8. 9. *Doctrina Jehovæ integra est, restituens animam: testimonium Jehovæ verax, sapientiam afferens imperito. Mandata Jehovæ sunt recta, lætificantia animum: præceptum Jehovæ purum, illustrans oculos?* Adeo quidem ut sola meditatione præceptorum, testimoniorum, mandatorum Dei, *omnibus inimicis suis sapientiorem, omnibus doctoribus suis intelligentiorem, senibus denique prudentiorem* factum se esse testetur. Ps. CXIX. 98. 99. 100. An mentitus est ipse Salomon, quum scripsit Prov. VI. 23. *Præceptum est lucerna, & doctrina lux, viaque vitæ correctiones erudientes?* Falsum quoque est, Hemanen non fuisse prophetam. Expresse enim vocatur VIDENS REGIS. 1 Chron. XXV. 5.

X. *Temperamentum* ejusmodi quod plurimum ex *atra bile* trahit, modo illud ne nimium sit, hominem idoneum facere ad profundas, fixas, sublimes meditationes, Physicis ac Medicis, constanter satis asserentibus, facile credo. Neque negaverim, tantam aliquando imaginandi vim in hominibus melancholicis deprehensam esse, qua in ecstasin naturalem acti sint. Eximia, lectuque dignissima est *Hippocratis* ad *Philopœmonem* epistola, qua de Democrito disserit, quem cives sui Abderitæ insanire putabant. Ea epistola exponit Hippocrates, quid possit sapientiæ studium, ubi incidit in eos qui atra bile perciti sunt, qualem se esse Democritus multis indiciis comprobabat. Cæteras animæ cupiditates famulis atque ancillis in domo tumultuantibus comparat; sapientiam heræ, quæ ubi comparuit, mox famuli consternati quiescunt. Ostenditque quanta sit in hujusmodi hominibus animæ potentia; adeo ut perturbationes omnes exesse jubens, sibi soli suisque meditationibus vacet. At ipsa Hippocratis verba exhibeamus. Ὁκόταν ὁ νῦς ὑπὸ τῶν ἔξω φροντίδων κοπιόμενος ἀναπαῦσαι θε-

X. Vis temperamenti melancholici ad profundas meditationes.

λύση τὸ σῶμα, τότε ταχέως εἰς ἡσυχίην μετήλλαξε. ἔιτα ἀναστὰς ὄρθιος ἐν ἑωυτῷ περιεσκόπει κύκλῳ χωρίον ἀληθείας ἐν ᾧ οὐ πατὴρ, οὐ μήτηρ, οὐ γυνὴ, οὐ τέκνα, οὐ κασίγνητος, οὐ συγγενέες, οὐ δμῶες, οὐ τύχη, οὐκ ὅλως οὐδὲν τῶν θόρυβον ἐμποιησάντων. πάντα δὲ ἀποκεκλεισμένα τὰ θαράσσοντα ἔστηκεν ὑπὸ φόβου οὐδὲ πλησιάσαι τολμέοντα, ὑπ᾽ εὐλαβείης τῶν αὐτόθι ἐνοικεόντων. οἰκέουσι δὲ τὸ χωρίον ἐκεῖνο καὶ τέχναι, καὶ ἀρεταὶ παντοῖαι, καὶ δαίμονες, καὶ βουλαὶ, καὶ γνῶμαι. *Quum enim mens ab externis curis vexata corpus reficere voluerit, tunc cito ipsum quieti tradit; deinde recta exsurgens, circumcirca veritatis regionem collustrat, in qua non est pater, non mater, non uxor, non liberi, non frater, non cognati, non famuli, non fortuna, non omnino quidquam ex his quæ tumultum inducunt. Omnia autem perturbantia exclusa sunt præ timore: & neque appropinquare audent præ reverentia eorum quæ istbic habitant. Habitant autem illam regionem, & artes, & virtutes omnis generis,* ET DEI, ET DÆMONES, *& senatus, & consilia.* In hanc regionem Democritum præ sapientia transmigrasse credit: *unde non videns amplius eos qui sunt in urbe,* δοξάζεται μανίης νοῦσον, διὰ τὸ φιλέρημον, *insaniæ morbo laborare putatur, propter solitudinis amorem.*

XI. Mira melancholiæ symptomata.

XI. Melancholiam, si excessu laboret, ea quandoque habere symptomata, quæ rerum naturalium minus peritis, pro divinatione & prophetia habentur, plurimis exemplis probant Medicorum filii: quæ tamen peritiores ex naturalibus caussis arcessunt, quæque, intemperie curata, sua sponte cessant. Integrum & prolixum de hac re caput habet *Mericus Casaubonus* in erudito tractatu de *Enthusiasmo*, lingua Anglicana conscripto,

XII. Quibus supernaturales caussæ se quandoque miscent.

XII. Sed & illud addo: fieri facile posse, ut, Divino indultu, affectibus ejusmodi abutantur Dæmones, qui, ad ludos hominibus faciendos, intemperiem humorum augent, motumque spirituum animalium inordinatius turbant, & ex ægrorum ore vel peregrinas linguas audire faciunt, vel arcana pronunciari, quæ ignota hominibus, ipsis cognita esse possunt. Hæc enim ut vel prorsus contigisse negentur, vel ad naturales cuncta referantur caussas, ab animo meo haut impetravero. Imo nec hoc infiteri velim: si homines pii, & magnam cum Deo familiaritatem exercentes, hoc morbo corripiantur, Spiritu gratiæ in iis pro subjecti constitutione operante, multo vehementiores imaginationes emotionesque in animo nasci; sic ut ipsi se rebus præsentes interesse existiment, & prophetico propemodum more de iis loquantur: plurima de raptibus suis in Paradisum, de consolationum suarum, & Divini amoris ac cœlestis gloriæ dulcedine

dine narrantes, neque ferentes, ut quis morbo quodammodo imputet, quod ipsi Spiritui Sancto in solidum adscribendum esse pugnant. Quæ imaginationis atque orationis vehementia sponte cessat, ubi corporis dispositio ad pristinam tranquillitatem redit.

XIII. Non tamen hæc omnia efficiunt, ut atræ bilis abundantia pro dispositione quadam ad prophetiam habenda sit; partim propter easdem rationes quas modo protulimus contra naturalem ingenii vim indolisque præstantiam: partim ex eo quod animus lætus, hilaris, alacer, haut certe minus recipiendo influxui prophetico idoneus sit, quam tristis & tetricus. Super animum mœstum non residere שכינה aut spiritum propheticum, vulgatum est Hebræorum axioma. Certe non est existimandum Davidem, Hemanem, Asaphum, similesque Musicæ præfectos, odisque celebres, atrabiliarios atque hypochondriacos fuisse. Nec sine caussa vereor, homines profanos, quorum uberrimus hoc ævo proventus est, hypothesibus hujusmodi eo abusuros esse, ut illa quæ de prophetiis dicuntur; nil nisi melancholicorum hominum imaginationes aut deliria esse calumnientur. *XIII. Non tamen idcirco melancholia dispositio ad prophetiam est.*

XIV. Injuriosus suis illis ratiocinationibus in *Mosen* atque *Eliam* Petitus est: & miror Viro Docto tam improbabiles argumentationes excidisse. Ideone atrabiliarius atque ἀπάνθρωπος fuit Moses, quod Jethronis soceri sui oves in campis vir tantus paverit? An vita pastoritia non nisi melancholicorum est? An oves alibi quam in campis pascuntur? An Moses, vitæ aulicæ ab ineunte ætate assuetus, spontanea animi inclinatione pastoritiam prætulit? Nonne ex Ægypto fugere, & latere coactus, ad declinandam Regis iram, apud Jethronem consedit? Ubi quum moraretur, non ex atræ bilis abundantia, sed majorum more, ad pascendas oves se contulit, qua vita vix ulla tranquillior est. Præterea, an quia compertum est melancholicos quosdam βραδυγλώσσυς fuisse, idcirco sermonis tarditas melancholiæ idoneum argumentum est? Nunquid eodem vitio, ex propiore caussa, ii quoque laborant, in quibus aut sanguis, aut pituita prædominatur? Quam absurdum denique est, ne profanum nunc dicam, ea quæ de miraculoso quadraginta dierum jejunio sacra narrat historia, ad atri humoris proprietatem quomodocumque referre? Non fuit profecto necesse, ut qui Divina virtute extra naturæ ordinem sustentabatur, ei ad tam longi jejunii patientiam humorum naturalium qualitas subveniret. *XIV. Non liquet Mosen atrabiliarium fuisse.*

XV. Ejus-

XV. *Uti nec Eliam.* XV. Ejusdem ponderis sunt rationes, quibus *Eliam* melancholicum fuisse pugnat. Nam quod ille in montibus, & juxta torrentes degit, partim ob hominum factum est malitiam, quorum furorem hoc pacto evitavit; partim ex mandato Dei, talem ei habitationis locum assignantis. 1 Reg. XVII. 3. XIX. 3. 4. Dicitur quidem 2 Reg. I. 8. איש בעל שער *Vir pilosus*, proprie *dominus pili*; cæterum an id ad corporis habitum, an ad vestes referendum sit, discrepant Interpretes. Atque hoc sane illo aliquanto videtur esse probabilius. Certum utique est, Prophetas vestem villosam indutui habuisse. Zach. XIII. 4. Et Johannem Baptistam, qui in Spiritu & virtute Eliæ venit, eodem indumenti genere esse usum. Matth. III. 4. Sed & sequentia huc adjungantur, quibus *accinctus* fuisse dicitur *zona pellicea*; quæ scilicet vesti respondebat. At demus Petito: Eliam virum pilosum dictum fuisse propter promissam cæsariem, hirtamque barbam; an quia talis, idcirco melancholicus? Eadem opera id de Esavo, Samsone, Absalomo, & de quibus non? concludatur. Non libet nobis usque eo sagacibus, ne dicam temerariis, atque audacibus esse, in dijudicando temperamento eorum qui ab ætate & convictu nostro tam fuere remoti: nedum ut id faciamus argumentis tam futilibus.

XVI. *Spinosa refutatur.* XVI. Minime omnium *Spinosæ* credimus, pro temperamenti varietate variasse semper prophetias; adeo ut tristibus non nisi tristia, lætis non nisi hilaria revelata sint, iracundis minæ. Moses, omnium mortalium mitissimus, instinctu Divini Spiritus durissimas minas & horrenda carmina populo Israelitico intonavit. Jesaias æque læta ac tristia fata cecinit. Jeremias ille mœstus, non minus felicem reditum ex captivitate Babylonica, quam captivitatem ipsam prædixit. Danieli, quum tristis esset, & jejunus in cilicio & cinere cubaret, lætissimum Messiæ cum omnibus beneficiis suis venturi nuncium tulit Gabriel. Nec pro ratione temperamenti quo præditi vates erant circa eadem objecta variavit revelatio; quasi Josias jucundam Divinæ misericordiæ promissionem a blandæ indolis Prophetissa exspectare maluisset, quam a mœsti ingenii Jeremia. Jeremias super eodem negotio consultus, eadem respondisset quæ Hulda. Quum Divina veritas, quæ semper sibi similis est, de eadem re contraria revelare nequeat. Omnia hæc eo tandem evadunt, ut prophetia omnis nil nisi valida imaginatio esse censeatur, cujus ipsi prophetæ *non habuerint certitudinem nisi moralem*; qua consequenter *decipi aliquando potuere*;

potuere, imo & revera decepti sunt, & de qua unicuique tantum credere licet, quantum rationi suæ consentaneum videbitur. Quæ quidem nos horremus ut ipsissima βάθη τοῦ Σατανᾶ.

XVII. Vim illam quæ ex *cælo* & *siderum positu* ad ingenium & indolem hominum descendit, valde exiguam, ad prophetiam plane nullam esse, persuasissimus sum. Quandoquidem illos qui sub eodem cœli influxu vivunt, diversissimis ingeniis, & contrariis omnino moribus præditos esse docet experientia; quantillum est quod astris debetur? Si vero ad siderum situm in ipso duntaxat nativitatis momento attendendum sit; quæ solida adsignari potest caussa, cur momentanea illa constellatio, momento nativitatis respondens, tantam virtutem imprimat animo, ut alius siderum positus, sæpissime recurrens, ei immutandæ non sufficiat? Si a momento constellationis dispositio temperamenti, indeque morum diversitas dependeat, quoniam temporis alicujus mora requiritur antequam fœtus maternus se ex utero expediat, a quo puncto constellationis efficacia exputanda est? an ab illo quo prodire fœtus incipit? an ab isto quo prodiit integer in dias luminis auras? Sin autem ea quæ circa hoc punctum nativitatis contingit variatio, tanti non est ut mutationem temperiei insignem inducat, qui fit ut gemelli, Esavus & Jacobus, ingenio tam diverso, indole tam contraria sint? At demus, aliquam cœlesti influxui vim circa temperamentum hominis denegandam non esse; quid hoc ad prophetiam attinet? cujus lumen omne non a siderum positu, sed a gratiosa & liberrima lucis supercœlestis radiatione est. *O delirationem incredibilem! non enim omnis error stultitia dicenda est*: exclamat in hac ipsa disputatione *Cicero*.

XVII. Positus siderum ad ingenium hominum vim exiguam, ad prophetiam prorsus nullam habet.

XVIII. Quæ de *subterranei spiritus haustu* instituitur philosophatio, ridicula est, & mihi quidem indigna homine Christiano esse videtur. Hoc verum; solitudinem facere ad fovendam melancholiam, otium solitarium animum replere vanis phantasmatibus, quæ vaga primum, sæpiusque recurrentia, cum tempore figuntur, ut multa sibi tandem persuadeat Eremicola, quæ nullum habent fundamentum nisi in cassis suis imaginationibus. Neque inficior, halitu ex terris, præsertim ex specubus, prodeunte, miris modis affici posse cerebrum. At nulla hinc specie inferri potest quod Petitus contendit; *halitus illos terrestres qui e speluncis copiosius quam ex aliis locis erumpunt, nonnihil latentis energiæ animo insinuare ad expediendas altiorum cogitationum ambages, ac noctem etiam discu-*

XVIII. Idem statuendum de haustu halituum ex specubus.

XV. *Uti nec Eliam.*

XV. Ejusdem ponderis sunt [illegible] que sibi more ineptit *Card*[illegible] licum fuisse pugnat. Nam [illegible] *Cap.* xv. post multarum rerum [illegible] rentes degit, partim [illegible] animam censet *redigi posse in eum splend*[illegible] rum furorem h[illegible] *quibus futura ipsi imprimantur*, cæteris ei habitati[illegible] rejectis, speluncarum ad id oportunitatem [illegible] citur [illegible] *sed nihil certius specubus, in quibus ex hali*[illegible] nus [illegible] *diversæ species vigilantibus observantur, quam su*[illegible] r[illegible]

XIX. *Qui non* [illegible] *tiam con- tulerit,* [illegible] *id, sed numini aut spiritui alicui imputandum.*

XIX. Multo prudentius *Cicero*, vim illam loci, si quæ est, non naturalem, sed Divinam esse notat. *Quid enim*, inquit, *Lib. II. De Divinat. tam Divinum quam afflatus ex terra mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cernat multo ante, sed etiam numero versuque pronunciet? Quando autem ista vis evanuit? An postquam homines minus creduli esse cœperunt?* Et *Dion Cassius*, ubi narrat Neronem, sive iratum Apollini quod ipsi minus grata respondisset, sive alio pacto insanientem, locum unde oracula petebantur delevisse, hominibus ad os ipsum, ex quo halitus ille prodibat, interfectis, afflatum illum vocat ΤΟ ΙΕΡΟΝ ΠΝΕΥΜΑ, SPIRITUM SACRUM.

XX. *Ammonii pulcra observatio.*

XX. Admodum memorabilis est *Ammonii* dissertatio apud *Plutarchum, de def. Orac. pag. mihi* 435. *Si quidem*, inquit, *animi nostri in se habent vim divinandi, quam aëris aliqua aut venti excitet temperies; quid sibi volunt constitutiones Antistitarum? & quod oraculum non editur, nisi hostia tota ab imis talis contremiscat, dum liquor inter libandum ei invergitur, & concutiatur? Hoc nisi fiat, negant oraculum respondere, neque Pythiam introducunt.* Καί τοι θεοῦ μὲν ἢ δαίμονος αἰτίαν τὴν πλείστην ἀναθέντας, εἰκός ἐστι ταῦτα ποιεῖν καὶ νομίζειν, ὡς δὲ σὺ λέγεις οὐκ εἰκός. ἡ γὰρ ἀναθυμίασις ἄντε ποιῆται. τὸ ἱερεῖον, ἄν τε μὴ, παροῦσα ποιῇ τὸν ἐνθουσιασμὸν, καὶ διαθήσει τὴν ψυχὴν ὁμοίως, οὐ τῆς Πυθίας μόνον, ἀλλὰ κἂν τοῦ τυχόντος ἅψηται σώματος. ὅθεν εὔηθές ἐστι τῇ μιᾷ γυναικὶ πρὸς τὰ μαντεῖα χρῆσθαι, καὶ ταύτῃ παρέχειν πράγματα, φυλάττοντας ἁγνὴν διὰ βίου καὶ καθαρεύουσαν. *Atqui certe necesse est, ut hæc quum faciunt, & fieri debere statuunt, diis aut geniis caussam eorum adscribant. Quo tu modo rem explicabas, probabile non est. Vapor enim, sive tremat victima, sive non tremat, ubicunque aderit divinum instinctum incutiet, animumque adficiet: idque non tantum Pythiæ, sed si quodcunque corpus attigerit. Ut ineptum sit una muliere uti ad oracula, eique facessere negotium, ac per omnem vitam castam eam intactamque servare.*

XXI. Sed, ut verum fatear, si quid veri de afflatibus istiusmodi

modi narratur, id ego nullus dubitem ad præstigias malorum dæmonum referre, prava superstitione credulos hominum animos dementantium. Ita de hac re non veteres solum Christiani senserunt, sed & Gentilium sagacissimi. *Porphyrius*, apud *Eusebium de præparatione Evangelica*, multus in eo est. Atque ab *Hecate* & *Serapide* similibusque, oracula proficisci contendit; *neque ab ullis aliis, nisi a malis dæmonibus ea prodire* concedit. *Hecatem* autem & *Serapim* non solum malis dæmonibus annumerat, sed & eorum principes esse vult, sub finem libri quarti. Ubi *Cap.* XXI. hæc ex *Porphyrio* habet *Eusebius*. *Bonorum*, inquit, *vultum mentientes, blandeque multitudinem inflammandis hominum cupiditatibus illicientes, summorum ipsi Deorum loco haberi volunt. Et quidem eos tantum ait versutia potuisse, ut sapientissimos quoque Græcorum, Poëtas & Philosophos, deceperint, quos etiam vulgo errandi caussam exstitisse fatetur. Quin etiam asserit, illorum ex præceptis universam præstigiarum artem esse conflatam. Concluditque*, ὅπως θεοὶ εἶναι βέλονται, δαίμονες ὄντες φαῦλοι. Καὶ ὡς ἡ προεςῶσα αὐτῶν δύναμις δοκεῖ θεὸς εἶναι ὁ μέγιςος. Eosdem, improbi dæmones quum sint, divinitatem affectare, adeoque principem eorum virtutem maximum numen censeri. Quæ omnia Porphyrius in hunc modum exsequitur. Unde etiam negat, ab homine sapiente aut dæmones sollicitatum, aut vates, quales tunc erant, consultum iri: addita hac cedro digna sententia: Αὐτὸς δὲ δι᾽ ἑαυτῦ προσιὼν τῷ θεῷ, ὡς ἐν τοῖς ἀληθινοῖς αὐτῦ σπλάγχνοις ἵδρυται, περὶ τῦ αἰωνίυ βίυ λήψεται τὰς ὑποθήκας, ὅλως ἐκεῖ συῤῥεύσας. Unus ille per se ipsum ad Deum, qui sedem in visceribus suis fixit, ultro accedens, eoque totus confluens, indidem æternæ vitæ præceptiones hauriet. *ibid. Cap.* XIX. Quis tantum boni exspectasset a Porphyrio?

XXI. *Porphyrius judiciose adscribit malis dæmonibus.*

XXII. Ulterius pergo, & profiteor confidenter, me pleraque eorum quæ de halituum istorum vi, atque oraculis inde profectis, narrantur, non tam pro dæmonum præstigiis, quam vafrorum hominum commentis habere. Non succenseo Petito, odioso nomine ut *literarum osores* traducenti, qui multa ejusmodi quæ in veterum libris leguntur, illumque specus Delphici halitum, fabulis annumerant. Per me quidem pro Sibyllinis foliis habeat; modo eadem opera,

XXII. *At pleraque hujus rei historiæ vafrorum hominum commenta sunt.*

Corvos Poetas, & Poetridas picas
Cantare credat Pegaseium melos.

XXIII. Mihi tantum credulitatis domi non est. Ciceronem audiamus, loco quem modo laudavimus, ita loquentem. *Sed jam ad te venio:*

XXIII. *Ciceronis observatio.*

O san-

O sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obsides;
Unde superstitiosa primum sæva evasit vox fera.

Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione sæpissime; partim flexiloquis & obscuris &c. Post pauca: *Demosthenes quidem, qui abhinc annis prope* CCC *fuit, jam tum* φιλιππίζειν *Pythiam dicebat, id est, quasi cum Philippo facere. Hoc autem eo spectabat, ut eam à Philippo corruptam diceret. Quo licet existimare, in aliis quoque oraculis Delphicis aliquid non sinceri fuisse. Sed nescio quomodo isti* PHILOSOPHI SUPERSTITIOSI, ET POENE FANATICI, QUIDVIS MALLE VIDENTUR, QUAM SE NON INEPTOS. *Evanuisse mavultis & exstinctum esse id, quod si unquam fuisset, certe æternum esset, quam ea, quæ non sunt credenda, non credere.*

XXIV. *In antro Delphico ad fraudem comparata fuerunt omnia.*

XXIV. Et sane si quidquam in hoc Delphici specus halitu Divini est, quæ caussa dici potest, *Delphica sedes*
Quod siluit, postquam reges timuere futura,
Et superos vetuere loqui?

Uti eleganter non minus quam emphatice *Lucanus* cecinit *Pharsal. Lib.* v. Et si penitius antrum Delphicum introspiciamus, nonne ita comparata sunt omnia, ut attendentibus fraus facile pelluceat? Oraculum ipsum, narrante *Strabone*, erat cava & profunda specus, aditu non admodum lato: ex ea efferebatur *spiritus furoris Divini efficax*, πνεῦμα ἐνθουσιαστικόν. Idque, ut *Plutarchus* addit, nec sæpe, nec stato tempore, sed incertis utrumque intervallis: tuncque cella illa in qua consultores oraculi sedere jubentur, fragrantia repletur & aura, qualem suavissima & pretiosissima unguenta ex adyto, tanquam ex fonte, effunderent. *De def. Orac. sub fin.* Interim tripodem supra orificium specus situm conscendit Pythia, consultoribus inde remotis; quibus, si singulari indultu propius accedere daretur, visus ita præpeditus fuit per laureas, quibus obsepta erant adyta, nulla ut oculorum acies eo penetrare valuerit. Adde loci obscuritatem, & suffimenta, & cellas subterraneas quas occulte subeuntes homines vafri, Pythiæ auribus quæ vellent inspirare poterant. Ne dicam nunc, Pythiam ipsam commodis ornatam instrumentis partes suas potuisse agere; sic ut per tubam locutoriam vocem intenderet, ut humanis majora sonare videretur.

XXV. *Uti fatentes habemus reos.*

XXV. Sed quid multa collectione opus est? quum confitentes habeamus reos. Illi ipsi pudendorum sacrorum hierophantæ,

tæ, quæ negare amplius non habebant, publico quandoque confessi sunt. Eximia in hanc rem commentatus est *Eusebius*, *capite secundo libri quarti de præparatione Evangelica*; ex quibus hæc paucula lubet decerpere: *Idem tamen totius rei summam caputque facile perspexerit, si ad superiora hoc unum addiderit, jam homines id genus quam plurimos, qui singularem numinis afflatum præ se ferrent, quos isti præcipuos & sacrorum interpretes, & theologos & prophetas haberent, non solum antehac, sed & nuper etiam, nostraque memoria, divinæ hujus sapientiæ nomine clarissimos, quum ad Romana tribunalia rapti essent, quæstionum vi adactos*, τὴν πᾶσαν ἐξεφώνησαν πλανὴν ἀνδρῶν ἀπάταις γενέσθαι, καὶ γοητείαν τετεχνασμένην τὸ πᾶν εἶναι ὁμολογήσαντες, *universum hoc fraudis genus ad homines decipiendos comparatum, totumque negotium præstigias esse arte compositas, fassos fuisse. Atque hi omnem molitionis occultæ rationem, totamque maleficæ artis ludificationem, verbis ipsissimis, quibus rem ante patefecerant, in acta publica retulerunt. Sicque justas exitialis fraudis pœnas luentes, quidquid latebat evulgarunt, quæque nostra oratione produntur, ea rebus ipsis in omnium luce comprobarunt.*

XXVI. I nunc, *Petite*, & literarum osores eos esse dicito, qui fidem suam commentis illis substringere negant. Pudeat tandem nos Christianos, cujus & sagaciores Gentilium puduit, absitque ut halitum afflatumque nescio quem subterraneum statuamus, ea vi præditum qua mentem futurorum præsciam quomodocunque faciat. Facessant igitur dispositiones illæ ad prophetiam, quæ ex tam inefficacibus, vel nullis etiam caussis, profectæ, ipsæ quoque nullæ sunt. XXVI. *Conclusio.*

C A P. X.

De Vera ad Prophetiam præparatione.

I. *Scholæ Prophetarum.* II. *Quarum quæ prima legitur ad collem Dei fuit: fortasse Gibea.* III. *Altera Najothis in Rama.* IV. *Exercitia ibi frequentata.* V. *Continuatio scholarum in regno Israëlis.* VI. *Prophetæ Sabbatis & Festis totum populum docebant.* VII. *Maxime autem discipulos suos præparabant ad munus propheticum.* VIII. *Musicæ sacræ usus.* IX. *Precibus impetrata prophetia.* X. *Ex scholis istis prophetas sibi plerumque selegit Deus.* XI. *Semper tamen pro liberrima sua gratia.*

Nihilne ergo a viris piis fieri oportuit, aut factum revera est, quo animum suum ad Divini Spiritus influxum atque I. *Scholæ Propetarum.*

que afflatum recipiendum disponerent, aut præpararent? Non aliunde id, nisi ex sacra historia, cognosci potest. Ea docemur, ab antiquissimis reipublicæ Israëliticæ temporibus *scholas* fuisse, quibus juventus ad rerum Divinarum peritiam exerceretur.

II. *Quarum quæ prima legitur ad collem Dei fuit: fortasse Gibea.*

II. Harum prima sub *Samuele* mentio est, qui ita Saulem compellasse proditur 1 Sam. x. 5. *Postmodum pervenies ad collem ipsius Dei, ubi sunt stationarii milites Philistæorum, eritque quum ingressus fueris civitatem, ut occurras turbæ prophetarum, descendentium de illo excelso, cum nablio, cum tympano, & tibia, & cithara ante se, qui prophetabunt.* Quis iste *collis Dei*, controversum inter eruditos est. Nonnulli conjectant fuisse apud *Kiriat Jearim*, alii *Gibeam* malunt: atque ita dictum, vel quod Arca ibi tunc temporis esset, vel quod ibi excelsum foret ad sacrificia, vel quod ibi Synagoga esset, & cœtus juvenum exercentium se in iis quæ ad numinis cultum pertinent. Sed & *stationarii milites Philistæorum* ibi erant. Probabile est in conditionibus pacis, nuper Philistæos inter & Hebræos pactæ, hanc quoque fuisse, ut in redditis * Hebræorum urbibus, nominatim in Gibea, præsidium Philistæi haberent. In mediis itaque Philistæis sua hæc exercitia Hebræi frequentabant. Quod utrique genti in laudem cessit. Nam neque Hebræos suorum pudebat sacrorum, ut remissius ea tractarent inter hostes: nec Philistæi illi stationarii quicquam in eos hostile patrasse leguntur. Æquiores hac in parte illis, qui Christianorum nomine non contenti, *Christianissimos* se dici postulant.

III. *Altera Najothis in Rama.*

III. Altera schola erat *Najothis in Rama.* 1 Sam. XIX. 19. *Rama* autem vidétur fuisse patria Samuelis, alias dicta *Ramathaim Tzophim.* 1 Sam. I. I. Sunt qui putant terminationem dualis numeri esse, quia Rama bipartita erat, ut & Jerusalem, in civitatem superiorem & inferiorem: additamque vocem צופים, quæ vertitur *respicientes*, vel quiâ oppida se mutuo respiciebant, vel quia in excelso loco esset (nam & רמה excelsum notat) aut quod inibi ædificata esset turris, unde prospectus in dissita patebat. Alii aliquanto subtilius observant, צופים denotare *speculatores*, eoque nomine insigniri *prophetas.* Ita enim Ezechieli dicit Deus Cap. III. 17. בן אדם צופה נתתיך לבית ישראל, *Fili h minis speculatorem dedi te domui Israëlis.* Unde inferunt urbem hanc a *speculatoribus* nomen accepisse, quia ibi commorabantur *prophetæ*, sive viri arcanarum literarum studiosi. Atque hinc Græcos suos σοφὺς, ac primo Astrologos, dixisse, qui è sublimibus celsisque locis cœli exercitum ac ortus siderum intuebantur, pro indubio habet *Heinsius Exerc. Sacr. Lib.*

Lib. I. *Cap.* II. Mihi omnia hæc non nisi conjecturæ sunt: eruditæ, si vis; sed & addere liceat, eorum hominum qui turpe sibi putant fateri, esse aliquid quod ignorent. Equidem satius arbitror φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. *Najoth* videtur fuisse locus vicinus urbi *Ramæ*, adeoque ad illam pertinens, campus suburbanus, ubi cœtus prophetantium vel ordinariam commorationis suæ sedem habebat, vel quo saltem cum discipulis suis Samuel, aut animi, aut meditationis gratia, solebat secedere. Chaldæus reddit בית אולפנא *domum doctrinæ.*

IV. Exercitia ibi frequentata.

IV. Quidquid sit, erat ibi cœtus prophetarum, ושמואל עומד נצב עליהם, *& Samuel stabat præfectus iis.* Stans docebat, dirigebat eos, & veluti ducebat chorum. Exercitium horum prophetarum potissimum in eo constitit, ut docerentur *sacris odis Deum celebrare*, tam assa voce, quam instrumentis. Id autem multa complectitur. I. Peritiam sacræ Musices, tam vocalis, quam instrumentalis. II. Scientiam rerum, quarum nomine celebrandus Deus est: quo pertinent Dei attributa, virtutes, opera, in universi creatione, sustentatione, ac gubernatione; speciatim providentiæ Divinæ insignia circa Israëlem prodigia, totaque gentis historia, & fidei denique Israëliticæ præcipua dogmata. Hæc enim omnia materia propheticorum hymnorum sunt. III. Ardentem animi erga Deum charitatem, sinceramque devotionem; sine qua friget omnis religiosa musica, nihilque habet quo se commendet Deo. Sic ut scholæ ejusmodi seminaria fuerint sapientiæ, religionis, ac pietatis, ex iisque, uti credibile est, prodierint magni isti viri, Nathan, Gad, Heman, Jeduthun, Asaph, & qui plures eo ævo in ecclesia Israëlitica cæteris præluxerunt.

V. Continuatio scholarum in regno Israëlis.

V. Talia vero collegia, veluti λείψανον aliquod χρυσοῦ γένους, etiam corruptissimis temporibus, non solum in regno *Judæ*, sed & *decem tribuum*, superstites fuerunt. Quod *Eliæ* atque *Elisæi* historia evincit. 2 Reg. II. 3. 5. IV. 38. Atque hinc tanta prophetarum sub *Achabo* copia, ut Obadias solus, vigente persecutione, *centum prophetas absconderet, quinquagenos in quaque spelunca.* 1 Reg. XVIII. 4.

VI. Prophetæ Sabbatis & Festis totum populum docebant.

VI. Solebant autem prophetæ discipulos quidem suos, qui filii prophetarum dicuntur, speciatim informare, sed & festis diebus universum populum, aut saltem qui ex populo ad ipsos confluebant. Sic enim ad Elisæum virum Dei excurrere solebat Synamitis illa, sabbatis & noviluniis. 2 Reg. IV. 22. 23.

VII. Maxime au-

VII. Exercitiis hisce præparabantur discipuli sapientum ad id, ut legem Dei, officia pietatis ac virtutis, totamque adeo Divini

cul-

tem discipulos suos præparabant ad munus propheticum.

cultus rationem, docere Israëlem publice possent, & cum auctoritate insigni vitia privatorum, magnatum, totiusque populi acriter reprehenderent, judicia Dei intonarent, recte facientibus præmia promitterent. Quod qui faciunt, ii prophetico more agentes, prophetæ dici merentur.

VIII. *Musicæ sacræ usus.*

VIII. Neque abnuendum arbitror, quin sacra illa *Musica* præparatus quodammodo animus fuerit, & elevatus ad Divinæ gratiæ influxum recipiendum. Sive existimemus vehementi illa emotione affectuum, quos concitarunt suavesonantia instrumenta, animum veluti sede sua motum, facilius a Deo impulsum esse prophetico spiritu ad extraordinarios etiam corporis motus, in quibus præsentis numinis indicia se pandebant; quod iis accidisse videtur quorum historia exstat 1 Sam. x. 10. & xix. 20. 21. Sive malimus credere, dulci aliqua musica sedatum fuisse animum, eosque affectus compositos, qui lenem illum Divini Spiritus influxum impediunt. Eo enim fine videtur Elisæus psalten poposcisse, qui coram ipso modularetur, ut animum propter impietatem regis, sancte quidem, at fortasse justo vehementius, turbatum, pacaret. 2 Reg. III. 15. Nimirum sanctum aliquod carmen coram se cani voluit, admixtis una precibus & laudibus Dei, quibus tum animi piorum permulcebantur & attollebantur, atque aptiores fiebant ad accipiendam propheticam illustrationem, tum Deus movebatur ad revelandum quid facto opus esset.

IX. *Precibus impetrata prophetia.*

IX. Nam & *preces* prophetarum multum hic valuerunt. Hinc ipse Deus auctor Jeremiæ fuit, ut hac se via aggrederetur. Jer. XXXIII. 3. *Invoca me, & respondebo tibi, ac indicabo tibi magna & abstrusa quæ non cognoscis.* Prospere id Danieli cessit. Dan. II. 18. 19.

X. *Ex scholis istis prophetas sibi plerumque selegit Deus.*

X. Certe exercitia ista pietatis adeo placuerunt Deo, ut multis ex isto cœtu prophetico arcanorum ac futurorum cognitionem indulserit. Nam & filii prophetarum, Bethele & Jerichunte commorantium, sciebant Eliam brevi a Jehova assumtum iri 2 Reg. II. 3. 5. Imo non est absimile vero, Deum ex hoc cœtu plerumque sibi eos delegisse, quos illustri prophetiæ dono dignaretur, & ut voluntatis suæ interpretibus uteretur apud populum. Hinc Amosus, uti rem prorsus insolitam, de se ipso narrat. *Am.* VII. 14. 15. *Non eram Propheta*, unus ex magnis istis viris, qui collegiis istis præerant, aut certe diu interfuerant; *neque filius prophetæ eram*, a puero educatus in scholis propheticis; *sed bubulcus eram, & perquirens sycomora*, non ducens vitam propheticam, sacrarum lite-

literarum studio & segregatione a mundo insignem, *quum assumsit me Jehova à sequendo grege, & edixit mihi Jehova, abi, prophetato apud populum meum Israëlem.*

XI. Cæterum electio ad propheticum munus unice a liberrima Dei dispensatione pendebat; qui solummodo ostendere voluit, qua ratione removenda essent ea quibuscum Sancto suo Spiritui convenire non poterat, & quam grata sibi essent sinceræ pietatis exercitia. Scilicet סוד יהוה ליראיו, *familiare Dei commercium*, atque hinc arcani sui patefactio, *est timentibus ipsum.* Ps. xxv. 14. *XI. Semper tamen pro liberrima sua gratia.*

CAP. XI.

De Agitatione ad prophetandum.

I. *Agitatio ad prophetandum.* II. *Facta vel externo mandato.* III. *Vel interno impulsu.* IV. *Sermo Propheticus quare firmior à Petro dicatur?* V. *Quid dies & phosphorus.* VI. VII. VIII. IX. *Propria resolutio.* X. *Efficacitas Divini actus.* XI. *Unde tanta dictionis propheticæ diversitas?* XII. *Mira quorundam eloquentia.* XIII. *Aliorum sapiens simplicitas.* XIV. *Prophetæ non præcise se verbis certis adstrinxerunt.*

Hactenus de PATEFACTIONE locuti sumus qua Deus mentem suam prophetis indicavit, & de DISPOSITIONE ac præparatione animi ad illius patefactionis receptionem. Nunc de AGITATIONE illa agamus, qua impulsi sunt vates ad ea quæ a Deo didicerant, aliis tradenda. Ea agitatio constitit, partim *expresso mandato*, partim *interno impulsu.* *I. Agitatio ad prophetandum.*

II. *Mandata* frequentissime Prophetis facta sunt, ut ea quæ à Deo audiverant, sine dissimulatione ulla, sine personarum intuitu, ita ut audiverant, fideliter annunciarent. Jes. lviii. 1. *Exclama gutture, nec cohibeto, tanquam buccina extolle vocem tuam.* Jer. i. 17. *Tu itaque accinge lumbos tuos, ut surgens eloquaris apud eos quidquid ego præcepi tibi: ne consternator attritus conspectu istorum, ut non conteram te in conspectu istorum.* Ezech. iii. 2. *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israëlis; ut audias ex ore meo verbum, & admoneas eos à me.* *II. Facta vel externo mandato.*

III. Mandatis ejusmodi quæ ubivis exstant, accessit *internus Spiritus impulsus.* De quo Mich. iii. 8. *Veruntamen ego repletus sum virtute à Spiritu Jehovæ, judicioque & potentia, ad indicandum Jacobo defectionem ipsius, & Israëli peccatum ipsius.* Impulsus tam vali- *III. Vel interno impulsu.*

tem discipulos suos præparabant ad munus propheticum.

cultus rationem, docere Israëlem publice possent, & cum auctoritate insigni vitia privatorum, magnatum, totiusque populi acriter reprehenderent, judicia Dei intonarent, recte facientibus præmia promitterent. Quod qui faciunt, ii prophetico more agentes, prophetæ dici merentur.

VIII. *Musicæ sacræ usus.*

VIII. Neque abnuendum arbitror, quin sacra illa *Musica* præparatus quodammodo animus fuerit, & elevatus ad Divinæ gratiæ influxum recipiendum. Sive existimemus vehementi illa emotione affectuum, quos concitarunt suavesonantia instrumenta, animum veluti sede sua motum, facilius a Deo impulsum esse prophetico spiritu ad extraordinarios etiam corporis motus, in quibus præsentis numinis indicia se pandebant; quod iis accidisse videtur quorum historia exstat 1 Sam. x. 10. & xix. 20. 21. Sive malimus credere, dulci aliqua musica sedatum fuisse animum, eosque affectus compositos, qui lenem illum Divini Spiritus influxum impediunt. Eo enim fine videtur Elisæus psalten poposcisse, qui coram ipso modularetur, ut animum propter impietatem regis, sancte quidem, at fortasse justo vehementius, turbatum, pacaret. 2 Reg. III. 15. Nimirum sanctum aliquod carmen coram se cani voluit, admixtis una precibus & laudibus Dei, quibus tum animi piorum permulcebantur & attollebantur, atque aptiores fiebant ad accipiendam propheticam illustrationem, tum Deus movebatur ad revelandum quid facto opus esset.

IX. *Precibus impetrata prophetia.*

IX. Nam & *preces* prophetarum multum hic valuerunt. Hinc ipse Deus auctor Jeremiæ fuit, ut hac se via aggrederetur. Jer. XXXIII. 3. *Invoca me, & respondebo tibi, ac indicabo tibi magna & abstrusa quæ non cognoscis.* Prospere id Danieli cessit. Dan. II. 18. 19.

X. *Ex scholis istis prophetas sibi plerumque selegit Deus.*

X. Certe exercitia ista pietatis adeo placuerunt Deo, ut multis ex isto cœtu prophetico arcanorum ac futurorum cognitionem indulserit. Nam & filii prophetarum, Bethele & Jerichunte commorantium, sciebant Eliam brevi a Jehova assumtum iri 2 Reg. II. 3. 5. Imo non est absimile vero, Deum ex hoc cœtu plerumque sibi eos delegisse, quos illustri prophetiæ dono dignaretur, & ut voluntatis suæ interpretibus uteretur apud populum. Hinc Amosus, uti rem prorsus insolitam, de se ipso narrat. Am. VII. 14. 15. *Non eram Propheta*, unus ex magnis istis viris, qui collegiis istis præerant, aut certe diu interfuerant; *neque filius prophetæ eram*, a puero educatus in scholis propheticis; *sed bubulcus eram, & perquirens sycomora*, non ducens vitam propheticam, sacrarum lite-

literarum studio & segregatione a mundo insignem, *quum assumsit me Jehova à sequendo grege, & edixit mihi Jehova, abi, prophetato apud populum meum Israëlem.*

XI. Cæterum electio ad propheticum munus unice a liberrima Dei dispensatione pendebat; qui solummodo ostendere voluit, qua ratione removenda essent ea quibuscum Sancto suo Spiritui convenire non poterat, & quam grata sibi essent sinceræ pietatis exercitia. Scilicet סוד יהוה ליראיו, *familiare Dei commercium*, atque hinc arcani sui patefactio, *est timentibus ipsum.* Ps. xxv. 14. *XI. Semper tamen pro liberrima sua gratia.*

C A P. XI.

De Agitatione ad prophetandum.

I. *Agitatio ad prophetandum.* II. *Facta vel externo mandato.* III. *Vel interno impulsu.* IV. *Sermo Propheticus quare firmior à Petro dicatur?* V. *Quid dies & phosphorus.* VI. VII. VIII. IX. *Propria resolutio.* X. *Efficacitas Divini actus.* XI. *Unde tanta dictionis prophetica diversitas?* XII. *Mira quorundam eloquentia.* XIII. *Aliorum sapiens simplicitas.* XIV. *Propheta non præcise se verbis certis adstrinxerunt.*

HActenus de PATEFACTIONE locuti sumus qua Deus mentem suam prophetis indicavit, & de DISPOSITIONE ac præparatione animi ad illius patefactionis receptionem. Nunc de AGITATIONE illa agamus, qua impulsi sunt vates ad ea quæ a Deo didicerant, aliis tradenda. Ea agitatio constitit, partim *expresso mandato*, partim *interno impulsu.* *I. Agitatio ad prophetandum.*

II. *Mandata* frequentissime Prophetis facta sunt, ut ea quæ à Deo audiverant, sine dissimulatione ulla, sine personarum intuitu, ita ut audiverant, fideliter annunciarent. Jes. lviii. 1. *Exclama gutture, nec cohibeto, tanquam buccina extolle vocem tuam.* Jer. i. 17. *Tu itaque accinge lumbos tuos, ut surgens eloquaris apud eos quidquid ego præcepi tibi: ne consternator attritus conspectu istorum, ut non conteram te in conspectu istorum.* Ezech. iii. 2. *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israëlis; ut audias ex ore meo verbum, & admoneas eos à me.* *II. Facta vel externo mandato.*

III. Mandatis ejusmodi quæ ubivis exstant, accessit *internus Spiritus impulsus.* De quo Mich. iii. 8. *Veruntamen ego repletus sum virtute à Spiritu Jehovæ, judicioque & potentia, ad indicandum Jacobo defectionem ipsius, & Israëli peccatum ipsius.* Impulsus tam validus, *III. Vel interno impulsu.*

dus, ut ei resistendo impares Prophetæ fuerint. Jer. XX. 7. 8. *Pellexisti me, Jehova, & pellectus sum; fortior fuisti me, & prævaluisti. Sic dicam, non commemorabo eum, neque loquar amplius in nomine ejus: atqui est in animo meo quasi ignis ardens, inclusus ossibus meis, & defetiscor sustinendo, nec possum amplius.* Quem eleganter comparat Jeremias impetui hominis vino victi. Cap. XXIII. 9. *Sum sicut vir ebrius, & similis viro quem superat vinum, propter Jehovam, & propter verba sanctitatis ejus.*

IV. Sermo propheticus quare firmior à Petro dicatur?

IV. Curate & copiose totum hoc negotium Petrus explicat 2 Pet. I. 19. 20. 21. cujus dicta brevi commentario lubet illustrare. Καὶ ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον. Laudat *sermonem propheticum*, id est, omnem doctrinam a viris Dei in Ecclesia Veteris Testamenti prædicatam, eum & nos *habemus*, per Dei gratiam adhuc superstitem in sacris voluminibus; & quidem βεβαιότερον, vel *firmum*, ut Syrus habet, שׁרירא, vel *firmissimum*, comparativo gradu posito pro superlativo, ut Act. XXV. 10. κάλλιον pro κάλλιστα, vel, quod ego malim quia simplicitati locutionis magis convenit, *firmiorem*. Comparatione facta vel ad antegressa tempora: nunc firmiorem, quia comprobatum dictis ac factis Messiæ, eventuque rerum: vel ad Hebræorum æstimationem, quibus certior erat prophetarum auctoritas, quam relatio Petri, narrantis vocem cœlestem sibi ac comitibus auditam: vel denique ad ipsam vocem cœlestem, quæ, ut ut Divinæ ideoque summæ ἀξιοπιστίας, clam & paucis facta, apud alios pluribus exceptionibus obnoxia videri posset, quam Mosis aliorumque prophetarum testimonia, quibus Deum locutum esse jam a multis seculis constabat. Et certe recepta illa oracula, ordinarium fidei fundamentum & norma sunt: speciales autem istæ revelationes, extraordinaria ὀλιγοπιστίας fulcra. Ideoque in omnibus aliis ad illa semper respiciendum.

V. Quid dies & phosphorus.

V. Ὧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες. Προσέχειν, *attendere*, est mentem avellere ab omnibus aliis rebus, ut illi soli affixam habeamus. Hoc qui faciunt, *faciunt rem pulcram*, laudabilem, jucundam, utilem, homine & Christiano dignam. ὡς λύχνῳ φαίνοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ. נר מצוה ותורה אור *Lucerna est preceptum, & lex lux.* Prov. VI. 23. *Lucens in loco squalido*, fœtido, vitæ & lætitiæ omnis experti, qualia sunt loca clausa, in quæ nullum solis lumen penetrat. Talis locus mundus universus est; tales sunt mentes omnium mortalium, donec luce revelationis supernaturalis illustrentur. Ἕως οὗ ἡμέρα διαυγάσῃ, καὶ φωσφόρος ἀνατείλῃ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν.

ὑμῶν. Quod intelligi poteſt de *die gratiæ*, vel *gloriæ*. Nox olim incubabat Gentiliſmo, & Judaiſmo. Per Evangelium dies affulſit utrique. Rom. XIII. 12. Cant. IV. 6. Is *dies diluceſcit*, toti Eccleſiæ, per apertam Evangelii prædicationem. *Phoſphorus oritur* in cordibus ſingulorum, quando colluſtrantur luce gratiæ Chriſti, ad fidem, ſanctificationem & lætitiam. Chriſtus quidem *ſol* eſt. Hic tamen agit ut *phoſphorus*; pellens tenebras, ſed non omnes, & ſpem faciens lucis pleniſſimæ. Ad hunc uſque diem propheticus ſermo fideles ducit. Matth. XI. 13. Non quod illius uſus poſtmodum deſinat: ſed quod ſuccedat illi doctrina Evangelica, multo illuſtrior atque ſplendidior, quantum auroræ radii faces omnes lucernaſque ſuperant, & ad cujus lucem caligantium oculorum hebetudo prophetico ſermone acuenda fuit. At nec abſurdum eſt ut de *die gloriæ* cogitemus. Cujus promiſſio his verbis concipitur Apoc. II. 28. *Et dabo ei ſtellam matutinam.* Quæ quum vincenti, & opera Chriſti ad finem uſque ſervanti, facta ſit, ad ſequentis vitæ gloriam potiſſimum referenda eſt. Eam nimirum, cujus aurora illuceſcet, diluculo beatæ reſurrectionis, quando ex ſomno mortis experrecti fideles, Chriſtum veluti ſtellam matutinam læti conſpicient, prænunciam inſtantis & incipientis beatæ æternitatis, veræ & conſummatæ diei, cujus nulla erit veſpera. Et ſane tam diu ſqualor aliquis & tenebræ remanent; tam diu nobis prophetici ſermonis uſus eſt; donec ad lumen gloriæ translati, lucerna nulla indigebimus, pleniſſime gaudentes communione illius qui dixit: *Ego ſum ſtirps & progenies illa Davidis, ſtella illa ſplendida & matutina.* Apoc. XXII. 16.

VI. Admonitionem hanc ſuam confirmat Apoſtolus, addita notabili ratione, τοῦτο πρῶτον γινώσκοντες, ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται. Quæ verba referri poſſunt, tam ad primam *prophetiæ originem*, quam ad prophetiæ jam *exſtantis interpretationem*. Ἐπιλύειν reſpondet apud Græcos Veteris Teſtamenti Interpretes voci Hebrææ פתר. Gen. XLI. 12. Ubi in Hebræo eſt, איש כחלומו פתר. LXX. habent, ἀνδρὶ κατὰ τὸ ἐνύπνιον αὐτοῦ ἐπέλυσεν. Agitur ibi de ſomnio quod Joſephus explicavit, laudaturque interpretatio, quæ non ab acumine naturali, ſed a revelatione Divina profecta erat. ἐπίλυσις eſt פתרון, *interpretatio*: ἰδία ἐπίλυσις, eſt *interpretatio noſtræ mentis*, expoſitio cogitationum quas ipſi nobis formavimus. *Nulla vero prophetia eſt propriæ interpretationis.* Prophetæ non ſuæ, ſed Divinæ mentis interpretes ſunt. Non ſua inventa aut commenta, ſed Dei dictata hominibus exponunt. VI. *Propria reſolutio.*

VII. Atque hæc quidem commode hactenus dicuntur; sed nondum omnem vim verborum exhauriunt. פתחון פה, ἐπίλυσις τοῦ στόματος, apertio oris, significat instigationem ad loquendum. Muti sunt vates, & os clausum habent, donec accedat afflatus. Ideo apud Virgilium aliquoties dicuntur iis *ora resolvi*. Et Lycophron in *Cassandra*:

Ἔλυσε χρησμῶν, ὡς πρὶν, αἰόλον στόμα.

Sic prophetia non est propriæ resolutionis, ut suopte instinctu locuti fuerint prophetæ; sed Deus iis resolvit os, Spirituque suo ad loquendnm impulit. Hinc David Ps. LI. 17. אדני שפתי תפתח *Domine labia mea aperi, & os meum indicabit laudem tuam*. Similiter Paulus ἵνα μοι δοθείη λόγος ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματος. Eph. VI. 19. & Christus discipulis suis: Dabo vobis στόμα καὶ σοφίαν. Luc. XXI. 15.

VIII. At ne hoc quidem modo omni vi phrasios satisfactum videtur. Meretur addi quod eruditissime pariter a *Camerone* observatum est: Ἐπίλυσις *missio* reddi potest; uti solutis repagulis, quæ carceres dicunt, cursores in stadio ad cursum erumpebant. Prophetæ autem currere dicuntur, ut tabellarii & cursores Dei. Jer. XXIII. 21. Ezech. XIII. 6. 7. *cucurrerunt & ego non misi eos*. Id Græce dicas: Ἔτρεχον κἀγὼ αὐτοὺς οὐκ ἐπέλυσα. Favent his expositionibus ad primam prophetiæ originem pertinentibus, tam antecedentia, quam consequentia. Paullo ante laudaverat Petrus maximam illam sermonis prophetici firmitatem. Hujus nunc rationem & caussam assignat, quia prophetarum oracula non sint humana commenta, sed Divina mandata. Quod uti hic κατ' ἄρσιν, ita mox κατὰ θέσιν docet.

IX. Non intercedo tamen, quin quæ hactenus exposuimus verba, etiam ad prophetiæ jam *exstantis interpretationem* referantur. Nam prophetia Scripturæ, quæ a Deo profecta est, exponi non debet, secundum humana præjudicia; secundum nescio cujus philosophiæ dictata; secundum unius alicujus aut hominis aut cœtus opinionem, qui dictaturam sibi in religione sacrilego ausu vindicant; secundum cupiditates carnis nostræ ut iis quomodocunque velificemur; secundum ingenii aut indolis nostræ privatæ pertinaciam. Omnia hæc propria interpretatio sunt. Et hoc quoque dignum erat inculcatu, & bene cum antecedentibus cohæret. Laudaverat Petrus eos qui attendunt sermoni prophetico. Nunc docet, quomodo attendendum sit, si lucem veritatis rite cognituri simus. Ita videlicet, ut non nostro hic singuli ingenio quicquam tribuamus, & aliunde hausta in Scripturam

ram inferamus; sed mentem Dei investigemus ex ipsa Scriptura, attenta illius consideratione & collatione, duce eodem Spiritu cujus afflatu scripta est.

X. *Efficacitas Divini actus.* X. *Non enim voluntate hominis lata est unquam prophetia, sed à Spiritu Sancto φερόμενοι acti* (est ea vox hujus rei propria: nam & Græcis tales θεοφόρητοι) *locuti sunt sancti Dei homines.* Actus Divini istius spiritus tanta est efficacitas, ut I. Inspiraverit sanctis ea quæ dicenda haberent. II. Ad dicendum valide impulerit. III. In dicendo tam sapienter ac certo direxerit, ut in mente ejus explicanda ne minimum quidem aberrarent. Adeo ut ipsa quæ proferebant verba pro verbis Spiritus Sancti habenda, & quæ in iis deprehenditur sive simplicitas, sive proprietas, sive vis, omnis denique totius sermonis sapientia, ut a Deo profecta, reverenter nobis suscipienda sint. Hæc enim omnia suis illis verbis Petrus docet: quorum emphasi improbo ausu detrahitur, si minutiora de iis cogitemus.

XI. *Unde tanta dictionis propheticæ diversitas?* XI. Id interim observandum, characterem & genus dicendi quo usi sunt vates θεοφόρητοι, non solum pro rerum, sed & pro loquentium diversitate, valde diversum esse. Alio stilo narrat Jeremias res suo tempore gestas, alio vaticinatur, alio iterum tristia populi sui fata plangit. Et Jesaias cæteros omnes orationis suæ sublimitate plurimum antecellit. Quod non ita concipiendum existimo, quasi Spiritus Sanctus solummodo mentem clara rerum explicandarum perceptione imbuerit, animumque pio affectu instruxerit, ut sibi a Deo patefacta fideliter exponere niteretur; de cætero autem prophetarum industriæ permiserit, ut pro suo quisque genio & ingenio ea exornarent: sic ut res quidem revelatæ a Deo, stilus autem & character sermonis a prophetis sint. Sed & neque hoc puto dictu credituve esse necessarium, ita Spiritum Sanctum singulis singula verba ἐνθουσιασμῷ quodam dictasse, nulla ut prophetæ in iis meditandis & disponendis rationalis opera intercesserit. Unde enim tunc illa stili diversitas pro cujusque prophetæ ingenio atque educatione? Verum ita Spiritum Sanctum cum hominibus rationalibus rationali modo egisse credibile est, ut eorum se accommodans ingenio singulorum naturales qualitates in usum suum adhibuerit, sibique fecerit inservire: adeo quidem ut convenienter suæ indoli loquentes ita directi fuerint a Spiritu ne quid ab ipsius intentione deflecterent. Atque hinc aliter locutus est Jesaias, aliter Ezechiel, uterque tamen ex Deo.

I 3 XII. Lau-

XII. *Mira quorundam eloquentia.* XII. Laudem suam meretur quorundam Sacrorum Scriptorum eloquentia; sed nec minus dignitatis habet aliorum nativa atque incompta simplicitas; utraque pari reverentia, & pietatis affectu suscipienda. *Jesaiæ* eloquentiam eleganter laudavit *Theodorus Bibliander, in Tractatu de Ratione discendi Hebraica. Non neglecta*, inquit, *est ab eis numerosa compositio orationis, ut præter vulgarem consuetudinem multa enunciarint in aurium gratiam. Cujus rei satis certam fidem Jesaiæ voces bellæ, compositæ, & emblemata tessellata Cap.* XXV. *posita facient, quæ sic meas aures demulcent, ut non putem Isocratis tinnullam compositionem majori suavitate blanditam vel delicatissimis Græcis. Quumque cernam artis Rhetoricæ normas, ad quas exigitur compositionis lepor, allusionem & repetitionem vocum, similes exitus, & parilitatem syllabarum, non puto me hic habere Midæ auriculas. Sic enim Clarissimus in eloquio sacro Rhetor locutus est.* ועשה יהוה צבאות לכל העמים בהר הזה משתה שמנים משתה שמרים שמנים ממחים שמרים מזקקים. *Non puto quenquam sic jacenti aure, vel sacræ literaturæ adversum esse, quin fateatur in hoc, & innumeris aliis id genus, Hebraico sermoni etiam suas esse veneres & gratias.*

XIII. *Aliorum sapiens simplicitas.* XIII. Alibi tamen in sacro sermone simplicitas regnat, neque inficiatus est Paulus se esse ἰδιώτην τῷ λόγῳ. 2 Cor. XI. 6. quod certe æque fassi fuissent Petrus & Johannes. Sed non est committendum ut quis ejusmodi professione abutatur. Neque ita versandum est in sacrarum literarum expositione, ut existimemus sapientem inde sensum elici non posse, nisi verba Divinorum scriptorum corrigantur, & venia iis detur incommodæ atque imperitæ locutionis: quasi nos pro nostra dicendi & ratiocinandi peritia alium sermonem substituere valeamus, quo mens Spiritus Sancti melius, dilucidius atque efficacius explicetur quam a viris Dei factum est. Tunc demum quis in assequenda Spiritus Sancti mente rite proficit, ubi deprehendit tam exacte eam quam concipit sententiam istis verbis contineri, commodioribus ut exponi nequeat. Eoque omnis nostra commentatio dirigenda est, non ut verba Domini commutentur nostris, quæ stulte iis meliora esse putemus, sed ut sapientia Divinæ orationis manifesta fiat ad conscientiam. Id si nondum videre nobis contingat, fateamur imperitiam nostram, atque ignorantiam sacri sermonis. Nisi enim funditus subruere velimus Divinam sacrarum literarum auctoritatem, firmiter tenendum est, earum verba verba Dei esse. Dei autem verbis imperitiam adscribere, quæ nostra scilicet correctione indigeat, mera est profanitas & horrenda blasphemia.

XIV. Non

XIV. Non ausim tamen quæ jam dicta sunt hactenus urgere, quasi pro certo statuendum sit, prophetas semper eadem præcise verba, eademque sermonis compositione ad populum retulisse, quomodo ea ex ore Dei audiverant. Contrarium enim inferri posse videtur exemplo Mosis, qui legem quam ex monte Sinai audiverat, paullo aliter recitat in Deuteronomio, ac descripta exstat in Exodo. Sua enim hic quadam libertate utitur, ut voces transponat interdum, quasdam cum idem significantibus commutet, omittat quædam satis nota ex prioribus, addat alia interpretamenti vice: uti conferentibus manifestum fiet. Apostoli etiam atque Evangelistæ sermones Domini Jesu quum recitant, tum quoque quando ipsum directe loquentem introducunt, non iisdem quibus Dominus utuntur verbis; quia non iisdem utuntur inter se. Et quando verba prophetarum ex Veteri Testamento laudant, non iisdem se adstringunt dictionibus. Pertinet hæc observatio eo, ne simus vocularum aucupes, quasi in syllabis Divina consisteret sapientia. Id modo teneatur, quando ut prophetæ loquebantur, instigante Spiritu, semper ita fuisse locutos ut Spiritus eos volebat loqui, semperque mentem Spiritus suo sermone expressisse. *XIV. Prophetæ non præcise se certis verbis adstrinxerunt.*

CAP. XII.

De Patefactione Divinæ voluntatis per Symbola.

I. *Prophetæ quandoque per Symbola voluntatem Dei patefecerunt.* II. *Aliquando & ea adhibere jussi sunt quæ videntur repugnare honestati.* III. *Jesaias nudus obambulavit.* IV. *id est remotis vestibus exterioribus.* V. *Quod sufficiebat ut pro ostento esset.* VI. *Cur in Judæa ita ambulaverit, quum ostentum deberet esse Ægyptiis & Æthiopibus.* VII. *Hoseas an scortum ducere jussus?* VIII. *Non est probabile, id in rei veritate factum.* IX. *Neque legitimo matrimonio sibi junxit mulierem olim fornicatricem.* X. *Nec in visione prophetica visus sibi est cum meretrice jungi.* XI. *Sed cuncta hæc mera sunt parabola.* XII. *Neque hac explicatione vis propheticæ phrasios enervatur.* XIII. *Nomina mulieris & filiorum emblematica eodem ducunt.* XIV. *An Ezechiel revera debuerit uni lateri tot dies incumbere?* XV. *Rationes pro parte negante.* XVI. *Pro ajente.* XVII. XVIII. XIX. *Ἐπίκρισις.*

I. Prophetæ quandoque per Symbola voluntatem Dei patefecerunt.

AT non *verbis* solum voluntatem Dei patefacere jussi sunt Prophetæ, sed & FACTIS quibusdam SYMBOLICIS: ut ea significata altius in spectatorum animos penetraret. In jussus Jeremias est jugum & lora sibi comparare quæ collo inderet, &, per legatos Hierosolymis commorantes, vicinis regibus mitteret; in signum servitutis sub Babyloniæ Monarcha subeundæ. Jer. XXVII. Et Ezechiel jussus obsidionem Hierosolymæ delineare in latere. Ezech. IV. I. & capillitium ac barbam novacula tonsoria demetere, pilosque trutina in tres æquales partiri partes. Cap. V. Et parare sibi instrumenta migrationis, & migrare de die ante oculos Israëlitarum: tum perfodere sibi in muro foramen, & cœca nocte egredi, ut pro ostento esset domui Israëlis. Cap. XII. Et ollam disponere repletam carnibus, sub eaque pyram ossium construere, ut quam plurimum fervefiat, donec consumatur caro, & ossa adurantur. Cap. XXIV. Et quæ id genus alia passim apud Prophetas obvia sunt, quibus insistere prolixum foret.

II. Aliquando & ea adhibere jussi sunt quæ videntur repugnare honestati.

II. Præteriri tamen non potest, ea quandoque Prophetas jussos esse facere, quæ cum communi honestate, ut ne dicam gravitate muneris prophetici, vix conciliari posse videntur, quæ tamen pro ostento esse debuerunt iis ad quos missi sunt. Mirum certe videri queat Dei ad *Jesaiam* edictum Cap. XX. 2. *Abi, & solve istud cilicium à lumbis tuis, & calceamentum tuum extrahe à pede tuo. Et fecit ita Jesaias, incedens nudus, & discalceatus.* Quid? an decorum homini honesto, an dignum viro gravi, an conveniens prophetæ est, nudum se objicere conspectui aliorum, eoque habitu se exhibere in plateis, in foro, in templo? Sunt qui velint, non re ipsa hoc factum esse, sed solum in visione prophetica: uti *Maimonides* & *Kimchius* ex Hebræis, quos ex Christianis etiam aliqui sequuntur. At prolixe contra disputat *Abarbanel*; cujus rationes potiores esse videntur.

III. Jesaias nudus obambulavit.

III. Nam I. non solum exuere se jubetur Jesaias, sed & exuisse narratur. II. Deus hoc Jesaiæ factum monstrat populo in symbolum rei futuræ. vers. 3. *Tum dixit Jehova, quemadmodum incedit servus meus Jesaias nudus & discalceatus, &c.* III. Hac in re populo proponitur, ut מופת, *ostentum*, id est res insolita, quæ præter suetum morem in oculos incurrens, admirationem ciet spectantibus.

IV. Id est remotis vestibus exterioribus.

IV. Quid ergo? Nunquid revera nudus incessit Jesaias? Imo nudus: hoc enim diserte habet sacra historia. Sed non prorsus nudus: ea nuditate quæ verecundiæ obsit. *Deposuit calceos*: in

quo

quo nihil inverecundi. Nam in oriente, in Græcia, in ipsa quoque Italia, nobilibus viris usitatum fuit ita incedere. De ipso *Nerone* memorat *Suetonius*, discalceatum fere ambulasse. *Deposuit cilicium*, sive id intelligas de hirta toga prophetica quam indutui habere consueverat, sive de signo luctus quo deploraverat tristem populi Israëlitici statum: remotisque vestibus exterioribus, solo interiori amictu procedebat in publicum. Quod qui faciunt, *nudi* ambulare dicuntur. Sic apud *Virgilium: Nudus ara, sere nudus*. Germanos *Mela plerumque nudos egisse* scribit. Interpretatur id *Tacitus*, *rejecta veste superiore*. Apud *Xiphilinum* in *Pseudantonino*, quum γυμνὸς positum esset, sequitur σινδόνα διαζώσας. In eandem mentem interpretor, 1 Sam. XIX. 24. ubi narratur Saulem exutis vestibus prophetico more egisse coram Samuele, nudatumque fuisse toto die illo, totaque nocte. Sic & Davidi, qui gestiens coram Jehova saltabat, exprobrat superba Michal, quod *retexerit sese*, positis vestibus regiis, indutus tamen sindone, *ante oculos servorum & ancillarum suarum*. 2 Sam. VI. 20. col. cum vers. 14. Et apud Jobum culpantur, qui *vestes nudis detrahunt*. Job. XXII. 6. Denique Petrum piscaturam *nudum* exercuisse narratur Joh. XXI. 7.

V. Quod sufficiebat ut pro ostento esset.

V. Sufficere potuit ejusmodi depositio vestis exterioris ad significandam nuditatem Ægyptiorum & Æthiopum, quacum in captivitatem & exilium deportandi erant; quia minus in signo esse quam in re significata par est. Imo ne captivis quidem ipsis expectanda fuit omnimoda nuditas. Singulos aliquos omnibus vestibus suis a victore despoliari, nostrorum etiamnum bellorum experientia docet. At quæ integra gens tantam unquam belli asperitatem sensit, ut toto triennio omnis ei amictus denegatus sit? Et sane *ostentum* esse populo Propheta potuit, si longe aliter atque solet, amictus prodiret. Plane nudum conspici, non fuisset מופת, propheticæ gravitati decorum; sed propudium, & convitium factum naturali pudori. Unde concludo, nihil mandatum esse Prophetæ, quod non salva verecundia patrare potuerit.

VI. Cur in Judæa ita ambulaverit, quum ostentum deberet esse Ægyptiis & Æthiopibus.

VI. Cæterum id adhuc expediendum restat; quum tota hæc res *Ægyptios* concernat & *Æthiopes*, quid necesse fuerit Prophetam nudum ambulare in *Judæa*, cujus rei neque *Ægyptii* neque *Æthiopes* vel rumorem fortassis audiverunt? Cur non potius in *Ægyptum* & *Æthiopiam* missus, ut iis pro ostento esset, quibus calamitates suas præsignificabat? Respondeo, rem significatam quidem gentes illas spectasse, at signi utilitatem, totumque vatici-

nium pertinuisse ad Judæos; ut illi convincerentur de Jehovæ Dei sui omniscientia, cunctarumque rerum gubernatrice Providentia; ac discerent non confidere, quod tamen maleconsulti faciebant, gentibus ita humiliandis.

VII. Hoseas an scortum ducere jussus?

VII. Alia illius edicti ratio est, quo Jehova compellavit *Hoseam: Abi, assume tibi uxorem scortum & natos scorti, quum omnino scortetur hæc terra aversata Jehovam.* Cui mandato paruisse Hoseas legitur. *Abiens itaque assumsit Gomeram, filiam Diblaim, quæ concepit & peperit ei filium.* Hos. I. 2. 3. Hic in diversa abeunt Interpretes: aliis existimantibus, *reipsa* hæc gesta esse uti narrantur: aliis, contigisse hæc Hoseæ in *visione Prophetica*, sive vigilanti sive dormienti, sic ut videretur sibi hoc ex mandato Dei facere: aliis, nihil eorum factum esse, sed omnia habere *significationem emblematicam* & mysticam. Ego in tanta varietate opinionum, quæ apud suos singulæ videri possunt auctores, aphorismis quibusdam id exponam, quod si non liquido & indubitate verum, certe vero quam simillimum, & maxime probabile arbitror.

VIII. Non est probabile, id in rei veritate factum.

VIII. I. Id certum existimo, quod Propheta non sit jussus scortari cum scorto, & ex ea procreare filios scortationum, id est natos ex non sua, neque ex vero matrimonio. Id *Thomas* tuetur, putatque prophetam id fecisse sine culpa, quia Deo dispensante: uti Israelitæ sine crimine furtum commisere, & Jesaias nudus incessit, quia Deo jubente. Mihi vero id absurdum videtur. I. Quia scortatio sanctissimæ Dei naturæ, & primævæ matrimonii legi adversatur, ideoque juberi non potest. Israëlitis non est mandatum furtum, sed res Ægyptiorum, ipsis in mercedem laboris debitæ, a Deo supremo Domino, datæ sunt, optimo jure possidendæ. De Jesaiæ nuditate modo disserui. II. Alienum id esset a prophetica dignitate, nihilque magis contemtibilem Hoseam reddidisset populo. III. Adversaretur Dei scopo. Qui erat, acriter reprehendere nefandam populi idololatriam, sub emblemate fœdæ fornicationis. Sed quomodo id fœdum videri posset populo, quod ex Dei jussu faciebat Propheta?

IX. Neque legitimo matrimonio sibi junxit mulierem olim fornicatricem.

IX. II. Non arbitror etiam, Hoseam legitimo matrimonio duxisse mulierem, quæ antea fuerat fornicatrix; sed hoc Prophetæ matrimonio a turpidine isthac vitæ ad saniorem mentem conversa. *I.* Quia id diserte sacerdotibus interdicitur. Lev. XXI. 7. Eadem autem videtur esse prophetarum ratio: sive ut exemplaria populi considerentur, sive ut typi Christi. *II.* Quia repugnat textui. Nam A. Filii ex uxore nunc legitima, licet antea meretrice, suscepti,

cepti, non ſunt *filii ſcortationum*. B. Cap. III. I. Expreſſim jubetur amare mulierem, in adulterio perſeverantem. *Ama mulierem, amatam ab amico, & adulterantem. III.* Repugnat ſcopo. Quomodo enim mulier, per legitimum conjugium ad pudicitiam converſa, repræſentare poteſt Iſraëlem ſpiritualiter fornicantem, inque ea fornicatione hactenus pervicacem?

X. III. Minus abſurde ſentiunt, qui putant in viſione prophetica Hoſeam id juſſum eſſe, & peregiſſe; ut viſus ſit ſibi meretricem ſumere, cum ea jungi, & ex ea liberos fornicationum ſuſcipere. Nam & alia in viſione prophetica, non reipſa facta, ſed populo memorata, ſolum iis in exemplum propoſita eſſe creduntur. Sed tamen nec hoc aſſenſum impetrat. Nam rei in ſe turpis imaginatio etiam honeſta non eſt. Quis credat, Deum ſpeciem ſcorti prophetæ objeciſſe? juſſiſſe ut eam amplexaretur? & prophetam, non reliquiis vitioſæ naturæ, ſed Spiritu Dei excitatum, viſum ſibi eſſe miſceri cum ſcorto? & populo prædicaſſe, id ſibi a Deo eveniſſe? Nonne impiis & ſubſannatoribus data fuiſſet occaſio ridendi, piis autem præbita cauſſa offenſionis?

X. Nec in viſione prophetica viſus ſibi eſt cum meretrice jungi.

XI. IV. Probabiliſſimum videtur, contineri his verbis meram parabolam: hoc ſenſu. Iſti gloriantur, ſe uxorem meam, & filios meos eſſe; tu vero ſuſcipe perſonam meam ac prædica, perinde eos mihi eſſe uxorem ac liberos, ac ſi tu ex impuriſſimo lupanari ſumeres tibi proſtibulum cum ſpuriis ſuis: vel ſi uxor a te ducta, in thorum ſuum conjugalem alios admitteret, & liberos tibi ex fornicatione pareret. Fecitque ita, id eſt prophetiam ſibi imperatam ad populum promte executus eſt. Et ſub parabola fictæ mulieris, emblematicis nominibus propoſitæ, filiorumque quibus itidem emblematica nomina ſunt, voluntatem Dei expoſuit.

XI. Sed cuncta hæc mera ſunt parabola.

XII. Nihil eſt in hac ſententia quod offendat, quod Dei jubentis ſanctitudini, aut prophetæ obſequentis caſtimoniæ conſentaneum non ſit; tota difficultas in eo ſita eſt, an tali expoſitione ſatisfiat vi verborum quibus Propheta in hac narratione utitur. Id nunc conemur oſtendere. Obſervandum itaque eſt, hunc eſſe prophetici ſermonis characterem, ut aliquando jubeantur *facere*, quæ ſolum habent *prædicere*, quæque convenienter ipſorum prædictioni certo eventura ſunt. Jeſaiæ dicit Deus Cap. VI. 10. *Fac ut pingueſcat cor populi iſtius, & aures ejus fac ingraveſcant.* Id exponitur Matth. XIII. 15. & Act. XXVIII. 27. *Craſſum factum eſt cor populi hujus, & auribus graviter audierunt*: ut indicetur, non Jeſaiæ illud factum eſſe opera, ſed a Jeſaia ex vero prædictum. Eadem

XII. Neque hac explicatione vis prophetica phraſios enervatur.

phrasi dicuntur prophetæ *facere*, quod *annunciant*. Sic 1 Reg. XIII. 3. 5. Vir ille Dei qui prophetabat contra altare Betheliticum, dicitur *edidisse prodigium*, quod duntaxat *annunciabat ex verbo Jehovæ*. Et Israëlitæ jubentur *edere benedictionem* in monte Gerizim, & maledictionem in monte Hebal, id est, *pronunciare*. Deut. XI. 29. Ad eundem modum Hoseas dici posset sumsisse sibi uxorem fornicationum, id est, parabolam illam pathetico sermone ita composuisse & repræsentasse populo, ut non minus ad ipsorum convictionem faceret, quam si, quod fieri commode non poterat, res ipsa coram oculis ipsorum patrata fuisset.

XIII. *Nomina mulieris & filiorum emblematica eodem ducunt.*

XIII. Quod attinet nomina mulieris filiorumque ex ea natorum, ea quum prorsus emblematica sint, faciunt ut de parabola potius quam de re gesta cogitemus. Nomen mulieris est *Gomer*, quæ vox & *consummationis* & *consumtionis* significationem habet: & sic dici potuit, sive a consummata sua pulcritudine, sive quod omnibus lenocinii artibus instructa esset; sive etiam brevi tempore destruenda. Et repræsentat Israëlem, multis a Deo beneficiis auctum atque ornatum, at nunc vicinum destructioni. Eadem dicitur esse *filia Diblaim*. *Debela*, significat massam ficuum compressarum, quæ olim in deliciis erant; & *Diblata* nomen est immanis deserti. Ezech. VI. 14. Atque ita notaretur secundum quosdam, caussam luxuriei & consumtionis, sive eversionis, esse voluptates ex omnium rerum abundantia ortas: secundum alios scortum hoc mysticum, Israëlem idololatram, ex deserto, id est mundo, originem habere, inque eum redactum iri statum, qui arido ac siticuloso deserto sit simillimus. Proles ex hac conjunctione nata, similiter posteritatem Israëlis notat, in statu diverso. Prima proles, quæ mascula est, vocatur יזרעאל *Jizreel*, quod est nomen urbis sitæ in ditione decem tribuum, ubi Jehu delevit familiam Achabi, 2 Reg. IX. significatque *dispersionem à Deo forti faciendam*. Est igitur in isthoc nomine typica denunciatio pœnæ, non solum domui Jehu, sed & universo populo infligendæ; cujus nomen gloriosum ישראל *Israël* commutatur nomine ominoso יזרעאל *Jizreel*. Altera proles, fœmella, ætatem posteriorem debilioremque figurans, vocatur לא רחמה *Lo Ruchama*, id est, *non consecutura misericordiam*. Tertia denique, iterum mascula, לא עמי *Lo Ammi*, *non populus meus*, significatione satis evidenti. Quum itaque nomina ista omnia plane sint symbolica, non videtur improbabile, totum hoc negotium in mera repræsentatione potius, quam rei veritate constitisse. Et consequenter nihil jussum esse prophetam, quod repugnat verecundiæ.

XIV. Mi

XIV. Multum etiam disputant Interpretes, qua mente jussus sit *Ezechiel* incumbere lateri suo sinistro, & portare iniquitatem domus Israëlis, trecentos nonaginta dies; dein incumbere lateri suo dextro, ad ferendam iniquitatem domus Judæ, dies quadraginta; ligatus densis funibus, ne verteret se a latere uno in alterum. Interim panem comedens ad mensuram, & aquam ad mensuram bibens. Pro pane habens placentam hordeaceam, paratam stercoribus excrementi humani; cujus tamen loco deprecanti concessa sunt egesta boum. Ezech. IV. 4. & seq. Quæritur an hæc *in visione* duntaxat facta, & narratione populo repræsentata sint, an ea mente jussa ut *reapse* a propheta *præstarentur*? Non desunt utrimque rationes. *XIV. An Ezechiel revera debuerit uni lateri tot dies incumbere?*

XV. Qui *sola visione prophetica* constitisse existimant, ii his pugnant argumentis. I. Si reipsa contigerint, fingendum est miraculum: natura enim non patitur, ut quis tam diu uni incumbat lateri. Exspectandum quoque Prophetæ fuisset, ut suis ipse involutus excrementis, post miseros fœdosque dolores, & horrendum abominandumque Israëli spectaculum, impurissime periret; nisi totam rerum naturam miraculose inversam fuisse credamus. Quale prodigium citra Scripturam asserendum non est. II. Ex supputatione temporis colligi potest, Ezechielem non tot diebus decubuisse. Prima revelatio ei facta est *quinto die mensis quarti anno quinto à deportatione Regis Jojacinis*. Ezech. I. 1. 2. Hæc revelatio ad minimum *septem* diebus fuit *posterior*. Ezech. II. 25. III. 1. Fuit autem *anno sexto, mense sexto, die quinto illius mensis, ut sederet Ezechiel domi suæ, & seniores Judæ sederent coram ipso*. Ezech. VIII. 1. Jam vero a quinto die quarti mensis, quinti anni, usque ad quintum diem sexti mensis sexti anni, intercedunt solummodo dies quadringenti & tredecim; quibus si demantur septem, remanent quadringenti & sex: quum dies cubationis efficiant quadringentos & triginta. III. Prorsus indecorum esse videtur, prophetam obligari ut revera placentam comedat, sive subactam excrementis humanis, sive excoctam ad ea. Credibilene est Deum Optimum Maximumque tam indigne fideles suos servos habere, ut vix indignius haberi potuerint a sævissimis dominis vilissima mancipiorum? *XV. Rationes pro parte negante.*

XVI. Sed nec altera sententia suis destituitur rationibus. Qui eam sectantur, ita instituunt. I. Præceptum quod antecedit, de obsidione Hierosolymæ depingenda in latere, & de sartagine ferrea ponenda loco muri inter prophetam & civitatem istam, non aliam mentem habet quam verba præ se ferunt. Ei præcepto mox subjungitur alterum hoc, sine ulla distinctionis nota, qua aut prophe- *XVI. Pro ajente.*

ta monitus sit, aut lector moneatur, aliter id esse intelligendum; atque hanc esse Domini mentem, ut prius revera præstandum, præstitumque fuerit, alterum non nisi phantasia & imaginatione constiterit. II. Magis urget hæc observatio, si attendatur utrumque præceptum ita sibi innexum fuisse, ut prius ingressum sit exsecutionem posterioris. Nam commate 6. jubetur propheta *faciem suam obfirmare ad obsidionem Hierosolymorum, cum brachio suo denudato.* Nimirum voluit Deus, ut in hoc suo decubitu, laterem in quo obsidionem Hierosolymorum delineaverat, fixe intueretur, pallioque rejecto expeditum brachium exsereret, eos repræsentans qui truci vultu, expeditaque manu Hierosolymam oppugnaturi erant. Si delineatio illa ipso facto absoluta sit, quidni intuitus illius delineationis, & exsertio nudati brachii adversus Hierosolymam delineatam, factis constent? III. Jubetur propheta hæc omnia facere *ante oculos Israëlitarum.* com. 12. non itaque sua solum imaginatione. IV. Jubetur, in suo isto decubitu *prophetare.* 7. non utique verbis: nam agglutinatâ palato linguâ mutus erat. Ergo prophetia hæc factis constabat, quibus pro portento datus erat domui Israëlis. V. Si sola imaginatione peracta fuerint omnia; non videtur tanta caussa fuisse deprecandi, ne placenta ad stercus humanum excoqueretur. Quæ indubie major est, si cibum ita paratum revera ori suo ingerere propheta debuerit.

XVII. ἐπίκρισις. XVII. Mihi, si quid determinandum sit, posteriora hæc argumenta potiora esse videntur. Nec desunt quæ reponantur ad priora. I. Potuit discubitus Prophetæ in uno latere citra miraculum tamdiu continuari. Vidisse se narrant viri eruditissimi, alter nobilem paralyticum, mira patientia supinum jacentem, sexdecim annos integros; alter amentem quendam catena ligatum, nudum in latus idem decumbentem, totos dies noctesque, annis plus quindecim. Durum quidem hoc Ezechieli fuit, & durum esse debuit, ut gravissimos obsidionis labores & molestias populo repræsentaret; sed quid est quod mandati Divini conscientia, & obfirmatus ad patientiam animus non superet? Præsertim si Deus insigni sua gratia & corporis molestiam minuat, atque animum interim demulceat jucundissimis suis consolationibus. Neque supra modum urgendus est rigor hujus prophetici decubitus, quasi vel mandato Divino, vel funibus suis impeditus fuerit Propheta, quo minus naturæ necessitatibus decore satisfaceret. Hoc enim ut supponamus, neque ratio jubet, neque Prophetæ oratio.

XVIII. II. Aliquanto difficilius videtur argumentum, quod a tem-

temporis computatione petitum eſt. Sed gemina eſt evadendi via. Primo non deſunt Interpretes, inter quos eſt Celeberrimus Coccejus, qui contendunt decubitui Prophetæ in univerſum aſſignari dies trecentos & nonaginta, in quibus quadraginta ſint proprii tribui Judæ. *Nam*, inquiunt, *ex verſu nono apparet, totum tempus eſſe trecentorum & nonaginta dierum: quippe per quos paratis cibariis veſciturus erat. Itaque verſu 6. non vertimus*, quum abſolveris hos, decumbes in latus tuum dextrum, *ſed*, & abſolves hos & decumbes, *h. e. ita abſolves hos dies, ut per dies quadraginta decumbas in latus dextrum, & tum brachium denudes & prophetes contra Hieroſolymam. Hi anni trecenti & nonaginta recte putantur a diviſione regni uſque ad captam Hieroſolymam & incenſam.* Hoc ſi ſequamur, ſublata omnis difficultatis ſpecies eſt. Nam inter diem decimum tertium quarti menſis, quinti anni, & diem quintum ſexti menſis ſexti anni, intercedunt aliquanto plures dies quam trecenti & nonaginta. At ſumamus eum dierum numerum qui maximus eſt; addamuſque trecentis & nonaginta diebus alios quadraginta, qui ſimul juncti faciunt quadringentos & triginta: & hi quoque inveniri poſſunt intra duos terminos mox aſſignatos. Modo illud in animum revocemus, ſecundum quemque aut tertium annum apud Hebræos fuiſſe intercalarem, additione integri menſis. Ponamus ergo quod ne ponamus nihil vetat, annum illum quintum cujus mentio eſt Ezech. 1. 2. habuiſſe menſes tredecim; iterum inventus eſt numerus dierum, quibus decumbere juſſus eſt Ezechiel.

XIX. III. Quamvis Deus ſervos ſuos eximio proſequatur amore, & honorantes ſe honoret; id tamen non impedit, quo minus aliquando duri aliquid ipſis præcipiat, in quo aliis pro portento ſint. Iis annumerandum eſt præceptum hoc Ezechieli datum: quod tamen ita interpretandum non eſt, quaſi ſtercus humanum cum maſſa placentæ ſubigi, eive illini debuerit, ut cum ea comederetur; ſed quod placenta ad eam materiam induratam excoquenda fuerit; ut ſignificetur inopia lignorum. Quaſi dixiſſet Deus, tanta erit ligni aliarumque rerum ad vitæ commoditatem neceſſariarum egeſtas, ut ex oleto ignem facturi ſint. Ita comedent cibum ſuum immundum, donec defecti pane & aqua obſtupeſcant ſinguli, & contabeſcant in iniquitate ſua. Et tu, Propheta, hoc iis in anteceſſum repræſentato, tali cibi tui præparatione. Qua in re nihil eſt quod ſubigat nos recedere a ſimplicitate literæ. At fortaſſe juſto prolixius immorati ſumus huic diſputationi.

CAP.

CAP. XIII.

De Scriptione prophetiarum.

I. Prophetæ prophetias suas scribere jussi sunt. II. *Insignis torsio mandati Jesaiæ in hanc rem facti.* III. *Torsionis illius refutatio.* IV. *Habac.* II. 2. *exponitur.* V. *Jeremiæ volumen in Euphrate submersum.* VI. *Scriptio prophetiarum gemina: in tabulis, & in libro.* VII. *Collectio prophetiarum in unum volumen, à quibus facta.*

I. Prophetæ prophetias suas scribere jussi sunt.

QUæ nudo *sermone* prolata auribus illabuntur, facile iterum elabi animo solent: aliquanto infiguntur altius, si sermoni *symbolum* aliquod accedat, oculos quoque feriens. Sed & hujus impressio tempori cedit. Ut igitur oraculorum suorum memoriam multa seculorum successione integram servaret Deus, prudenter ea SCRIPTIS in omne ævum duraturis consignari jussit. Mandata in eam rem expressa exstant; & notiora sunt, quam ut immorari iis necesse sit. Vide Exod. XVII. 14. Deut. XXXI. 19. Jes. XXX. 8. Jer. XXX. 2. XXXVI. 2. 28.

II. Insignis torsio mandati Jesaiæ in hanc rem facti.

II. Insigne admodum illud est quo Jesaiam compellavit Deus Cap. VIII. 1. *Edixit autem Jehova mihi, sume tibi volumen magnum, & scribe in eo stylo humano, pro Maher Schalal Chasbazo.* Quod inmani torsione alio flexit elegantissimus *Huetius Demonstr. Evang. Propos.* VII. *Parag.* XV. Cujus verba non pigebit appingere. *Deus,* inquit, *non* εὐθυῤῥήμονα, *sed* σεμνοπρεπῶς *& verecunde loquentem inducit Propheta,* ἐπὶ τῶν κακεμφάτων καλοῖς ὀνόμασι χρώμενον, *ac translatis verbis & honestis negotium sibi dantem uti uxorem ducat, liberisque cum ea operam det. Maxima enim fuit Ebraicæ linguæ verecundia: adeo ut genitalium partium & rerum propria vocabula nulla habeat, quemadmodum à Maimonide observatum est.* Uxorem *itaque* librum grandem *appellat;* stilum hominis *nominat eam partem, quæ honeste nominari non potest. Jubet* in eo scribere, Velociter spolia detrahe, cito prædare, *hoc est filium cum ea gignere, cui id nominis futurum erat. Paret itaque Isaias Dei mandato: Adhibui mihi, inquit, testes fideles, Uriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ, & accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium.* Hactenus Huetius.

III. Torsionis illius refutatio.

III. Sed quid est ludere in re seria, si hoc non est? Haut immerito laudat Vir Doctissimus Hebrææ linguæ verecundiam. At translata ejusmodi verba, illa mente exposita, nescio quid κακεμφάτων

φαυλότερον ſonant, quam ſi de honeſto ad uxorem acceſſu, ſine circuitione monitus eſſet Propheta. Nonne profecto longe honeſtius eſt dicere, duc uxorem, liberiſque procreandis operam dato, quam translato hujuſmodi ſermone uti qualem hic ſibi fingit Huetius? Laudandus ſupra omnia eſt verecundus animus, qui occaſione verborum ſimplicium, & alia omnia ſignificantium, non facile inducitur ad earum rerum cogitationem quæ honeſte nominari non poſſunt. Si cui noſtrum talis interpretatio excidiſſet; quos non tumultus facerent Eccleſiæ Romanæ paraſiti? novitatem & inverecundiam ejus tragicis exclamationibus differentes. At mihi non lubet his exagitandis inſiſtere. Res ipſa loquitur: *Volumen magnum* notat chartam, ſive membranam, aut tabulam, quam magnam eſſe volebat Deus, ſive ob multitudinem eorum quæ inſcribenda erant, ſive ut eo magis oſtentui eſſet, alicubi de pariete ſuſpenſa. Eam conſcribi vult *ſtilo hominis*; qua phraſi notatur ſcripturæ evidentia, quaſi dixiſſet, tam clare, perſpicue, & apte ad legendum, quam id fieri per hominem poteſt. Huic mandato paruit Jeſaias, quando effecit ut & ſui temporis Judæi, & omnis eorum poſteritas in hunc uſque diem, & nos denique cum ipſis, prophetiam iſtam legamus.

IV. Non abludit edictum Dei ad Habacucum. Cap. II. 2. *Scribe viſionem* ובאר על הלוחות *& explica in tabulis*, למען ירוץ קורא בו, *ut currat legens in ea*. Erudite a Celeberrimo Interprete obſervatum eſt, credibile eſſe quod non minus uſitatum fuerit in populo, ut Prophetæ ſcripta ſua publice proponerent legenda, præſertim domi ſuæ, quam id Pontifices Romani fecerunt. De quibus *Cicero Lib.* II. *de Oratore. Res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus: efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi.* Id & hic Propheta facere jubetur: ſcribere viſionem, explicate, dilucide, in tabulis expoſitam, ut non ſolummodo quivis præterambulans facultatem legendi habeat; ſed & quivis legens currere poſſit, id eſt expedite legere, nullibi propter ſcripturæ difficultatem hærens.

IV. *Habac.* II. 2. *exponitur.*

V. Singulare aliquid id ſcriptum habuit, quo Jeremias excidium Babylonis delineavit. Hoc Seraiæ Principi tradidit, quo tempore cum Zedekia Rege Babylonem ibat. Cui hoc præterea dedit negotium, ut perlecto libro alligaret lapidem, projiceretque librum in medium Euphratem, addito iſthoc carmine: *Sic demergetur Babel, & non ſtabit coram malo, quod ego adduco contra eam, & defetiſcentur.* Jer. LI. 60. *& ſeq.* Projectio in Euphratem,

V. *Jeremiæ volumen in Euphrate ſubmerſum.*

& submersio libri continentis fata Babylonis, symbolum fuit ej modi casus ex quo nunquam surrectura erat Babel. *Grotius* co fert Horatii illud:

> - - - *simul imis saxa renarint*
> *Vadis levata, ut redire sit nefas.*

Monetque id de Phocæorum facto esse adumbratum, qui pa ter, ut hic Seraias, verbis adhibentes signum conspicuum, mos erat illo seculo, laminam plumbeam in mare jecerant. *Ca vinus* aliquanto utilius annotavit, non uni Seraiæ hoc facto co suluisse Prophetam, sed piis omnibus. Quanquam enim h fuerit incognitum longo tempore, tamen postea Princeps confessus est sibi datum fuisse illud mandatum a Jeremia, l brumque a se in Euphratem projectum. *Coccejus* omnium subti lissime, modo non justo subtilius; *Quod*, inquit, *hanc propheti cum lapide conjici in Euphratem voluit, id videtur significare, quod sit ænigmatica, & tanquam in profundum demersa, ita ut suo temp cum veritate ipsa sit proditura in lucem.* Vereor, inquam, ne subtilius sit, quam solidius. Nam quum liber una cum lapid submersus nullo unquam tempore prodire debuerit; non vid quomodo submersione hac prophetiæ in lucem proditio signi cata sit. Minus displicet id quod sequitur. *Aut significatur Babylonem abolitum iri, ut non memoretur amplius, & omnes prophe de ea non curentur, quarum eventus non sit amplius exspectandus, v sa in historiam prophetia.*

VI. Scriptio prophetiarum gemina: in tabulis, & in libro.

VI. Una adhuc restat observatio, hoc loco minime prætere da; nimirum duplici ratione, geminaque fine, scripta a Proph tis oracula sua fuisse; primo *patentibus tabulis*, loco conspicu affigendis, ut postquam prædicata essent, legi publice a quo possent; atque huc pertinet id quod modo ex Habacuco expo suimus: dein *libro*, ut perennarent. Ita Jeremiæ Deus. Ca XXX. 2. *Sic ait Jehova Deus Israëlis, edicendo: scribe tibi omnia v ba, quibus alloqu r te, in libro.* Utrumque simul edicitur Je Cap. XXX. 8. ubi distinctio hæc manifestissima est. *Nunc veni, scribe hoc* TABULÆ *apud eos, &* in LIBRO *exara ipsum; ut sit tempo bus sequentibus, in sempiternum, usque in seculum.* Talis Liber pro pheticus, quia a Deo inspiratus & dictatus, *Liber Jehovæ* nunc patur, Jes. XXXIV. 16. *Quærite ex Libro Jehovæ, & legite, unum his non defuturum est.* Hoc est, ubi tempus illud advenerit, tu in manus sumite volumen prophetiarum, quarum auctor Jehov est,

est, caput hoc legite, cum eventu confligite; & videbitis nihil non impletum esse.

VII. Hactenus quidem ostensum est, quod singulæ prophetiæ, quo tempore prædicatæ, eodem fere jussu Dei conscriptæ sint; sed quando, a quo, & quomodo facta sit prophetiarum a singulis profectarum in unum librum collectio, an ea prophetis coæva, atque ipsis adeo auctoribus attribuenda sit, an vindicanda aliis, non æque liquet. *Calvinus*, mentem suam ita exponit; in *Præfatione ad Jesaiam*. *Huic quæstioni*, inquit, *nullus interpretum, cujus quidem scripta legerim hactenus, respondet. Ego vero, etsi omnino satisfacere vix possum, dicam tamen quod sentio. Posteaquam prophetæ concionem habuerant ad populum, brevem ejus summam colligebant, quam valvis templi affigerent, ut omnibus pateret, & melius innotesceret prophetia. Quæ quum per aliquot dies satis patuisset, auferebatur à ministris templi, atque reponebatur in thesaurum, ut perpetuum ejus rei monumentum exstaret. Hinc confectos esse libros prophetarum verisimile est: idque colligi potest ex secundo capite Abacuc, si quis ipsum rite expendat, atque etiam ex capite octavo Jesaiæ. Imo qui diligenter & cum judicio versati sunt in prophetis, mihi concedent, non semper fuisse quo decebat ordine congestas ipsorum conciones; sed ut ferebat opportunitas inde conflatum fuisse volumen. Singulari autem Dei providentia factum est, ut Sacerdotum opera, quorum officium erat prophetias ad posteros mandare, (quanquam & ipsi sæpe infestissimi essent Prophetis) ad nos usque pervenerint.* Eadem fere repetit *ad Jes.* VIII. 2. & *Jer.* LI. 64. Quam sententiam uti ego nec quoad omnes sui partes certis rationibus comprobare, ita nec validis argumentis convellere habeo. Multa cogimur in talibus ignorare. Prædicemus solummodo Dei providentiam, atque immensæ bonitati ejus gratias agamus gratissimas, quod Divinas suas prophetias, omnes in se Divinitatis notas habentes, ad nostra usque tempora, nostramque instructionem, incolumes servare dignatus sit. Malimusque modum collectionis humiliter nescire, quam temere, citra Divinæ humanæve historiæ ἀξιοπιςίαν, definire.

VII. Collectio prophetiarum in unum volumen, à quibus facta.

CAP. XIV.

An Moses Auctor Pentateuchi.

I. *Pentateuchum à Mose scriptum omnis credidit Antiquitas.* II. *Nunc reclamant Philosophi quidam & Critici.* III. *Hobbesius.* IV. *Fabula*

Praadamitica assertor. V. *Spinosa.* VI. *Simonius.* VII. *Clericus,* qui *Sacerdoti alicui Samaritano eum imputare mavult.* VIII. *At* certe *fuit Moses scriptor celeberrimus.* IX. *Qui leges sibi Divinitus datas conscripsit.* X. *Non eas solum omnes quæ norma probitatis, & regiminis sunt, & in Deuteronomio exstant.* XI. *Sed & ceremoniales sparsas per cæteros libros.* XII. *Imo & prophetias.* XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. *Atque historias.* XIX. *Christus ipse libros in Mosen, & Mosis scripta, vocat.* XX. *Exodum etiam Librum Mosis esse declarat.* XXI. *Jacobus & Paulus totum Pentateuchum Mosis nomine insigniunt.* XXII. *Recapitulatio probatarum thesium.* XXIII. *Clerici exceptio,* XXIV. *convicta prophanitatis.* XXV. *Simonius refutatus.* XXVI. XXVII. *Et Spinosa.* XXVIII. XXIX. *Et Clericus.* XXX. *Allocutio ad eos omnes.* XXXI. *Non est diffitendum pauca in Pentateucho exstare, quæ sint à seriore manu.* XXXII. *Talia ex sua mente multa collegit Clericus.* XXXIII. *Examinatur Gen.* II. 11. 12. XXXIV. *Gen.* X. 8. 11. XXXV. *Gen.* XI. 18. 31. XXXVI. *Gen.* XII. 6. XXXVII. *Gen.* XIV. 14. XXXVIII. *Gen.* XXXV. 31. XXXIX. *Gen.* XXXVI. 31. XL. *Gen.* XXXVII. 14. XLI. *Gen.* XL. 15. XLII. *Exod.* VI. 25. 26. XLIII. *Vox Nabi usitata ante tempora Mosis.* XLIV. *Exod.* XVI. 35. XLV. *Exod.* XVI, 36. XLVI. *Deut.* I. 1. XLVII. *Deut.* III. 14. XLVIII. *Conclusio.*

I. Pentateuchum à Mose scriptum omnis credit Antiquitas.

CUm eo nunc nos deduxerit oratio, ut de impulsu Spiritus Sancti loqueremur, quo Prophetæ ad Oracula in scriptis consignanda excitati sunt; quumque Moses Prophetarum princeps sit; illiusque doctrina norma eorum omnium quæ omni tempore dicenda & audienda sunt in Ecclesia Dei: hinc operæ esse videtur, ut de ejus præcipue scriptis agamus. Quod eo nunc magis est necessarium, quod videamus Viros eruditionis nomine inclutos, & qui se præ cæteris solidæ Philosophiæ & sacræ Critices peritos esse postulant, longe nunc aliter de iis judicare ac scribere, atque omnis hactenus fecit antiquitas. Recepta in hunc usque diem tam Hebræorum quam Christianorum sententia est, Mosen a Deo jussum atque instigatum eorum esse librorum auctorem, qui, Pentateuchi titulo celebres, illius nomine circumferuntur; si pauca fortassis excipias, quæ a seriore, attamen Divinitus directa manu sunt, & melioris intellectionis ergo paululum interpolata.

II. Nunc reclamant Philosophi

II. Nunc id convellendum sibi emunctæ naris Philosophi ac Critici sumserunt, qui in eo præcipuam gloriæ suæ partem constituunt,

stituunt, quod in turba communem viam euntium, etiam doctissimorum ac piissimorum hominum, non conspiciantur. *quidam & Critici.*

III. HOBBESIUS in suo *Leviathane Part.* III. *Cap.* XXXIII. Mosis libros non ab *Auctore*, sed ab *objecto* sic dictos contendit, *non quod à Mose conscripti sint, sed quod de Mose agant:* quamvis fateatur FIERI POSSE UT EA SCRIPSERIT, QUÆ HIS LIBRIS AB EO SCRIPTA ESSE NARRANTUR, *nimirum Librum Legis, qui, uti videtur, continetur Cap.* XI. *Deut. usque ad Cap.* XXVII. *III. Hobbesius.*

IV. PRÆADAMITARUM famosus assertor, periisse eos libros vult, quos Moses ipse conscripserat, quibusque fuse enarraverat Judæorum suorum fastos, a prima origine, & Adamo sanguinis Judaici auctore, ad sua usque tempora, tum etiam rerum omnium genesin ante Adamum conditum; eorumque nunc non nisi excerpta quædam, & schediasmata tumultuaria superesse. *Systema Præadam. Lib.* IV. *Cap.* I. *IV. Fabula Præadamitica assertor.*

V. SPINOSA, auctor *Tractatus Historico-Politici*, *Cap.* VIII. fatetur quidem omnes fere credidisse Mosen Pentateuchi scriptorem esse, & Aben-Ezram, quem laudat ut liberioris ingenii virum, & non mediocris eruditionis, primum quos legit omnium esse, qui præjudicium hoc animadverterit, neque tamen ausus fuerit mentem suam aperte explicare: & non veretur palam profiteri se sententiam fovere a recepta valde diversam. Contendit igitur, omnes quos in sacro codice invenimus libros historicos, res ante Ezræ ætatem gestas narrantes, unum habere auctorem, quem Ezram fuisse suspicatur. Deuteronomium vero primum eorum librorum esse conjicit qui ab Ezra conscripti sint: partim quia leges patriæ continet, quibus populus maxime indigebat, partim quia iste liber nulla conjunctione antecedenti alicui annectitur, ut reliqui omnes, sed soluta oratione incipit, *hæc sunt verba Mosis.* Deinde Ezram studium adhibuisse credit ad integram historiam Hebrææ nationis describendam, a mundo scilicet condito usque ad summam urbis vastationem, cui librum Deuteronomii suo loco inseruerit. Addit Spinosa, *forte Ezram primos quinque libros suos nomine Mosis vocavisse, quia in iis præcipue ejus vita continetur, nomine desumto à parte potiori.* At Cap. IX. contendit Ezram illis narrationibus ultimam manum non imposuisse: NEQUE ALIUD FECISSE QUAM HISTORIAS EX DIVERSIS SCRIPTORIBUS COLLIGERE, ET QUANDOQUE NON NISI SIMPLICITER DESCRIBERE; ATQUE EAS NONDUM EXAMINATAS, NEQUE ORDINATAS POSTERIS RELIQUISSE: DENIQUE OMNIA HÆC PROMISCUE COLLECTA ET COA- *V. Spinosa.*

CERVATA FUISSE, UT POSTEA FACILIUS EXAMINARENTUR, ET IN ORDINEM REDIGERENTUR. Quæ autem caussæ impediverint, *nisi forte intempestiva mors, quo minus Ezras hoc opus omnibus suis numeris adimpleverit*, fatetur se non posse conjicere. Hos denique qualescunque Ezræ commentarios, non nisi mancos, mutilos, multisque mendis fœdatos ad nos pervenisse vult: sic ut de prisca historia nihil integrum habeamus, nihil quod non multa correctione indigeat. Omnia hæc prolixe exsequitur Spinosa, & argumentis exemplisque suo more firmat.

VI. *Simonius.* VI. Paullo aliter instituit RICHARDUS SIMONIUS *Histor. Crit. Test. Vet. Lib.* I. *Cap.* II. postulatque ab omnibus credi, jam inde a Mosis tempore fuisse in populo Israëlitico Scribas sive Actuarios quosdam publicos, ab ipso Mose constitutos, secundum laudabilem, quem in aula Pharaonis degens deprehenderat, *Ægyptiorum* morem. Hos autem Scribas, publica auctoritate munitos, quanta poterant diligentia ac fide, acta reipublicæ literis consignasse, ex quorum prolixis commentariis & elephantinis voluminibus, deinceps, occasione ita ferente, compilata sint ea Sacra Scripta quæ nunc habemus. Id quum a variis factum sit, qui singuli suum habebant institutum, hinc contigisse contendit, quod historiæ aliquando male junctæ sint, & repetitiones crebræ, otiosæ atque odiosæ. *Capite* autem v. prolixe pugnat Mosen Pentateuchi auctorem non esse, plurimaque exempla repetitionum accumulat, quæ non potuerint proficisci nisi a variis compilatoribus Pentateuchi, quorum unus ex vastis Scribarum commentariis hanc, alius aliam pericopam, eodem tamen redeuntem, in Sacrum textum intulerit; quæ tamen pericopæ, quantumvis male consutæ, nescio quo consilio, ab Ecclesia Judaica ita receptæ relictæque sunt. Cui rei & alia accessit calamitas. Quum voluminibus sua inscripserint veteres, quorum partes nullo aut glutine aut consutione junctæ, circa cylindros volutæ, atque, ubi usus erat, evolutæ fuerint, hinc facile fieri potuit, factumque revera est, ut turbatis voluminum partibus, neque repositis suo loco, pericoparum etiam ordo mire aliquando misereque turbatus sit. Unde consequitur, prisci mundi & populi Israëlitici antiquissimam historiam, non esse a manu Mosis, sed ex nescio quibus quorum Scribarum commentariis, a nescio quibus hominibus, variis certe & parum judiciosis, quibus tamen, at per ludibrium, Spiritus Sancti ductus attribuitur, compilatam.

Imo

Imo ne eam quidem compilationem integram ad nos devenisse; sed confusis voluminum partibus ita turbatam, ut nisi medica Divæ Critices manus accesserit, vix ulla Deo digna sapientia in prisca historia inveniatur. Huc enim, si libere & sine circuitione quod res est dicere velimus, tendunt omnia. Interim ne nihil hic de suo Moses habeat, legum scriptio ei, ut Legislatori, ingenua enimvero liberalitate, attribuitur.

VII. Clericus, qui Sacerdoti alicui Samaritano eum imputare mavult.

VII. Alio quidem tramite, at eadem via, procedit JOHANNES CLERICUS, qui videri voluit nobis exhibere sententias Theologorum quorundam Batavorum super Simonii Historia Critica. Is Scribas quidem Simonii ridet, in eo tamen cum ipso conspirat, quod Pentateuchi conscriptionem Mosi abroget. At cui vindicandam? Audite, aut legite potius rem miram, atque incredibilem: vix reperturam fidem, nisi quis oculis suis credere nolit. Sic ergo ille p. 128. & seq. *Probabile est, Pentateuchum esse compositum eo tempore, quo veteres Judæorum characteres, quibus primum scriptus est, notiores erant novitiis quos in Captivitate Babylonica adoptaverant: & ab eo auctore, qui neque Samaritanis neque Judæis esset suspectus, atque e cujus manu utrique eum haut illubenter susciperent. Omnia hæc concurrunt in Sacerdote isthoc Israëlitico, e Babylonia misso, ut novos Palæstinæ incolas edoceret ritum quo regionis istius Deus amabat coli.* 2 Reg. XVII. *Credere par est, sacrificum hunc, sive solum, sive adjutum ab aliis, ut rudes illos populos ab insana πολυθεΐας opinione abduceret, molitum esse historiam de mundo unius Dei virtute condito, & epitomen Historiæ Judaicæ usque ad legem: ut palam fieret non nisi unum Deum esse, eum nimirum quem adorant Israëlitæ. Scribebat autem hanc historiam Hebraice, antiquis characteribus, vel quia Chaldaicæ linguæ nondum satis gnarus erat, vel ob aliam aliquam caussam nobis incognitam. Annum quo hæc facta sunt determinare difficile est: videtur tamen contigisse post decimum octavum regni Josiæ. Hoc enim anno inventus fuit liber legis, sine quo extremam manum operi suo imponere Sacerdos ille non potuisset: quippe qui maximam Hebrææ historiæ partem faciat, & ad instructionem novorum Samaritanorum apprime fuerit necessarius. Quæ si ad hunc modum facta esse supponantur, facile creditu est, Sacerdotes eos qui apud Hierosolymam erant, calculo suo hanc Bethelitici Sacerdotis historiam comprobasse, quum in ea nihil invenirent nisi quod pium, & Divinæ legi atque rerum gestarum veritati consentaneum esset. Atque hac ratione omnes difficultates Criticæ circa Pentateuchi Auctorem tolluntur.. Ut enim Samaritani Pentateuchum reciperent, oportuit eum conscribi ab auctore ipsis non suspecto: ut autem eum haberent literis antiquis*

tiquis Hebraicis, oportuit conscribi antequam Judæi eas cum recentioribus commutassent. Ne Judæi sacris suis libris eum annumerare dedignarentur, par fuit ut eum haberet auctorem à quo non tam aversis essent animis quam à Samaritanis fuerunt, post reditum ex captivitate Babylonica. Denique ut in historia Genesios ea inveniantur quæ demonstrant illius auctori plus commercii fuisse cum Imperio Babylonico, quam Judæis fuit ante captivitatem, necesse est eum vixisse postquam Salmanassar decem tribus deportavit in Assyriam. Cuncta hæc felici consortio juncta inveniuntur in Sacerdote isto Israëlitico, ad Samaritanos de religione informandos misso, & si qui socias ipsi præstarunt operas. Hactenus Vir ille eruditissimus. Cujus ipsa verba prolixius reddere volui, ne viderer inopinatam opinionem vel ad ludibrium, vel ad blasphemiæ speciem deflexisse: a qua quantum revera absit, suo loco, & quo merentur serio, expendam, atque exponam.

VIII. *At certe fuit Moses scriptor celeberrimus.*

VIII. Quid autem de toto hoc negotio statuendum sit, non aliunde certius ac melius quam ex ipsis sacris literis arbitremur. Ex iis nunc colligere aliquam multa juvat, quæ ordine disposita eo nos paullatim ducent, ut quæstionem de auctore Pentateuchi definire difficile non sit. Atque id primo generatim patet, Mosen scriptorem fuisse, non suo solum tempore celebrem, sed cujus monumenta, libro comprehensa, multis post eum seculis in Israëlitarum manu fuerunt. Ea vero quæ jubente Deo scripsit, in multiplici fuerunt differentia.

IX. *Qui leges sibi Divinitus datas conscripsit.*

IX. Ac illud quidem ab omnibus fere conceditur, ipsum conscripsisse ea quæ ad LEGES pertinent. Quod & tam diserte narratur, ut sine præfracta abnegatione Scripturarum in dubium vocari non possit. Postquam Israëlitæ fœdus cum Deo pepigissent ad montem Sinai, legemque partim ex ipsius Dei ore audivissent, partim ex Mose accepissent, prout ipsi in caligine erat tradita, *scripsit Moses omnia verba Jehovæ*, & quidem *in libro fœderis, quem prælegit universo populo.* Exod. XXIV. 4. 7. His præceptis quum & alia multa addita a Deo fuissent, rursus jussus est Moses ea conscribere. Exod. XXXIV. 27. *Tunc edixit Jehova Mosi, scribe tibi verba hæc; quia ex præstituto horum verborum pango tecum fœdus, & cum Israële.* Denique quum absolvisset Moses populo exponere omnia Dei mandata, eadem quoque scripto comprehensa, uno complexus est volumine, asservando ad latus arcæ fœderis, in testimonium contra Israëlitas. Sic enim exstat Deut. XXXI. 24. 25. 26. *Fuit autem quum absolvisset Moses scribere verba legis hujus in libro, usque ad finem illorum, ut præciperet Moses Levitis portantibus*

bus arcam fœderis, dicendo, Accipientes librum hunc legis, ponite eum à latere arcæ fœderis Jehovæ Dei, ut sit ibi contra te loco testis. Porro hujus libri autographum in templo repertum est novissimis reipublicæ Judaicæ temporibus, imperante Josia. 2 Reg. XXII. & 2 Chron. XXXIV.

X. Observatu dignum est, librum hunc non ea solum complexum esse quæ aliquot repetitæ legis capitibus continentur, sed *universum systema Legum Divinarum*, quarum observatione fidem numini approbáre Israëlitæ debebant. Docet hoc Dei ad Josuam sermo. Jos. I. 7. 8. *Tantummodo confirmator, & fortis esto valde* לשמור לעשות ככל התורה אשר צוך משה עבדי *ut custodias & facias* SECUNDUM OMNEM LEGEM QUAM PRÆCEPIT TIBI MOSES SERVUS MEUS: *ne recede ab eo dextrorsum aut sinistrorsum, ut secunderis quocunque iveris.* Ubi vero invenitur omnis illa lex? In libro quem præ manibus habebat Josua. Sic enim pergit numinis compellatio: *Ne discedito* LIBER ISTE LEGIS *ex ore tuo, sed meditaberis de eo interdiu ac noctu,* למען תשמור לעשות ככל הכתוב בו *ut observes facere omne quod scriptum est in eo.* Unde factum est, ut Levitæ a Josaphato missi ad populum docendum, non aliunde id fecerint nisi ex libro legis; quem itaque illud omne complecti oportuit quidquid ad pietatem & religionem requirebatur. 2 Chron. XVII. 9. *Docuerunt in Juda habentes secum* LIBRUM LEGIS JEHOVÆ, *& obiverunt omnes civitates Judæ, docentes populum.*

X. Non eas solum omnes quæ norma probitatis, & regiminis sunt, & in Deuteronomio exstant.

XI. Hoc eodem libro legis continebantur præcepta de holocaustis, & officiis Sacerdotum circa illa, quæ non tam in Deuteronomio quam in Levitico, & libro Numerorum, inveniuntur. Et sane ea præcepta adeo exacta sunt, tamque accurate delineant Sacerdotum & populi circa omne sacrificiorum genus officia, usque ad minutissimas, si ita loqui fas sit, minutias; ut nullius hominis memoria iis retinendis par sit, nisi scripto consignata exstarent. A quo autem potius scripta, quam ab eo, qui & ipse a Deo accepit, & populo tradidit, & accuratissimam eorum observantiam ursit? Nec est quod de eo dubitemus. Sic enim habet sacra historia. 2 Chron. XXIII. 18. *Et reposuit Jojada præfecturas in domo Jehovæ, commissas Sacerdotibus Levitis quos distribuerat David in domo Jehovæ, ad offerendum holocausta Jehovæ,* SICUT SCRIPTUM EST IN LEGE MOSIS. Adde Ezr. VI. 18. *Constituerunt Sacerdotes ex partitione eorum, & Levitas ex distributione eorum, in ministerio Dei in Jerusalem,* SECUNDUM PRÆSCRIPTUM LIBRI MOSIS. Præscriptum autem illud de partitione Sacerdotum, & distributione

XI. Sed & ceremoniales sparsas per cæteros libros.

tione Levitarum exstat Num. III. & VIII. Unde indeclinabili consecutione infertur, præcepta de holocaustis, Sacerdotibus, Levitis, eorumque partitione, quæ descripta sunt in Libris Leviticorum & Numerorum, comprehensa esse in Libro Mosis. Ne adeo ullum esse præceptum Dei ad Religionem Israëliticam illius temporis pertinens, quod non suo illo libro complexus Moses sit; quum *omnia scribendo absolvisse narretur.*

XII. *Imo & prophetias.* XII. At præter præcepta etiam PROPHETIAS, sive rerum futurarum prædictionem scripsit Moses. Quæ exstant Deut. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. Ex quibus pericopa aliqua tanquam Mosis laudatur Neh. I. 8. 9. Et quarum summa comprehensa est in illo cantico, de quo dicitur. Deut. XXXI. 19. *Nunc itaque scribite vobis canticum istud, quod doceas filios Israël, indendo illud ori ipsorum; ut sit mihi hoc ipsum canticum loco testis contra filios Israëlis.* Paruit mandato Moses com. 22. *Scripsit igitur Moses canticum istud die illo, quod docuit filios Israëlis.*

XIII. *Atque historias.* XIII. Denique & HISTORICA, sive res gestas, conscripsit; nimirum victorias quas Israëlitæ ad preces Mosis ab Amalechitis reportarunt. Exod. XVII. 14. *Postea edixit Jehova Mosi, inscribe hoc monumentum libro, & insere ipsum in aures Josuæ.*

XIV. Valde expressum hoc mandatum est: quod si rite attendatur, ad multarum aliarum rerum considerationem nos deducet. Et primo quidem notari velim, historiam de bello Amalechitico non magis esse memorabilem cæteris illis admirandis quæ Deus in asserendo sibi populo Israëlitico tam in Ægypto quam in deserto patravit. Si ergo Deus hoc monumentum libro inscriptum perpetuum esse voluerit, Mosesque illud scripto suo æternitati consecraverit, quæ caussa dici potest, cur non idem fieri oportuerit, circa alia Dei opera quæ mirabilitate hoc ipsum longe superant? Et de quibus dictum est Ps. LXXVIII. 5. 6. 7. *Statuit testimonium in Jacobo, & legem posuit in Israële, quum præcepit majoribus nostris nota facere filiis ipsorum. Ut sciat generatio postera, filii nascituri, surgentesque enarrent filiis suis: Et ponant in Deo spem suam, neque obliviscantur actionum Dei fortis.* Quandoquidem ergo Deus illustria sua ac prodigiosa facta in memoria populi Israëlitici conservari voluit, ipseque conscriptionem in libro, ut optimum juvandæ memoriæ remedium, commendaverit; a quo ea conscriptio majori fide, dignitate, auctoritateque fieri potuit quam a Mose, qui & ipse rerum pars magna fuit, & expresso numinis mandato toties ad scribendum provocatus est?

XV. Ad-

XV. Adde vix esse ut hæc Amalechitici belli historia commode describi potuerit, nisi simul narretur, qua ratione & occasione Israëlitæ in desertum, & ad confinia Amalechitarnm venerint; quæ caussæ irarum fuerint, quibus Amalechitæ ad prælium hoc accensi; denique quinam ipsi fuerint Amalechitæ, quibuscum manus conserere populus Israeliticus coactus est. Quæ non contemnendam sacræ historiæ partem faciunt.

XVI. Neque opus hic est hariolatione ulla; quum luculentissimum habeamus testimonium. Num. XXXIII. 2. *Scripsit autem Moses progressus eorum in profectiones eorum ex præstituto Jehovæ.* Non est autem ullo modo credibile, ita Mosen scripsisse Israëlitarum itinera in deserto, ut non simul scripserit ea quæ valde ipsis notabilia acciderunt; & quorum memoria infinities dignior erat conservatu, quam nudorum itinerum, quæ sive cognita, sive ignorata, parum ad sapientiam aut probitatem faciunt.

XVII. Adde, historiam Israëlis ita Legislationi & pactioni fœderis innexam esse, ut hæc sine illa explicari non potuerint. Quum itaque certum sit Legislationem & pactionem fœderis a Mose esse descriptam, & sine historia gentis Israëliticæ ea intelligi non possint; quæ invidia est, earum rerum scriptionem Mosi derogare, sine quibus ea quæ indubie scripsit, mutila ac manca esse necesse est?

XVIII. Denique nec illud prætereundum est, in iis quæ de Abrahamo, & pactione Dei cum ipso, in tota denique historia Patriarcharum, prout in Libro Genesios exposita est, narrantur, fundamenta jaci pactionis illius, quam mediante Mose cum Israelitis inivit Deus. Sic ut omnia unam ac continuam rerum seriem comprehendant; quam probabile est ab una quoque esse manu, quum uno scripta sint omnia consilio, & ad unum cuncta tendant scopum. Et a cujus potius manu quam Mosis, qui vasta hæc Dei opera, totque decretorum nexum, tam scienter magno suo animo complexus est?

XIX. At quid ego hæc argumentando conficere laboro? quum sola Domini *Jesu auctoritas* dirimendæ huic quæstioni sufficiat. Is Mosi scriptionem librorum qui sub ejus nomine noti sunt, non semel attribuit. Joh. v. 46. 47. in hæc verba Pharisæos affatur. *Si crederetis Mosi, crederetis mihi:* ILLE ENIM DE ME SCRIPSIT. *Quod si scriptis illius non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Unde palam est, libros Mosis non ita nuncupari ab objecto suo, quemadmodum liber Judicum, Ruth, Esther, quod Hobbesius

XIX. Christus ipse libros illos Mosen, & Mosis scripta vocat.

& Spinosa nugantur, sed ab Auctore. MOSES SCRIPSIT.
inquirendum, quum Mosen de Christo scripsisse audiamus,
demum illa scripta reperiantur. Reperiuntur autem in
sione de semine mulieris, de semine Abrahami, Isaaci,
in vaticinio de Schilo, ut omittam alia quæ sparsa sunt
brum GENESIOS. Reperiuntur in descriptione Angeli, in
nomen Jehovæ est, quique potestatem habet condonandi
non condonandi peccata. EXODI XXIII. 21. Reperiuntur in
pis Sacerdotum & imprimis Pontificis maximi, & typis
ciorum, speciatim expiatorii illius semel quotannis offerendi,
quo LEVITICI XVI. explicante & applicante illud Paulo Heb.
12. 13. Reperiuntur in prophetia Bileami, memorata
RUM XXIV. 17. Reperiuntur denique in promissione
locuturi verba Dei. DEUTERONOMII XVIII. 15. 18. col. cum
III. 22. Sic ut testimonia Mosis de Christo in omnibus
teuchi libris exstent. Atque hinc est quod Christus *orsus à*
perrexerit per omnes Prophetas, interpretando ea quæ de se scripta
dixeritque, *oportet omnia impleri quæ scripta sunt in Lege Mosis,*
Prophetis, & Psalmis de me. Luc. XXIV. 27. 44. Ubi
Judæorum divisionem sequens universa Veteris Testamenti
in *Legem, Prophetas & Hagiographa* dispertit, & per *Legem*
Pentateuchum, quem asserit esse *Mosis*.

XX. Exodum etiam Librum Mosis esse declarat.

XX. Memorabile etiam est quod Marcus narrat, venisse
Dominum Jesum *Sadducæos*, dicentes, *Præceptor*, MOSES
NOBIS, *ut si cujus frater mortuus sit, & reliquerit uxorem,* &c.
XII. 19. Nota, *Sadducæos* hoc dicere. Non ergo *Pharisæi*
runt, qui suæ ætatis hominibus imponentes, recentissima
pro antiquis Mosaicis venditarunt; quod *Spinosa*
Non enim id hostibus suis Sadducæi facile credidissent. At
cipuum est quod iis respondet Christus. ibid. com. 26. *De*
tuis vero quod suscitandi sint, non legistis in LIBRO MOSIS,
rubo locutus sit ei Deus: dicens, Ego sum Deus Abrahami, Deus
& Deus Jacobi? Exstant ea verba EXODI III. 6. Ergo *Librum*
di, Librum Mosis esse expressissime declarat Christus. Idem
lus asserit de LIBRO LEVITICORUM. Rom. X. 5. *Moses enim*
justitiam quæ est ex Lege, Quod qui præstiterit illa vivet per illa.
stat hæc Mosis sententia descripta *Levit.* XVIII. 5.

XXI. Jacobus & Paulus totum Penta-

XXI. Denique PENTATEUCHUS UNIVERSUS *Mosis* nomine
Ita enim Jacobus Apostolus Act. XV. 21. MOSES *enim ab*
antiquis oppidatim habet qui ipsum prædicent, quum in Synagogis

singula Sabbata legatur. Quid autem uti Mosaicum in Synagogis legitur? Pentateuchus integer, in LIV *Paraschas*, sive sectiones, divisus, ut quotannis absolvi posset. Jacobum Paulus imitatur 2 Cor. III. 14. 15. *Usque ad diem hodiernum in lectione veteris pacti manet non retectum velamen illud. Sed ad hunc usque diem quum* LEGITUR MOSES, *velamen cordi eorum impositum est.* Ubi palam est, libros veteris pacti historiam continentes, qui eo tempore a Judæis legebantur, *Mosis* nomine inscribi.

teuchum Mosis nomine insigniunt.

XXII. Nunc ea quæ dicta sunt colligamus. Probavimus ex evidentibus Scripturæ Sacræ testimoniis hæc sequentia. I. Mosen, Deo jubente, scriptorem fuisse suæ ætatis in populo Dei celeberrimum. II. Eum conscripsisse Leges, quæ populo Israelitico norma religionis omnisque virtutis fuere. III. Non eas solum quæ capitibus quibusdam Deuteronomii continentur, sed & quæ in libris Exodi, Leviticorum, & Numerorum exstant. IV. Eas omnes comprehensas esse uno volumine, servando ad latus arcæ fœderis. V. Scripsisse etiam Prophetias, quibus fata populi Israelitici prænunciantur. VI. Et Historias rerum gestarum in deserto, aliarumque sine quibus Legislatio, & confœderatio inter Deum & populum Israeliticum, intelligi non potest. VII. Etiam testimonia multa de Christo: quorum plurima inveniuntur in Libro Genesios. VII. Librum Exodi Librum Mosis a Christo vocari. IX. Imo totum pentateuchum, qui utique Christi & Apostolorum temporibus in Synagogis prælegebatur, Mosen a Jacobo & Paulo nuncupari. X. Idque non quia de Mose, sed a Mose scriptus sit. Hæc si non probent Pentateuchi scriptorem Mosen esse, qua ratione libro antiquo cuicunque suus demum poterit adsignari auctor? Obtestari ausim conscientiam eorum omnium quibuscum nunc disputo, an argumenta, non dicam validiora, sed vel speciem similis valoris habentia, pro eo proferre queant quem ipsi pro Pentateuchi scriptore obtrudunt?

XXII. Recapitulatio probatarum thesium.

XXIII. Nisi meus me fallit animus, tantæ hæc sunt evidentiæ, ut vix elabendi rima supersit, nisi quis auctoritatem Apostolorum & Christi in rebus quæ hujus indolis sunt suspectam habere præsumat. Quod veritus non est *Johannes Clericus* p. 126. cujus ipsa iterum verba dabo. *Dicat*, inquit, *fortasse aliquis, Jesum Christum & Apostolos Pentateuchum sæpius citare sub nomine Mosis, eorumque auctoritatem majoris ponderis habendam esse quam omnes nostras conjecturas.* Imo hoc est quod dicimus, Clerice; quid tu respondes? Respondeo, inquit: QUUM JESUS CHRISTUS ET APOSTOLI

XXIII. Clerici exceptio.

STOLI NON VENERINT IN MUNDUM UT JUDÆOS CRITICAM DOCE-RENT, MIRUM NON EST SI LOQUANTUR SECUNDUM OPINIONEM VULGAREM. PARUM REFERRE CREDEBANT, AN MOSES PENTATEUCHI AUCTOR SIT, AN QUIVIS ALIUS; MODO HISTORIA PRO VERA AGNOSCATUR: ET QUUM VULGARES ILLÆ OPINIONES NON OFFICERENT PIETATI, NON ID SIBI OPERÆ DATUM ESSE EXISTIMARUNT UT JUDÆOS AVOCARENT AB ISTHOC ERRORE. Hæc quidem ille.

XXIV. *Convicia profanitatis.* XXIV. At male sit audaci illi & temerariæ Criticæ, cui religio non est *suas*, ut ipse fatetur, *conjecturas* Apostolorum Christique adeo ipsius auctoritati anteponere. Enimvero non fuerunt Christus & Apostoli Critices Doctores, quales se haberi postulant qui hodie sibi regnum literarum in quavis vindicant scientia; fuerunt tamen Doctores veritatis, neque passi sunt sibi per communem ignorantiam, aut procerum astum imponi. Non certe in mundum venere, ut vulgares errores foverent, suaque auctoritate munirent; nec per Judæos solum, sed & populos unice a se pendentes, longe lateque spargerent. Verbo ut absolvam, cui religio Christiana cordi, cui Christi Apostolorumque auctoritas sacra est, is lubentius suam substringet fidem Christo & Apostolis de Mose ut Pentateuchi auctore loquentibus, quam quotquot uspiam est Hobbesiorum, Spinosarum, Simoniorum, Clericorum, totique profanorum Criticorum genti, cum omnibus suis temerariis conjecturis.

XXV. *Simonius refutatus.* XXV. Hactenus ea produximus argumenta quæ pro Mose stant; nunc addimus, si a Mose discesseris, nullum alium assignari posse qui Pentateuchi auctor esse aliqua majore verisimilitudine, nedum certitudine ulla, probetur. Nam quod *Simonius* de *Scribis publicis* omnia in diurna acta referentibus prolixe disputat, contenditque illos jam inde ab initio Reipublicæ, in ipso quoque deserto, extitisse, id ad somnium ex eburnea porta referendum esse, dudum demonstrarunt eruditi. Neque potuit se Simonius Clerici aliorumque objectionibus hactenus exsolvere. Sacros autem libros nostros ex commentariis ejusmodi publicis, tam confuse ac parum judiciose compilatos esse, uti ille vult, parum abest a blasphemia, &, quidquid prætexatur, in merum dicitur Scripturæ ludibrium.

XXVI. *Et Spinosa.* XXVI. At neque ab *Ezra* post captivitatem demum Babylonicam conscriptus Pentateuchus est. Nam extabat jam tempore *Amaziæ*, qui *fecit* SICUT SCRIPTUM EST IN LEGE, IN LIBRO MOSIS. 2 Chron. XXV. 4. Et *Davidis*, monentis filium suum Salomonem,

nem, ut *ambularet in viis Jehovæ, servando statuta ejus, & præcepta ejus, judiciaque ejus, & testimonia ejus, sicut* SCRIPTUM EST IN LEGE MOSIS. 1 Reg. II. 3. Et *Josua*, qui *pronunciavit omnia verba ipsius Legis, benedictionem ac maledictionem, prorsus* UT SCRIPTUM ERAT IN IPSO LIBRO LEGIS. Jos. VIII. 34. Et mox post captivitatem laudatur idem ille liber, tanquam antiqua religionis norma. Ezr. III. 2. SICUT SCRIPTUM EST IN LEGE MOSIS SERVI DEI. Et VI. 18. *Secundum præscriptum* LIBRI MOSIS. Dictant quidem Critici non de Pentateucho illud, sed de alio, nescio quo, libro Mosis intelligendum esse. Dictant, inquam, at non probant. Et profecto omnia quæ laudatis modo locis allegantur, etiamnum hodie in Pentateucho exstant. Quid vetat igitur de eo libro cogitare, in quo allegata omnia inveniuntur; Quid jubet alium fingere ab hoc diversum?

XXVII. Enimvero *Pentateuchus Samaritanus* validum antiquitatis argumentum est. Præsertim si credatur, quod multi hodie Criticorum volunt, Samaritanis primum literis sacros codices esse exaratos, quas literas Ezras novioribus & elegantioribus, quæ nunc in usu sunt, commutaverit. Samaritanas autem literas dicunt, non quæ novis Israëlitidos colonis patritæ aut avitæ sunt; sed quæ antiquissimæ sunt Hebraicæ, a Samaritanis retentæ. Notum est, quam internecinum inter Judæos ex captivitate Babylonica reduces, & Samaritanos intercesserit odium: ut neque hi ab illis, neque illi ab his quidquam uti sacrum accipere voluerint. Quod si Ezras, sive alius aliquis ei σύγχρονος, Pentateuchum conscripserit, qui factum ut Samaritæ volumen, ab infensissimo hoste compositum, tanta veneratione pro Divino admiserint, & quod recens e manibus hominis coævi prodibat, pro Mosaico obtrudi sibi passi sint? Qui factum, ut Samaritæ volumen illud habeant non suis, sed priscis Hebræorum literis consignatum, quod Hebræi ipsi ab eo tempore non habebant nisi literis Assyriacis sive Chaldaicis? Hæc non cohærent.

XXVIII. At præ cæteris omnibus ridicula est, si quidem in re tam seria ridere fas foret, *Johannis Clerici* hariolatio. Quænam hæc est amentia, *Samaritanum Sacerdotem*, nulla re insignem, nullius nominis hominem, repente in tanti operis auctorem erigere? Scilicet defuerat maximis, quos Judæi, quos decem tribuum Israëlitæ habuerant, prophetis ille zelus, ut Samaritanus homo, Schismaticus, qui contra Dei præceptum altari Bethelitico inservierat, historiam populi Dei ab orbe condito ad excessum

XXVIII. *Et Clericus.*

sum Mosis victuris chartis mandaret. Paulus olim scripsit, *Quae est igitur praestantia Judaei? aut quae utilitas Circumcisionis? Multa per omnem modum. Primarium enim illud est, quod eis credita sunt eloquia Dei.* Rom. III. 1. 2. Nunc vero audimus aliquem qui Cuthaeos, Havaeos, Chamathaeos, vilissimarum gentium colluviem, eo honore mactat, ut in eorum primum gratiam venerabilis iste liber consignatus sit, quem tanti non Judaei solum, sed & Christus cum suis Apostolis fecerunt. Adeone tibi, Clerice, dignior visus est sacrificulus Samaritanus, cui Pentateuchus inscribatur quam Moses? digniores que miserabiles illi Cuthaei, in quorum scriberetur gratiam, quam illi quorum est adoptio, & gloria, & pacta, & legis constitutio, & cultus, & promissiones? Quo auctore haec a te dicuntur? quo teste? Pro Mose tota stat antiquitas. Fateris. Tibi tamen contra ire lubet. De tuo illo sacrificulo Samaritano fortassis ante te nemo unquam mortalium somniavit. Hunc tamen tu Mosi substituis. Itane, in rebus facti fingere licet pro lubitu, & quidquid Graecia mendax audet in historia?

XXIX. At mitto illud de auctoritate. Quae species rationis universae huic commentationi inest? Imo quid est, quod non rationi omni & verisimilitudini adversetur? Unde novo huic homini Samaritano rerum antiquissimarum ab omni hominum memoria, vel potius ante natos homines, tanta tamque accurata cognitio? qualem vix a Samuele aliquo, Nathane aut Ezra exspectes. An eam communicarunt qui apud Hierosolymam erant Sacerdotes? At unde huic ex Assyria hospiti tam familiare cum Hierosolymitanis commercium? Et quae socordia Hierosolymitanos incessebat, ut quum de gentis suae historia scribenda agi intelligerent, non ipsi potius manum operi admoverent, quam ut id Samaritano sacrifico committeretur? Si ea mente composita sacra historia est, ut novi Israëlitidos coloni ab insano multorum Deorum cultu avocarentur; quorsum inserta ei tam exacta rerum Leviticarum constitutio, quae nihil admodum ad Cuthaeos spectabat? Cur non brevis potius religionis epitome iis tradita, quae usibus ipsorum multo fuisset convenientior? Cur non ipsorum characteribus? Ipsorum certe lingua? At ignoravit illam Sacerdos. O praeclarum imperitae multitudinis doctorem! Quid ergo? Docuitne eos per interpretem? Scripsitne ut per interpretem legeretur? An callentiores linguarum discipuli Doctore fuerunt? Iique intellexerunt linguam Hebraeorum, quum ipse ignarus esset Assy-

Aſſyriacæ? φεῦ τῆς φλυαρίας! Hæccine a te creduntur, acutiſſime & judicioſiſſime Clerice? An dicuntur per ludibrium? Atqui non patitur ludos ſibi fieri Deus.

XXX. *Allocutio ad eos omnes.*

XXX. Quod ſi præſentes mihi Viros hoſce doctos habuiſſe datum foret; libuiſſet equidem hoc eos, aut ſimili ſermone compellare: Si tu Hobbeſi, tu Spinoſa, tu Simoni, tu Clerice, ſi Divini aliquid in Pentateuchi compoſitione agnoſcitis, quid ita de eo loquimini, ut de Xenophontis aut Thycididis, de Polybii aut Livii hiſtoria nemo loqueretur Criticorum, in quorum ſcriptis decies plus curæ deprehenditis quam in hoc ſacro volumine? Si nihil hic agnoſcitis Divini, cur non deponitis larvam? cur ſeculi ruditatem non palam defricatis? cur non aperte confutatis ſcriptum mere humanum, nulla arte, nulla cura, nullo judicio conſarcinatum? Cur non detegitis fraudem, qua, ne de Judæis nunc dicam, illuſæ hactenus miſerorum Chriſtianorum mentes ſunt? Cur non ſublimioris cultioriſque ſapientiæ vexilla in publico oſtentatis, cives veſtros omneſque adeo mortales diſerto ſermone invitantes, ut agmine facto ad vos concurrant? Cur illius videri vultis religionis cultores, cujus omne in illis literis fundamentum eſt, quas diſſimulare non poteſtis, non vultis, in tam exiguo vobis eſſe pretio? Ignoſcite mihi, quod tali vos oratione compellem. Credidi, idcirco locutus ſum. Vos ſi crederetis, non ita uti nunc loqueremini.

XXXI. *Non eſt diffitendum paucula in Pentateucho exſtare quæ ſint a feriore manu.*

XXXI. Quæ tamen non eo a me animo dicuntur, quaſi exiſtimarem, nihil hodie in Pentateucho exſtare, quod non ab ipſo Moſe profectum ſit. Facile iis adſentior, qùi credunt alicubi verbum aliquod, aut ſententiam, ſerioribus temporibus magis conſentaneam, ab Ezra, aut alio aliquo Scriptore Θεοπνεύστῳ, in recollectione ſacrorum librorum, additam, aut immutatam fuiſſe. Ac prorſus pro certo habeo hiſtoriam mortis & ſepulturæ Moſis, quæ in fine Deuteronomii reperitur, ab aliena eſſe manu. Non enim lubet mihi prophetias fingere citra neceſſitatem, aut apparentiam veri. Mea ſic ſtat ſententia, candide agendum eſſe in omnibus: & in quavis diſputatione non id quærendum eſſe, ut quam longiſſime ab adverſario diſtes, ſed ut ad amicam & ſincere quæſitam veritatem quam proxime accedas: neque tam conſiderandum quid contra litiganti quomodocunque reponi poſſit, quam quid ſatisfaciat conſcientiæ, tuæ primum, tum & aliorum. Velimque non minus placido animo ſingula expendi, quam ſi nulla eſſet concertatio. Imo ubi res quæque exa-

minanda venit, ne attendi quidem velim ad alias hypotheses, ni arte quadam ita exponatur quo modo iiscum optime convenit: sed in se consideretur, uti est, & uti sese animo, nullis aliunde præjudiciis occupato, sponte offert. Eo me quantum fieri potest assuefacio, securus evenire aliter non posse quin verum vero semper consonet. Fateor igitur ingenue, esse aliqua in Pentateucho quæ Mosi attribui non posse videntur: sed ea pauca esse contendo, & tam exigua, ut non impediant, quo minus libri istius auctor Moses statuatur.

XXXII. *Talia ex sua mente multa collegit Clericus.*

XXXII. In iis conquirendis omnium nisi fallor diligentiam superavit Doctissimus *Clericus*; observans in Pentateucho reperiri I. Nonnulla quæ posteriora sunt Mosis temporibus. II. Alia quæ Mosis tempore scripta esse oportuit. III. Alia denique etiam Mose anteriora. Quæ duum posteriorum generum sunt, non admodum faciunt ad præsentem disputationem. In confesso enim est, ea quæ vel Mose sunt anteriora, vel ejus ætate gesta, conscribi ab ipso potuisse. Priora tantum nostræ nunc sunt considerationis. In quibus sequemur eum sua ripa: ad singula argumenta subjungentes ea quæ res ipsa dictat.

XXXIII. *Examinatur Gen.* II. 11. 12.

XXXIII. Incipit itaque a Gen. II. 11. 12. *Primi nomen est Pischon; hic est qui alluit totam regionem Chavilæ, ubi est aurum, & aurum illius regionis est præstans, &c.* Hæ observationes, inquit, videntur profectæ ab auctore qui in Chaldæa fuit. Nam Pison est ramus Euphratis, qui fertur in sinum Persicum, & eas lambit regiones quæ olim Chaldæa dicebantur, ubi nunc est Ormus. Non est credibile Mosen, qui vix Ægypto exivit, tanta peregrinarum regionum peritia instructum fuisse. Minus adhuc, Deum ipsi revelasse aurum terræ istius esse bonum. Respondeo. I. Totam hanc observationem niti hypothesi quæ mihi quidem, ne quid dissimulem, impia esse videtur, omnemque sacræ historiæ Divinam auctoritatem funditus subvertere; quasi Spiritus Dei non docuerit sacros scriptores res aliquas quas cæteroquin ex se ipsi nesciebant. Id si verum sit; si nil narraverint historiographi sacri, nisi quod suapte diligentia conquisiverunt; quid interest inter historiam Genesios & commentarios Diodori Siculi? Velim responderi sine fuco. II. Non fuisse Mosen tam imperitum, stupidum, bardum, uti Critico nostro videtur. Si Clericus, cum amicis suis Amstelodami vivens, tam accurate norit, Pisonem esse ramum Euphratis, cadentem in sinum Persicum, prope Ormum; quid ni idem scire potuit Moses, in frequentissima aula

vici-

vicinioris regis educatus, & omnibus Ægyptiorum artibus, in quibus & Geographia erat, instructus? III. Credibilene est melius hæc Mose scivisse obscurum Sacerdotem Samaritanum, miserum captivum, nullius sapientiæ nomine celebrem, & cui per paupertatem & captivitatem non licuit curiosas peregrinationes instituere? IV. Dato hominem in Chaldæa versantem melius scire quid sit Pison, quam qui ætatem in Ægypto trivit: at unde sive Chaldæus, sive Ægyptius, scire potuit Pisonem eum fluvium esse qui ex Hedene processit ad irrigandum hortum Paradisi? Hoc certe cognosci non potuit nisi ex revelatione Divina, vel ex traditione primorum parentum; utramque autem longe facilius in Mose suspiceris, quam in quovis alio.

XXXIV. Hinc pergit ad Gen. x. 8. 11. *Præterea Cusch' genuit Nimrodum, iste cœpit potens esse in terra. Iste fuit potens venatione coram Jehova: propterea dici solet, tanquam Nimrod, potens venatione coram Jehova. Erat enim principium regni ejus Babel, & Erec, & Accad, & Calne in terra Sinear. E terra hac processit in Assyriam: ubi ædificavit Niniven, & Rechobotas urbem, & Celachum.* Ubi Criticus observat duo: I. Quod exactitudo illa in describendis urbibus Mesopotamiæ & Assyriæ, eum videatur indicare auctorem qui in istis regionibus versatus est; neque probabile sit, auctorem sacrum, quicunque demum fuerit, quum admodum generatim de cæteris nationibus, etiam de ipsis Cananæis loquatur, ad tam specialem hujus regionis descriptionem descendere voluisse: si vixerit multis seculis antequam Israelitis commercium aliquod intercessit cum gentibus trans Euphratem habitantibus. II. Quod dicatur Nimrod ædificasse Niniven, id est ibi urbem creavisse, ubi deinceps condita fuit Ninive, sic dicta e Nino Beli filio, qui vixit circa tempora Deboræ, ducentis post Mosen annis. Quæ prolixius ab auctore extenduntur, quam ut hic describi possint omnia. Respondeo breviter. I. Prima observatio nil nisi mera conjectura est, ipso fatente Critico. Nulla hic occurrit exactitudo, quam de Mose non liceat præsumere. II. Mihi quidem religio est, claris disertisque verbis interpretando vim inferre. Cur minus credimus Nimrodum Niniven condidisse quam cæteras urbes? III. Rationem denominationis incertam esse doctissimus Criticus non ignorat. Si revera exstiterit Rex aliquis Ninus, nihil obstat quo minus filius fuerit Nimrodi, qui de filii sui nomine urbem nuncupaverit, ut & Cain. Gen. IV. 17. IV. Fabulosa Nini historia non debet præjudicium creare sacris literis:

XXXIV. Gen. X. 8. 11.

ex quibus facile probari potest, non fuisse tempore Judicum Israëlis, neque multo post, tam potentem Assyriorum Monarchiam, uti profana fingit historia. Qua de re alibi commodior erit dicendi occasio.

XXXV. Gen. XI. 28. 31. XXXV. Ad Gen. xi. 28. 31. notat urbem aliquam Mesopotamiæ vocari אור כשדים *Ur Chaldæorum*. Abrahami autem tempore ita vocari ea regio non potuit. Quia *Chasdim* sunt a Chesed qui fuit Abrahami, ex fratre Nachore, nepos. Gen. xxii. 22. Mosis tempore ea regio constanter vocabatur *Paddan Aram*. Posteriores Scriptores, circa tempora captivitatis, dixerunt *terram Chaldæorum*. Ezech. i. 3. & xi. 24. Respondeo. Criticus ipse, qua est ingenuitate, difficultatem a se motam tollit. Fatetur enim incertum esse, an nomen Chaldæorum sit a Chesed. Quæ enim proprie Chaldæa appellatur satis remota est ab eo tractu in quo fuit Ur. Sita est hæc urbs inter Tigrim & Nisibin, in superiore Mesopotamia. Geographi autem Chaldæam in infima parte collocant, ad sinum Persicum. In libro Jobi narratur Chaldæos deprædatos fuisse Camelos ipsius. Cap. i. 17. Habitabat autem Jobus in regione Uz, in Arabia petrosa, prope Euphratem; quod cum isto Chaldææ situ prorsus est consentaneum. Hæc si vera sunt, ne species quidem difficultatis superest. Quid ergo movit Criticum ut hæc annotaret, nisi prava carpendi libido? Ex qua orta est quam subjungit accusatio, *Scriptores Sacros parum exactos esse in nominibus*.

XXXVI. Gen. XII. 3. XXXVI. Deinde citat, Gen. xii. 3. *Erat Cananæus tunc in regione illa*. Et Gen. xiii. 7. *Cananæus atque Perizzæus tunc habitabat in terra illa*. Unde consequitur non habitasse ibi, quo tempore scripta est hæc historia. Habitabant autem ibi quam diu vixit Moses; ergo is hujus libri auctor non est. Respondeo. Non sequitur Cananæos jam sedibus suis pulsos fuisse quando hæc scribebatur historia: neque eo fine ipsorum in ista terra habitatio ibi narratur. Sed voluit docere Moses, Abrahamo etiam cum Cananæis fuisse negotium; eosque jam tum terram illam inhabitasse, e qua per & propter Abrahami nepotes aliquando pellendi erant. Facitque illud ad ostendendam fidem Abrahami, qui Deum ducem secutus in illa terra peregrinari ausus fuit, quæ a validis, & infestis sibi gentibus, occupata erat Gen. xiii. 7 ratio redditur cur tractus ille non caperet Abrahami Lothique pecuarios, laudaturque Abrahami prudentia, qui mox componendas esse lites autumavit inter suos Lothique pastores, ob vicini-

cinitatem sævarum gentium. Quid hic est quod a Mose dici non potuerit?

XXXVII. Major difficultas est Gen. XIV. 14. ubi Abraham dicitur hostes suos persecutus esse, *usque ad Danem.* Dan autem a Danitis nomen accepit, longo post Abrahamum, imo post Mosen, tempore, quum nomen urbis antiquitus esset *Lais.* Jud. XVIII. 29. Respondeo. Non ignoro quæ a Viris eruditissimis ad tollendam hanc difficultatem disputata sunt. Sed, ut ingenue fatear, non deprehendo in iis quod animo meo satisfaciat. Patior igitur hunc locum iis annumerari quæ a seriore manu sunt. Fieri potuit ut vel Samuel, vel Ezras, vel alius quis scriptor θεόπνευςΘ, loco nominis antiqui, & populo Israëlitico incogniti, substituerit nomen recentius, at notius & celebrius. Paullo ulterius quam necesse est, & quam vellem, procedere videtur Celeberrimus Coccejus, cujus hæc sunt verba: *Hæc difficultas ita tolli potest. Historiam Patriarcharum fuisse tempore Mosis notam, & in Spiritu Dei à Mose dictatam: eique postea insertam esse Legem à Mose scriptam: & imprimis Samuelem, qui Prophetarum post Mosen primus dicitur, operam conficiendi Libri Dei, sive historiæ tum Patrum, tum traditæ Legis, tum occupatæ terræ Canaan, usque ad sua tempora sumsisse.* XXXVII. Gen. XIV. 14.

XXXVIII. Facilior responsio est ad Gen. XXXV. 21. *Deinde profectus Israel, tetendit tentorium suum, ultra turrim Ederis.* Hoc autem erat nomen turris super una portarum Hierosolymæ. Mich. IV. 8. Neh. III. 1. Auctor ergo, ait Criticus, docere voluit Jacobum extendisse tentoria sua usque ad illum locum, ubi quo tempore hæc scribebantur ædificata erat Hierosolymæ turris gregis. Eder enim *gregem* significat. Unde infert, non posse ea verba Mosi attribui, quum illius ætate turres Hierosolymæ necdum exstructæ forent. Respondeo. Nihil est quod credere vetet, Jacobi ætate, in eo tractu turrim aliquam fuisse, quæ a gregibus nomen haberet. Nihil est quod credere jubeat, turrim eam designari quæ deinceps Hierosolymæ ædificata est. Non est a ratione alienum, quod antiquum nomen turris vel eodem loci, vel in vicinia exstantis, in ædificatione turris recentioris, ad memoriam antiquitatis renovatum sit. XXXVIII. Gen. XXXV. 21.

XXXIX. Multo fortius argumentum invenire se credit Criticus Gen. XXXVI. 31. Ubi ea exstant verba quæ non possunt proficisci nisi ab auctore qui post creatos in Republica Hebræa reges vixit. *Hi autem sunt reges qui regnarunt in regione Edomæa, antequam regnaret Rex in filiis Israelis.* Auget difficultatem nume- XXXIX. Gen. XXXVI. 31.

rus generationum filiorum Edomi, qui plurimum superat nu-
merum generationum filiorum Jacobi usque ad tempora Mo-
Respondeo. Nihil hic est, quod a Mose non possit esse dic-
Jacobo facta erat de Regibus promissio. Gen. xxxv. 11.
non. Merito ergo observat Moses, tanquam rem memorabi-
& in qua ingens esset fidei exercitium, quod antequam
promissio impleretur in posteritate Jacobi, Esavitæ tot jam
ges habuerint. Non est necesse propheticum hic quicquam
gere. Omnia historica sunt. At nec altera difficultas insolu-
est. A morte Isaaci, postquam Esau Edomæam occupaverat,
ducatum Mosis sunt anni ccxxxvi. Intra illud tempus facile
tuerunt septem, & plures Reges in Edomæa fuisse.

XL. *Gen.* XXXVII. 14. XL. Ecce & aliud. Gen. xxxvii. 14. mentio est *Hebronis*;
& Gen. xiii. 18. xxiii. 19. xxxv. 27. Cæterum id nomen u-
bi datum a Calebo, de nomine patris sui, quum antea voca-
tur *Kiriath Arba.* Jos. xiv. 13. 15. Respondeo: Omnino fatendum est, id esse a seriore manu.

XLI. *Gen.* XL. 15. XLI. Denique Gen. xl. 15. Josephus dicit se per plagium
surreptum *e terra Hebræorum*: quo nomine sua ætate non pot-
designare terram Canaan, quum Jacobus nihil ibi possideret
sepulcrum, quod emerat Abrahamus, ibique uti peregrinus mo-
raretur. Respondeo. Josephus isthac denominatione convenien-
tissime usus est, ut eam Canaanis partem designaret, quæ prope
Hebronem est. Ubi Abrahamus, qui primus omnium Hebræ-
dictus est, postquam in Canaan appulisset, Gen. xiv. 17. cum
numerosissima familia rerum suarum sedem habuit: ubi etiam
Isaac & Jacob longo temporis tractu commorati sunt. Ut pere-
grini quidem; sed peregrini magni nominis, qui ceu Princi-
æstimabantur; Gen. xxiii. 6. suis legibus viventes, nullis sub-
jecti, fœdera pangentes, non cum privatis solum, sed & cum
regibus, Gen. xxi. 22. xxvi. 26. & civitatibus. Gen. xxxiv.
Præterea fama Hebræorum istorum satis magna fuit: tum ex
bello & victoria Abrahami Hebræi, tum ex direptione Sichemi;
unde metus populorum vicinorum, qui ultionem suscipere non
sunt ausi. Significat ergo Josephus, se ex terra Hebræorum fur-
to subductum; id est, ea parte Cananææ quæ circa Hebronem
est. Gen. xxxvii. 14. ubi Hebræi jam multis annis consederant;
etiam ex pacto cum indigenis. Gen. xiv. 13. Quæ sunt erudi-
tæ *Jacobi Altingii* observationes. Hactenus ea discussimus, quæ
ex Libro Geneseos tanto cum apparatu objiciuntur; & dilucide,
nisi

nisi fallor, ostendimus in omnibus illis pericopis duas solummodo inveniri, in quibus serior Mose deprehenditur manus: inque illis pericopis non nisi duorum nominum mutationem esse. Quo quid potest dici minutius?

XLII. Ex libro Exodi annotavit sequentia. Cap. vi. 25. 26. post descriptam Mosis & Aaronis genealogiam, ita infit sacer auctor. *Hic est ille Aaron & Mose, quibus edixit Jehova.* &c. *hic est ille Mose & Aaron.* Credisne, inquit Criticus, ita quenquam loqui de viventibus? Me quod attinet, animum inducere non possum, quemquam ad eum modum de Mose locutum esse, nisi multis post ejus mortem annis. Respondeo. Non incommode ab ipso Mose genealogiæ suæ id subnecti potuit, pro temporum illorum ingenuitate & candore. Sane ipse cum fratre Aarone utramque fere paginam in sequenti historia facturus erat; & non sui solum ævi hominibus, sed & seræ posteritati scribebat. Quantillum ab hac phrasi abludit Johannis ῥῆσις in Evangelio, quod quin eum auctorem habeat, nemini dubium est? Joh. xxi. 24. *Hic est ille discipulus qui de his testatur, & hæc scripsit; & scimus firmum esse testimonium ejus.* Neque repugnat id modestiæ Mosis. Non minora de se, neque minore verborum magnificentiâ, Daniel, Ezras, Nehemias, narrant. XLII. *Exod.* VI. 25. 26.

XLIII. Verum, inquit Criticus, ecce aliud argumentum quo fortius probetur librum hunc a Mose scriptum non esse, non magis quam præcedentem: quia aliquoties ibi invenitur nomen נביא NABI, Propheta, quod multis demum post Mosen seculis in usu esse cœpit, uti discimus ex 1 Sam. ix. 9. Aliquid ea de re monui Cap. i. Sect. xvii. at nunc aliquanto pressius respondeo. Omnino fuit ea vox Mosis tempore usitatissima & notissima. Etenim non historicus modo id nominis quibusdam dat, sed ubi Deus, Veteres, Moses ipse, loquentes introducuntur, crebro ea vox repetitur. Abrahamo id nomen non ab historico sed a Deo tribuitur, qui Abimelecho dicit, *Nunc itaque restitue uxorem illius Viri, quia ille Nabi est.* Gen. xx. 7. Sic & Deus dicit Mosi Exod. vii. 1. *Vide, constitueram te vice Dei Pharaoni, & Aaronem fratrem tuum ut sit tuus Nabi.* Et Moses ad populum verba faciens, eadem voce utitur. Num. xi. 29. Sicut & puer ille qui Mosi loquitur. ibid. com. 27. Conf. Deut. xiii. 1. 3. 5. xviii. 18. &c. Nonne temeritas esset asseverare, historicum data opera alias voces Deo ac Mosi affinxisse, quam quibus revera usi sunt? Et si a voce *Nabi* recesseris, quam demum eos adhibuisse XLIII. *Vox Nabi nota ante tempora Mosis.*

buisse credis? Neque enim vox חוזה *Chose*, vel ראה *Roe*, consentanea in eo sermone fuisset. Neque alia, quod sciam, in Hebræa lingua invenitur, quæ illius vim exprimat. In Samuelis autem historia, non docetur vocem *Nabi* tunc demum usurpari cœptam, sed illius significationem aliquantulum mutatam esse. Olim נביא significabat intercessorem apud Deum, & interpretem Divinæ voluntatis, eoque sensu Patriarchis attribuitur, qui ubicunque vixerunt, cultum Dei exercuerunt, & alios docuerunt, & Deum deprecati sunt. Non præcise notabat prænuncium futurorum: quæ significatio circa tempora Samuelis præcipua esse cœpit.

XLIV. *Exod.* XVI. 35. XLIV. Auctor Pentateuchi, sic pergit Criticus, narrat Exod. XVI. 35. ea quæ demum post Mosis mortem facta sunt; ut apparet ex Jos. V. 11. *Filii Israel vescebantur Manna quadraginta annis donec venirent in regionem habitabilem: Manna, inquam, vescebantur donec pervenirent ad extremitatem regionis Cananææ.* Respondeo: non audeo cum quibusdam claram simplicemque historiam in prophetiam vertere. Agnosco igitur & hic seriorem manum.

XLV. *Exod.* XVI. 36. XLV. At non video cur ea agnoscenda sit, versu sequenti *Homer autem decima est Ephæ.* Audio quidem dicentem Criticum, quo tempore mensura aliqua in communi hominum usu est, vix esse ut quis quantitatem capacitatis illius aliis exponat nobis. Id genus observationes tum demum fieri, ubi usus talis mensuræ desitus est. At respondeo: sæpe narrari ea quæ tunc nota erant, ut nota essent posteritati. Et memini non sine ratione alibi conquestum fuisse Criticum, quod in scribenda historia, magno posteritatis dispendio, ea sæpe prætermittantur, quæ præsenti ævo omnibus supponuntur esse notissima. Sed unde novit noster, serioribus reipublicæ Israeliticæ seculis non easdem mensuras, in hominum manibus fuisse versatas? aut notiorem tunc iis fuisse capacitatem Ephæ quam Homer? Conferri memoratur id quod Deum Mosi dixisse sacra narrat historia. Num. III. 47. *Accipies quinque siclos pro quoque capite: prout est siclus sacer accipito: viginti obolorum est siclus ille.* Nota Deum ipsum Mosi valorem sicli explicare per obolos. Insertam enim Divino sermoni a nescio quo sero scriptore hanc parenthesin esse, illius demum est dicere, qui validis ad id probandum argumentis instructus est.

XLVI. *Deut.* I. 1. XLVI. Hæc ex EXODO annotavit Criticus: ex libris LEVITICORUM & NUMERORUM nihil. At paucula ex DEUTERONOMIO

Inci-

Incipit a Cap. I. *Ista sunt verba quæ elocutus est Moses universo Israeli* בעבר הירדן, *ultra Jordanem.* Unde colligit, librum hunc scriptum esse in Palæstina, cujus respectu desertum est ultra sive trans Jordanem. Respondeo: בעבר proprie notat *in transitu*, sive *ad transitum*: & עבר significat partem vel locum juxta positum, vertique potest tam *cis*, quam *ultra*, pro rei exigentia. I Sam. XIV. 41. ita loquitur Saul: *estote vos* לעבר אחד *ad latus unum, & ego & Jonathan filius meus erimus* לעבר אחד *ad latus alterum.* Unde palam est, vocem עבר notare *latus* aliquod; ex rei autem de qua agitur natura colligendum esse, utrum latus designetur. Est autem ubi designatur pars citerior: uti I Reg. IV. 24. Ubi de Salomone dicitur, *Nam ipse dominabatur* בכל עבר הנהר, quod bene transtulit Junius, *in tota citeriori parte fluminis, à Thipsacho ad Hazzam, in omnes reges* עבר הנהר *qui erant circa ipsum flumen.* Flumen de quo sermo est, est Euphrates, ἀντονομαστικῶς sic dictus, uti collatio vers. 21. probat. Fuit autem Euphrates terminus imperii Salomonis ad Orientem: neque sane dominatus ejus se extendebat ad ea omnia, eosve reges qui ultra Euphratem erant. Unde conficitur, quod עבר הנהר notet ibi citeriorem fluminis partem. Eadem significatio obtinet Deut. III. 8. ubi non historicus, sed Moses loquitur: *Ita cepimus tempore illo terram hanc e manu duorum regum Emoræorum* אשר בעבר הירדן *quæ est in transitu Jordanis*, id est cis Jordanem. Si בעבר significat trans, & historicus in Palæstina degens respectum ad eam habuerit, corrupit imprudenter verba Mosis, eum illi sermonem affingens, qui loco ubi sermo habitus fuit nequaquam est conveniens. Adde Jos. V. I. & IX. I. Constat librum Josuæ scriptum esse postquam Israelitæ Jordanem transivissent. Constat item reges ibi memoratos ad eam partem Jordanis regnasse ubi tunc degebant Israelitæ. Et tamen iidem dicuntur fuisse בעבר הירדן. Quod necessario vertendum est, *cis Jordanem.* Judiciose argumentum cavillatorum retorsit Huetius. Gen. L. 10. hæc leguntur verba. *Veneruntque ad aream Atad, quæ sita est* בעבר הירדן. Et deinde vers. 11. *Idcirco vocatum est nomen loci illius, Planctus Ægypti qui est* בעבר הירדן. Ex hypothesi Criticorum explicanda phrasis est respectu Cananææ, ubi volunt Pentateuchi Scriptorem vixisse. Jam vero si Pentateuchum scripsit Ezras, aut quivis alius in Cananæa ad occasum Jordanis, & עבר semper significat trans, loca hæc utique ad Orientem Jordanis quærenda erunt, quæ tamen ad Occasum Jordanis sita esse constat. Contra vero si Mosen libri auctorem

dicamus, quum hæc scripserit nondum transmisso ab Hebræis Jordane, loca hæc ad occasum Jordanis assignaverit, prout debuit. Unde consequitur, vocem בעבר esse ambiguæ significationis, & nunc ulterioribus, nunc citerioribus notandis adhiberi. Cujus argumenti vim eludere non valet Clericus, nisi mutata hypothesi: asserendo non sui respectu scriptorem uti voce בעבר, sed respectu Ægyptiorum, & Ægypto venientium itinere deserti. At Huetius, uti debuit, ex hypothesi argumentatus est.

XLVII. *Deut.* III. 14. XLVII. Est & aliquid quod difficultatem pariat. Deut. III. 14. *Jair filius Manassis ceperat totum tractum Argobi &c. ideo vocavit eas de nomine suo villas Jaïris* USQUE IN DIEM HUNC. Hoc vix videtur Mosis tempore dici potuisse, quia paucis mensibus ante Mosis mortem acciderunt quæ hic narrantur. Respondeo. Fateor videri hanc parenthesim serius insertam ad explicandam Mosis orationem.

XLVIII. *Conclusio.* XLVIII. Atque hæc sunt quæ annotare libuit Doctissimo Clerico, ut ex iis probaret Pentateuchum à Mose conscriptum non esse. Quæ cuncta, si, uti par est, sine præjudicio examinentur, quatuor tantummodo loca, ex universo volumine, supererunt, in quibus agnoscenda aliqua interpolatio est. Interpolatio vero tam exigua, ut vel in mutatione unius voculæ consistat, vel in additione brevissimæ historiolæ: ad quam occasio ipsis prisci scripti verbis præbebatur. Hæc autem tantilla tam immanis postulati molem non sustinent: ut contra omnem Antiquitatis fidem, contra Apostolorum & Christi auctoritatem, Pentateuchi conscriptio Mosi abrogetur.

Adde, quæ de hoc argumento in Præf. dicuntur §. VII.

CAP. XV.

De Notis veræ Prophetiæ, & veri Prophetæ.

I. *Notæ quibus veritas prophetiæ dignoscitur, vel Prophetas spectant, vel alios.* II. *Prophetis visa est revelantis Dei Majestas.* III. *Et deprehensa insignis lux ipsius revelationis.* IV. *Quamvis ob certas rationes Samuel primam Dei se compellantis vocem non dignoverit.* V. *Accedit rerum revelatarum* θεοπρέπεια. VI. *Quæ tamen non semper mox se approbavit conscientiæ.* VII. *Non videtur fieri posse, ut prophetæ ullis revelationibus* Divinis *inducantur in errorem.* VIII *Sed difficultatem creat dictum Dei Ezech.* XIV. v. 9. 10. IX. *Et querela Jeremiæ. Cap.* IV. 10. X. *Ut & historia Bileami Num.* XXII. XI. *Et Israelitarum.*

Jud.

Jud. XX. XII. XIII. XIV. XV. *Responsio ad Ezech.* XIV. 7. XVI. *Ad Jerem.* IV. 10. XVII. *Ad historiam Bileami.* XVIII. *Et Israelitarum.* XIX. *Fidem Prophetis apud alios faciebat constans suæ missionis asseveratio.* XX. *Conjuncta cum singulari vitæ sanctitudine.* XXI. *Cui aliquando accessit priorum prophetiarum complementum.* XXII. *Semel invenimus Prophetam Betheliticum nomen Dei obtendisse mendacio.* XXIII. *De cujus Prophetæ nomine frustra disputant Magistri.* XXIV. *Quamvis nunc mendax, vere tamen Propheta fuit.* XXV. *Quocunque animo mentitus sit,* XXVI. *Certe insigniter peccavit.* XXVII. *Mendacio ejus ad veritatis confirmationem abusus est Deus.* XXVIII. *Aliquando Deus Prophetæ missionem obsignat miraculis.* XXIX. *Quorum in gemino casu præcipuus usus est.* XXX. *Primo quando propheta mittitur ad ordinandam totius religionis formam.* XXXI. *Dein, si antiquanda est forma cultus semel instituta.* XXXII. *Sed & tum adhibita miracula, ubi insigniter reformanda fuit religio.* XXXIII. *Alias non sunt temere postulanda.* XXXIV. *Neque ad ea attendendum quæ doctrinæ palam falsæ obtenduntur.* XXXV. *Nonnunquam prophetis auctoritatem conciliavit Deus insigni vindicta in immorigeros.* XXXVI. *Gehasi an post, vel ante inflictam sibi lepræ plagam cum rege Israelis colloquia miscuerit?* XXXVII. XXXVIII. XXXIX. *Apostoli quoque potestatem habuerunt in vitam & valetudinem hominum.* XL. *Quomodo illi Prophetæ missionem suam approbaverint, in quorum gratiam nullum factum est miraculum?* XLI. *Multis prophetiis non videtur respondere eventus.* XLII. *Sed iis tacita tunc subest conditio.* XLIII. *Qualis est prophetia de morte Hizkiæ.* XLIV. *Et excidio Ninivitarum.* XLV. XLVI. *Unde dignosci possint prædictiones absolutæ ab iis quæ pendent à tacita conditione.*

I. Notæ quibus veritas prophetiæ dignoscitur, vel prophetas spectant, vel alios.

POstquam de *Revelatione* prophetis facta, & de *Impulsu* ad eam cum aliis *communicandam*, pro instituti nostri ratione prolixe satis locuti sumus; res ipsa postulare videtur ut de NOTIS illis agamus, quibus primo PROPHETÆ IPSI de revelationis Divinitate, & consequenter veritate PERSUASI sunt, deinde ALIIS PERSUASERUNT, se a Deo missos esse ad revelationis istius patefactionem. Arduæ profecto quæstiones, in quibus rite terminandis, vix est ut quisquam mortalium suo animo, nedum aliorum morosæ curiositati satisfaciat. Annitamur eo rem deducere, quo usque præeunteis sacras literas habemus.

II. Prophetis visa est

II. A *Prophetis ipsis* ordiamur. Iis haut paullo facilius fuit dignо-

revelantis Dei Majestas.

gnoscere, quomodo revelationes sibi factæ ab omnibus illusionibus diabolicis, & imaginationibus melancholicis, distinguentur, quam id nobis est explicare. Certum videtur, adfuisse majestatem quandam, & incomparabilis lucis atque gloriæ splendorem, qui Deo suos alloquente dignus sit. Tantus quandoque, ut prophetæ, ei ferendo impares, & animo & corpore, sive vigilantes, sive dormientes, insigniter conturbarentur.

III. Et deprehensa insignis lux ipsius revelationis.

III. Si familiarius aliquando agere supremo numini placuit, animamque sine externorum symbolorum apparatu placide compellare, adfuisse credibile est eam vim lucis, interiores mentis recessus penetrantis, ut non potuerint in ista luce lucis auctorem non videre. Quivis novit parentis, fratris, aliusve necessarii sui vocem, ex ejusmodi indiciis quæ indubitatis argumentis conscientiæ se approbant, non tamen ita aliis ad convictionem exponi possunt. Ad eundem modum comparata est Dei ad animam allocutio. Amici Dei vocem Dei audiunt & cognoscunt, & a cujusvis alterius voce facile discriminant.

IV. Cur Samueli primum ignota fuerit Dei alloquentis vox?

IV. Fateor non mox Deum a Samuele fuisse agnitum. Sed id singulari quadam Divinæ providentiæ dispensatione factum est. Non dicam nunc Samuelem valde juvenem fuisse, neque fuctum a Deo compellari, & verba compellationis fuisse paucissima, & solo compellati nomine constitisse. Hæc duo considerari malim; I. In ista compellatione non fuisse revelationem alicujus arcani, sed excitationem animi torpentis ad alacritatem atque attentionem. Quo tempore futura præsignificabantur, tum sciebat Samuel Deum sibi loqui. II. Initio id eum scire noluit Deus; ut in ista animi sui simplicitate atque candore Sacerdotem accedens juvenis, neutiquam suspectus esset; sed convinceretur Sacerdos, nihil hic astu, nihil ex compacto geri. Uti mox non dubitavit, quin Deus Samueli locutus fuerit, & verba Samuelis pro Divinis oraculis reverenter suscepit.

V. Rerum revelatarum θεοπρέπεια.

V. Accedit, quod tanta quandoque fuerit rerum revelatarum sapientia, sanctitas, sublimitas & θεοπρέπεια, ut mox sese tanquam a Deo profectas animo insinuarent. Quod tum potissimum contigit, quando mentes amicorum Dei admissæ sunt ad sanctam contemplationem mysteriorum fidei, in quibus ea se pandit veritatis excellentia, ut ne cœlestes quidem genii eorum meditatione satientur. Concurrunt tunc, revelantis Dei majestas, revelationis splendor, rerum revelatarum supercœlestis lux, quorum omnium radiis ita undique circumfunditur animus, ut in

tanto

tanto fulgore coruscantis ubique Divinitatis cum jucundissimâ πληροφορία exsultet.

VI. At non in omni revelatione id obtinet. Quamvis enim nihil unquam de se manifestet Deus, quod numine ipsius dignum non sit; fieri tamen potuit, ut revelationis Divinitatem agnoscerent prophetæ, licet rei revelatæ θεοπρέπεια nondum conscientiæ ipsorum manifesta foret. Pro exemplo sit Ezechiel, qui agnoscebat a Deo sibi dici, ad orbes excrementi humani parabis placentam in oculis Israelis; tantum tamen abest ut executionem istius mandati Deo aut se dignam existimaverit, ut eam accurata oratione deprecatus sit. Ezech. IV. 12. 14. Similiter Petrus in sua ecstasi Deum sibi loqui non dubitavit, sed rei revelatæ æquitatem primo intuitu non vidit: ideoque jussus surgere, mactare, & edere quæcunque videret sine discrimine animalia, respondit, *nequaquam Domine, nunquam enim edi quicquam pollutum vel impurum.* Act. X. 13. 14. In talibus revelationibus convictio Divinitatis non est ex consideratione rei revelatæ, sed ex claritate revelationis, & majestate revelantis, & arcana vi firmissimum assensum eliciente.

VI. Qua tamen non semper se mox approbavit conscientiæ.

VII. Anquirendum adhuc restat, an securi esse potuerint prophetæ, nunquam se revelationibus sibi factis inductum iri in errorem. Certe si Dei Veracitatem, Bonitatem, & revelationis finem, recte attendamus, fieri haut posse videtur ut quisquam mortalium ulla Divina revelatione decipiatur. Dei enim sacratissima Veritas ab omni fraude & deceptione perquam est aliena. Dei indulgentissima Bonitas non patitur, ut qui se verbo ejus committit, eo a veritatis tramite seducatur. Finis revelationis est, ut homo Deum ejusque voluntatem cognoscat. Qua itaque ratione fieri posset, ut sua isthac revelatione abuteretur Deus ad aliquid indicandum, quod neque naturæ, neque voluntati suæ sit consentaneum; Atque hæc tam sunt perspicua, seque evidentia sua adeo conscientiæ approbant, ut omnem contrarii metum expellant.

VII. Non videtur fieri posse, ut propheta ullis revelationibus Divinis inducantur in errorem.

VIII. Non desunt tamen tam *dicta* aliquot, quam *exempla* revelationum, quæ injiciant scrupulum. *Dicta* Dei quod attinet, memorabile & mirabile est quod apud Ezechielem exstat Cap. XIV. 7. 9. 10. *Quisquis e domo Israelis, aut ex peregrinis qui peregrinantur in Israele, averterit se à sequendo me, inductu stercoreis diis suis in animum suum, & offendiculum iniquitatis suæ positum habuerit e regione faciei suæ: quum venerit ad prophetam ut consulat me per eum,* ut

VIII. Sed difficultatem creat dictum Dei. Ezech. XIV. 7. 9. 10.

ut sum Jehova RESPONSABO EI PER ME. *Ipse autem propheta quum pellectus fuerit ut eloquatur verbum*, EGO JEHOVA PELLEXERO PROPHETAM IPSUM, *& extendens manum meam contra ipsum perdam ipsum e medio populi mei Israelis. Ita ferent pœnam iniquitatis suæ; quum pœna consulentis ac pœna prophetæ erit.* Ibi diserto sermone declarat Deus, se aliquando consulenti responsare, non secundum rei veritatem: sed secundum pravam consulentis dispositionem; idque non fieri fraude ac fallacia malevoli prophetæ, Dei nomen mentientis, sed Deum responsare per se ipsum, & prophetam ad ea verba loquenda pellicere, ut utrique, tam consulenti, quam prophetæ, cedat in pœnam.

IX. *Et querela Jeremiæ. Cap.* IV. 10

IX. Ab hoc Dei ad Ezechielem dicto non abludit Jeremiæ querela Cap. IV. 10. *Et dixi: Aha Domine Deus*, אכן השא השאת לעם הזה וירושלים, UTIQUE PLANE SEDUXISTI *populum hunc & Hierosolymam, dicendo, pax erit vobis, quum pertigerit gladius usque ad animam.*

X. *Ut & historia Bileami Num.* XXII.

X. *Exemplum* etiam occurrit in historia *Bileami*. Num. XXII. Accedunt ad Bileamum legati Regis Moabitarum. Bileamus rogat Deum, an iiscum profecturus sit. Abnuit Deus. Bileamus domi manet. Instant legati, alii, & honoratiores. Iterum Deum consulit Bileamus. Respondet oraculum, iret. com. 20. *Veniens autem Deus ad Bileamum noctu, dixit ei, quandoquidem accersitum te veniunt viri isti, surge, abi cum eis.* Paret mandato Bileamus. Proficiscitur: at ominoso itinere, & indignante Deo. *Surgens itaque Bileam ipso mane stravit asinam suam, abiitque cum principibus Moabitarum. Sed accensa est ira Dei, quod ipse abiret, & opposuit se Angelus Jehovæ in via, ut esset adversarius ei.* Quid ita jubet Deus Bileamum ire, & simul irascitur quod oraculo obsequatur?

XI. *Et Israelitarum Jud.* XX.

XI. Sic & oraculum decepisse videtur *Israelitas*. Jud. XX. 18. Adscendunt domum Dei, ut consulerent Deum, dixeruntque, *quis ex nobis primum adscendet ad hanc pugnam contra Benjaminitas?* Respondet Jehova: *Juda primum.* Parent oraculo. Sed fœda strage trucidantur viginti duo millia virorum. Iterum consulunt oraculum, post lamenta & preces: rogantque, *an iterum accedam ad prælium contra filios Benjaminis fratris mei?* Respondet Jehova, *adscendite contra illum.* Quo successu? Rursus prosternuntur ex Israelitis octodecim millia virorum. Nonne & hic deceptio aliqua agnoscenda esse videtur?

XII. *Responsio ad Ezech.* XIV. 7.

XII. Profecto non carent hæc difficultate, quam tamen eximere conabimur, ut Deo Veracitatis & Bonitatis suæ gloria sarta

recta

tecta maneat. Ut ergo ab eo incipiamus sermone qui apud Ezechielem reperitur, in illo observanda veniunt hæc sequentia. I. Non agi ibi de amicis Dei, neque de hominibus probis, qui sincero veritatis amore præditi eam ex Dei ore audire gestiunt: sed de improbis, qui *stercora sua in animum suum induxerunt*, id est, res nihili pro idolis habent, *& offendiculum iniquitatis coram se-se ponunt*, hoc est, dilectos sibi errores fovent, in quos offendentes magis magisque peccent, perperam agant, & a via veritatis & salutis longius recedant. Qui quando Deum consultum veniunt non eo id faciunt animo ut de veritate erudiantur; sed ut in verbo Dei aliquem erroribus suis pravisque cupiditatibus prætextum inveniant. His minatur Deus, ut Justus tam scelerati animi Judex & Vindex, futurum esse ut ipsis secundum stercora sua, secundum pravas cupiditates suas, respondeatur. Justum enim est, ut *qui amorem veritatis recipere noluerunt quo salvi fierent, iis propterea mittat Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio.* 2 Thes. II. 10. 11. Justum, inquam, est, ut eos *quibus visum non est Deum in agnitione habere, tradat Deus in mentem omnis judicii expertem.* Rom. I. 28.

XIII. II. Notandum, hæc a Deo per prophetam candide de hominibus illis prædici, ea intentione ne decipiantur, addita monela, ut convertant se ab istis pravitatibus suis, atque ita justum hoc, attamen tremendum judicium effugiant. Com. 4. 5. *Ad prehendendum domum Israelis in corde suo. Idcirco dic domui Israelis, sic ait Dominus Jehova, convertimini, & avertite animum à stercoreis diis vestris &c.* Post quam increpationem, comminationem, admonitionem, qui in stercoribus suis se volutare pergunt, sibi imputent, si porro seducantur.

XIV. III. Quando ait Jehova, se *responsurum per se ipsum*, non ea id mente dicit, quasi ullum prolaturus sit verbum, quod falsum contineat, in quo sit error atque deceptio: sed quod imperscrutabili sapientia ita temperaturus sit sanctissimos sermones suos, ut qui sine amore veritatis, animo pravarum cupiditatum pleno, eos audiunt leguntve, ea in iis inveniant quibus ad obfirmationem sui in errore abutantur; & non adimatur iis omnis occasio verba Dei torquendi ad propriam perniciem.

XV. IV. Quando addit Deus, prophetam pellectum ad loquendum verbum, quo decipiantur tales consultores, *à se pellectum esse*; de eo propheta agit qui consultoribus similis est; qui mercedem iniquitatis amans, amat iis quoque in erroribus & con-

concupiscentiis suis adulari, dignumque se eodem judicio præstat. Eum pellicit Deus, non inspirando ei mendacium, quo modo amicis suis inspirat veritatem: sed sanctissima sua providentia ita omnia dirigendo, ut multæ ipsi ad errandum occasiones suggerantur; quibus malitiose aut improvide abutens, & ipse decipiatur, & alios decipiat. Profecto non sine Dei providentia est, quod doctores mendacii sæpe habeant magnum ingènium, eruditionem, memoriam, solertiam; hæc a Deo habent. Neque sine Deo est, quod ea animadvertant quæ materia possunt esse σοφισμάτων, eaque iis in tam solertem mentem veniant, quæ plausibiliter ad erroris palliationem proferri possunt. Hæc si ita, uti par est, considerentur, nihil in toto isthoc sermone est quod Veritati & Bonitati Divinæ adversum sit: sed est declaratio justi judicii Dei in eos qui tenebras præ luce amant. Ea intentione ut ab amore mendacii ad amorem veritatis convertantur, justamque numinis vindictam effugiant.

XVI. *Ad Jerem.* IV. 10. XVI. Prolixius aliquanto hæc exponenda fuerunt, quandoquidem arx difficultatis hic sita erat: in cæteris nunc licet esse brevioribus. Jeremiam quod attinet, is, quando populum & Hierosolymam a Deo deceptos esse conqueritur, respicit ad prophetarum illorum conciones, qui populo, & Hierosolymæ imprimis, quæ postrema omnium capta est, promittebant securam, & prospera omnia. Id vero ad Deum refert; quatenus ille prophetis indulserat ut ita mentirentur, etiam prætenso nomine suo, neque mox eos semper puniebat. Deum autem considerat ut Justum Judicem, qui populum rebellem, verisque monitionibus refractarium, & blanda, quamvis falsa, cupientem, seductorum illorum blandiloquiis ludendum dabat.

XVII. *Ad historiam Bileami.* XVII. Facilior est responsio ad ea quæ ex Bileami historia objiciuntur. Primo interdixerat Deus, ne cum Moabitarum legatis proficisceretur; & merito. Ita enim ostendere voluit, valde sibi Moabitarum consilium displicere. Dein, instanti permittit ut iiscum abeat; verum ea lege, eam ut solum rem faceret quam edicturus esset. Nec illud sua carebat ratione. Ita enim se & populum suum Israel celebrari per Bileamum volebat, & Balacum suo quasi jugulari gladio. Non improbat autem Deus, quod iret Bileamus; sed quod malo animo iret. Ibat enim auri avidus, sperabatque aliqua ratione confectum iri, ut promisso sibi præmio potiretur, & facultatem nancisceretur maledicendi populo Israelitico. Quod patet ex responso Angeli, exprobrantis

tis Bileamo viam istam declinare in conspectu suo. vers. 32. Ideoque rursus ipsi continuationem itineris permittit, sed iterata cautione, ut illud tantum verbum loquatur quod edixerit Jehova. Quæ si recte attendantur, nulla hic deceptionis species est; sed clara Divinæ voluntatis explicatio.

XVIII. Neque est cur Israelitæ Divino oraculo seductos se fuisse conquerantur, quando infeliciter manus conseruerunt cum Benjaminitis. Primo enim non rogarunt Deum, an bellum Benjaminitis inferendum esset; multo minus de eventu belli rogarunt. Sed confisi suis viribus, & justitia caussæ, ac victoriam temeraria spe præcipientes, rogant solummodo, quæ in principiis futura esset tribus, primove motura in hostem. Respondet Deus, ut rogatus erat, Juda primum moveat. De successu nihil respondet. Quæ evenit Israelitis calamitas, ex occulta quidem nunc nobis, attamen justissima caussa est. Deoque istius directionis suæ constitere rationes: fortassis & ipsis Israelitis eo tempore. Neque enim legimus, conquestos esse vel de Veritate vel de Bonitate numinis. Satius duxerunt, fletu & victimis placare numen; iterumque sciscitatum accedere. Quod faciunt paullo pressius. Rogant an exeundum ipsis sit in prælium. Annuit Deus. De successu rursus utrimque silentium. Consultum visum est numini, ut iniquo ab ipsis marte dimicaretur. Nondum enim satis pro criminibus suis pœnarum dederant. Nondum se satis humiliaverant. In Dei autem positum est arbitrio, ut quibus vult vindicibus utatur. Eam in rem Benjaminitas nunc adhibere placitum est: quos sui sceleris ultio manet. Nam post jejunia Israelitarum, & oblata holocausta & eucharistica, plenius denique respondit Deus: *Ascendite: cras enim traditurus sum Benjaminem in manum tuam.* Stetit etiam promissis, & absolvit fidem. Ita ne in hoc quidem oraculo quidquam est, quo Israelitas in errorem induxerit Deus. Manet itaque Divinæ revelationis veritas, firmitasque; cujus apud animum suum certi esse potuerunt sancti Dei homines.

XVIII. Et Israelitarum.

Adde Præf. §. IX.

XIX. At quomodo iidem *aliis persuadere* potuerunt, se a Deo, missos esse ad revelationis alicujus Divinæ patefactionem? Atque hic quidem PRIMO loco occurrit ipsius Prophetæ de sua a Deo ad populum missione testimonium, asseverate, constanter, & magna cum fiducia expositum, etiam apud pertinaces, refractarios, imo &, si res ita ferret, apud ipsos reges timendosque tyrannos. Ita Gad ad Davidem se missum protestatur, ut optionem ei offe-

XIX. Fidem prophetis apud alios faciebat constans sua missionis asseveratio.

offerat trium flagellorum Dei, quorum uno castiganda erat inconsiderata Regis arrogantia. *Nunc cognosce*, inquit, *& vide quid rei responsurus sim ei qui misit me.* 2 Sam XXIV. 13. sic Ahias, Siluntinus Propheta, venerabilis senex, uxori Jeroboami, dissimulato habitu ad se accedenti, inclamavit, *ingredere uxor Jerobeami, ecquid tu agis extraneam? Ego vero missus sum ad te cum nuncio duro.* 1 Reg. XIV. 6. Idem de se aliquoties Jeremias asseveravit, Jer. XXVI. 12. *Tunc allocutus est Jeremias omnes illos principes, totumque populum, dicendo: Jehova misit me ad prophetandum contra domum hanc omnia verba quæ audivistis.* Iterum com. 15. *Verumtamen omnino scitote, si morte afficitis me, sanguinem innocentem vos imponere vobis, & civitati huic & habitatoribus ejus: nam vere misit me Jehova ad vos, ad proloquendum vobis audientibus omnia verba ista.* Tantumque valuit hæc Jeremiæ protestatio, ut Principes ac seniores populi dixerint sacerdotibus falsisque prophetis, *nullum est in viro hoc crimen capitale, quum nomine Jehovæ Dei nostri sit allocutus nos.* com. 16.

XX. Conjuncta cum singulari vitæ sanctitudine.

XX. SECUNDO. Fidem faciebat huic asseverationi vita prophetæ, proba, pia, sancta, & in qua virtutum omnium exemplar splendidissima luce micabat. Quos enim sua isthac familiaritate dignabatur Deus, ut ad consiliorum suorum participationem admitteret, quos selegerat sibi ut resipiscentiæ præcones forent, & quos velut molem aggeremque opponebat torrenti iniquitatis, nefanda strage cuncta inundanti; eosdem ita suo sanctificabat Spiritu, ut neque amicitia Dei indigni videri possent, & tota ipsorum vita populo exprobratio criminum esset. Vidisses eos, sibi mundoque mortuos, soli Deo vivere, flagrantes amore Divinæ gloriæ, absorptos zelo domus Dei, spernentes ea quæ cæteri mortales admirabantur, omnemque seculi fastum magno animo, at infucata simplicitate, conculcantes: atque ita ipsis factis demonstrantes, se non suos, non aliorum quorumcumque mortalium, sed Dei; non personatos hypocritas, sed *Sanctos Dei homines esse.* Et hæc ipsorum constans, semperque sibi similis sanctimonia, magnam verbis ipsorum fidem, magnam concionibus auctoritatem addebat. Mar. VI. 20. *Herodes metuebat Johannem, sciens eum esse virum justum & sanctum, & observabat eum, auditoque eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.*

XXI. Cui aliquando accessit priorum

XXI. TERTIO. Quæ diximus hactenus magnam quidem probabilitatem habent, aut certitudinem eam fortassis quæ moralis dici solet. Quid enim est cur virum probum mendacii in ani-

animo nostro insimulemus, præsertim in rebus Divinis, quas ludicre & fallaciter tractare, summæ impietatis est? Attamen, omnis fides quæ tali asseveratione nititur, quum non nitatur nisi testimonio hominis, probi, si vis, & fide digni, ut qui inter homines maxime est ἀξιόπιστος, at hominis tamen; non nisi fides humana est, quæ ultimo resolvitur in auctoritatem testimonii humani. Cæterum amplius hic aliquid requiritur: nam prophetæ sermones suos veluti oracula recipi voluerunt, ea fide quæ non nisi Divinis dictis debetur. Dei ergo ipsius testimonium accedere oportet, quo prophetæ illius dictis concilietur Divina auctoritas. Id autem testimonium Deus non uno modo perhibet. Et primo quidem tum, quando posterioribus prophetiis fidem adstruit, priorum implemento. Enimvero complementum prophetiarum, ex ordine Divinæ providentiæ, est testimonium reale, quo adstruitur, prophetias quibus ita respondit eventus ex Deo esse. Ex quo porro consequitur, velle Deum, ut is cui se tam familiariter patefecit, & cujus vaticinia rei ipsius præstatione confirmavit, pro propheta a populo suo agnoscatur. Denique & illud hinc deducitur, non convenire cum bonitate Dei, ut deinceps homines veritatem ac virtutem amantes, obtentu nominis sui decipi patiatur ab eo quem ipsius jussu aut commendatione pro propheta agnoverunt & receperunt. Nihil horum est quod non doceamur in historia Samuelis. 1 Sam. III. 19. 20. *Quum autem crevisset Samuel, Jehova erat cum eo, adeo ut non sineret decidere ullum ex sermonibus ejus in terram. Unde cognovit totus Israel à Dane ad Beersebam usque, Samuelem stabilitum esse Prophetam Jehovæ.*

prophetiarum complementum.

XXII. Semel tamen invenimus prophetam aliquem nomen Dei obtendisse suo mendacio. Quem miserat Deus ut profanationem altaris Bethelitici prænunciaret, ei hoc simul negotii dederat, ne vel panem ederet, vel aquam biberet eo loci. A rege ipso prolixe invitatus religiose mandato numinis obtemperat. Accidit autem ut Propheta aliquis senex tunc Bethele habitaret, cui quæ gesta erant enarrant filii. Is insequitur virum Dei, assequitur, pellicit ad reditum, & renuenti ob interdictum numinis, respondet: *etiam ego propheta sum, ut tu, & Angelus allocutus est me ex verbo Jehovæ, dicendo, reduc eum tecum domum tuam, ut comedat panem, & bibat aquam*; AT MENTIEBATUR EI. Credit mendacio vir bonus, & antiquæ simplicitatis: sed magno suo malo. Dum enim mensæ accumbit, *factum est verbum Jehovæ* אל הנביא אשר

XXII. Semel invenimus prophetam Betheliticum nomen Dei obtendisse mendacio.

אשר השיבו *ad prophetam qui reduxerat eum*, quo jubetur socio nimis credulo dicere, *propterea quod rebellasti contra præstitutum Jehovæ & edisti panem ac bibisti aquam … non est venturum cadaver tuum in sepulcrum majorum tuorum.* Ac mox abeuntem interficit Leo; una cum asino, cui insederat propheta, cadaveri assistens. Viatores illac transeuntes in oppidum referunt, corpus hominis in via jacere, adstantibus asino & leone. Hic ille senex, re cognita, jubet filios asinum sibi sternere, pervenit ad locum ubi cadaver illæsum a leone. Quod sublatum reportatumque in oppidum, cum luctu & honorifice sepulcro suo infert. Lessum etiam instituit: MI FRATER. Mandat & filiis ut se defunctum, suaque ossa corpori prophetæ illius apponant. Certo enim eventurum esse quod verbum Dominus per istum prophetam enunciaverat adversus aram Bethelis, omnesque domos excelsorum in *oppidis* Samariæ. 1 Reg. XIII.

XXIII. *De cujus prophetæ nomine frustra disputant Magistri.*

XXIII. Non probo equidem Hebræorum Magistrorum περιεργίας de sene hoc propheta solicite inquirentium, temere definientium, quisnam fuerit. Targum, quia dicitur נביא אחד nomen ejus facit חד, sive *Unus.* Kimchi testatur, in quibusdam exemplaribus legi מיכה שמיה *Micha est nomen ejus.* Et sic esse in verbis Magistrorum. Quosdam tamen dicere, quod fuerit Amasia, sacerdos Bethelis. Alios, fuisse Prophetam Iddo seu Addo. Rursus quosdam Jonathanem filium Gersom. Liræ & gerræ, hominum sapere se postulantium supra id quod scriptum est.

XXIV. *Quamvis nunc mendax, vere tamen Propheta fuit.*

XXIV. At nec Lyrano, Dionysio, Hugoni, Cajetano, Vatablo, multisque aliis assentior, post Josephum asserentibus pseudoprophetam fuisse. Melius Theodoretus; qui probat fuisse verum prophetam, quamvis falsis sermonibus usus sit apud Virum Dei. I. Quia Deus prædixit per eum Viro Dei id quod ei eventurum erat. II. Quia Propheta, neque aliter in Scriptura vocatur. III. Quia credidit prædictis de Josia. Sed nec pietate omni destitutus fuisse videtur. Quum agnoverit in viro isthoc æquitatem Divini judicii, ipseque justa ei fecerit, eodemque voluerit condi loculo.

XXV. *Quocunque animo mentitus sit,*

XXV. At quo tandem animo tam vehementer annisus senex est, ut prophetam mensæ suæ adhiberet? Josephus, quem sequitur Abulensis, aliique, dolum malum suspicantur, quo optimum virum perdere voluerit. Glossa sic habet: *Iste pseudopropheta princeps erat Sacerdotum, & valde à Rege colebatur tanquam divinus. Timens autem ne per sermonem Viri Dei Rex ab idolorum cultura recederet,*

ret, & se tanquam maleficum interficeret, excogitavit ut virum Dei deciperet: satis astute agens, ut dum transgrederetur præceptum Dei, illius iram incurreret (sicut postea fecit, quum magis homini quam Deo credidit) ac per hæc monstrarentur esse falsa quæ prædixit; sicque Regi persuadere posset, sicut fecit. Cæterum non conveniunt hæc cum iis quæ multo probabiliora esse modo evicimus. Vero similius est, ex humanitate, civilitate, & affectu erga virum Dei, amicam hanc importunitatem profectam esse; & quum videret se nihil impetrare, tandem precibus suis adjunxisse mendacium: quod fortassis non nisi officiosum esse arbitrabatur, quamvis eventus docuerit letale hospiti fuisse.

XXVI. *Certe insigniter peccavit.*

XXVI. At quocunque id fecerit animo certe ingenti se crimine obstrinxit, a quo prophetam cum maxime alienum semper esse oportet, & tum ante omnia quando Dei se nomine loqui protestatur. Interim tremenda hic se produnt numinis judicia; miranda magis quam rimanda. Certe mendacium Bethelitici prophetæ longe majus crimen esse videtur, quam alterius inconsiderata credulitas. Hanc tamen miser tam severe luit: in illud exemplariter animadversum esse non legimus. At atro carbone, in æternum dedecus male officiosi senis, notatur mortiferum ejus mendacium.

XXVII. *Mendacio ejus ad veritatis confirmationem abusus est Deus.*

XXVII. Quod non permisisset Deus, nisi destinasset eo abuti ad confirmationem veritatis. Nam I. Occasione hujus mendacii manifestum factum est toti populo verbis Dei ad prophetam certo responsurum esse eventum. Atque ex eo quod impletum cernebant, judicium faciendum erat de cæteris. II. Universa hæc historia ingentem Jeroboamo terrorem incutere debuit. Si enim inconsideratum epulum, nulla re culpabile nisi quod contra interdictum Dei esset, cui tamen nunc contrarium mandatum ab alio propheta obtendebatur, tam severe vindicatum sit: quid non supplicii Jeroboamo debebatur ob tam proterviter temeratos religionis Mosaicæ castus? Observationem istam Theodoreto acceptam fero, qui his eam verbis expressit: Ἐι γὰρ τροφῆς μετάληψις παρὰ τὴν θείαν ἐντολὴν γενομένη, καὶ οὐκ ἐξ ἡδονῆς ἀλλ᾽ ἐξ ἀπάτης γεγενημένη, τοσαύτην ἀνδρὶ δικαίῳ τιμωρίαν ἐπήνεγκεν, ὁποίαις περιπεσοῦνται κολάσεσιν οἱ τὸν μὲν πεποιηκότα καταλιπόντες Θεὸν, τὰ δὲ τῶν ἀλόγων προσκυνοῦντες ἰνδάλματα; III. Quod cadaver Prophetæ illæsum manserit, leone ipso veluti custode assistente; id docebat Deo hunc hominem curæ esse: quem puniverat quidem ut transgressorem, sed honorari volebat ut Prophetam: cujus prædictionibus hac ipsa re

re adstruebatur fides. IV. Senex Propheta eandem prædictionem solemniter repetit, certoque complendam esse publice pronunciat. V. Denique tot admiranda in unum concurrentia effecerunt ut vaticinium adversus aram Betheliticam in omnium ore atque memoria versaretur, & legatio hujus Prophetæ multo redderetur conspectior & illustrior. Ita Senis Bethelitici mendacium ipsi quidem infamiam inussit: soli Viro Dei nimis credulo nocuit: at veritati confirmandæ & publicandæ, Divina faciente providentia, insigniter inservivit.

XXVIII. *Aliquando Deus Prophetæ missionem obsignat miraculis.*

XXVIII. Quarto. Tum quoque præclarum Prophetæ alicui testimonium perhibere censendus est Deus, quando missionem ipsius portento & miraculo obsignat. Quum enim miracula ejusmodi operationes sint, quæ naturæ leges superant, Divinæ semper omnipotentiæ argumenta sunt. *Deus Israelis est, qui facit mirabilia solus.* Ps. LXXII. 18. Non est autem probabile ut Deus omnipotentiam suam nequam hominibus mutuetur ad confirmationem mendacii, & deceptionem piorum. Si quis ergo Dei nomine se venire narret, ut notabile aliquid Dei populo sive dicat, sive faciat; ipseque hanc suam missionem tali effectu probet, in quo manifeste Dei digitus eluceat; caussa dici non potest, cur non idem ut a Deo missus fidei obsequio recipiatur. Hac ratione cum populo Israelitico egit Deus, quando Mosen ad eum ex Ægypto liberandum mittebat. Dicenti enim Mosi, *at ecce non sunt credituri mihi, neque auscultaturi voci meæ; nam dicent, non apparuit tibi Jehova*; respondet Jehova instructum eum iri potestate edendi portentum coram oculis ipsorum, *ut credant*, inquit, *apparuisse tibi Jehovam Deum Patrum suorum.* Si unum portentum non sufficiat, addit & alterum: *Hoc fiet*, inquit, *si non crediderint tibi, neque auscultaverint voci tuæ, & signo priori, ut credant voci & signo alteri.* Imo & tertium subjungit; ut incredulitas quantumvis pervicax ad fidei subjectionem edometur. Exod. IV. 1. 2. 5. 8. 9. Neque caruit ea res successu. Nam *edente Mosi signa illa ante oculos ipsius populi credidit populus.* vers. 30. 31. Eodem argumento convicta vidua Sareptana est; cujus filium quum ex mortuis suscitasset Elias, dixit ei mulier, *jam hoc experior, virum Dei te esse, & verbum Jehovæ esse in ore tuo verum.* 1 Reg. XVII. 24. Naaman quoque a lepra nuper sua miraculo curatus, reversus ad virum Dei agnovit, nullum esse Deum in tota terra, nisi in Israele, & Elisæum ut magnum illius Dei ministrum veneratus est, 2 Reg. V. 15.

XXIX. Duo

XXIX. Duo tamen hic observanda; quorum primum est, non fuisse necessarium, neque Divinæ sapientiæ conveniens, ut omnes omnium prophetarum missiones, nedum prophetias, miraculis confirmaret; sed eorum præcipuum fuisse usum in gemino casu. I. Quando quis singulari instructus mandato venit, ut extraordinarium magnumque nuncium Dei nomine deferat, aut insolitum prorsus ministerium præstet: maxime si mittatur ad ordinandam totius religionis formam. II. Quando aliquid a Deo ipso olim jussum atque institutum abrogandum est, aliaque cultus Divini forma ei substituenda. *XXIX. Quorum in gemino casu præcipuus usus est.*

XXX. Si quis Dei nomine veniat, insolitum quid præstiturus, populumve ad insolita præstanda excitaturus, & religionis ceremonias omnes formaturus, ratio exigere videtur, ut insolita etiam, evidentia animumque convincentia Divini quod præfert mandati indicia habeat. Utrimque enim magnum est periculum, sive credatur homini tale mandatum præferenti, sive non credatur. Si credatur temere ac sine sufficienti ratione, periculum est ne deceptrice maleferiati hominis grandiloquentia seductæ mentes ad eas redigantur angustias, quibus inconsideratæ credulitatis suæ justas luant pœnas. Si non credatur mandato, quod tamen revera auctorem habet Deum, metus est ne quis spreti numinis iram atque vindictam in caput suum accersat. Oportet itaque talem Dei, ut sic loquar, mandatarium, iis missionem suam confirmare argumentis, quibus & prudens ac circumspectus animus tranquilletur, & qui credere abnuit omni justæ excusationis specie destituatur. Vix autem est, ut efficacius illud præstari queat quam exhibitione miraculorum, quæ præsens tali homini numen esse omnibus attendentibus manifestum faciant. Hæc est ratio cur Mosen tot miraculis instruxerit Jehova. *XXX. Primo quando Propheta mittitur ad ordinandam totius religionis formam.*

XXXI. At non minor eorum necessitas, ubi forma cultus a Deo instituta immutanda venit. Quum enim ea forma quæ antiquanda est miraculis suffulta fuerit, non minoris efficacitatis eam esse molem oportet, quæ priorem loco moveat: animusque ad minimum æquali evidentia de posteriori hac Divinæ voluntatis parte convinci debet. Neque eo casu miracula miraculis opponuntur, ut alia aliorum valentiam retundant; haut magis quam Divina voluntas opponitur sibi ipsi. Sed uti Deus pro sapientiæ suæ immensitate omnia disponit suaviter, sicuti unicuique ætati condecet; & æterno suo consilio constituit nonnulla ad tempus præscribere, quæ illi erant tempori consentanea, *XXXI. Dein si antiquanda est forma cultus semel instituta.*

iis vero deinceps alia substituere quæ convenientiora sunt tempori correctionis: ita eidem placuit, tam primam institutionem, quam subsequentem correctionem, miraculis firmare, ut utraque pari fidei promtitudine reciperetur. Ob hanc caussam Christus & Apostoli doctrinam suam, in qua Mosaici cultus antiquatio erat, tam stupendis prodigiis comprobarunt; ut palam facerent, se non minus a Deo missos esse ad præconium Evangelii, quam Moses ad præconium legis. *Testimonium illis prabente Deo & signis & prodigiis, variisque virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus pro sua voluntate.* Heb. II. 4.

XXXII. *Sed & tum adhibita miracula, ubi insigniter reformanda fuit religio.*

XXXII. Cæterum & id aliquando usu venisse cernimus, ut regum pravitate, populique socordia, a recto religionis tramite haut paullum recessum sit: sive aliqua facta sit ceremoniarum mutatio, sive mixtura religionis cum idololatria. Id quando acciderat, visum fuit numini viros aliquos insignes ingruentibus seculi vitiis opponere, qui increpita, uti merebatur, impietate, ad purum cultum auditores suos revocabant. Sufficere tum sane debuisset acris Divinorum institutorum repetitio atque inculcatio: attamen, quoniam tanto impetu ad impietatem populus cum primoribus suis non ferebatur, sed ruebat; voluit Deus eas fidelium servorum suorum objurgationes novis miraculis moenire. Exemplum memorabile suppeditat Jeroboami historia: qui quum religionem multis institutis suis corrupisset, & contra Dei præceptum altare struxisset Bethele, ut populi animos a templo Hierosolymitano alienaret, missus ad eum propheta est, prædicturus, futurum esse ut nascatur filius domui Davidis, nomine Josias, qui mactet super illo altari sacerdotes excelsorum, & comburat ossa hominum. Ad faciendam vaticinio fidem, edit illo ipso die prodigium, dicendo, *hoc est prodigium ejus quod dixit Jehova; ecce altare hoc findetur, & effundetur cinis qui est super ipsum.* Et cum dicto fissum est altare, & effusus cinis ab altari secundum prodigium quod ediderat Vir Dei ex verbo Jehovæ. I Reg. XIII. Deinde quum Achabo imperante, & furente Jezabele, deploratissimæ essent religionis res; Eliæ voce vehementer objurgatus est Israel. Verum ut Jezabelis artes, & fraudes sacerdotum Baaliticorum, totius denique idololatriæ vanitas, ad omnium confusionem patescerent, miraculo intercessit Deus; igneque cœlitus descendente natanteis victimas exussit, & lignum & lapides, & pulverem ipsum consumsit. Quo viso exclamavit populus, *Jehova ipse Deus est, Jehova ipse Deus est.* I Reg. XVIII. 39.

XXXIII. Si

XXXIII. Si alia quoque occasio miracula per servos suos, vel circa eos, præstare Deo libuerit, uti frequenter factum esse constat, imputandum id est infinitæ numinis bonitati, quæ tanta clementia ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ humanæ infirmitati succurrit. Non tamen postulanda miracula sunt, ubi nil nisi repetitio, amplificatio, atque applicatio est doctrinæ satis jam superque confirmatæ.

XXXIII. Alias non sunt temere postulanda.

XXXIV. Unde & hoc deducitur, quod secundo loco observari velim, postquam Deus voluntatem suam clare explicuit, eandemque miraculo obsignavit, nullius facienda esse prodigia, quantavis se miraculorum specie venditent, quæ contrariæ doctrinæ obtenduntur. Id enim fixum manere oportet, non posse non a Deo profectum esse, cui ipse verorum miraculorum signaculum impressit: neque posse non falsum esse, quod veritati ita confirmatæ palam adversatur; & consequenter prodigium ad oppositæ doctrinæ confirmationem obtensum non esse verum miraculum, sed præstigias fallacium spirituum, quas Deus ita fieri permittit ad explorandam suorum constantiam. Verbi gratia: Deus Israelis certissimis exploratissimisque miraculis comprobaverat, sibi soli religiosum cultum deberi; certum id indubitatumque Israelitis esse debebat. Diabolus, qui Deus hujus seculi est, mystas suos habet, quibus aliquos Israelitarum ad sui cultum sollicitet. Ne autem inferior Deo Israelis videretur, & ipse signa aliqua per suos istos mystas edit, quibus mirabiles miserabilesque ludos sensibus ac mentibus mortalium facit. Hæc ne attendi quidem Deus vult. Deut. XIII. 1. 2. 3. Neque profecto digna sunt, quibus attendatur. Quum enim falsitas doctrinæ cui confirmandæ adhibentur patere possit ex collatione doctrinæ veræ, & Deus potentia sua nunquam abutatur ad confirmationem mendacii, merito concluditur admiranda illa præstigias & ludos esse, humanam fortassis valentiam & solertiam superantes, at non Diabolicam. Eoque facilius animum inclinare oportet, ubi consideraverit Deum ipsum præmonuisse de tali fraude, & de rationibus ob quas eam a Diabolo strui aliquando sinat. Conf. Matth. XXIV. 24. 2 Thess. II. 9.

XXXIV. Neque ad ea attendendum quæ doctrinæ palam falsæ obtenduntur.

XXXV. Quinto. Ingentem quoque Prophetæ auctoritatem conciliat repentina & insolita vindicta in eos qui missioni & prædicationi ejus pertinaciter obstrepunt. Tum enim ostendit Deus, quam charos eos sanctosque habeat, quos voluntatis suæ internuntios esse jussit. Sic Mosen vindicavit adversus oblocutiones sororis Miriam, immissa ei lepræ plaga, non nisi Mosis intercessione

XXXV. Nonnunquam Prophetis auctoritatem conciliavit Deus insigni vindi-

cta in immorigeros. sione curanda. Num. XII. Sic seditionem Coræ compescuit, efficiens ut ima terra hisceret, & seditiosos illos cum domibus & facultatibus ipsorum absorberet. Num. XVI. Et talem aliquando vindictam exercere Deo placuit, etiam tum quum levis admodum inobedientiæ culpa videri posset. Accidit sub Achabi regimine, ut ex filiis prophetarum aliquis obviam socio factus, ex mandato Jehovæ ei diceret, *percute me quæso.* Id qui audiverat absurdum oppido arbitratus, renuit parere. At mox audit: *propterea quod non auscultasti voci Jehovæ, ecce abeuntem te à me percussurus est Leo.* Dictum factum: vixdum discedentem Leo trucidat. 1 Reg. XX. 35. Quantum ea res terrorem aliis incutere debuit? Sed & Eliæ mirabilis historia est. Consederat in vertice montis cujusdam. Achazias rex mittit præfectum quinquaginta hominibus cum suis quinquaginta; qui accedens his eum verbis compellat. *Vir Dei, Rex edixit, descende.* Respondet Elias, *quod si Vir Dei sum, descendat ignis e cœlo, & consumat te & quinquaginta tuos.* Neque hic dictis facta abfuerunt. Nam ilico descendens ignis e cœlo, consumsit eum cum quinquaginta ejus. Sed & alteri nuncio idem evenit. Ac tertius parem stragem metuens, blandis verbis iram prophetæ lenivit, ac deprecatus est. 2 Reg. I. 9. Elisæi quoque initia simili clade inclaruerunt, Puerulos enim Betheliticos calvitiei ipsius illudentes, ipso imprecante, ad quadraginta duos duæ e silva ursæ dilaniarunt. 2 Reg. II. 23. 24. Sed & servi sui Gehazi inobedientiam, avaritiam, dissimulationem, & mendacium insigniter ultus est, quum lepram qua Naamanem liberaverat ipsi & semini ipsius adhærere jussit in seculum. Atque ab eo ipso temporis momento exivit Gehazi a conspectu ejus, affectus lepra alba sicuti nix. 2 Reg. V. 27.

XXXVI. *Gehazi an post, vel ante inflictam sibi lepræ plagam cum rege Israelis colloquia miscuerit.*

XXXVI Tollendum hic obiter ἐναντιοφανές. Quomodo imprecationi Prophetæ sua constitit veritas, sic ut lepra adhæserit Gehazi in æternum? quum 2 Reg. VIII. 4. 5. narretur eum familiari colloquio & prolixo sermone exposuisse Regi omnia præclare gesta Prophetæ Elisæi, magistri & domini sui: lex autem de leproso expressa extet Lev. XIII. 46. *Omnibus diebus quibus ea plaga in ipso fuerit, immundus habetor, immundus est: solus habitato: extra castra habitatio ejus esto.* Triplex adfertur conciliationis ratio. I. Quod Gehazi pœnitentiam suam Elisæo approbans, ipsius precibus a lepra purgatus, dein sermones hos cum Rege miscuerit. Nam & alias id accidisse animadvertimus, ut imprecationes ejusmodi, quibus tacita suberat conditio, interveniente pœni-

poenitentia mitigatae sint. II. Fieri potuisse ut Rex cum Gehazi, etiamnum leproso, loqueretur, servata debita distantia: uti Naaman leprosus cum comitatu suo ad portam aedium Elisaei venit, ut cum eo de curatione leprae ageret. 2 Reg. v. 9. 10. & quatuor leprosi illi inclamaverunt janitores civitatis Samariae, indicaruntque solutam esse obsidionem & deserta castra Syrorum. 2 Reg. VII. 8. & Christo decem viri leprosi occurrerunt, qui procul stantes, clamaverunt, *Jesu Magister, miserere nostri.* Luc. XVII. 12. Neque omnino cum leprosis colloquium, sed convictus tantum interdictus a Mose videtur. Caeterum hae conciliandi rationes vix est ut animo satisfaciant. Nam disertior atque expressior est Elisaei imprecatio, qua Gehasi non solum, sed & semini ipsius perpetuam lepram denunciat, quam ut ei tam brevis morbi mora satisfieri posse videatur. Neque probabile est, regem loqui voluisse cum leproso. Et colloquium satis prolixum fuit, ac familiare: nec in agro, sed in aula: quo conquestum ad regem matrona illa veniebat, cujus filium ex mortuis suscitaverat Elisaeus. Ideoque multum dissimile prolatis exemplis est, ubi leprosi e longinquo alios inclamasse narrantur. Restat ergo III. ut credamus colloquium hoc regis cum Gehazi institutum fuisse ante plagam ipsius, & per ὑστερολογίαν quandam, loco non suo, neque servato temporum ordine, narrari. Non enim quia Naamanis curatio & Gehazi plaga prius memorata sunt, idcirco prius acciderunt. Frequentia, omnibusque obvia in sacris literis consimilis ὑστερολογίας exempla sunt; quibus recensendis non est ut nunc immoremur.

XXXVII. Simili in vitam & valetudinem hominum potestate Apostoli quoque usi sunt, qui Prophetae Testamenti Novi fuerunt. Petrus enim Ananiam de pretio venditi praedii intervertentem, & Deo ac Spiritui ipsius audacter mentientem, non gravissima solum oratione objurgavit, sed & ita increpuit, ut auditis sermonibus ejus mox conciderit, & exanimatus fuerit. Ac post trium circiter horarum intervallum, uxorem Ananiae, horrendi istius exempli nesciam, at criminis mariti sociam, simili sermone compellavit: *quid est cur convenerit inter vos, ut tentaretis Spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum ad ostium adsunt, & efferent te. Ilico vero cecidit ad pedes ejus, & exanimata est.* Act. v. 5. 9. 10. Quid dicemus? An Petrus hic homicida? Porphyrius eum saevitiae ac caedis arguit. Cujus certe non magis reus est, quam Elias olim. Hieronymus negat Petrum occidisse Ana-

XXXVII. Apostoli quoque potestatem habuerunt in vitam & valetudinem hominum.

Ananiam, cui nec mortem minatus est. Origenes putat, Ananiam tam gravi increpatione perculsum, præ pudore ac mœrore nimio obiisse. Sed verius est, Petri vocem fuisse caussam uti vocant moralem hujus miraculi, quod ad eam patraverit Deus: qui Apostolorum auctoritatem, vim Evangelii, & Divinitatem Spiritus Sancti tam stupendo opere illustrem reddere voluit. Quamvis genius Evangelii prorsus ad mansuetudinem & benignitatem compositus sit; voluit tamen Deus initio prædicationis ipsius terribilia aliquot exstare exempla, ut præfractis hominibus incuteretur metus. Atque hoc est quod dicitur: vers. 11. *Obortus est metus magnus toti Ecclesiæ, & omnibus qui hæc audiebant.*

XXXVIII. Sed & Paulus non minus se terribilem præstitit Elymæ Mago; qui quum ipsi viam Dei exponenti apud Proprætorem Sergium Paulum procacibus dictis obstreperet, studens avertere Proprætorem a fide, Paulus repletus Spiritu Sancto, intentis in eum oculis, ita ipsum compellasse fertur: *O plene omni dolo, & ad quodvis scelus facilitate, fili diaboli, hostis omnis justitiæ, non cessabis pervertere vias Domini rectas? Nunc igitur ecce, manus Domini adversum te: erisque cæcus, non cernens solem ad certum tempus. Ilico vero incidit in eum caligo ac tenebræ, & circumiens quærebat, qui sese manu prehensum ducerent.* Act. XIII. 9. 10. 11.

XXXIX. Non desunt qui huc referant *Virgam* illam, de qua 1 Cor. IV. 21. *Quid vultis? cum Virga veniam ad vos?* Qua de re eruditissimam Dissertationem edidit Vir Clarissimus Gulielmus Saldenus, fidissimus ac dulcissimus meorum amicorum. Certe huc pertinere videtur potestas illa, quæ magnifice prædicatur 2 Cor. X. vers. 3. 4. 5. 6. ubi in hæc verba finit Apostolus: *Et paratum habendo quo vindicemus omnem contumaciam.* Nimirum carebat tunc Ecclesia tutela Politici Magistratus: ita tamen comparatæ sunt mortalium mentes, ut, si terror omnis absit, in officio vix, aut ne vix quidem, contineri queant: hinc Christus Apostolis suis concessit prodigiosam puniendi potestatem. Prudenter interim a Calvino observatum est: *Quoniam miracula ut plurimum Christi naturam referre debebant, qui totus humanus est, suavis, beneficus & misericors; ideo rara diversæ potentiæ exempla per Apostolos edita esse. Neque putandum est hac potestate fuisse instructos, quoties libitum esset quempiam ulcisci; sed Spiritus Dei, qui sic eos armabat, idem ad rectum & legitimum usum director fuit.* (*In Act. XIII. 11.*)

(*XL. Quomodo illi Propheta*) XL. Ubi Propheta tam luculentis a Deo instructus est testimoniis, ut verbis ipsius eventus jam aliquoties responderit, vel præ-

conium præſenti prodigio firmetur, vel exemplaris Numinis dicta adverſus contumaces exardeſcat; mirum non eſt, ſi is magnam apud populum auctoritatem conciliet. Fatendum im, non omnibus Prophetis hoc contingere. Et quid ii ha- qui primam ſuam Prophetiam exponunt? in quorum gra- nullum hactenus factum eſt prodigium? quorum vaticinia que rerum eventu, neque alia quadam ratione, a Deo adhuc ſignata ſunt? Sumamus Jeſaiam, aut Micham, aut Jeremiam, um a Deo ad prophetandum vocati, primos ad populum ſer- ones habebant. Aut Jonam ſumamus, ad Ninivitas miſſum, t inſtans iis exitium prædicaret. Quomodo illi miſſionem ſuam probarunt, & dictis ſuis fidem conciliarunt apud populum aeliticum? Quomodo hic, homo peregrinus, potentiſſimæ ci- tati perſuaſit, ut nuncium ſuum pro cœleſti oraculo admitte- nt? Quid criminis fuiſſet, ſi fuiſſent cauſſati explorandos prius rophetas & prophetias eſſe, de quibus nihil ipſis hactenus con- ſterat, antequam pios, ſi vis, at humanos fortaſſis ſermones, o ſummi Numinis dictatis reciperent? Hic me hærere fateor, vix viam mihi patere qua evadam. Dicendumne eſt, Viros nos Prophetico muneri admovit Deus, ſapientia & pietate in- gnes, atque ita civibus ſuis & popularibus notos fuiſſe; in os nulla idcirco fraudis caderet ſuſpicio? Prodiiſſe eoſdem ex cholis Prophetarum, atque ibidem documenta præbuiſſe fami- aris ſui cum Deo commercii? Conciones ipſorum primas fun- atas fuiſſe in doctrina Moſaica, & continuiſſe increpationes & mminationes, vel hortationes & promiſſiones, quæ ſe populi onſcientiæ approbare debuerunt? Et adfuiſſe eam dicendi ma- ſtatem atque efficaciam, quam nos nunc nobis imaginari non oſſumus, ſed quam illi tamen non difficulter animadverterunt, ibus licuit eos præſentes tueri atque audire? Jonam vero Nini- tis prolixe expoſuiſſe ea quæ ſibi in tergiverſatione ac fuga ſua venerant, quomodo a ceto abſorptus poſt triduum terræ reddi- fuerit, & iterato juſſu in urbem tandem appulerit: idque a pathetici ſermonis gravitate narraſſe, ut fidem invenerit apud homines criminum conſcientia convictos? Denique, quo- niam ſermones illi Prophetici rectum virtutis tramitem monſtra- rent, quo evitari prænunciatæ calamitates, vel obtineri promiſſa bona poſſent; tutiſſimum certe fuiſſe, iis, uti e cœlo profectis, præſtare obſequium, donec ipſa ſe fata clarius explicent? Enim- vero dici hæc omnia poſſunt, & profecto pondus ſuum habent.

miſſionem ſuam approbaverint, in quorum gratiam nullum factum eſt miraculum?

Sed an sufficiant ad tollendam omnem difficultatem, attentius pensitari meretur. Mihi nunc non occurrunt plura: sed usu comperio quod initio monui, remansurum semper aliquid in quo mihi ipsi haut satisfaciam, nedum ut aliis satisfacere postulem.

XLI. Multis prophetiis non videtur respondere eventus.

XLI. Magna interim se prodit difficultas, quam quantum fieri potest commodissime tollendam arbitror. Quandoquidem prophetiarum veritas ex eventu æstimanda est; unde fiat quod multis prophetiis eventus non respondeat? Deo ipso id monente, Jer. XVIII. 7. 8. 9. 10. *Quo momento eloquar contra gentem, & contra regnum, me convulsurum, & demoliturum, & perditurum esse: si convertatur gens illa à malo suo, contra quam locutus fuero, pænitebit me quoque ejus mali, quod cogitaveram facere ei. Quo autem momento loquar de gente & regno, me ædificaturum & plantaturum esse; si fecerit quod malum est in oculis meis, non auscultando voci meæ, vicissim pænitebit me illius boni, quo dixero me benefacturum ei.*

XLII. Sed iis tacita tunc subest conditio.

XLII. Ut eximatur hic scrupulus distingui prædictiones oportet, ut aliæ absolutæ esse censeantur, aliæ a conditione quadam suspensæ. Illas semper impleri necesse est; has tum demum ubi conditio a qua suspenduntur exstat. Imo accurate & Philosophice loquendo, omnes semper implentur, eæ etiam quæ conditionatæ sunt. Nam, uti Logicorum filii norunt, enunciationis conditionatæ veritas non consistit in veritate antecedentis aut consequentis, sed in utriusque nexu. Verbi gratia; sumamus hanc prædictionem, si Israel præceptis Dei sui constanter obtemperet, multorum seculorum felicitate in tranquilla possessione terræ Canaan gaudebit. Promissioni illi sua constat veritas, etiamsi neque Israel obtemperet, neque prospere agat in terra. Neque ex hac promissione facultatem habet Israel, ullas res prosperas expectandi, nisi præcesserit obedientia. Porro observandum est, conditionem ejusmodi aliquando diserto sermone exprimi, aliquando tacite subintelligendam innui. Ubi exprimitur nulla est difficultas. At in comminationibus, sive promissionibus, etiam non expressa, sæpenumero intelligenda est. Et hoc verba Dei apud Jeremiam volunt: in quibus tamen humano more populariter loquitur Deus; quasi pœnitudine ductus sermonem & consilium mutet. Quæ quomodo, uti Deo dignum est, intelligi debeant, pueri didicimus.

XLIII. Qualis est prophetia

XLIII. Exemplo uno alterove rem illustremus. Jesaias Hizkiæ Regi dixit: *rem familiæ tuæ dispone, brevi enim morieris*, uti an-

amplius vives. Jes. XXXVIII. 1. Secus tamen accidit: nam Hizkias a morbo recreatus ad quindecim annos supervixit. Quid hic dicendum? *Molinaeus in Vate Lib.* I. *Cap.* VI. Jesaiam sic respondisse existimat, ante consilium Dei probe perceptum. Ideoque mox jussum esse emendare, quod per errorem pronunciaverat. At non videtur attendisse Vir Magnus, quo modo Jesaias sermonem suum inchoet; qui veniens ad regem dixit, *sic ait Jehova.* Certe qua erat virtute & fide, non fuisset ausus Deo inconsulto Dei nomen & auctoritatem dicto suo obtendere. Mihi ne dubitandum quidem esse videtur, quin Dei jussu, & ex Dei mente, dixerit Jesaias, quidquid dixit. Quid ergo? Indicavit, morbum quo laborabat rex natura sua lethalem esse, & futurum ut ex eo brevi moreretur. At subintelligebatur conditio, nisi insigni resipiscentia, & validis precibus, prodigiosam curationem a Deo impetraret. Ita sane rem percepit Hizkias; neque existimavit irrevocabilem se audire vicinae mortis sententiam. Sed facie ad parietem conversa, plurimisque lacrumis, misericordiam Dei haut frustra imploravit. Atque hinc iteratis ad eum jussis missus Jesaias est, non emendaturus quod, Deo inconsulto, vitio pronunciaverat; sed plenius expositurus mentem Domini, & demonstraturus quanta vis esset resipiscentiae & precum. *de morte Hizkia.*

XLIV. Addamus & Jonae historiam; qui ad Ninivitas missus est, ut praedicaret, *adhuc quadraginta dies, & deinde Ninive subvertetur.* In speciem quidem absoluta videbatur haec praedictio: at suberat tamen conditio, nisi insigniter resipiscerent Ninivitae. Quam subesse, si non plenissime persuasi fuerint, saltem suspicati sunt. Hinc ad preces & jejunia se converterunt, dicentes, *quis scit, an reversurus sit, & poeniteat Deum, ut reverso eo ab aestu ira sua non pereamus?* Et revera *poenituit Deum ejus mali quo se dixerat affecturum eos, & non affecit.* Jon. III. id est, ipso facto ostendit, praedictioni hanc conditionem subfuisse, nisi criminum suorum poenitentiam agentes, ea cum meliori vitae instituto commutarent. XLIV. *Et excidio Ninivitarum.*

XLV. Quaerendum interim restat, unde dignosci queat, an praedictio aliqua absoluta sit, an suspensa a conditione quae reticetur? Multum diuque de hac materia cogitanti haec tandem occurrerunt: nonnulla etiam suggessit Eduardus Stillingfleet, inter Anglicanorum Praesulum Doctissimos magno suo merito numerandus *Orig. Sacrar. Lib.* II. *Cap.* VI. Distinctio arcessenda videtur partim ex rei subjectae natura, partim ex singularibus quibusdam XLV. *Unde dignosci possint praedictiones absoluta ab iis, qua pendent a tacita conditione.*

busdam accidentibus. Si naturam rerum spectemus, illæ prædictiones absolutæ sunt: I. Quibus singulares eventus cum suis circumstantiis, & definitione temporis, loci, modi, personarum, prænunciantur. Talis fuit prophetia de altari Bethelitico profanando per Josiam, exustione sacerdotum & ossium humanorum: de occupanda Babylone per Cyrum, Imperatorem exercitus Persici & Medi: de adventu Messiæ in carnem, Bethlemi, ex Virgine & familia Regia, sed ad paupertatem redacta &c. Nam collectio tot rerum singularium, nulla humana prudentia conjungendarum, non potest aliunde nisi ex Dei consilio esse; quod ob eam caussam exposuit, ut eventu comprobaretur præditum se esse præsaga cunctorum scientia. II. Quibus prænunciatur interna animi dispositio, sive prava & ab officio abnormiter declinans, sive laudabilis & sancta. Uti quum prædicitur obduratum iri cor Pharaonis, ne dimittat Israelem, recessuros esse Israelitas a via per Mosen præmonstrata, occœcatum iri oculos, & callo obducendas plurimorum mentes, ne Messiam cum suo Evangelio recipiant. Vel contra, prophetiæ de eorum conversione sub novissima dierum, de circumcisione cordis, de lege indenda mentibus & inscribenda animis, de agnitione Messiæ, itemque de vocatione gentium, & conversione a nefando falsorum numinum cultu, & quæ id genus plurima sunt. Hæc enim conditionum quidem vicem habent, unde alia suspenduntur: ipsa a conditione non pendent. III. Quibus ea prænunciantur quæ in solius Dei manu atque arbitrio sunt, nullaque hominum mutatione mutari posse palam est. Quales sunt prædictiones de miraculis patrandis a Christo & Apostolis ejus: de adventu Christi ad novissimum & universale judicium; de conflagratione universi, de resurrectione carnis, & similia. IV. Denique quibus ea prænunciantur, quæ sagacitatem humanorum consiliorum, directionemque caussarum secundarum superant, & in se considerata omni probabilitate & verisimilitudine destituta sunt. Quo enim repulsiora sunt a sensibus humanis, caussarumque secundarum constitutione, eo clarius repræsentant consilium Dei, qui operum suorum gloriam sibi attribui vult. Atque hic obtinet durum, sed animosum Tertulliani dictum: CREDO QUIA IMPOSSIBILE EST: impossibile nimirum judicio carnis, & consilio hominum. Quo improbabilior videbatur reductio ex captivitate Babylonica, & reædificatio Hierosolymæ, eo certior illius censeri debebat prædictio. Nimirum sic ait Jehova: *Ego is sum qui irrita*

irrita facturus est signa mendacium, & ex divinis stultos effecturus: reducturus sapientes retrorsum, & scientiam eorum infatuaturus. Præstiturus verbum servi sui, & consilium nunciorum ejus absoluturus: qui dico Hierosolymis, habitabuntur, & de civitatibus Judæ, ædificabuntur; & qui vastitates istius erecturus sum. Qui edicturus sum ipsi profundo exsiccare, & flumina tua arefacturus. Jes. XLIV. 20. 21. 22.

XLVI. Sed & ex singularibus quibusdam accidentibus colligi potest, quæ prædictiones in censum absolutarum referendæ sint. nimirum quas confirmavit Deus, vel *Miraculo*, vel *Jure jurando*. Quum enim prædictiones illæ quæ conditionem officii vel præstiti vel neglecti supponunt sua se æquitate facilius conscientiæ approbent, & nexum rerum, Divinæ humanæque naturæ convenientem, repræsentent, minus necessarium esse videtur, ut Deus ad earum confirmationem ordinem naturæ mutet faciendo miraculum. Id quando facit, exspectandum est ut sua omnipotentia certo præstet rem prædictam, neque prædictionis eum suæ unquam pœniteat. Jus jurandum vero immutabilitatem consilii Dei declarat circa eam rem cui confirmandæ adhibeatur, & excludit illud omne quod sub pœnitentiæ nomine Deo aliquando attribuitur. Ipse id Deus docet Ps. LXXXIX. 36. *Semel juravi per Sanctitatem meam, Davidi non mentiar: Semen ejus in seculum fore, & solium ejus ut solem coram me.* Solet quidem Deus ejus generis promissiones suspendere a conditione obedientiæ: at hic declarat, nulla delicta domus Davidis talia fore, ut promissionem jure jurando sancitam irritam faciant. Uti antecedentia innuunt. vers. 31. 32. 33. 34. *Si dereliquerint filii ejus legem meam . . . visitabo quidem virga defectionem eorum. . . . Sed benignitatem meam non irritam faciam ab eo, neque mentiar contra fidem meam.* Adeo denique ἀμεταμέλητος est hæc prædictio, ut in nullius hominis potestate sit, eam quomodocunque alterare. Jer. XXXIII. 20. 21. *Sic ait Jehova, si irritum facere potestis fœdus meum de die & fœdus meum de nocte, idque ut non sit diurnum tempus & nocturnum tempore suo; Etiam fœdus meum cum Davide irritum fiet.* Idem docet Paulus apertissime: Heb. VI. 17. 18. *Qua in re Deus volens ex abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilii sui, fidejussit jure jurando; ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non potest ut mentitus sit Deus, validam consolationem habeamus.* Verum quidem est exigere Deum ab hæredibus promissionis ut spem propositam constanti fide retineant. Sed & non minus verum est, ita Deum omnipotenti sua gratia animos eorum moderari, ne turpiter de-

 serta

ferta fide promissione excidant. Et sicut absoluta est promissio Dei de non delendo rursus mundo per universale aliquod diluvium, ita non minus irrevocabilis est promissio de beandis hæredibus salutis: utraque pari jure jurando confirmata. Jes. LIV. 9. *Nam ut aquæ Noachi hoc mihi est; qui juravi non transituras aquas Noachi amplius super terram: sic juro fore ut non effervescam contra te, & non increpem te.*

CAP. XVI.

De Prophetis ante legem.

I. *Tres prophetarum periodi.* II. *Primus hominum primus Propheta fuit.* III. *Veterum Hebræorum de Adami libro catechesis.* IV. *Henochum Prophetam fuisse, omnis credidit antiquitas.* V. *De libris ipsi attributis.* VI. *An ex iis suam de Henochi prophetia traditionem Judas habeat?* VII. *An potius ex historia Mosaica?* VIII. *Noach Propheta.* IX. *Absurda opinio de naturali necessitate diluvii universalis.* X. XI. *Refellitur.* XII. *Noachus seculi sui homines fideliter erudivit.* XIII. XIV. *Et filiis sua fata cecinit.* XV. *Sequuntur in Prophetarum serie Abrahamus, Isaacus, & Jacobus.* XVI. *Qui Abrahamo apparuerunt trium virorum specie, non fuerunt istorum temporum propheta.* XVII. *Loto an prophetia obtigerit?* XVIII. *Josephus Propheta.* XIX. *An Ethan & Heman, nepotes Judæ, auctores sint Psalmorum* LXXXVIII. *&* LXXXIX? XX. *An alii ejusdem nominis qui Davidis tempore floruerunt?* XXI. *Hoc videtur probabilius.* XXII. *Jobus revera in rerum natura exstitit.* XXIII. *Prosapiâ an Idumæus,* XXIV. *An ex Nachore,* XXV. *An ex Kethura,* XXVI. *Incertum.* XXVII. *Credibile vixisse ante legem latam.* XXVIII. *Auctor libri de Jobo agentis ignotus est.* XXIX. *Ut & tempus conscriptionis.* XXX. *Improbe censuræ Criticorum subjicitur Divinus Liber.* XXXI. *Jobus Propheta fuit.* XXXII. *Nequicquam obstrepentibus Rabbinis.* XXXIII. *Bileami prosapia, & natale solum.* XXXIV. *Professione quidem Divinus.* XXXV. *Sed & Propheta fuit.* XXXVI. *Male Origenes Messiæ doctrinam per eum inter gentes sparsam conjectat.* XXXVII. *Male etiam Rabbini quidam eum Mosi æquiparant.* XXXVIII. *Prophetiæ ejus prophetiis sanctorum inferiores sunt.* XXXIX. *Moribus improbus fuit.* XL. *Et auctor funesti Hebræis consilii.* XLI. *Quamobrem memoria ejus abominabilis in Ecclesia est.* XLII. *Nugantur qui Bileamum mutant in Elihum.*

Hactenus

HActenus de Prophetis generatim egimus : nunc lubet HISTORIAM PRÆCIPUORUM PROPHETARUM contexere, & inquirere quando *inceperit* prophetiæ donum & munus, quomodo *continuatum* sit, an denique & quando *desie-t?* Tres autem temporum periodos distincte considerare licet, iibus diversimode Deus prophetiam dispensavit. I. ANTE LEGEM OSAICAM. II SUB LEGE. III. SUB EVANGELIO. I. *Tres prophetarum periodi.*

II. ANTE LEGEM, qui primus hominum, idem & primus ophetarum fuit. ADAMO enim ad imaginem suam creato, & magna secum familiaritate versanti, seipsum ante omnia co-noscendum præbuit Deus, tam secundum ea quæ natura de eo docere potest, quam quæ non nisi ex gratiosa revelatione scuntur: quo referri debere unius & individuæ unitatis in tri-s personis subsistentiam, alibi a nobis demonstratum est. Ei-m quoque patefecit ordinem creationis universi, formationem njugis ex sui dormientis costa, interdictum de non gustanda bore scientiæ boni & mali, & quæ alia eum scire oportuit, i imperium in res a se conditas crediderat. Post lapsum au-m justa indignatione eum increpuit, sententiam pronunciavit, quibus cum posteritate sua malis mulctandus esset enarravit olixe. Denique jucundissimo alloquio solatus est, quo, bre-ssimis quidem verbis, totius tamen Evangelii summa compre-nditur, alibi fusius exposita. Hanc ænigmatico primum sermo-: prolatam, credibile est Deum aliquanto explanatius deinceps lamo tradidisse, qui eam viva fide apprehensam, uti pretiosis-num depositum, sollicite conservavit, neque neglexit cum filiis nepotibus communicare. Hæc ex Mosis commentariis, rei-e ipsius natura, non difficili collectione inferuntur. II. *Primus hominum primus Prophetarum fuit.*

III. Hebræorum Magistri aiunt, codicem quendam, cœlestem sientiam continentem, a Domino secretorum Adamo fuisse ditum. Quem quidem secum Paradiso efferre conatus sit; sed ptum vixdum egresso, & in cœlum subductum fuisse. Mox men ad ejus supplicationem restitutum, ea lege, ut sapientiam ibi contentam cum posteritate communicaret. Ridicula qui-m hæc prima fronte videntur: at continent catechesin Vete-m, ac parabolico sermone sequentes veritates docent. I. No-iam Divinarum rerum in statu integritatis Adamo fuisse com-unicatam, partim per φανέρωσιν, quoad τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, par-n per ἀποκάλυψιν τῶν μυστηρίων. II. Notitiam eam magna ex rte amissam fuisse, justo Dei judicio, quo vindicabat sanctissi- III. *Veterum Hebræorum de Adami libro catechesis.*

mæ legis suæ transgressionem. Hoc notatur libri istius subdu-ctione, quum expelleretur Paradiso. III. Eandem clementer re-stitutam esse, postquam admissus esset ad gratiam: addita doctri-na Evangelii. IV. Ad officium Adami pertinuisse, ut posteros erudiret de Dei cognitione & cultu.

IV. Henochum Prophetam fuisse, omnis credidit antiquitas.

IV. Succedit Adamo HENOCHUS, ab eo septimus; cujus vaticinium in Epistola sua laudavit Judas Apostolus, com. 14. 15. *Prophetavit autem etiam de istis septimus ab Adamo. Henochus, dicens, ecce venit Dominus cum Sanctis millibus suis: ut ferat judicium adversus omnes, & redarguat quicunque ex ipsis sunt impii. &c.* Henochum prophetam fuisse omnis credidit antiquitas. Hebræorum Magistri non verentur affirmare, שהיא במדרגה יותר גדולה ממשה ואליהו *fuisse eum prophetam in gradu excellentiori quam Moses & Elia.* *Muhamed* in *Alcorano* vocat eum *Edris Prophetum.* Facile *Hottingero* assentior, docenti vocem Arabicam אדריס significare *doctum, literatum, disputatorem sagacem, & accuratum rerum investigatorem.* Adeo ut vox Arabica אדריס, Hebræa דרשן, Chaldæa ספרא, Græca συζητητὴς, vere συνώνυμα sint. Cui conjecturæ calculum addit *Beidavi Arabs*, commentariis in *Suratam Alkorani de Maria. Eum dictus Edris, propter multiplex studium. Demisit enim ei Altissimus triginta volumina. Refertur etiam primus fuisse calamographus, & Astronomiæ studiosus.*

Hist. Orient. Lib. 1. Cap. III. p. m. 22.

V. De libris ipsi attributis.

V. Plurimi quoque antiquorum Christianorum, *Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Irenæus, Cyprianus, Lactantius,* aliique Henocho volumen scriptarum prophetiarum attribuunt. Versatus eorum manibus est antiquus liber, hac inscriptione, *Testamentum duodecim Patriarcharum*, quod sæpe *Origenes* & *Procopius* citant. Ei multa inseruntur Henochi vaticinia, videlicet de his quæ eventura erant filiis ac nepotibus XII. Patriarcharum, de futuris Hebræorum sceleribus ac poenis, de mundi Servatore ab Hebræis occidendo, de Hebræorum conversione, aliisque. Judæis etiam in pretio fuit liber Henochi titulum præferens. Eum laudat *Menachem Recanatensis* Drusio citatus. Nescio an idem sit cujus editionem Græcam nactus est *Josephus Scaliger*: certe is fragmentum quoddam ex libro Henochi exhibet in suis *Eusebianis* p. 404. unde hanc Judæ pericopam, eamque quæ de Angelis prævaricatoribus agit, contendit esse petitam. Scaligeri Græca Latine reddidit *Athanasius Kircherus* in *Oedipo Ægyptiaco.* Indeque descripsit Clarissimus *Heideggerus* in *Historia Patriarcharum.* Mihi non videntur tanti, ut eorum repetitione Lectoris patientia abu-

tar,

tar. Scaliger ipse negat statuere se posse, *plusne otii superfuerit Judæis, ut hæc confingerent; an sibi patientiæ ut describeret. Tot enim,* inquit, *sunt in illis quorum piget, tædet pudetque, ut nisi scirem Judæorum esse mentiri, neque nunc eos illas nugas desinere posse, ne digna quidem censuissem quæ legerentur.*

VI. Et tamen, quod mirum ex tam futili, nugatorio, atque omni ratione Apocrypho scripto, Beatum Judam prophetiam hanc Henochi arcessivisse vult. Quod mihi nullo modo fit verisimile. Non enim certe id egit Apostolus, ut sanctissimis literis suis, in materia momentosissima, absurdi scripti allegatione fidem & reverentiam detraheret. At neque dicit Judas Henochum ita scripsisse; neque in libro qui Henochi dicitur prophetiæ hujus vel vola vel vestigium reperitur. Imo credibile est Judæ ætate suppostitium hunc librum ne quidem in rerum natura fuisse, sed vel a putido & portentoso nescio quo Cabbalista Græcanico, vel ab hæretico, & sciolo aliquo Christum professo, sub Henochi nomine procusum esse. Quod multis rationibus erudite ostendit laudatus modo nobis *Heideggerus.* *VI. An ex iis suam de Henochi prophetia traditionem Judas habeat?*

VII. Sed unde tandem Henochi prophetiam hausit Apostolus? Celeberrimus *Coccejus* conjectat Judam ex historia Mosaica collegisse. *Nam,* inquit, *prophetasse Henochum, satis constat ex sacris literis. Ambulavit enim cum Deo; ergo cum Deo fecit, defectoribus se opposuit, verbis, sine dubio, in Spiritu Sancto dictis, & opere. Nemo est qui credat in Deum, qui non prophetet..... Nullus patrum credens promissioni in Paradiso auditæ non prophetavit de Christi adventu & regno. Porro Judas talia Henochum prophetasse testatur, quæ optime & pathetice ei attribuuntur in prosopopœia.* Quæ quidem non male mihi animadversa videntur: attamen non validum satis fundamentum continere, cui Judæ allegatio commode inædificetur. Nam Judas formulam prophetiæ Henocho adscribit, quæ ex Mose disci non potest. Crediderim igitur, Judam hæc habuisse ex nota & confessa eo tempore traditione: quam veram esse Spiritu magistro cognovit, dignamque quam sua hac Epistola consecraret æternitati. *VII. An potius ex historia Mosaica?*

VIII. Henochum sequitur Noachus, cui indicavit Deus tædium suum super iniquitatem, protervitatem, & scelera hominum a sese conditorum; & consilium de perdendo genere humano per diluvium, itemque mandatum de fabricanda arca ad sui suæque familiæ conservationem, & reparationem novi mundi ex se nasciturі; denique consilium de tempestatibus anni nullo ite- *VIII. Noach Propheta.*

iterum diluvio turbandis, neque exstirpando genere humano per aquas. Quod consilium fœderis nomine exposuit, confirmavitque solemni sacramento iridis formatæ in nubibus.

IX. Absurda opinio de naturali necessitate diluvii universalis.

IX. Moram hic mihi, quantumvis festinanti, nova: &, uti ego quidem arbitror, absurda injicit opinio; qualium nostro hoc seculo proventus est uberrimus. Non desunt qui diluvium, quo mortalium scelera iratum numen eluisse sacra testatur historia, ad caussas mere naturales ita referunt, ut eopse tempore non minus necessario accidisse pugnent, quam solis lunæve statis tempestatibus deliquia. Id ut obtineant, fingunt talem universi fabricam, quâ ex chao, secundum regulas motus, successu temporis, multa caussarum naturalium serie, prodire tandem debuerit bene ordinatus mundus: uti & prodiit. Sed multo aliter primam universitatis tum formatæ constitutionem concipiunt, atque nunc est. Et qua sunt incredibili ingenii solertia, non minus accurate eam depingunt, quam si præsentes multa eam contemplati essent ac solicita diligentia. Securi quid de mundi creatione, sex dierum spatio, prodiderit Moses; modo Philosophiæ suæ dictata sarta tecta maneant: quorum quamvis fortassis non omnino imperitus esset Moses, (quod modestiæ caussa additur) satis tamen habuit crassiori Minerva, ad captum populi Israelitici, & prout religioni constituendæ inserviebat, historiam suam consignare. Ex ea autem universi forma diluvii necessitatem deducunt; secundum æternas regulas motus: ea iterum caussarum concinna concatenatione, ut non magis eam perspectam habuere potuerint, si ipsi formassent, vel saltem Deo formanti a consiliis fuissent.

X. Refellitur.

X. At si in ullis unquam mortalium, in his certe verat Pauli illud: *Vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est cor eorum intelligentia carens. Quum se dictitent sapientes, stulti facti sunt.* Rom. I. 21. 22. Quicquid enim jactent, neque mundi fabricam ex philosophia sua norunt, neque dissolutionem tenent: & ut utramque tueantur tale sibi ex ideis in vacuo cerebello volitantibus universum ædificant, quale neque quisquam mortalium vidit, neque scriptura docuit, immo cujus forma scripturæ narrationi palam adversatur. Mirum ni dicat iis Deus quod Jobo olim e turbine: *Quis est qui obtenebrat consilium inscitis sermonibus? Accinge nunc ut vir lumbos tuos; & quod interrogabo te notum fac mihi. Ubinam eras quum fundarem terram? indica, si novisti intelligentiam. Quis disposuit mensuras ejus, quandoquidem scitus es? aut quis extendit in ea regulam?* Job. XXXVIII. 2. 3. 4. 5. Nos, qui in Propheta-

phetarum & Apostolorum humili schola eruditi sumus, Mosi, aut Deo potius, narranti credimus, & *per fidem intelligimus, compactum fuisse mundum verbo Dei, ut quæ cernimus non sint ex apparentibus facta.* Heb. XI. 3. Eaque dum fide intelligimus, omnem illam superbæ philosophiæ δοκησισοφίαν, & insanientis sapientiæ delira ratiocinia, ex alto despicimus, ridemus, detestamur: certi, stultitiam Dei sapientiorem esse omni sapientia humana. Eidem Mosi credimus, quod sicuti non natura, sed peccatum, mortem homini intulit; ita non natura, sed crimina generis humani, horrendam hanc stragem intulerint universo. Immisit Deus diluvium, non quia naturæ leges ordoque a se constitutus id tunc exigebant, sed quia *vidit augescere malitiam hominis in terra, & omne figmentum cogitationum cordis ejus, tantummodo malum esse omni tempore.* Gen. VI. 5.

XI. Audio quidem dici ab hominibus acutis, Deum, cujus opera omnia cognita sibi ab ævo sunt, ita magnæ machinæ pondera librasse, ut duo hæc in idem inciderent tempus, hominum insignis malitia, & molis operosæ ruina. Quod verum quidem est; sed non absolvit Mosaicæ narrationis emphasin. Quæ impietatem hominum, & tremendum mundi casum, non ita jungit ut mortalium crimina & lunæ silentia juncta sunt; sed uti caussa meritoria cum suo jungitur effectu. Certum interim est, Deum, qui constituerat permittere ut hominum malitia eo tempore ad illud usque impietatis fastigium adscenderet, & qui decreverat scelera hominum universali diluvio eluere: ita quoque ab initio constituisse universi ordinem, ut eodem tempore satis sibi materiæ ad tantum aquæ foret, quantum ad terram operiendam requirebatur. At nobis mortalibus, quantumvis sapientiæ opinione turgeamus, non idcirco scire necesse est, unde illa aqua, & quo modo mota, & quid tandem ea factum sit. Sufficit agnoscere, ad Divinum nutum præsto esse omnia. Maneant in tremendo hoc Dei judicio, quæ quomodo facta sint ex naturæ ordine edisseri a nobis non possunt. Quotquot Christiani sumus, non nominis professione, sed rei veritate, sacris literis credimus, in iis quoque quorum rationem omnem non adsequimur.

XII. Sed ad Noachum redeo: unde me seculi protervitas aliquantulum abduxerat. Is quæ a Deo didicerat sui quoque ævi homines fideliter docuit. Nam *præco justitiæ* fuit. 2 Pet. II. 5. tam illius quæ ad hominum officia pertinet, consistitque in ea *XII. Noachus seculi sui homines fideliter erudivit.*

vir-

virtute qua suum cuique tribuitur, Deo quæ Dei, hominibus quæ hominum sunt; quam istius quæ est ex Deo per fidem, & in justificationis negotio propriæ justitiæ nostræ opponitur, cujus & hæredem ipsum fuisse Paulus auctor est. Heb. XI. 7. Quum enim tantum bonum non ignoraret, imo ipse eo frueretur, a pietate viri, & zelo quo in Dei gloriam, & fratrum suorum salutem ferebatur, oppido alienum est, ut id iis occuluerit.

XIII. *Et filiis sua fata cecinit.*

XIII. Sed & filiis sua singulis fata cecinit. Gen. IX. 26. 27. *Benedictus sit Jehova, Deus Semi, & sit Canaan servus illius.* יפת אלהים ליפת וישכן באהלי שם, *Dilatet*, vel *alliciat Deus Japhetum & habitet in tentoriis Semi : & sit Canaan servus illius.* Dum Jehovam *Deum Semi* vocat, indicat fœdus illud quod inter Jehovam & Semi posteros præ cæteris omnibus nationibus futurum erat. Nam ex Semo Eber, ex Ebero Abrahamus cum suis nepotibus. Nec sine Deo fuisse videtur, quod filius iste שם *Sem* dictus sit, id est *celeber* ac *magni nominis*, quum tot privilegiis præ fratribus suis eminuerit, in quibus hoc erat præcipuum, quod penes ipsum illiusque posteros שם יהוה את שמו *collocaverit Jehova nomen suum*. Deut. XII. 5. Addit Noachus : *& sit Canaan servus ejus.* Quæ prophetia impleta post annos octingentos, quando Israelitæ e Semo oriundi, terram Canaan invadentes, reges plus triginta debellarunt, & incolarum maxima parte ad internecionem deleta, reliquos servituti manciparunt, gravi imposito tributo.

XIV. *Japheto* prædicit futurum esse ut Deus *ei dilatet* locum habitationis, aut ut *alliciat eum*, videlicet præconio Evangelii. Utriusque etiam in Japheti posteritate videmus complementum. Nam in terræ partitione amplissima portio Japheto obtigit. Ad eam enim pertinet Europa primum, quanta est, tum Asia minor, & Media, & Armeniæ pars, & Iberia, & Albania, & vastissimæ illæ regiones ad Boream, quas olim Scythæ, hodie Tartari obtinent. Et quando Evangelium prædicandum fuit, quo alliciuntur homines ad Dei communionem in Christo, rejectis Judæis ad Japheti posteros itum est, ipsorumque lingua sacratissima Christianæ religionis volumina edita sunt. Et sic Japheto concessum ut *habitet in tentoriis Semi*: id est admittatur ad communionem Ecclesiæ, quæ ante adventum Messiæ intra Semi familiam limitata erat. Quamvis enim neque Semi neque Chami liberos ab Ecclesia excludat Deus: certum tamen est Christi fidem ab Apostolorum ævo in Europa maxime viguisse, & in iis Asiæ partibus quæ in Japheti sortem ceciderunt. Additur denique, etiam

Ja-

[..]eti *servum Canaanem* futurum esse. Et hoc historiæ testantur: [sc]ilicet eas Asiæ partes quibus Cananæi dudum potiti erant a [Gr]ecis Romanisque superatas esse. Et sicubi Cananæorum reli[qui]æ superfuerant, puta Tyri a Sidoniis, & Thebis a Cadmo, Carthagine a Didone conditis, id omne vel a Græcis vel a [Ro]manis excisum est.

XV. Ab eo tempore Deus cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo [fam]iliariter admodum conversatus est, quorum notissima est hi[stor]ia. Exstantque Gen. xlix. accurata vaticinia, quibus Jacobus [q]uæ duodecim filiis suis eventura erant fatidico sermone præ[dixi]t. Quo plurima continentur, quæ arctissimum Viri cum [De]o commercium arguunt, totique Ecclesiæ cognitu tam utilia [qua]m jucunda sunt. At prolixiora, quam ut hic memorari, ne[du]m exponi queant. XV. *Sequuntur in Prophetarum serie Abrahamus, Isaacus, & Jacobus.*

XVI. Sunt ex Hebræorum magistris, in quibus *R. Levi Ben [Gers]on*, qui ubi legunt tres viros Abrahamo visos, & hospitio [ex]ceptos fuisse Gen. xviii. id exponunt de tribus illorum tem[poru]m prophetis, quales fuerunt *Sem*, *Heber* aliique. Observant [etia]m, eos dum apud Abrahamum divertunt solummodo *Viros* [dici], quum apud Lotum sunt *Angelos* vocitari: quia, accurate [loqu]endo, ad Abrahamum non erant missi. Quandoquidem ip[se p]ropheta erat; propheta autem ad prophetam mitti non solet. [A]d Lotum vero, cui nulla unquam obtigerat prophetia, eos [co]eli nomen ac dignationem accipere. Cæterum inanes istæ [spec]ulationes sunt, frigidaque commenta hominum scripturæ ver[ba] calumniantium potius quam solide explicantium. Plurima [ass]ervantur, quæ palam falsa sunt. Falsum est, homines fuisse [quo]s misit Deus ad evertendam Pentapolin. Tale negotium de[man]dari hominibus non solet. Falsum est, ad Abrahamum non [fuiss]e missos, sed ad Saram. Longe plura cum illo quam cum [illa] loquuntur. Falsum est, hanc esse diversæ denominationis [causa]m, quod Abraham major esset propheta iis qui ad ipsum [veni]ebant, ideoque conveniens non esset ut dignissimo Angelo[rum] nomine apud eum designarentur, quod apud Lotum, quip[pe] minus dignum, merito gerunt. Progreditur enim scriptura [ab] ei similitudine ad veritatem. Quia specie virorum appare[bant] Abrahamo, hinc viri appellantur. Quia revera viri non [eran]t, sed Angeli; hinc deinceps Angelorum nomine insigniun[tur]. An vero creati Angeli fuerint, an majus aliquid sub ista ap[parit]ione latuerit mysterium, alibi a nobis disputatum est. XVI. *Qui Abrahamo apparuerunt trium virorum specie, non fuerunt istorum temporum prophetæ.*

XVII. Sed

XVII. Loto an prophetia obtigerit?

XVII. Sed & hoc diſquiri meretur, an recte negent LOTO prophetiam aliquam obtigiſſe? Etenim quum natale ſolum, & quidquid in patria dulce eſſe ſolet, pari cum Abrahamo alacritate reliquerit, ſola numinis religione inductus; & juſtitiæ nomine celebris fuerit, Deoque ſingulari ratione charus; non eſt incredibile, ipſi aliquando Deum ad ſomentum fidei ac pietatis apparuiſſe. Certe nunc eum Deus non minus quam Abrahamum, per Angelos alloquitur, inſtans Sodomæ excidium condocefacit, viam ſalutis monſtrat, præceptis ſuis inſtruit, neque ſine miraculo devotarum urbium flammis eripit. Cætera vero quæ de ipſo, de uxore, de filiabus, ſacra narrat hiſtoria, talia ſunt ut in ſtuporem dare legentes debeant. Liquidoque demonſtrant, quam incredibilis ſit humanæ naturæ corruptio, nullis prodigiis edomanda: quam validæ ſint vitiorum in ipſis etiam piis hominibus reliquiæ: quam immenſa ſit Dei bonitas ac miſericordia, eos adhuc pro ſuis agnoſcentis qui ſuis ſe criminibus indigniſſimos tanto favore præſtant; denique quam inſcrutabile ſit judicium Dei, quos modo ſceleroſæ civitatis pœnis exemit, eos mox ſibi relinquentis, ut ſimilium ſe ſcelerum contagione polluant.

XVIII. Joſephus Propheta.

XVIII. Ex Jacobi filiis prophetiæ dono eminuit JOSEPHUS: quem etiamnum juvenem inſignibus inſomniis informavit Deus, de iis quæ ſibi, quæ fratribus, quæ familiæ univerſæ eventura erant. Quem etiam ſomniorum interpretandorum admiranda inſtruxit peritia: non ea quam Oneirocritices, vaniſſimæ artis, ſectatores jactant; ſed quæ a Dei Spiritu profecta in arcanorum ipſius cognitionem penetrat. Quo dono uti ſeſe commendabilem Pharaoni, & admirabilem ſapientibus ejus, præſtitit; ita non Ægypto ſolum & vicinis nationibus, ſed paternæ imprimis familiæ, in ſeptennali fame, ſalutis auctor fuit.

XIX. An Ethan & Heman nepotes Judæ, ſi-it auctores Pſalmorum LXXXVIII *&* LXXXIX?

XIX. Ex poſteris Jacobi in Ægypto vixerunt ETHAN & HEMAN filii *Zerachi*, qui erat filius *Judæ*. 1 Chron. II. 6. Hi autem non ſolum ſapientiæ nomine incluti fuiſſe creduntur, adeo ut iiſcum comparetur Salomo 1 Reg IV. 31. ſed & Spiritu Prophetico donati, & auctores quorundam Pſalmorum. Nam Pſalmus LXXXVIII. inſcribitur משכיל להימן האזרחי *Ode didaſcalica Hemanis Ezrachitæ*. Et Pſalmus LXXXIX. משכיל לאיתן האזרחי. *Ode didaſcalica Ethanis Ezrachitæ*. Hos autem eoſdem cum Zerachi filiis modo a nobis laudatis, poſt alios tuetur præſtantiſſimus *Lightfootus*. Cujus hæc ſunt verba in *Chroni. tempor. Tom.* I. *p.* 24. *In his diebus amaritudinis & miſeriæ vivebant duo filii Zerachi, ſive Ezrachitæ,*

chita, Heman & Ethan, 1 Chron. 11. 6. *qui super se habebant Spiritum Domini in medio omnium afflictionum, scripseruntque Psalmos* LXXXVIII. & LXXXIX. *quorum prior triste lamentatur de præsenti calamitate, posterior late decantat miserationes Dei in medio hujus calamitatis, & liberationem prænunciat. Estque hic propria sedes, & ordo his Psalmis.* Iterumque in *Manipulo Spicileg. ex Exodo. Sect.* 11. *Duo hi Psalmi antiquissimæ scriptionis fœtus sunt, quos mundus possit ostendere: sunt enim consignati multis ante annis quam Moses nasceretur, per duos viros qui genuerunt sub hac servitute & afflictione Ægyptiaca, Hemanem & Ethanem filios Zerachi.* Ps. LXXXVIII. *Heman deplorat angustiam calamitatemque Israelis in Ægypto, metro maxime pathetico, ideoque huic Elegiæ titulum facit* על מחלת לענות *super morbo propter afflictionem. Et hinc ipse atque fratres ipsius dicuntur filii* מחול *Macholis.* 1 Reg. IV. 31. Psalmo LXXXIX. *Ethan ex promissione* Genes. XV. *illorum liberationem late decantat: prænuncians fore ut furor rubri maris compesceretur* vers. 9. *ac Rachab sive Ægyptus confringeretur.* vers. 10. *utque populus audiret lætum clangorem legis.* vers. 15.

XX. Cæterum hæc, quamvis erudite observata, non tamen certa aut solida videntur; imo ne quidem probabilia. Etenim alii ejusdem nominis memorantur qui Davidis & Salomonis tempore canticis sacris præfecti fuerunt. Exstat Heman aliquis, nepos Samuelis. 1 Chron. VI. 33. *Heman Musicus, filius Joelis, filii Samuelis.* Idemque propheta erat. 1 Chron. XXV. 5. *Heman, videns regis, in verbis Dei de extollendo cornu*, sive id intelligamus de instrumento Musico, sive, quod malim, de robore regni Davidis & Messiæ. Conf. Ps. CXXXII. 17. Luc. I. 69. Fuit & eodem tempore Ethan aliquis, genere Levita, ex posteris Merari oriundus. 1 Chron. VI. 44. qui cum Hemane & Asapho jungitur, ut cantoribus a Davide præfectus. 1 Chron. XV. 17.

XX. An alii ejusdem nominis, qui Davidis tempore floruerunt?

XXI. Longe autem probabilius est, illis adscribere Psalmos, in quibus tam expressa Davidis & regni ipsius est mentio, quam his qui ante Mosen natum vixerunt. Cui enim credibile videatur, hominibus in oppressione Ægyptiaca viventibus patefactam esse voluntatem Dei de Regno Davidis, & de Messia ut Davidis filio? Quod Samuel ignoravit, quum ad aliquem filiorum Isai ungendum mitteretur; & quod David ignoravit, donec felices illi natales ei per Nathanem indicarentur. Excipit quidem Lightfootus Ps. XCIX. vers. 6. a Mose propheticam mentionem Samuelis fieri. At eum Psalmum Mosis esse, nullo argumento nisi Hebræorum auctoritate probat. Hanc autem exigui ponderis esse,

XXI. Hos probabilius.

se, quis ignorat? Multo etiam probabilius est, Salomonis sapientiam cum iis conferri qui suo tempore floruerunt, & rebus magnis admoti sunt, quam iiscum qui multis ante seculis miserabilem vitam in tristi ergastulo exegerunt, & de quibus sacra historia alibi nihil habet, nisi nuda ipsorum nomina. Non dissimulo obstare, quod *Heman* & *Ethan* qui Davidis tempore floruerunt, *Levitæ* fuerint, non filii *Zerachi*; auctores vero horum Psalmorum *Ezrachitæ* dicantur. At nimis liberaliter sumitur id quod incertum est, cognomine Ezrachitæ filium Zerachi designari. Potest denominationis istius alia esse ratio, nobis incognita. Si tamen illud pro certo admittere lubeat, Zerachi filios sapientia celebres fuisse, & Ezrachitas tantundem notare ac Zerachidas; non spernenda videtur Cocceji conjectura: Heman & Ethan Levitas, viros sapientes, Ezrachitas cognominatos esse, quod antiquis illis Zerachi filiis sapientia pares essent, quasi diceres, Heman & Ethan Zerachitæ redivivi. Vel si hoc minus placeat, cogitari posset, Psalmos hos a Davide aut alio coævo scriptore compositos esse, & sub nomine Hemanis & Ethanis Ezrachitarum proponi, quod in iis contineatur explicatio, applicatio, amplificatio doctrinæ & prophetiæ ab antiquis illis proditæ, & hactenus in piorum memoria conservatæ, quibus alia homogenea pro temporis ratione addita. A qua sententia alienus non est Coccejus: neque improbat Lightfootus.

XXII. Jobus revera in rerum natura extitit.

XXII. Tempore commorationis Israelitarum in Ægypto JOBUM vixisse, atque inclutum fama virum in Arabia fuisse, plerique credunt interpretes. Non enim audiendos esse arbitror, qui nullum unquam in rerum natura Jobum fuisse pugnant, sed totam illius historiam in commentitium drama mutant, & parabolam, Israelitis ad virtutem & constantiam informandis excogitatam, Quod cum aliis multis Talmudistæ quidam nugantur; in *Bava Batra* disputantes, נביא לא היה ולא נברא אלא משל היה *Propheta non fuit, neque creatus unquam fuit, sed parabola est.* Enimvero neque Judæos ita loqui decet: neque Christianis licet ita credere. Nam tam Ezechiel Cap. XIV. 14. quam Jacobus Apostolus Cap. V. 11. Jobi meminerunt ut viri summæ integritatis, sanctitatis & patientiæ, qui non minus Ecclesiam sua virtute illustrarit, quam Noachus, vel Daniel, vel Elias quibuscum eadem serie & pari exemplo memoratur. Ipsaque historia ita conscripta est, ut a mero dramate, tragicomœdia, aut parabola plurimum distet. Omnes enim veræ historiæ characteres hic concurrunt: im-

imprimis propria nomina personæ, regionum, amicorum, filiarum. Quæ non, ut in fabulis fieri assolet, ingeniose conficta, sed ex sacris literis, atque exoticis etiam scriptis nota, illique quum ætati, tum historiæ, apprime quadrantia. Quod argumentum docte prosecutus est, Vir Celeberrimus FRIDERICUS SPANHEMIUS, in pererudito opere, Huetio quoque meritis encomiis celebrato. *Histor. Jobi. Cap. I.*

XXIII. Si ergo revera exstitit Jobus, qua fuit PROSAPIA? *Idumæum* fuisse, Esavo oriundum, plerique credunt, qua Veterum qua Recentiorum: his potissimum inducti rationibus. I. Quod *Job* sit *Jobab*, unus Regum ex posteritate Edomi. Gen. XXXVI. 33. II. Quod *Utz* fuerit nepos *Seir*, ex *Dischane*. Gen. XXXVI. 28. inde nomen terræ quam incoluit Jobus, pars Idumææ. Thren. IV. 21. *Lætare filia Edomi, habitans in terra Utz.* III. Quod inter amicos Jobi nominetur *Eliphaz Themanita*: quem Esavo oriundum vix dubitari potest. Nam filius Esavi erat Eliphaz, Eliphazi Theman. Gen. XXXVI. 10. 11. Hinc nomen regioni. Am. I. 12. Jer. XLIX. 7. Hic autem Eliphaz an a prosapia, an a loco Themanita dicatur, incertum: sed ad hanc rem perinde est. *XXIII. Prosapia an Idumaus,*

XXIV. At validioribus argumentis pugnare videntur, qui Jobum arcessunt ex *Nachore*, fratre Abrahami, cui filii *Utz*, *Buz*, *Chesed*. Gen. XXII. 21. 22. I. Quia *Utz*, Jobi sedes, ab Utzo Nachoris primogenito, & familiæ principe, fuit denominata: estque *Ausitis* Arabiæ, non Syria, non Palæstina, non Idumæa. Quod magnis argumentis addixit modo laudatus Spanhemius. II. Quia ex Nachore genitus est *Buz*, ex quo seu terra, seu civitas Buz appellationem accepit, ex qua *Elihu Buzites*. Job. XXXII. Hic Jobo & vicinitatis & sanguinis vinculo junctus, idemque Arabiæ desertæ incola. III. Quia eodem Nachore natus est *Chesed*: unde prædones illi *Chasdim*, de quibus Job. I. 17. Jobo similiter vicini: quamvis pro regionis conditione, & gentis ingenio, accedente nunc Satanæ impulsu, proni ad prædam. *XXIV. An ex Nachore,*

XXV. Sed nec desunt qui Jobum ex *Abrahamo* ipso derivant, & nepotibus *Kethuræ* accensent; sequentibus nixi rationibus. I. Quod ex eadem Kethura ortus fuerit alter amicorum aut cognatorum Jobi *Bildad Suchites*, Arabiæ idem incola, indubie ex *Suacho* vel *Sucho*, Abrahamo genito. Gen. XXV. 2. Saltem hinc colligitur, æstimari posse Jobi genus æque ex Kethura, atque ex Esavo & Nachore, a quibus amici alii prognati. II. Quod ex eadem Kethura satus, ex Joschane, *Seba* vel *Scheba*. Gen. XXV. 3. *XXV. An ex Kethura,*

 a quo

a quo Sabæi illi prædatores. Job. I. 15. in vicinia Jobi habitantes. III. Quod Kethuræi dicantur ablegati in *Orientem*, & plagam Orientalem occupasse. Gen. xxv. 6. Plane ut Jobus sedisse in *Oriente*, fuisseque inter Orientales hosce florentissimus.

XXVI. *Incertum.* XXVI. Hæc ita a Viris Doctissimis disputata, incertiorem fortassis relinquunt lectorem quam invenerant. Atque illi ipsi qui in harum rerum scrutinio diligentissimam posuerunt operam, magis quod improbent cernunt quam quod probent: & ubi omnes industriæ suæ excusserunt forulos, lectori sententiarum arbitrium faciunt, ipsi vix audent determinare. Spanhemius, quo nemo accuratius hæc tractavit, fatetur arduum esse definire, utra ex postremis duabus sententiis eligenda sit: quum suis utraque præsidiis, sua probabilitate nitatur. Nec fas est scire omnia. Coccejus, *De his*, inquit, *judicet quisque, ut volet. Satis est, omnibus signis constare, Jobum non fuisse de populo Dei electo & segregato ex omnibus gentibus, nimirum ex filiis Israelis: & tamen de illo populo in quo nondum esset exstincta veri Dei & verbi ejus notitia.*

XXVII. *Credibile vixisse ante legem latam.* XXVII. At quo TEMPORE vixit Jobus? Et hic Doctorum sententiæ variant: aliis censentibus vixisse Jobum ante Israelitarum ex Ægypto egressum, & sic Mose fuisse anteriorem: aliis post egressum, circa tempora peregrinationis in deserto: aliis denique post Mosen, sub Judicibus, aut sequiore etiam ætate. Quæ cum suis singulæ rationibus videri apud Spanhemium possunt. Mihi nullæ tales esse videntur, ut certo conficiant id quod postulatur. Maxima tamen probabilitas penes illas esse, quæ Jobum ad Patriarcharum ætatem proxime accessisse pugnant, & lege lata fuisse vetustiorem.

XXVIII. *Auctor libri de Jobo agentis ignotus est.* XXVIII. Nulla tamen hinc sequelæ necessitate concludas, LIBRUM JOBI ejusdem antiquitatis esse. De cujus *auctore*, quicquid nonnulli temere determinent, nihil certo constat. Non improbabilis videtur Doctissimorum virorum sententia: a Jobo ipso vel amicis ipsius scripta esse adversaria, quibus rem totam, certe quoad substantiam, sua lingua, id est Arabica vel Syriaca veteri, conscripserunt. Ex quibus adversariis, Divina faciente providentia, Vir aliquis sanctus, Spiritu Dei præditus, eodem Spiritu duce, ea quæ nunc habemus collegerit, Hebraicoque sermone exornarit, Canonem sacrum auctura. Quod colligitur ex Arabismis & Syriasmis, quos magno numero in hoc libro deprehenderunt Bochartus, Pokokius, Hottingerus, Waltonus, alii, linguarum Orientalium callentissimi.

XXIX. *Quan-*

XXIX. *Quando* autem conscriptus sit, æque incertum est. Qui nunc sunt Criticorum Principes, videntur sibi ævum deprehendere, quod Davide ac Salomone posterius sit. At debilibus argumentis : ut sunt Criticorum pleraque. Quamvis nec fortioribus pro majori antiquitate pugnetur. Credibile tamen est, scriptum ante Ezechielem, qui Cap. XIV. 14. ad historiam omnino reflectit.

XXIX. *Ut & tempus conscriptionis.*

XXX. Quidquid sit, pessimum factum est, quod nonnulli hoc seculo Divinum librum plagosæ suæ censuræ tam audacter subjecerint : qui tamen, si voluissent, plerasque cavillationes suas refutatas jam videre potuissent apud sæpius nunc nobis laudatum Spanhemium; uti ad cæteras facilis foret responsio, si eam nunc rem ageremus.

XXX. *Improbe censuræ Criticorum subjicitur Divinus Liber.*

XXXI. Hoc unum jam ad institutum nostrum facit : quod Deus ea ætate, extra fœderati sui populi communionem, in Arabia, virum habuerit, non solum vera sui cognitione præditum, totque ac tam illustribus virtutibus fulgentem; sed & quem repetitis alloquiis compellare dignatus est, quem familiarem sibi esse, plurimumque precibus valere, ipso facto comprobavit: quem denique seculo in exemplum opposuit, PROPHETAM opere & sermone magnum ac venerabilem. Cujus tam illustria de Christo, נוצר האדם *Servatore hominum*, & *Goele* redivivo, ac triumphatore mortis, & resurrectione carnis, & vita æterna, exstant vaticinia, ut vix magnificentiora in ullo istorum seculorum propheta invenias.

XXXI. *Jobus Propheta fuit.*

XXXII. Falluntur sane ii ex Hebræorum Magistris, qui dictant Jobum virum ineruditum fuisse, quum nusquam eum scriptura sapientem aut scientem nuncupet : si tamen scite alicubi disputaverit, adtribuendum id esse felicitati ingenii ipsius. Profecto pro sapiente habitum eum fuisse a seculi sui hominibus, ipse haut obscure innuit, dum narrat, non pueros solum, sed & decrepitos sibi adsurrexisse, & principes continuisse sermones, & aurem audientem eloquia ejus beatum eum prædicasse. Cap. XXIX. 8. 9. 11. Disertius id Eliphaz testatur Cap. IV. 3. 4. *Ecce erudiebas multos, & manus remissas confirmabas. Labantem confirmabant sermones tui, & fortificabas genua se incurvantia.* Et certe Eliphazo non fuit minor : qui sibi vers. 12. immediatam revelationem Divinam attribuit.

XXXII. *Nequicquam obstrepentibus Rabbinis.*

XXXIII. Haut procul a Jobi ævo abfuit BILEAM, qui, si prosapiam spectemus, fuit filius *Beor* ex *Petera* Num. XXII. 5. Quem

XXXIII. *Bileami prosapia,*

& natale solum. Quem Moses *Beor* בעור, eundem Petrus, ex Babylonia scribens, *Bosor* appellat. 2 Pet. II. 15. Chaldæi enim literam ע aliquando pronunciant ut S. Quod & Græci quandoque imitati sunt. *Petora* erat oppidum in Syria: uti ipse dicit Num. XXIII. 7. *E Syria acciri me jussit Rex Moabitarum.* Syria nimirum ea, quæ quia inter Euphratem & Tigrim sita, Mesopotamia, sive Interamnis, nuncupatur. Hinc dicitur *Pethora Mesopotamiæ.* Deut. XXIII. 4 quæ *ad fluvium est.* Num. XXII. 5. sita nimirum juxta Euphratem, ubi est *Pacoria* Ptolomæi. Non enim impetrat assensum *Augustinus Steuchus*, disputans פתורה hic derivari a verbo פתר, id est, *exposuit*, *interpretatus est*, *ænigma solvit*, ut is Balaam habitus eo tempore sit quasi somniorum interpres, & ænigmatum explicator: ad quem reges undique darent literas, & in omnibus obscurissimis rebus eum interrogarent. Non nego, vocem פתורה alicubi significare posse *interpretationem*, aut *ænigmatis solutionem.* Verum hic loci, nomen civitatis esse omnia palam faciunt. In eodem tractu habitaverat olim Abrahamus, & coluerat falsa numina. Gen. XXIV. 4. 10. Jos. XXIV. 2. Ibidem propter uxorem servíverat Jacob, genueratque Patriarchas omnes, solo excepto Benjamine. Unde & populus Israeliticus fassus est, Patrem suum fuisse Syrum perditum. Deut. XXVI. 5. Ex ea conversatione Patriarcharum, reliquiæ quædam veræ religionis in quibusdam familiis superfuerunt: sed plurima superstitione propemodum suffocatæ. Hinc & Bileamus, (nisi fortasse Kethuræus fuerit) aliqua veri numinis cognitione imbutus; sed quam superstitiosis & magicis artibus corrumpebat: quod multorum erat vitium in Oriente degentium. Jes. II. 6.

XXXIV. *Professione quidem divinus.* XXXIV. Bileamus certe professione קסם *Divinus* erat: sic enim nuncupatur Jos. XIII. 22. Divinus autem est, qui arcanarum & futurarum rerum scientiam pollicetur, artibus non bonis acquirendam. Quamobrem Deus populo suo omni divinationis genere interdixit. Deut. XVIII. 10. Eamque uti abominabile crimen detestatur. 1 Sam. XV. 23. *Quia sicut peccatum divinationis est rebellio.* *Josephus* eum passim Μάντιν vocat. *Origenes*, famosissimum in isthac arte, & carminibus noxiis præpotentem. *Philo Judæus*, Ἄνδρα ἐπὶ μαντείᾳ περιβόητον, ὃς ἅπαντα μὲν ἐμεμύητο τῆς μαντικῆς εἴδη, *Virum divinatione celebrem, omnibus divinationum generibus initiatum.* Negat eum dono prophetiæ beatum fuisse, sed illis solum vaticiniorum generibus valuisse quæ id temporis in pretio apud gentes erant, ut siccitates, imbres, pestilentias

& id

& id genus alia prædiceret; maxime autem polluisse scientia augurali. In eandem sententiam veteres plerique omnes eunt.

XXXV. Inficiandum tamen non est, eum prophetiæ dono fuisse præditum, eo tempore quo Dei cognitio in Syria nondum penitus exoleverat. Quamvis enim multis imposturis & fallaciis uti consueverit, a Deo tamen, non a dæmoniis, consilium & prænotionem futuri petiit ac consecutus est: Deusque eum in visione nocturna non minus familiariter compellat quam unum e servis suis; attamen in hac solum re particulari. Prudenter a *Calvino* observatum est, voluisse Deum tales exstare inter gentes profanas, ut in tenebris scintillæ aliquæ lucis micarent, atque ita tolleretur ignorantiæ excusatio. Præsertim id contigit ante legem datam: quia nondum hac nota Deus electum populum ab alienis discreverat. XXXV. *Sed & propheta fuit.*

XXXVI. Justo ulterius procedit *Origenes*, conjectans quod, sicut prophetiæ Bileami a Mose sacris sunt insertæ voluminibus, eo magis descriptæ fuerint ab iis qui tunc incolebant Mesopotamiam, apud quos magnificus habebatur, & quos constat artis ejus fuisse discipulos. Unde porro infert, ex eo Magorum genus & institutionem in partibus Orientis viguisse; qui descripta habentes apud se omnia quæ prophetaverat Balaam, etiam hoc habuerunt scriptum quod de stella ex Jacobo oriunda & sceptro ex Israele processuro vaticinatus est. Hæc quum haberent penes sese Magi, hinc factum esse, ut nato Jesu agnoverint stellam, & intellexerint adimpleri prophetiam, melius quam ipse populus Israeliticus: ideoque venisse, & requirentes eum statim adorasse. Sed hæc incerta, aut potius falsa sunt. Non enim apud profanas gentes ea Messiæ cognitio & exspectatio viguit. XXXVI. *Male Origenes Messiæ doctrinam per eum inter gentes sparsam conjectat.*

XXXVII. Hyperbolici sunt, ut sæpe, Hebræorum Magistri, qui parum abest quin Bileamum in gradibus prophetiæ ipsi Mosi æquiparent. Argutantur super dicto Deuteronomii XXXIV. 10. *Non surrexit propheta amplius* in Israel *sicut Moses.* Non *in Israel*, inquiunt; sed *in populis mundi* surrexit. Et quis ille? Bileam. At melius observavit R. Levi Ben Gerson, multis partibus Bileamum non Mose solum, sed & reliquis Israelis prophetis fuisse inferiorem: imo iis vitiis infamem, quæ indignum faciunt ut honestorum virorum catalogo inseratur. XXXVII. *Male etiam Rabbini quidam eum Mosi æquiparant.*

XXXVIII. Prophetias illius quod attinet, quas memorare dignatus est Moses, enarrant quidem illæ fata populi Israelitici, aliorumque vicinorum populorum; aliquid etiam de Messia prædicunt; XXXVIII. *Prophetia ejus prophetiis*

Sanctorum inferiores sunt. dicunt; attamen si comparemus cum aliis prophetiis, & sanctorum virorum & fœminarum carminibus, inveniemus illis longe inferiores. Tametsi enim res magnas, quæ in mundo evenire debuerunt, explicaverit; tamen Dei nomen non glorificavit, & justitiam Dei & regnum ejus non explicavit. Ut etiam ab illo discere possimus, quantum intersit inter cognitionem Dei salutarem, & eam quam habuit Bileam; & inter prophetiam de Christo & regno justitiæ, & eam qua cognoscuntur fata regnorum: quali & Pharao & Nebucadnetzar fuerunt donati. Unde nec inter eos prophetas censeri debet, quos Deus Ecclesiæ suæ præfecit. Illis enim propositum fuit non solum res aliquas futuras prædicere, sed præcipue fœdus Dei annunciare quo sibi homines conciliat, omniaque sua vaticinia ad eum finem aptare. Longe diversa fuit Bileami ratio, qui nuda tantum vaticinia, sine ullo doctrinæ condimento protulit. Uti præclare Calvinus & Coccejus commentati sunt.

XXXIX. *Moribus improbus fuit.* XXXIX. In MORIBUS quoque hominis multa sunt, quæ profanam indolem liquido demonstrant. Nam ostendit se in eo I. Intolerabilis vanitas atque ambitio, se ipsum magis quam Deum Deique in se gratiam prædicantis. Huc enim tendunt Thrasonici sermonis cothurni: *Dictum Bileami, filii Beor, & dictum audientis sermones Dei, qui visionem omnipotentis videt, excidens, sed retectus oculis.* Num. XXIV. 3. 4. 15. 16. II. Sacra auri fames: quidquid enim spernere se jactaret oblatos Moabitici Regis thesauros, omni tamen ratione palam fecit, amari a se mercedem injustitiæ. 2 Pet. II. 15. eoque fuisse deceptum. Judæ vers. 11. Hinc repetitæ illæ sacrificiorum præstigiæ, si quo modo impetrare posset facultatem maledicendi populo Dei. III. Metus potius servilis animi ad Dei flagellum trepidantis, quam reverentia numinis, cum amore sanctitatis ejus conjuncta, qualis filios Dei decet. Minis enim subigi debuit ne loqueretur alia quam quæ Deo placerent: animo interim ad ea anhelante quibus devoratam spe prædam revera nancisci posset. IV. Odium in Israelitas. Quamvis enim eorum felicitatem quæsitis elogiis prædicaret, & labentibus seculis continuaturam prædiceret, artisque suæ circa eos vanitatem fateri cogeretur, invido tamen hæc cuncta animo spectabat. Hinc ferale illud consilium, quo plus iis nocuit, quam si omnibus carminibus suis devovisset. V. Projecta animi profanitas, ex eodem consilio elucens.

XL. *Et an-* XL. Postquam enim incantationibus & divinationibus nihil se ad-

Hor funesti Hebræis consilii.

adversus Israelitas valere deprehendisset, auctor fuit Midianitis ac Moabitis ut filias nurusque suas exponerent lascivis Israelitarum amplexibus, quæ a parentibus informatæ meretriciis artibus ad propudiosum Baalis cultum eos pellicerent. Quod Bileami consilium multa sermonis elegantia Philo & Josephus exornarunt. Et sane non caruit funesto suo successu. Dum enim Sittimis morabantur Israelitæ, missæ in eorum castra Moabiticæ & Midianiticæ virgines, scitulæ, comptulæ, bellulæ, faciles se juvenibus Hebræorum præbuerunt, accensisque eorum animis, ac stabile conjugium promittentibus, ea se demum lege obsecuturas respondent, si ad eorundem deorum, in quorum terris consederint, transirent cultum. Parent temerarii Israelitæ. Invitari se patiuntur ad epulas sacrorum, vescuntur idolothytis, copulant se cum Baal Peor, venerantur que propudium illud. Hinc accensa ira Dei in populum, tam fœdam apostasiam non ferentis: jussitque Mosen primores populi tanti sceleris apertos ad solem, id est palam, affigere, prius nimirum, uti lex de idololatris jubebat, lapidatos. Cæteri quoque judices, certo numero constituti, interfecerunt quotquot suarum partium copulati erant cum Baal Peor. Num. XXV. Tanti Israelitis constitit diabolica Bileami astutia: quam multis post eam rem seculis in memoriam iis revocat Deus Mich. VI. 5. *Popule mi, recordare jam quid consilii inivêrit Balac, rex Moabitarum, & quid responderit ei Bileam filius Beoris, & agnoscas juste facta Jehovæ à Sittimis Gilgalem usque.*

XLI. Quamobrem memoria ejus abominabilis in Ecclesia est.

XLI. Et profecto meruit Bileam ut abominabilis esset nominis sui memoria in universa Ecclesia Dei, & ut typum gereret eorum qui libidinibus carnis faventes a casto Dei amore populum ejus seducunt. Sicut ob eam rem Angelo Ecclesiæ Pergamenæ objicit Dominus, quod *haberet qui doctrinam Balaami tenerent: qui docebat Balacum objicere filiis Israelis offensam, ut idolothytis vescerentur, & fornicarentur.* Apoc. II. 14. Sed & debitas sceleri pœnas luit: una cum Midianitis Israelitarum gladio trucidatus. Num. XXXI. 8.

XLII. Negantur qui Bileamum mutant in Elihu.

XLII. Si nihil aliud esset, nisi hæc morum improbitas, sufficere posset ad ostendendum, longo eos a veritate intervallo distare, qui Bileamum, toties in sacris damnatum, eundem faciunt cum ELIHU, Jobi amico, tam pie semper sapienterque de Deo differente. Sed & multa præterea alia sunt, quæ vanitatis ac mendacii traditionem illam arguant. I. Nomina & sono & significatione diversissima sunt. אליהוא *Elihu* optimi ominis est, &

 signi-

significat *Deus meus ipse*, breve symbolum magnæ fidei ac spei. בלעם *Bileam* est *absorptio eorum*, aut *destructio populi*, pessimo omine: id enim revera conatus est exitiosissimo consilio. II. Ætas non admodum convenit. Elihu enim coævus fuit Jobo: quem probabile est seculo fere integro Israelitarum exodum antecessisse. Bileamus autem inter suos floruit, sub finem peregrinationis in deserto. III. Neque prosapia eadem est. Alter enim *Buzites*, patre *Barachele*, ex familia *Nachoris*; alter vero patre *Beor*, incertum unde oriundo, forte ex gente Kethuræorum, in Pethor. IV. Denique nihil utrique commune est. Alter enim vir sanctus fuit, ubique ostendens amorem veritatis, reverentiam numinis, & incoctum generoso pectus honesto. Alter nequam, doctrina & factis impius. Nullaque probabilis adsignari potest ratio tam propudiosæ μεταμορφώσεως, qua Elihu in Bileamum transformatus sit.

CAP. XVII.

De Prophetis in Deserto.

I. *Temporis sub Lege* IV. *Periodi.* II. *In deserto princeps Prophetarum Moses fabulari Theologiæ originem dedit.* III. *Ejus Doctor fuit Angelus Jehova.* IV. *Quem Menahem agnoscit esse Michaelem, Deum Bethel, & Pontificem cœlorum.* V. *Nachmanidis insignis de eo locus.* VI. *Metatron Cabbalistarum.* VII. *Nucleus veræ doctrinæ.* VIII. *Novissima Mosis.* IX. *Caussa mortis acceleratæ.* X. *Quam antecessit promissæ terræ conspectus.* XI. *Ea mors an proprie intelligenda?* XII. *Quo sensu mortuus ad os Jehovæ?* XIII. *A Deo clam sepultus.* XIV. *Cur?* XV. *Michaelis & Diaboli de corpore Mosis altercatio.* XVI. *De sepulcro Mosis invento fabella.* XVII. *Totius hujus rei mysterium.* XVIII. *Aaron quoque propheta fuit.* XIX. *Uti & omnes Pontifices qui respondebant per Urim & Thummim.* XX. *Propheticum etiam aliquid accidit Nadabo & Abihu, &* LXX *senioribus.* XXI. *Quam credibile est Deum in monte vidisse specie humana.* XXII. *Nimirum Filium Dei humana carne induendum.* XXIII. *Cur opus lateris Sapphirini sub pedibus ejus?* XXIV. *Quid sit, quod ederint ac biberint conspecto Deo?* XXV. *Dein & alii* LXX. *seniores prophetarunt.* XXVI. *Etiam Eldad & Medad, indignante Josua, at probante Mose.* XXVII. *Jacobi locus cap.* IV. 5. *hac occasione illustratus.*

Quæ

I. Temporis sub Lege IV. Periodi.

QUæ SUB LEGE tempora in varias iterum dispesci possunt periodos. I. In DESERTO. II. In CANAAN. III. In CAPTIVITATE BABYLONICA. IV. POST EAM SOLUTAM.

II. In deserto princeps prophetarum Moses fabulari Theologiæ originem dedit.

II. In DESERTO, qui sub Deo Reipublicæ Israeliticæ auctor, fundator, & legislator, idem & prophetarum qui sub isthac œconomia vixerunt omnium facile princeps fuit. Is Moses est, cujus præeminentias, ab ipso summo numine laudatas, nuper exposui. Et cujus historiam si persequi vellem, non paucarum id pagellarum, sed ingentis voluminis foret. Adeo prodigiis scatent & nativitas ipsius, & res gestæ, & obitus, & sepultura. Quarum rerum aliquantula pars, famâ late deditâ, per omnes propemodum totius orbis nationes, non vicinas solum, sed & remotas, sparsa, fabulari Gentilium Theologiæ plurimam suppeditavit materiem. Uti prolixe admodum in demonstratione Veritatis Evangelicæ ostendit *Huetius*, argumenta & exempla hujus rei non modio neque trimodio, sed toto, quod ajunt, horreo, orbi Christiano admensus. Qui & caussæ, & existimationi fortassis, melius consuluisset, si eruditionis hac in parte suæ & πολυαναγνωσίας aliquanto parciorem se promum condum præbuisset. In tanta enim quam undique collegit antiquarum fabularum farragine fieri non potest quin aliquam multa inveniantur, quæ non nisi tenuem admodum cum Mosis historia similitudinem habent, & valde frigida collatione cum ea contenduntur. Ista nos suo relinquimus pretio, contenti indicasse locum ubi qui talibus capitur ad satietatem expleri poterit. Nos solidiora amamus: & ex prima solum atque ultima apparitione, Mosi facta ea excerpemus, quæ maxime videbuntur notabilia, & ad institutum nostrum propius accedunt.

III. Ejus Doctor fuit Angelus Jehova.

III. Prima omnium apparitio quæ Mosi contigisse narratur, extat Exod. III. Ubi id nunc solum animadvertere lubet, quem Moses Doctorem, & prophetiarum suarum auctorem, habuerit. Is fuit ANGELUS JEHOVÆ, qui apparuit ei in flamma ignis, e medio alicujus rubi. com. 2. At Angelus, cæteris omnibus Angelis major, qui in progressu historiæ aliquoties JEHOVA vocatur, & de se ipse dicit, *Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Jacobi.* com. 6. Quis ille nisi Filius Dei? qui οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Qui ita Angelus Dei est per Oeconomiam voluntariam, ut simul Deus sit: ita nuncius, ut simul sit Dominus. Nota sunt quæ Orthodoxi Interpretes ad-

versus Socini blasphemias ex his & similibus scripturæ dictis congesserunt.

IV. *Quem Menahem agnoscit esse Michaëlem, Deum Bethel, Pontificem cælorum.*

IV. Sed eadem ex Veterum Catechesi in Hebræorum quorundam scriptis etiamnum inveniuntur. *Rabbi Menahem* de hoc Angelo sic scribit: *Hic fuit Michael, & dicitur Angelus Domini, ut Dei.* Rursus: *hic Angelus est Angelus Goel, Redemtor, qui Jacobo se dixit Deum Bethel: hic est de quo dictum est, & Angelus faciei ejus servavit eos.* Gen. XLVIII. 16. XXXI. 11. 13. Jes. LXIII. 9. Paucis verbis multas magnasque res Rabbinus ille complexus est. Angelum hunc *Michaelem* vocat, quem quidem cæteris omnibus præstare consentiunt Hebræorum Magistri: at qua in re præstantia illa sita sit, non æque exploratum habent. Non male R. Menahem dicit, esse PONTIFICEM COELORUM, *qui preces justorum offert Deo:* PONTIFICEM SUPERNUM, *qui animas justorum in conspectu numinis repræsentat.* Idem est מלאך הגואל *Angelus redemtor*: quem Rabbini ipsissimum Deum esse fatentur; certe noster Menahem, scribens in Gen. XLVIII. *Innuit* השכינה *Divinam Majestatem, quum dicit, Angelus qui redemit me.* Enimvero nomen Redemtoris inter Dei epitheta est. Ps. XIX. 15. Jes. XLIII. 1. XLVII. 4. Neque Deitatem suam dissimulat hic Angelus; quum diserto sermone Jacobo dicit: *Ego sum Deus ille Bethel, ubi unxisti statuam, ubi vovisti mihi votum.* Gen. XXXI. 11. 13. Ideoque, uti pulcherrime observavit noster Menahem: Moses benevolentiam illius implorat uti fontem gratiæ & benedictionis. Deut. XXXIII. 16. *A beneplacito inhabitantis rubum veniant abundanter ad caput Josephi.* Ubi *Onkelos* habet דשכנתיה בשמיא ועל משה אתגלי באסנא, *cujus gloriosa majestas in cœlis habitat, & qui Mosi apparuit in rubo.* Addit denique Menahem, eundem dici *Angelum faciei*, qui & faciem Dei jugiter conspicit, & in quo faciem suam Deus hominibus ad lætitiam ac salutem conspiciendam præbet, qui denique ipsa Dei facies est.

V. *Nachmanidis insignis de eo locus.*

V. Merentur sane hic appingi quæ *Moses Nachmanides Gerundensis* commentatus est ad Exod. XXIII. continent enim puram Veteris Ecclesiæ doctrinam de Angelo aliquo qui ipsissimum summum numen sit. Sic ergo ille: *Iste Angelus, si rem ipsam dicimus, est Angelus Redemtor, de quo scriptum est, quoniam nomen meum est in ipso. Ille, inquam, Angelus qui Jacobo dicebat, Ego sum Deus ille Bethel. Ille de quo dictum est* Exod. III. 4. *Inclamavit eum Deus e medio rubi. Vocatur autem Angelus, quia mundum gubernat. Scriptum est enim* Deut. VI. 21. *Eduxit vos Jehova ex Ægypto. Et alibi*

alibi Num. XX. 16. *& misit Angelum, & eduxit nos ex Ægypto. Praterea scriptum est* Jes. LXIII. 9. *&* ANGELUS FACIEI *ejus salvos fecit eos. Nimirum ille Angelus* QUI EST DEI FACIES, *de quo dictum* Exod. XXXIII. 14. FACIES MEA *præibit, & efficiam ut quiescas. Denique ille Angelus est de quo vates* Mal. III. 1. *Et subito veniet ad templum suum Dominus quem vos quaritis, & Angelus fœderis quem cupitis.* Post pauca: *Animadverte attente quid ista sibi velint*: FACIES MEA PRÆIBIT. *Moses enim & Israelita semper optaverunt Angelum primum: caterum quis ille esset vere intelligere non potuerunt. Neque enim ab aliis percipiebant, neque prophetica notione satis adsequebantur. Atqui facies Dei ipsum Deum significat, quod apud omnes Interpretes est in confesso. Verum ne per somnium quidem ista intelligere quisquam possit, nisi sit in mysteriis legis eruditus.* Dicere, nisi fallor, vult, subesse huic doctrinæ ingens arcanum, quod non Israelitæ, imo ne Moses quidem ipse, in omni sua plenitudine comprehendere unquam valuerunt; & de quo nullas unquam cogitationes quisquam sibi præformabit, nisi qui probe in collatione scripturarum versatus sit: quomodo nimirum sit Angelus aliquis Dei, qui & ipse Deus sit.

VI. Eum Angelum Talmudistæ mirabili & Barbara nomenclatione vocant METATRON. Sic enim *R. Salomo* ad Exod. XXIII. 21. *Rabbini nostri inquiunt, Ille est Metatron, cujus nomen est sicut nomen Doctoris sui: nempe Dei* שדי *Omnipotentis. Nam* שדי *Gematrice facit* 314. *tantundem faciunt litera vocis* מטטרון. Luculenta sunt quæ de eodem nomine ad eundem locum commentatur *R. Bechai*; quamvis nugacibus quibusdam observatiunculis turpata. *Metatron vocatur*, inquit, *quoniam eo nomine comprehenduntur duo significata: nempe* אדון *Dominus, &* שליח *Legatus. Domini significatum ex sermone Rabbinorum, qui Heram vocant* מטרונה *Matronam. Legati ex sermone Gracorum, qui vocant Legatum* מנטטר (fortasse respicit ad vocem Græcam Μηνύτωρ) *Imo & tertia potest in ea esse significatio Custodia sive Custodis. Nam Targum pro Hebræo* משמרת *habet* מטרת *Custodia. Et quia custodit mundum appellatur Custos Israëlis. Ex his etymologiis patet quod ipse est Dominus & Legatus Domini, habetque idem cum Domino suo nomen. Ipse est Dominus omnium qua sub ipso sunt: nam omnes exercitus superiorum & inferiorum sunt sub ejus arbitrio, & sub manu ejus: & ipse Legatus est ejus qui est supra ipsum, quique eum dominari fecit supra omnia, & constituit eum Dominum domus sua, & Dominatorem omnis possessionis sua. Est autem tibi observandum, quod ratione significati Dominii* ט *in* טט *duplicatum est: &*

VI. Metatron Cabbalistarum.

duo

duo ט *faciunt* 18. *Totidem facit* חי *vivus, epithetum Dei. Iis sublatis manet* מרון, *idem quod* מרא, *id est* אדון *Dominus. Hic est* ANGELUS ILLE PER QUEM SOLUM DATUR ACCESSUS AD DEUM. Hactenus *Bechai.* In Libro Zorobabelis, quem Buxtorfius allegat in Lexico Talmudico, dicitur *Metatron* esse *Michaelem*, & principem facierum: quem alii vocant *Cancellarium cœli.*

VII. *Nucleus veræ doctrinæ.* VII. Secernamus pretiosum a vili, & relictis recentiorum Rabbinorum ineptis etymologiis, veluti cassis putaminibus, solum nobis nucleum sanæ doctrinæ reservemus: cujus hæc est summa, laudari in scripturis Angelum aliquem Dei, qui ipse Deus sit; & qui Præceptor fuerit Mosis. Quod & *Cabbalistæ* apud *Reuchlinum* scribunt: רבו של משה מטטרון *Doctor Mosis est Metatron.* Fortassis vox corrupta ex Latina MEDIATOR; nam quæ Mediatoris sunt, ea huic Angelo adtribuere solent.

VIII. *Novissima Mosis.* VIII. Eundem Angelum in universo vitæ suæ cursu ductorem Moses habuit; quin & in novissimis. Postquam enim omnem Dei voluntatem populo exposuisset, Canticoque excellentissimo fata gentis Israëliticæ complexus esset, denique singulis tribubus fausta omnia prophetico spiritu esset apprecatus, monente Deo ad mortem se composuit. Adscendit igitur e campestribus Moabitarum in montem Nebo, illiusque cacumen quod Pisgam sacræ literæ vocant. Josephus de suo addit, factum id esse comitante tota multitudine populi Israëlitici, in fletum ita effusa, ut ipse Moses commiseratione ductus in lacrumas solveretur. Manu interim remotioribus, voce propinquis significans, ne suum abitum tanto doloris testificatione prosequerentur. Paruit populus: quo una cum senatu dimisso, solus remansit Moses, in cacumine montis, siti contra Hierichuntem, quasi medio inter terminum terræ Borealem & Australem.

IX. *Caussa mortis accelerata.* IX. Ibi totam promissæ terræ faciem ostendit ipsi Deus, sive, ut Chaldaica Jonathanis paraphrasis habet, VERBUM JEHOVÆ: atque oculis & animo libandam dedit, quam intrare & possidere permisit. Sic enim ulcisci numini placuit tam Aaronis quam Mosis inconsideratam prævaricationem, qua non satis ad præscriptum attendentes neglexerant Deum sanctificare ad aquas contentionis in Kades. Num. XX. 12. Deut. XXXII. 50. 51. Plurium hic fuit peccatorum concursus, quæ cæteroquin a Mosis genio alieniora erant. I. Insolita prorsus iracundia, & commotio animi justo vehementior. Ps. CVI. 33. *Exacerbantibus illis spiritum ipsius temere effutivit aliquid labiis suis.* II. Infidelitas, qua dubitasse vide-

videtur an ad verbum suum aquæ ex petra prodituræ essent. III. Inobedientia ex ira & infidelitate orta: eaque gemina. Quum enim jussus esset petram alloqui, verso ad populum sermone eum cum indignatione allocutus est, petram autem bis percussit. Doctissimus *Lightfootus* observat, facta hæc esse initio anni quadragesimi operationis Israëlitarum in deserto: indeque colligit, præcipuum Mosis crimen in eo constitisse, quod vacillaverit animo circa promissionem Dei, de ingrediendo in terram post quadraginta annos. Atque hanc dat orationis Mosaicæ παράφρασιν. *Quid*, ajebat, *o vos rebelles, ecquid ex hac petra aqua est nobis proferenda, ut Horebi à nobis factum est? An omnis nostra spes & exspectatio exeundi ex hoc deserto huc tandem recidit? Non nisi vice una aquam ex rupe produximus; & factum hoc ideo est quia multo tempore permanendum vobis erat in deserto, ut per omne hoc spatium aqua inde vobis suppeteret, uti id revera factum vidimus. Postquam illa aqua jam abcessit, an aqua ex alia rupe proferenda est à nobis? O vos rebelles, eone rem perduxistis per murmurationem vestram, ut nova in deserto statione opus sit, & nova rupes debeat aperiri, quæ aquam vobis largiatur pro longa statione vestra, ut Horeb faciebat. Ecquid commoratio in deserto de novo nobis nunc ordienda est, quando sperabamus laborem nostrum pervenisse ad finem, & sic nunquam ex deserto hoc exibimus?* Et simul rupem bis percussit, præ indignatione & ira. Atque ita non crediderunt promissioni de ingrediendo in terram post quadraginta annos; neque sanctificarunt Dominum ante oculos populi, ad illum in fide promissionis illius confirmandum: sed quidquid animi boni illi inerat tantum non excusserunt, & sic incogitanter locuti sunt labiis suis. Atque ob eam caussam terra Canaanis sunt exclusi. Hæc Lightfootus.

X. *Quam antecessit promissa terra conspectus.*

X. Hunc tamen ultimum Moses in hac vita laboris sui fructum habuit, ut viderit terram quam patribus juraverat Deus. Nempe voluit in ipso excitari gaudium ex fide servata patribus. At noluit ut opus liberationis populi, quod inchoaverat, vel consummaret ipse, vel ab alio consummatum cerneret. Pauci sunt, quibus hoc est datum. Plerique in aliorum labores veniunt. Nulli itaque nostrum dividiæ sit, prius hinc abire ad cœlestem patriam, quam viderit fructum laboris sui in hac terra. Quippe & Mosi idem accidit, non deducere Israelem in hæreditatis promissæ possessionem. Quæ erudita & pia *Cocceji* observatio est. Sed & majora huic rei subfuerunt mysteria, de quibus modo dicendum erit.

XI. Ea mors an propriè intelligenda?

XI. His omnibus ita peractis, mortuus est Moses servus Je-hovæ, in terra Moabitarum, על פי יהוה JUXTA OS JEHOVÆ *Qui sepelivit eum in eadem valle, in terra Moabitarum, e regione Beth Peor, neque novit quisquam sepulcrum ejus in diem hunc.* Deut. XXXIV. 5. 6. An MORS hic significet separationem animæ a corpore, an transmutationem, qualem exspectant quos deprehendet dies Do-mini 1 Cor. XV. 51. item an per *sepulturam* intelligenda sit cor-poris in terra conditio, an μετάθεσις sive transpositio corpo-ris una cum anima, quæ indigitetur facta circa vallem monti vi-cinam, disquiritur inter eruditos. In *Jalkuth* ex *Siphre* refertur ve-tus quorundam opinio, Mosen non fuisse mortuum, sed stare & ministrare in cœlo. *Josephus* dicit, γέγραφε δ' αὐτὸν ἐν ταῖς βί-βλοις τεθνεῶτα, δείσας μὴ δι' ὑπερβολὴν τῆς περὶ αὐτὸν ἀρετῆς πρὸς τὸ θεῖον αὐτὸν ἀναχωρῆσαι τολμήσωσιν εἰπεῖν. *quod scripserit se esse mortuum, ne propter excellentem virtutem putaretur raptus à Deo. Hieronymus in* Amosi IX. *Ascendit cum Moyse, cujus sepultura locus, quia in cœlum adscenderat, in terra non potuit inveniri.* Sed hæc nos abducunt a simplicitate historiæ: cujus verba de morte & sepultura Mo-sis clariora sunt, quam ut quæsita interpretatione elidantur. Id in-terim patere videtur ex Matth. XVII. 3. Luc. IX. 30. Mo-sen tum in vita fuisse, quando cum Elia adfuit Domino Jesu, ad fi-dem resurrectionis firmandam. Ignoratur autem tempus resusci-tationis ipsius.

XII. Quo sensu mortuus ad os Jehovæ?

XII. At notatu digna est 'ΕΥΘΑΝΑΣΙ'Α. Scivit tempus, lo-cum, modum mortis suæ: quam neque vi externa, neque mor-bo, neque senio obivit: sed sola Dei voluntate animam a cor-pore separante. Neque invitus tractus, aut pavidus profectus est, eo loci ubi moriendum sibi esse norat. Sed placida mente animoque composito se suaque omnia commisit numini; in cu-jus veluti complexibus exspiravit. Huc respexerunt Hebræorum Sapientes, quum de Mose, Aarone & Miriam ajunt, mortuos eos esse בנשיקה OSCULO, aut inter osculandum. De Mose enim & Aarone testatur scriptura, quod mortui sint על פי יהוה AD OS JEHOVÆ Num. XXXIII. 38. Deut. XXXIV. 5. Idem de Miriam credunt, quamvis id scriptura exserte non dicat, eo quod fuerit mulier. Sensum locutionis istius hunc esse putant, quod mortui sint præ nimio amore, in apprehensione, gustu & sensu Divi-næ alicujus voluptatis, quæ vitæ hujus mortalis sortem superat. Et conferunt id quod sponsa dicit Cant. I. 2. *Osculetur me osculis oris sui*: ubi apprehensio creatoris cum summo Dei amore con-juncta,

juncta, vocatur נשיקה *Osculatio.* Vide sis *Maimonidem More Nevochim Part.* III. *Cap.* LI. *sub finem.* Non quidem arbitror hanc rem ista locutione contineri: nam *ad os Domini* significat *ex præstituto Domini.* De rei tamen veritate dubitandum non est.

XIII. Sed & in SEPULTURA aliquid Mosi contigit, quod ante & post eum mortalium nemini. Funerationis enim curam omnem in se suscepit Deus, nullius hominis interveniente opera procurandam. *Epiphanius* ex veteri traditione testatur, Angelorum ministerio Deum esse usum. Nec abludit *Philo*: ἐτάφη μηδενὸς παρόντος, δηλονότι χερσὶν οὐ θνηταῖς, ἀλλ' ἀθανάτοις δυνάμεσι: *funeratus est nemine præsente, nimirum non mortalibus manibus, sed immortalibus potestatibus:* qua phrasi Angelos designat. Voluit etiam Deus sepulturæ locum mortalibus omnibus, imo ipsis quoque malis dæmonibus, incognitum, certe inaccessum esse. R. *Salomo Jarchi* ex veterum traditionibus narrat, sepulcrum Mosis paratum fuisse a sex diebus creationis, ad expianda crimina Peoris: & unum esse de illis rebus quæ creata בין השמשות in crepusculo vesperæ Sabbati. Alii tradunt, Mosen semet ipsum sepelivisse: saltem aperuisse se terram, ingressoque Mose ac defuncto occlusam, rediisse in pristinum statum: indeque ignoratum ejus sepulcrum. *Cedrenus* addit: Ἐκ τότε οὖν καὶ μεχρὶ τοῦ νῦν φωτοειδὴς νεφέλη ἐπισκιάζει τὸν τόπον ἐκεῖνον, ἀμαυροῦσα καὶ ἀποτειχίζουσα τὰς ὄψεις τῶν ὁρώντων, ἵνα μὴ γινώσκοιεν αὐτοῦ τὸν τάφον εἰς τὸν αἰῶνα. *Ab eo tempore in hunc usque diem lucida nubes obumbrat locum illum, offuscans & veluti vallo quodam includens adspectus intuentium, ne sepulcrum ipsius agnoscant in seculum.* Cæterum hæc, & quæ his similia præter scripturam tradunrur, audacium hominum commenta sunt.

XIV. Nos utilius inquiremus, cur tanta cura occuli Deus sepulcrum Mosis voluerit. Illius rei hæ præcipuæ videntur esse rationes. I. Ne Hebræi, prout gentis erat indoles, aut alii quicunque, tanti Viri reliquiis cultum religiosum deferrent. Bene R. *Levi Ben Gerson: Fortasse si innotuisset locus, errando erravissent generationes sequentes, & fecissent ex eo Deum, propter claritudinem miraculorum quibus excelluit. Nonne vides, quod in serpente aneo, quem fecerat Moses, erraverint quidam Israelitarum?* Neque frustra hunc metum fuisse docet *Melchisedechianorum* hæresis; qui, si fides *Epiphanio*, in Arabia Petræa Mosen διὰ τὰ θεοσήμεια Θεὸν νομίζουσι, προσκυνοῦσί τε τὴν αὐτοῦ εἰκόνα, *propter prodigia à se edita pro Deo habent, & imaginem ipsius adorant.* Quid fecissent, si corpore potiri li-

XIII. *A Deo clam sepultus.*

XIV. *Cur?*

ri licuisset? II. Ne expositum Sancti Viri cadaver esset libidini Satanæ.

XV. Michaëlis & Diaboli de corpore Mosis altercatio.

XV. Huc enim pertinet priscæ historiæ fragmentum, quod sive ex Hebræorum traditione, sive aliunde desumtum, Divinæ suæ Epistolæ inseruit sanctus Judas com. 13. *At Michael Archangelus ille, quum adversus Diabolum altercans disceptaret de corpore Mosis* ὐκ ἐτόλμησε *non sustinuit ipsi impingere notam maledicti, sed dixit increpet te Dominus.* Partes altercantes sunt, hinc Michael Archangelus, idem ille Angelorum princeps qui & Dominus est, & Mosis doctor ductorque fuit ab initio; inde Diabolus, κοσμοκράτωρ, Michaelis per omnia adversarius. Altercationis subjectum & caussa fuit corpus Mosis; quod Michael volebat abscondere, consulens quieti servi sui, & impediturus superstitionem atque idololatriam: Diabolus autem in apertum proferre, ut illudens Prophetæ reliquiis populum ad idololatriam alliceret. In illa altercatione credibile est Diabolum plurimas adversus Deum & Michaelem evomuisse blasphemias. Michael autem ὐκ ἐτόλμησε, *non sustinuit*, non animum induxit (hoc enim aliquando significare τολμᾶν exemplis aliquot probavit *Gatakerus*) impingere ipsi notam maledicti; non quod timuerit Diabolum, sed quod ex decoro omnia agere voluerit, personam Angeli quam susceperat rite tueri, Diabolo se dissimillimum demonstrare, & hominibus, quibus hæc erant patefacienda, patientiæ exemplar relinquere. Neque indignum hoc tanti Angeli Majestate est: nam & Zach. III. 2. Angelus Jehovæ, qui & ipse Jehova est, dixit Satanæ, *increpet te Dominus.* Et fortasse hinc collegit Judas, quia idem semper est φρόνημα ipsius, in isto quoque certamine similiter locutum esse, neque aliter sententiam pronunciasse quam postulando judicium Patris.

XVI. De sepulcro Mosis invento fabella.

XVI. At quod tanto opere occultavit Deus monumentum Mosis, id nostro seculo repertum fuisse, quidam sibi persuaserunt. Lepida fabella est, quam *Hornius* exhibet in *Histor. Eccles. sub finem*: non indigna quæ & hic legatur. A. CIↃ IↃ CLV. mense Octobri, *Maronitæ* quidam pastores capras in montibus *Nebo* & *Abarim* pascebant; quumque frequenter observarent quasdam capras duobus tribusque diebus longius a grege exspatiari & abesse, reduces vero pilis admodum suaviter odoris esse, visum scrutari rem tam miram. Ergo ducibus capris ad *præcipitia* immanis profunditatis pervenerunt, intra quæ *vallem*, brevi circuitu, sed amœnissimam invenerunt, in quam difficillimus, per rupes

Domini hoc esse sepulcrum, sed *alterius* cujusdam *Mosis* qui multis posterior seculis fuerit. Atque ita opinio de reperto sepulcro *Mosis* iterum evanuit. Hactenus *Hornius*.

XVII. *Totius hujus rei mysterium.*

XVII. Sed ad institutum revertamur. Non est probabile, his tam singularibus Divinæ providentiæ operibus, in Oeconomia quæ tota umbratilis ac significativa erat, nihil subfuisse mysterii: quod ex analogia scripturarum investigandum est. *I.* Frustra non est, quod neque Aaron Pontifex Maximus, neque Moses Legislator, populum in possessionem terræ sanctæ introduxerint; sed uterque antea quam id factum est vita functus sit: introductio autem ista commissa sit Josuæ. Nonne illud evidenter docet sacerdotii antiqui & legis *infirmitatem & inutilitatem*? *Nihil enim consummavit Lex, sed introducta spes potior, per quam appropinquamus Deo*, Heb. VII. 18. 19. *II.* Mors Mosis conjuncta cum introductione populi in quietem terræ Canaan, procurata per Josuam filium Nun, exsecutorem pacti Mosaici, indicavit Oeconomiæ Mosaicæ ἀφανισμὸν, antiquationem, mortem atque evanescentiam conjunctam fore cum introitu populi in requiem testamenti novi, procurandam per Jesum, Filium Dei & Mariæ, melioris pacti sponsorem. *III.* Sepultura Mosis, notat Oeconomiæ quæ semel evanuit adeo totalem abolitionem, ut nunquam revictura aut restituenda sit; ne tum quidem quando populus Israeliticus, absolutis diebus rejectionis suæ, ad communionem Divinæ gratiæ readmitteretur. Jer. III. 16. XXXI. 32. *IV.* Quod mors Mosis contigerit juxta os Domini, & sepultura ab ipso Domino fuerit procurata; significat, abolitionem Oeconomiæ Mosaicæ futuram esse secundum Dei voluntatem & prædictiones, ipsius Messiæ opera peragendam. Dan. IX. 27. *In medio ipsius septimanæ Messias abolebit sacrificium & munus.* *V.* Altercatio Michaelis & Diaboli de corpore Mosis, figura est earum litium quæ Apostolis, Christianæ libertatis vindicibus, intercesserunt cum pertinacibus Judæis, & Pseudapostolis, ceremoniarum Mosaicarum necessariam observationem etiam in Christiana Ecclesia urgentibus, & Gentiles ad fidem Jesu conversos prementibus eodem jugo. Nam illi Pseudapostoli, operarii dolosi, quid aliud erant nisi *ministri Satanæ transformantes se in Apostolos Christi*? 2 Cor. XI. 13. *Dicunt se Judæos esse, & non sunt, sed Synagoga Satanæ.* Apoc. II. 9.

XVIII. *Aaron quoque Propheta fuit.*

XVIII. Prophetis in deserto accensendus quoque est AARON, frater Mosis, qui non Mosis solum propheta fuit, & interpres mentis ejus; sed & Dei. Sic enim dicit Deus Exod. IV. 15. *Ego adero*

adero ori tuo, & ori ejus, & docebo vos quæ facturi estis. Et sane verbum Domini ad ipsum quoque factum est. ib. com. 27. *Edixit Jebova Aaroni, abi obviam Mosi in desertum.* Aaronem quoque non minus quam Mosen edocuit Deus de Kalendis anni sacri. Exod. XII. 1. 2. *Allocutus autem fuerat Jehova Mosen & Aaronem, in terra Ægypti, dicendo: Hic mensis vobis principium est mensium.* Atque hinc ipsi & sorori Miriam ea nata est confidentia, ut obloquentes Mosi in hæc verba erumperent: *An tantummodo per Mosen locutus est Jehova? nonne etiam per nos locutus est?* Num. XII. 2.

XIX. Uti & omnes Pontifices, qui respondebant per Urim & Thummim.

XIX. Neque id personale solum Aaroni beneficium fuit; sed quadantenus commune indultum muneri Pontificio, quo auxerat eum Dei benignitas. Huc enim pertinebant URIM & THUMMIM, quæ quidquid fuerint, hunc certe habuerunt usum ut essent prophetiæ instrumenta, & consultum Pontificem illuminarent ad intelligentiam rei occultæ, sermonemque etiam ad intellecta rite enunciandum perficerent. Atque ita symbola fuerunt Divinæ præsentiæ & directionis, in dubiis & arcanis Pontificem imbuentis notitia & eloquio ad eruditionem consulentium. De iis vide, si lubet, quæ in *Ægyptiacis* nostris commentati sumus.

XX. Propheticum etiam aliquid accidit Nadabo & Abibu, & LXX senioribus.

XX. Propheticum etiam aliquid accidit SEPTUAGINTA E SENIORIBUS ISRAELIS, quando sancito solemniter fœdere, cum Mose & Aarone, & filiis Aaronis Nadab atque Abihu, admissi ad sacrum montem, *adspexerunt Deum Israelis, & sub pedibus ejus velut opus pavimentatum sapphiro, & velut corpus ipsum cœli nitore. Neque tamen Deus in selectos filiorum Israel extendit manum suam, sed postquam intuiti essent Deum ipsum ederunt & biberunt.* Exod. XXIV. 9. 10. Ii quibus hæc specialis gratia concessa est, præter Mosen atque Aaronem, intimos numinis, fuerunt NADAB & ABIHU, primogeniti filii Aaronis, sacerdotio destinati, cujus tamen prima, uti videtur, functio, non satis ex præscripto peracta, tam infeliciter postmodum iis cessit. Adeo non impedit adspectus Dei in symbolis, quo minus is qui isthoc mactatus est honore deinceps cœlesti igne conflagret. His adjuncti fuere LXX EX SENIORIBUS ISRAELIS, qui אצילי *egregii, electi, optimates filiorum Israel* dicuntur: non enim promiscuo populo cætero accedere licuit. com. 2.

XXI. Quos credibile est Deum in monte vidisse specie humana.

XXI. Hisce datum nunc est *adscendere in montem*, quod nuper sub atroci pœna interdictum: Exod. XIX. 21. 22. At aliquousque duntaxat adscendere, non in ipsum montis verticem, quo soli Mosi penetrare fas fuit. Nam *e longinquo standum erat, dum in-*

cur-

curvantes honorem exhibebant Deo. com. 1. 2. Non fuit adhuc tempus ut omnes promiscue, & valde familiariter, ad Deum appropinquarent, tanquam regium sacerdotium. Fuit ista tantum prægustatio τῆς ἐπιφανείας τοῦ Θεοῦ: quæ, ut optime Celeberrimus Interpres, per idoneos testes debuit Israeli innotescere, ut scirent quis ipsis præcepta dedisset, ad quam spem ducerent ipsæ omnes figuræ, & qualem denique ἐπιφάνειαν exspectandam haberent. Nam adscendentibus istis datum est *adspicere Deum Israelis*, non utique in sua essentia, sed in symbolo quodam præsentiæ Majestatis & Gratiæ, & quod mihi quidem probabile videtur, sub specie hominis stantis in solo gemmeo: sicut & Jesaias, & Ezechiel, & Daniel viderunt Deum. Hoc enim verba textus innuunt, ubi *pedes* Dei memorant. Neque obstat quod Deut. IV. 15. dicit Moses: *nam non animadvertistis ullam similitudinem, quo die allocutus est Jehova vos in Horeb e medio illius ignis.* Ibi enim de alio tempore sermo est, de die nimirum datæ legis; & de aliis personis: nam sermo iste dirigitur ad populum universum, qui nihil de Deo tum viderunt; non ad seniores nominatim, quos certe aliquam Dei speciem vidisse necesse est, si pedes ejus viderint.

XXII. *Nimirum Filium Dei humana carne induendum.*

XXII. Hic iterum Hebræorum nonnulli Interpretes notabile aliquid ex Catechesi Veterum habent. *Racnatensis* citatus *Aliagio*, ad primum comma hujus capitis ita scribit: *Deus Benedictus Magnus jussit ut adscenderet ad Jehovam, hoc est Metatron qui quandoque Dei nomine appellatur, significatque* שכינה, *eo nomine dictam. Quasi dixisset, adscende in locum gloriæ, ubi est Angelus Redemtor.* Recte. Viderunt Filium Dei, Angelum Redemtorem, qui promisit se in medio ipsorum habitaturum esse. Fuitque in hac apparitione præludium ἐνσαρκώσεως, per quam futurum erat ut oculo ad oculum præsens cerneretur.

XXIII. *Cur opus lateris Sapphirini sub pedibus ejus?*

XXIII. Viderunt autem sub pedibus Dei מעשה לבנת הספיר *sicut opus lateris Sapphirini.* Sapphiri, auctore *Ruëo in Libello de Gemmis*, cœlesti colore conspicuæ sunt, at quæ optimæ aureis quoque punctis collucent scintillantque. Consentit Auctor Græcus: Σάπφειρος λίθος ἔχων σπιλάδας χρυσίου ὡς ἐν στίγμασι. Vide *Salmas. ad Sol. p.* 93. Certe in magno olim pretio fuit. Hinc & alibi Thronus Dei conspectus est specie lapidis Sapphiri. Ezech. I. 26. Significatur gloriosa Dei Majestas, cujus & participem facere Ecclesiam vult pro capacitatis suæ modulo. *Nam cohonestabit locum pedum suorum.* Jes. LX. 13. & *collocaturus est cum ornamento*

to lapides ejus, & fundaturus eam Sapphiris. Jes. LIV. 11. Neque caussa caret, quod Sapphiri illæ *laterum* speciem haberent. Quod partim ad decus pertinet, innuitur enim Sapphirorum magnitudo, & figura ordinata, & usus, quod veluti pavimentum aliquod substratæ Deo essent: partim etiam Israelitas spectat. His enim creditur Deus voluisse isthoc symbolo in memoriam revocare servitutem, quam lateribus e luto conficiendis in Ægypto serviverant. Nunc autem ex servis facti erant populus liber, populus Dei, quem Deus quasi pedibus suis perambulabat, *lapides Sanctuarii, Sapphirina polities eorum.* Thren. IV. 1. 7. Quod additur, visum quoque fuisse sub pedibus Dei *velut ipsum corpus cœli in suo nitore*, id & puritatem Divinæ sanctitatis, & splendorem suæ gratiæ significat. Sicuti cœlum nubilum nota est Divinæ iracundiæ. Jer. IV. 23. 28. Zephan. I. 15. Coccejus *Sapphirum* interpretatur *Carbunculum*; eoque supposito sic pergit: *solum speciæ carbunculi, significat regnum fundatum in sanguine. Limpiditas significat τὸ εἰλικρινὲς καὶ ἀκέραιον.*

XXIV. *Quid sit, quod ederint ac biberint conspecto Deo?*

XXIV. Sequitur denique, non *extendisse Deum manum suam ad Optimates electos Israelis*, nimirum ad pœnam & vindictam: non enim contra præceptum, ausu temerario, sed jussi una cum Mose & Aarone propius accesserant ad præsentiam numinis. Et *conspecto Deo comederunt ac biberunt.* Id nonnulli in vitium trahunt, quasi obliti tanti honoris mox ad hujus animalis vitæ voluptates rediissent. Alii simpliciter interpretantur, quod in vivis remanserint, & incolumes a tantæ gloriæ conspectu redierint: quum alioqui recepta esset opinio, eos qui viderunt Deum mox morituros esse. Kabbalistæ subtilius exponunt de alimento animæ, quod sub imagine corporalis alimenti proponi solet, ajuntque *nutritos fuisse de splendore Schecinæ. Si enim caussæ secundæ applicatæ, præstant alimenta, multo magis appropinquatio ad caussam primam. Nutriverunt oculos suos de splendore Schecinæ, ut Angeli ferentes Thronum gloriæ Dei, quæ est alimonia animæ & oblectamentum ejus.* Vide *Altingium.* At non ita spirituales fuerunt septuaginta isti: nam ex illis qui accesserunt credibile est fuisse qui se obstrinxerunt crimine vituli. Mihi videntur facta hæc esse ex prisco ritu, quo post sanctionem fœderis præbita fuerunt convivia. Gen. XXVI. 30. XXXI. 54. Sic Deus hic quoque convivium fœderatis suis instruxit, ut ederint ac biberint coram facie ipsius, sive de reliquiis victimarum Eucharisticarum, sive de Manna, aliove cibo, qui Deo deesse non potuit. Quod fuit argumentum pacis

& φιλανθρωπίας. Uti & Christus suis paciscitur *ut edant & bibant in mensa sua in regno suo.* Luc. XXII. 30. Proxime huc accedit *Onkelosi* paraphrasis, ita hunc versum reddens. ולרברבי בני ישראל לא הוה נזקא וחזו ית יקרא דיי והוו חדן בקורבניהון דאתקבלו ברעוא כאלו אכלין ושתן *Principibus autem filiorum Israel nullum incommodum fuit; & viderunt gloriam Dei, & gavisi sunt in sacrificiis suis qua accepta fuerunt cum beneplacito, quasi comedissent & bibissent.*

XXV. *Denique & alii* LXX *seniores prophetarunt.*

XXV. At neque in hac historia prætereundi videntur illi SEPTUAGINTA SENIORES ISRAELIS, qui Mosi de nimio gubernationis onere conquerenti ex voluntate Dei adjuncti sunt. De quibus ita ad Mosen Deus Num. XI. 17. *Seponam de spiritu qui est super te, ponamque in eis: sic portabunt tecum onus populi, neque tu portabis solus.* Pergratum id Mosi accidit, qui uti jussus erat, congregavit LXX. viros e senioribus populi, quos stitit circa tentorium conventus, ibi Deo veluti consecrandos. Ut cognoscerent, se Dei nomine judicum officio functuros, & judicium ipsum non tam hominum quam Dei esse. Deut. I. 17. *Tunc descendens Jehova in nube allocutus est eum, & seponens de eo spiritus qui erat super eum, indidit* LXX. *illis viris senioribus.* Non quod Mosi decesserint ea quæ ipsis communicabantur; sed quod ejusdem, quo Moses donatus erat, spiritus pro sua singuli portione redderentur participes. Chaldæus παραφράζει: ורבי מן רוחא די עלוהי *& multiplicavit de spiritu qui super eo erat, & dedit iis.* At Rabbi *Salomo* eleganti similitudine rem illustrat. באותה שעה היה משה דומה לנר שמונח על גבי מנורה והכל מדליקין ממנו ואין אורו חסר כלום *Ea hora,* inquit, *Moses similis fuit lucernæ collocatæ in summitate lampadis, ex qua cæteræ omnes accenduntur, sine ulla vel minima lucis ipsius imminutione.* Spiritus autem ille quo donati sunt, erat ipsis auctor datorque sapientiæ, prudentiæ, æquitatis, justitiæ, mansuetudinis, cæterarumque virtutum quæ in judicibus & reipublicæ gubernatoribus requiruntur. Sed & insolitum aliquid in ipsis præstabat; nimirum ut prophetarent, id est, vel Divino impulsu in laudes Dei prorumperent, vel de rebus præstantissimis ac Divinis sermone gravissimo, & qui antegressam eorum aptitudinem & communem Israelitarum sortem plurimum superaret, scite & cum audientium stupore loquerentur, ἀποφθεγγόντες τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ. Sic ut ex orationis tam materia, quam modo atque habitu, pateret eos Spiritu Dei agi. Id vero eo solum die accidit. *Non* enim *addiderunt amplius prophetare.* Neque ad ordinariam muneris sui functionem valde erat necessarium. Sufficiebat

bat eo instructos spiritu manere, qui ad omnem eos solertiam informaret. Extraordinaria autem illa, quamvis exigui temporis, prophetia eo pertinebat, ut evidentibus indiciis innotesceret populo, eos a Deo selectos, & Mosi adjunctos, & ejusdem spiritus communione donatos esse.

XXVI. Cæterum memorabile aliquid accidit: duo viri, Eldad, & Medad, quamvis inter conscriptos erant, remanserant in castris, neque stiterant se ad tentorium conventus; vel quia detrectabant onus regiminis, privatæ vitæ quietem anteponentes; vel ex modestia, quod indignos se reipublicæ muneribus censerent, sicut ob eandem caussam Saul ad regnum quærendus se post impedimenta occultavit: vel ob aliam rationem nobis incognitam. Hebræorum magistri; qui nihil se nescire postulant, omnem Mosis super hoc negotio deliberationem, totiusque hujus conscriptionis ordinem, præter sacram historiam hoc fere modo narrant. Cogitavit apud animum suum Moses, si ex singulis tribubus senos sumsero, duo supererunt numero septuagenario; si quinos, decem deerunt; si ex aliquibus tribubus quinque, ex aliis sex, conflabitur tribuum invidia. Ad eam evitandam sumsit LXXII. schedulas, quarum septuaginta inscriptæ erant voce זקן SENIOR, duæ cæteræ vel vacuæ, uti nonnulli tradunt, vel inscriptæ חלק PARS. Eas postquam permixtas indidisset pyxidi, jussit quemque schedam extrahere. Qui extraxit schedulam inscriptam nomine זקן, illi dixit, *jam pridem sanctificavit te Deus*; qui vacuam, aut aliter inscriptam, illi dixit, *Deus te non vult, quid ego faciam tibi?* Atque hanc sortem fuisse volunt *Eldadi* ac *Medadi*, qui ita Senatus dignitate & magistratu exclusi sint. Non tamen communicatione spiritus. Nam & *illi prophetarunt in castris.* Indignante Josua, qui illos a Mose cohiberi petiit: at non impetravit. Responsum autem accepit, dignum Mose, dignum omnium seculorum memoria: *An invides tu meâ caussa? Atque utinam totus populus Jehovæ essent prophetæ, indente Jehova spiritum suum illis!*

XXVI. Etiam Eldad & Medad, indignante Josua, at probante Mose.

XXVII. Ex hoc responso Mosis, nisi me fallit ratio, lux aliqua adfulgere potest obscurissimo cæteroquin & vexatissimo loco, qui invenitur Jacob. IV. 5. *An putatis scripturam inaniter dicere, πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα ὃ κατῴκησεν ἐν ἡμῖν; ad invidiam fertur spiritus qui sedem posuit in nobis? sed majorem offert gratiam.* Inquirendum quid Jacobus hic dicat, tum ubi idem cum ipso alibi dicat scriptura. Jacobæi dicti hæc mihi videtur esse mens:

XXVII. Jacobi locus cap. IV. 5. hac occasione illustratus.

an Spiritus Sanctus, quo regeniti, quo Christiani facti sumus, cujus nos sacra sedes & templum sumus, cujus nutu regi nos oportet, an ille, inquam, Spiritus & suapte inclinatione fertur, & eos in quibus habitat vitiosa cupiditate impellit, ad invidiam, ut aliorum bonis indoleant? Absit: imo vero majorem dat gratiam, facit ut quisque bonis proximi gaudeat, majora & plura ei apprecetur, ex iis uti suis voluptatem capiat, & ipse denique in instituens gratiæ Divinæ incremento augeatur. Ubi vero Scriptura idem dicit? Non puto, recurrendum hic esse ad perpetuam totius Scripturæ doctrinam, sine certæ alicujus pericopæ aut pericoparum designatione: neque existimo Pauli aliquod dictum designari ex Epistola ad Galatas, cujus cognitionem ad eos pervenisse quibus suam hanc Jacobus inscripsit, probari non potest. Sed quoniam Veteris Instrumenti libri in Novo laudantur sub nomine *Scripturæ*, mihi dubium non est, quin ad aliquam Veteris Instrumenti sententiam Jacobus respexerit. Et quum ea αὐτολεξεὶ nuspiam inveniatur, cogitandum est de aliqua quæ τῇ διανοίᾳ proxime ad eam accedat. Mihi autem nulla occurrit quæ affinior videatur hac ipsa Mosis, quam laudavimus modo. Moses enim Spiritu Dei plenus, de spiritu illiusque operationibus loquens, Josuæ invidenti aliis communionem spiritus dicit: *quid tu mea caussa invides?* Meque ad invidiam excitas? An hoc dignum eo spiritu, qui in me, qui in te sedem fixit, & in aliis figit pro suo lubitu? Enimvero non est ista incommoda dicti Mosaici παράφρασις: quam eadem mente exhibuit Jacobus. Quod addit Moses: *utinam totus populus Jehovæ essent Prophetæ!* non male convenit cum illo Jacobi: *sed dat majorem gratiam.* Confer sedes *Ludovici Cappelli* commentarium.

CAP. XVIII.

De Prophetis in Canaan.

I. *Josuæ inauguratio propheticum aliquid habet.* II. *Sic tamen ut simul doceretur, eum Mose minorem esse.* III. *Quamvis sæpe eum Deus alloquio suo dignatus sit.* IV. *Apparitio quæ ei ad Jerichuntem contigit, consimilis illi qua honoratus est Moses.* V. *Princeps militiæ Jehovæ est Filius Dei.* VI. *Josua calceum exuere jussus, Moses calceos.* VII. *Eminium se Prophetam præstitit morti vicinus.* VIII. *An Auctor Libri titulum suum præferentis, non admodum certum est.* IX. *Angelus qui ap-*

apparuit in Bochim, X. *Non fuit Propheta*; XI. *Sed Filius Dei.* XII. *Qui & Gideoni, & parentibus Samsonis visus est.* XIII. *Propheta Anonymus ad Eli missus.* XIV. *Samuel, Nathan, Gad, Heman, Jeduthun.* XV. *David etiam Propheta fuit.* XVI. *Critici alicujus Batavi paradoxa de Davidicis Prophetiis sententia.* XVII. *Brevibus comprehensa aphorismis.* XVIII. *Convincenda impietatis.* XIX. *David præscius de Christo locutus est.* XX. *Et quidem inspirante Deo.* XXI. *Verbis ipsius proprie dicta prophetia inest.* XXII. *Psalmi* LXIX. *&* CIX. *indubie Davidis sunt.* XXIII. *Impium est, eos attribuere insanæ iræ & vindictæ cupiditati.* XXIV. *Diræ illæ in præfractos Divinæ Majestatis hostes, non repugnant lenitati Christi.* XXV. *Salomon etiam Prophetis annumerandus.* XXVI. *Proverbiorum liber eum auctorem habet.* XXVII. *Conjectura de Agur filio Jakeh, Leitiel & Uchal.* XXVIII. *Confessio suæ stoliditatis sapientissimo Salomone indigna non est.* XXIX. *Lemuel cognomen Salomonis.* XXX. *Liber Proverbiorum pro Canonico habendus est.* XXXI. *Quamvis indignis convitiis proscissus à nupero Critico.* XXXII. XXXIII. XXXIV. *A quibus serio vindicatur.* XXXV. *Calumnia in Ecclesiasten Salomonis.* XXXVI. XXXVII. *Retusa.* XXXVIII. *Convitia in Canticum Canticorum.* XXXIX. *Refutata.* XL. *Observationes in audacem illam Criticam,* XLI. *Sequentium Prophetarum alii scripta reliquerunt, alii non.* XLII. *Inter illos sunt Abias, Semajas, Iddo, Azarias, Oded, Hananias, Jehu.* XLIII. *Elias, Michas. Anonymus. Jahaziel. Elisæus.* XLIV. *Zacharias.* XLV. *Anonymus. Oded. Urias.* XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. *Epistola Eliæ ad Joramum.* L. *Hebræorum republica ad excidium vergente, prophetæ oracula sua scriptis consignarunt.* LI. *Eorum hic videtur esse ordo. Jonas. Hoseas. Amos. Joel. Jesaias. Michas.* LII. *Nahum. Habacuc.* LIII. *Obadiæ ætas incerta.* LIV. *Zephanias.* LV. *Jeremias.*

Mosi successit Josua, cujus opera introductus est populus Israeliticus in possessionem Canaan, suo quoque merito Prophetis annumerandus. Illius solemnem inaugurationem invenimus Num. XXVII. 18. & seq. Ubi describitur ut *Vir in quo est Spiritus Dei*, Spiritus nimirum sapientiæ, prudentiæ, fortitudinis, cæterarumque dotium quibus instructum esse Ducem populi Dei oportuit, & quibus jam tum præ plerisque aliis Israelitis auctus atque ornatus erat. Chaldaicæ paraphrases exponunt etiam de Spiritu Prophetiæ: quod non est im- *I. Josua inauguratio propheticum aliquid habet.*

improbabile ex historia modo exposita. Jubetur ei Moses *imponere manus.* Quæ ceremonia est in consecrationibus usitata. Num. VIII. 10. & quam secuta est abundantior spiritus mensura. Deut. XXXIV. 9. *Erat autem Josua, filius Nunis, plenus spiritu sapientiæ, quum imposuisset Moses manus suas ei.* Porro jubetur Moses sistere eum *coram Eleazaro sacerdote, & toto cœtu*, ut ab omnibus agnosceretur, & omnes testes haberet earum rerum quæ sibi mandabantur. Nam *mandatis instruendus* erat *ante oculos eorum.* Mandata illa exstant Deut. XXXI. 7. 8. Quibus a Mose edictis sua Deus addidit: Deut. XXXI. 14. 15. *Edixit* enim *Deus Mosi, en prope sunt dies tui quum moriendum est, voca Josuam & sistite vos ad tentorium conventus, ut mandatis instruam eum : quapropter iens Mose & Josua stiterunt se ad tentorium conventus. Apparuitque Jehova in tentorio per columnam nubis, stante columna nubis super portam tentorii.* Hic sane propheticum aliquid Josuæ accidit, quod nullo creaturæ interventu ab ipso Deo mandatis suis instructus sit. Addit Deus: *impertiaris ei de gloria tua : ut auscultent ei totus cœtus filiorum Israelis.* Quod non incommode de præcellentia dotium animæ & corporis intelligas, atque inde nata venerabili quadam Majestate, quæ populi oculos insigni specie feriret, & animos ad reverentiam flecteret. Conferri meretur 1 Chron. XXIX. 25. *Magnificabat Jehova Salomonem summe ante oculos totius Israelis : indens ei Majestatem regiam, qualis non fuerat in ullo rege ante ipsum in Israele.* Chaldæus interpres aliique Hebræorum Magistri hic cogitant de fulgore illo eximio quo coruscabat facies Mosis, quem volunt communicatum esse cum Josua, ut tam eximio favoris sui indicio venerabilem eum Deus Israelitis redderet.

II. *Sic tamen ut simul doceretur, eum Mose minorem esse.*

II. Optime observat Rabbi *Menachem*, non esse dictum, impertiaris ei tuam gloriam, sed *de tua gloria* : atque hinc a Veteribus esse traditum, quod facies Mosis similis fuerit faciei solis, facies Josuæ similis faciei lunæ. Sed & illud imprimis notabile est quod additur. *Is coram Eleazaro Sacerdote stato, ut eum consulat de judicio Urim coram Jehova : ad ejus præstitutum exeunto &c.* Quibus verbis duo innuuntur: primo quidem in muneris sui functione, & præsertim in negotiis bellicis, omnia agenda esse Josuæ ex præscripto Jehovæ, qui ipse supremus populi Rex atque Imperator, Josua non nisi ut Legato suo uteretur : deinde ordinario Deum voluntatem suam indicasse Sacerdoti, judicio Urim. Unde consequitur, non eam fuisse Josuæ familiaritatem cum Deo quæ Mosi, ut quotiescunque vellet ipsum immediate

Deum

Deum adire liceret; neque prophetici instinctus beneficio tam frequenter eum esse usum.

III. Quamvis sæpe eum Deus alloquio suo dignatus sit.

III. Attamen aliquoties isthoc eum honore dignatus est Deus, ut coram compellaverit: & quidem mox post mortem Mosis. Jos. I. I. Talmudici suo more, id est audacter, definiunt id esse factum post trigesimum a Mosis morte diem: quandoquidem triginta dies Israelitæ funus Mosis fleverunt. Id autem sibi sumunt, neque luctu, neque ulla alia perturbatione occupatum hominis animum Spiritu prophetico adflari. At *Masius* verisimilius esse non sine ratione existimat, simulatque Moses e vita discessisset, ilico Josuam in cogitationem administrationis imperii sibi concrediti toto animo incubuisse: & dum multa hæsitante mente versaret, erectum fuisse Divino hoc alloquio. Quod non est credibile constitisse articulato aliquo sermone in aures illabente, sed illuminatione mentis, ut res commemoratas non minus animo perceperit, quam si diserte omnia ea verba fuissent clara voce coram ipso pronunciata; & simul intellexerit eam illuminationem sibi a Deo contingere. Tunc enim Deus verba ad Josuam, aut alium quemcumque vatem facere dicitur, quando mentem eorum istarum rerum notionibus ita informat, ut non solum res ipsas tanquam præsentes oculisque subjectas animo cernant; sed simul intelligant eam mentis suæ agitationem cœlestem esse, neque aliter adfecti sint quam si coram voce clarissima loquentem secum Deum audirent. Sed & alio tempore Deus Josuam compellavit. Cap. III. 7. IV. I. 15. V. 2. 9. & alibi sæpius.

IV. Apparitio quæ ei ad Jerichuntem contigit, consimilis illi qua honoratus est Moses.

IV. At præ cæteris illustris est ea Dei apparitio quæ contigit Josuæ ad Jerichuntem, & memoratur Cap. V. 13. & seq. Proxime autem accedit ad visum quod Mosi olim in rubo objectum fuerat. Atque, uti eruditissime a *Masio* observatum est, par utriusque ratio, & idem in utroque Dei consilium fuisse videtur. Ut utriusque Imperatoris animus, in ipso rerum gerendarum initio, simul & certa fiducia firmetur, & ab insolente arrogantia prohibeatur, dum docentur imperia ardua & difficilia quæ suscipiunt, Dei consilio, nutu, potentiâ, non suis viribus suaque prudentia esse gerenda. At vide quam sapienter Deus sub diverso emblemate conspiciendum se famulis suis præbuerit. Ut enim dissimiles ipsis offerrentur species, dissimilium rerum agendarum ratio postulabat. Moses, cui cum sævo populi domino, atque etiam cum ipsis naturæ elementis, in Ægypto, in mari, in solitudine luctandum esset, vidit rubum, populum videlicet cujus ipse

ipse futurus esset Imperator, e media calamitatum flamma incolumem superesse, sed præsente Deo, rubumque in ipso incendio conservante. Josua vero, cui perpetuo inter ipsos hostes versandum foret, nudato gladio armatum virum fortissimum sibi opportune præsto adesse vidit.

V. Princeps militiæ Jehovæ est Filius Dei.

V. At quis ille vir armatus? Ipse sese vocat PRINCIPEM MILITIÆ JEHOVÆ. Quo titulo Angelum indigitari satis clarum est. At quem Angelum? Quem, nisi eum de quo Deus ad Mosen ista faciebat verba: *Ecce ego mitto Angelum ante te, ad servandum te in hac via, & ad introducendum te in locum illum quem præparavi. Cave tibi ob præsentiam ejus. & ausculta voci ejus, ne exacerbes eum, quia non feret defectionem vestram, quia* NOMEN MEUM EST IN EO. Exod. XXIII. 20. 21. Iste autem Angelus est æternus Dei filius, cui competit omnis vis nominis Jehovæ, perpetuus Princeps ac director populi Dei. Iterum lubet hic audire doctrinam veterum Hebræorum, cujus rudera exstant in *Libro Tanchuma*: ex quo hæc sequentia enotavit maximo suo merito aliquoties nunc nobis laudatus Doctissimus *Masius*. *Dicebat Deus Mosi*, ECCE EGO MITTO ANTE FACIEM TUAM ANGELUM. *At Moses respondebat, ego Angelum nolo, sed te ipsum volo. Porro Josua filius Nun quum primum videret Angelum. dicebat*, NOSTERNE ES, AN ADVERSARIORUM NOSTRORUM? *Tum ad eum Angelus*, EGO, *inquit*, SUM PRINCEPS EXERCITUS DOMINI. JAM VENI. *Ac si diceret, Ego jam secundo adsum, ut Israelitas in possessionem suæ hæreditatis ducam. Veneram enim etiam quum Imperator esset Moses Magister tuus. Sed ille quum me videret, nolebat me secum ire, sed à se repulit. Hæc autem simul atque audisset Josua, procumbebat in faciem, adoransque dicebat*: QUID DOMINUS MEUS LOQUITUR AD SERVUM SUUM? Habent hæc verba veri aliquid, sed sub involucris, & cum mixtura erroris, uti solent Judaica. Verum est Mosen aliquando repulisse oblatum sibi a Deo Angelum. Exod. XXXIII. 2. 12. 13. 14. 15. Verum non erat is iste Angelus quem promiserat Deus Exod. XXIII. 20. Absit ut eum repulerit Moses. Eum secum ire petiit; quando dixit, SI FACIES TUA NON PRÆCEDET, NE JUBETO NOS HINC DECEDERE. Nam, uti nuper ex *Gerundensi* audivimus, *Angelus fœderis, Angelus faciei, est ipsa Dei facies.* Idem hic Angelus est, quem Mosi promissum Josuæ etiam nunc præstat Deus. Idem qui in rubo habitabat: qui id a Josua postulat in reverentiæ demonstrationem, quod olim a Mose, *ut calceum exuat.*

VI. Josua

VI. In qua tamen re subtiles quidam Hebræorum Magistri discri-

discrimen animadvertunt. Mosi dictum est, *exue calceamenta tua e pedibus tuis*, numero plurium: at Josuæ, *calceamentum tuum e pede tuo*, numero singulari. Id *Isaac Aramaus* eò trahit, quod Mosi duplex cura incumbebat, quarum utramque ab se in Deum rejicere jubebatur; Josuæ autem non nisi unica. Moses enim non solum Imperatoris officio, sed & Patris familias ac nutritii fungi debuit, quum per vastam solitudinem Israelitæ alioquin cibo, potu, veste caruissent. Deut. XXII. 5. At Josua in regione omnibus rebus quæ ad vitam necessariæ sunt adfluente, nullam nisi rerum bellicarum curam habuit. Alius Judæus in Cabbalistarum philosophia versatus, nomine *Babya*, ad uberiorem rerum intelligentiam qua Moses præ Josua a Deo informandus esset, atque ad altiorem gradum quo esset propius in illius familiaritatem admittendus, spectare existimat numeri differentiam. Sed, ut judiciose arbitratur *Masius*, hæc argutiora sunt quam firmiora. *calceum exuere jussus, Mosi: calceos.*

VII. Cæterum eximio modo Prophetam sese præstitit Josua, quando morti vicinus seniores ac primores Israelis convocavit in agrum Sichemitarum, ac Dei nomen præfatus; pathetica admodum oratione ad Dei solius cultum lubenter amplectendum, & constanter tenendum adhortatus est: renovato etiam solemniter fœdere inter Deum & Israelem: scriptis quoque promissionibus populi IN LIBRO LEGIS DEI: erecto denique lapide sub quercu quæ apud sanctuarium Dei erat, ut lapis iste esset ipsis loco testis, ne mentirentur Deo suo. Jos. XXIV. Multa hic concurrunt notatu dignissima, in quibus sapientia Josuæ, aut potius Divini Spiritus instinctus, insigniter elucet. Ac primo quidem quod convocaverit primores populi in *agrum* SICHEMITICUM. Ibi enim Abraham, quum relicta patria Cananæam primum attigisset apparenti sibi Deo aram struxit. Gen. XII. 7. Et profecto non parum animos ipsorum movere debebat, ipse ille locus in quo fortassis adhuc vestigia Abrahami aderant, ubi ipse omnium primum ea fuerat religione iisque sacris initiatus, quæ nunc nepotibus ipsius, terræ hæredibus factis, inculcabat Josua. Deinde id quoque notandum, prophetico impulsu omnia hæc a Josua peracta fuisse: inchoat enim orationem suam formula prophetis solemni: SIC AIT JEHOVA, & Jehovam ipsum prima, ut ajunt Grammatici, persona loquentem introducit. Porro memorabile est quod non solum conscribere verba hujus fœderis voluerit, ad exemplum Mosis, sed CONSCRIBERE IN IPSO LIBRO LEGIS DEI, illo nimirum qui ad latus arcæ fœderis repositus ibi adservabatur in testimo- *VII. Eximium se Prophetam præstitit morti vicinus.*

 nium

nium Israeli. Non existimo id ipsum fuisse ausurum, nisi instinctu numinis. Ex quibus omnibus conficitur, Josuam non minus præclarum *Prophetam* quam *Imperatorem* fuisse.

VIII. An auctor libri titulum suum præferentis, non admodum certum est.

VIII. An historiam quoque suam, & hunc quem nos habemus librum, ipse conscripserit, disputatur inter eruditos; & ut in re non liquida fieri assolet, haut firmis hinc inde rationibus. Saltem solidæ pondus demonstrationis sustinere non posse *Hue*... argumentationem mihi quidem videtur: qui ex verbis modo laudatis: *scripsit quoque Josue omnia verba hæc in volumine legis Domini*, ita infert. *Ea profecto*, inquit, *si quis animum advertat, sunt ejusmodi ut prorsus significent, Josuam ad exemplum Mosis res à se gestas literis commendasse, & librum suum ad calcem libri legis à Mose scripti adjecisse, quemadmodum ei adjunctus nunc quoque est.* Verum, inquam ego, si quis animum advertat, facile comperiet, non agi ibi de tota Josuæ historia, sed de iterata solemni fœderis sanctione: neque sermonem ibi esse de alio volumine adjungendo volumini legis, sed de ipso legis volumine cui inscripta hæc fœderis repetitio sit. Sed & quæ ab adversa parte proferuntur argumenta pleraque talia sunt, ut commoda satis responsione dilui queant. Mihi itaque liceat ἐπέχειν.

IX. Angelus qui apparuit in Bochim.

IX. Mortuo Josua, quando populus solemnem alicubi conventum habebat, fortassis Silunte, aut in vicinia, adscendit ANGELUS JEHOVÆ Gilgale, in eum locum, qui, a fletu quem suo sermone excitabat, dictus est *Bochim*. Israelitasque hac oratione compellasse fertur: *Feci ut ascenderetis ex Ægypto, & introduxi vos in hanc terram quam juramento promiseram majoribus vestris; ac dixi, non irritum faciam fœdus meum vobiscum in seculum. Vos sim vos ne pangitote fœdus cum habitatoribus terræ hujus, altaria eorum demolimini. Et non auscultastis voci meæ: quid est hoc quod fecistis? Quamobrem etiam dico, non expellam eos à facie vestra: sed erunt vobis ad latera, & dii eorum vobis in tendiculam futuri sunt.* Quo audito, populus conscientia criminum suorum in profusissimas erupit lachrymas, unde loco nomen hæsit. *Bochim* enim Hebraice *flentes* notat. Jud. II. I ---.

X. Non fuit Propheta;

X. Quærunt interpretes, qualis hic fuerit Angelus. *Drusius* monet ex Angelis Domini alios dici העליונים *supernates*, alios התחתונים *infernates*. Illos esse genios cœlestes, hos Prophetas vel Sacerdotes. Hic vero sermonem esse existimat de Angelo infernate. His potissimum nixus rationibus. I. Quia certum est tales quandoque in scriptura Angelos vocari. Hag. I. 13. Mal.

II. 7.

II. 7. II. Quia dicitur *adſcendiſſe e Gilgale.* Nam ſupernates deſcendunt, non adſcendunt: & deſcendunt e cœlo, non e Gilgale, aut alio aliquo loco terreno. III. Quia non uſpiam diſparuiſſe legitur. IV. Amplius id firmat *Jonathan Chaldæus Paraphraſtes*, qui vixit circa tempora Chriſti: nam hunc locum ſic παραφράζει. ADSCENDERAT PROPHETA IN LEGATIONE A CORAM DOMINO E GALGALA. *Docte*, inquit Druſius, *ut omnia.* At mihi ſecus videtur. Nam non ſolet in ſimplici narratione hiſtorica Angelus Jehovæ, ſine ulla additione, Prophetam notare, præſertim antiquiſſimis illis populi Iſraelitici temporibus, quibus Prophetæ *viri Dei* dicebantur. Invenio quidem, prophetam deſcribi ut Angelum Dei. Sed non invenio, quod ubi Angelus Dei apparuiſſe vel veniſſe dicitur, ibi Propheta deſignetur.

XI. Et ſane eo ſermone Angelus iſte hic utitur, qui non homini, non creato alicui Angelo, ſed ipſi Jehovæ conveniat: illi, inquam, Jehovæ qui & Angelus Jehovæ eſt. Sibi enim tribuit quod eduxerit populum ex Ægypto, & introduxerit in Canaan, & quod nolit expellere reliquos Cananæos. Hæc non ſunt niſi illius Angeli in quo nomen Jehovæ eſt, & qui Joſuæ apparens ſe Ducem exercituum Domini eſſe teſtabatur. Fingere enim Prophetam loqui ut perſona illius cujus nuncius eſt, non convenit cum ſtilo Scripturæ. Prophetæ præfari ſolent: *Sic ait Jehova.* Quod hic non invenitur, neque nos de noſtro audemus addere. Quod e *Gilgale adſcendiſſe* dicitur, ad σχῆμα apparitionis pertinet. In Gilgal primum apparuit, indeque ſe in hunc locum tranſtulit. Commode autem ex illo loco venit, ubi ad tutelam caſtrorum diu moratus erat, atque etiamnum morari credebatur. Maxime quum ea res valeret ad refricandam memoriam beneficiorum illic acceptorum, & renovati per circumciſionem fœderis. Quod non legatur iterum diſparuiſſe, exiguum eſt: nam neque Angeli iſtius diſparitio narratur qui conſpectus eſt Joſuæ. Jonathanis Paraphraſtæ auctoritas tanti non eſt, ut ſolidioribus rationibus præjudicet. XI. *Sed Filius Dei.*

XII. Non admodum diſſimili ratione Angelus Domini apparuit GIDEONI. Jud. VI. 12. & PARENTIBUS SAMSONIS. Jud. XIII. 3. 9. 11. quem male exiſtimabant *Virum Dei* eſſe. De cætero *ſermo Jehovæ rarus temporibus Judicum, neque viſio aperta.* 1 Sam. III. 1. (*) XII. *Qui & Gideoni & parentibus Samſonis viſus eſt.*

XIII. Interea tamen VIR DEI venit ad ELI *Sacerdotem*, graviſſima oratione Dei in ipſum beneficia commemorans, familiæ ſuæ cri- XIII. *Pro-*

(*) *Adde Præf.* §. XI.

pheta Anonymus ad Eli missus.

crimina exprobrans, iram Dei intonans, calamitates denique & ipsi & posteritati ipsius impendentes, ea quæ prophetam decet libertate, prænuncians. 1 Sam. II. 27. Hebræi aliqui definiunt: Virum istum Dei fuisse *Pineasum*; alii *Elcanam*, Samuelis patrem, at sine ulla probabili ratione. Non desunt qui ipsum *Samuelem* intelligant. Sed Samuel tunc *puer* erat, neque eam attigerat ætatem, cui elogium *viri Dei* conveniret. Et quod præcipuum est, primo apparitio Dei Samueli facta, non solum narratur in sequentibus, sed & liquido ista prophetæ denunciatione serior est, & illius repetitio ac confirmatio. Sic enim Samueli Deus: *Die illa præstabo Eli quidquid locutus sum contra familiam ejus, incipiendo & perficiendo.* 1 Sam. III. 12.

XIV. Samuel, Nathan, Gad, Heman, Jeduthun.

XIV. Samuelis autem ætate prophetia refloruit, multo quam olim luculentius. Nam ex ipsius scholis, veluti ex cultissimo & fertilissimo seminario, credibile est prodiisse Magnos illos Viros, Nathan, Gad, Asaph, Heman, Jeduthun, cæterosque illos quorum sub Davidis & Salomonis regno tanta fuit celebritas. Hi omnes non viva solum voce, sed & scriptis populo Dei profuerunt. *Samuel, Nathan, Gad*, historiam, sui temporis conscripserunt, cui insertas fuisse prophetias ipsorum, variis occasionibus prolatas, vero perquam simile est. 1 Chron. XXIX. 29. *Res autem Davidis Regis, priores & posteriores, ecce scriptæ sunt in verbis* Samuelis *Videntis, & in verbis* Nathanis *Prophetæ, & in verbis* Gadis *Videntis.* Ex ea tamen historia non nisi ἀποσπασμάτια quædam habere videmur, quæ Divina Providentia ad usum Ecclesiæ sufficere arbitrata est. Fidem apud me invenire non potest Critica quorundam observatio; ex usu Hebræi sermonis per verba Samuelis, Nathanis, & Gadis, significari vitam eorum & res gestas, conscriptas fortassis ab aliquo discipulorum. Nam quæ probabilis ratio suadet ut credamus totam Davidis Regis historiam exstitisse in vitis Prophetarum? quum multo magis consentaneum sit res gestas Prophetarum insertas esse historiæ regni Davidis: & alibi quoque Prophetæ ut historiarum sui temporis scriptores laudentur. Asaphi nomen præferunt Psalmi duodecim. L. LXXIII. LXXIV. LXXV. LXXVI. LXXVII. LXXVIII. LXXIX. LXXX. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. Et quum non solum cantor, sed & Videns fuerit, nulla probabilis ratio dici potest, cur non eorum Psalmorum auctor esse statuatur. Ad cujus sententiæ confirmationem valde facit id quod exstat 2 Chron. XXIX. 30. *Edixitque Ezechias Rex & Principes Levitis, ut laudarent Jehovam* verbis

Da-

Davidis ET ASAPHI VIDENTIS. Nota non modo *Videntem* dici *Asaphum*, sed & ea verba scripto reliquisse quibus non minus quam Davidis verbis celebrandus Jehova erat. HEMANIS nomen unus tantum Psalmus præfert; nimirum LXXXVIII. quem Davidis contemporaneo attribuendum esse nuper contra *Lightfootum* disputavimus. Fuit certe Heman *Videns Regis*. 1 Chron. XXV. 5. JEDUTHUNIS nomen in titulis trium Psalmorum invenitur: videlicet XXXIX. LXII. LXXVII.

XV. Sed & ipse Rex DAVID magnum inter Prophetas nomen est. Sic enim de eo Petrus Act. II. 30. 31. PROPHETA *igitur quum esset, & sciret Deum jure jurando sibi jurasse, fore ut ex fructu lumbi ipsius quoad carnem attinet, Christum illum suscitaret, quem collocaret super ejus throno, præscius locutus est de resurrectione Christi.* Et sane in Davidis Psalmis tam luculenta exstant de Christo vaticinia, ut ex iis pleraque omnia discere liceat, quæ de ipsius persona, officiis, statibus, & beneficiis tenenda sunt. Plurima etiam uti huc pertinentia in Novo Testamento a Christo & Apostolis, non per elegantem aliquam allusionem, sed ad eorum quæ tractantur solidam probationem & confirmationem, allegari solent. At cedro dignissima sunt novissima Davidis verba, quibus & se prophetam esse profitetur, & ea, quæ fœdus gratiæ in Messia fundatum complectitur, bona, fatidico sermone exponit. 2 Sam. XXIII. 1. 2. 3. *Dictum Davidis filii Isai, dictum, inquam, Viri qui constitutus excelsus, unctus Dei Jacobi, & amœnus Psalmis Israelis. Spiritus Jehovæ locutus est in me, & sermo ejus per linguam meam. Dixit Deus Israelis, mihi locuta est rupes Israelis, &c.*

XV. David etiam Propheta fuit.

XVI. Manum hic iterum mihi injicit Theologus Batavus, *Clerico* laudatus, cujus de Davidicis quibusdam prophetiis sententiam expendere operæ pretium erit. Observat ille, *Deum quandoque, sine inspiratione aut verborum, aut sensus, Prophetias ex quorundam hominum ore elicere, quas illi qui loquuntur alia mente dicunt, neque prophetias esse credunt*, quod illustrat exemplo *Cajaphæ*, inscii de Christi morte, & utilitate inde ad populum redundatura, prophetantis. Joh. XI. 50. 51. In hunc censum refert prophetias quasdam Davidis, *qui de se ipso & hostibus suis non pauca dixerit, sine intentione prophetandi, quæ tamen prædictiones contineant earum rerum quæ Christo & adversariis ipsius acciderunt. Psalmo* XLI. 10. *David in hæc verba fatur*: Etiam vir colens pacem mecum, in quo confidebam, comedens cibum meum, sustulit ad-

XVI. Critici alicujus Batavi paradoxa de Davidicis Prophetiis sententia.

versus me calcem. *Sine dubio*, inquit Criticus; *de eorum aliquo cogitabat qui Absalomo res novas molienti insigniter studuit; Achitophelem puta, aut ei consimilem alium: & palam est eum loqui de re qua jam sibi evenerat. Atque* HÆC IPSA RES INSPIRABAT EI ISTA VERBA *quæ notabant proditionem Christi per aliquem Apostolorum suorum: sicuti patet ex* Joh. XIII. 18. *Auctor Psalmorum* LXIX. & CIX. SIVE DAVID FUERIT, SIVE ALIUS QUIVIS, *non inducebat, uti credere par est, animum suum ut vaticinaretur aliquid quod post multa secula uni ex discipulis Jesu eventurum erat, quando dirissimis imprecationibus hostes suos feriebat; interim Petrus verba quædam istorum Psalmorum Judæ proditori applicatum it.* Act. I. 20. *Non magna intelligentia luce opus est ut deprehendas, Auctoris hujus intentionem non fuisse ut de Juda loqueretur;* NEQUE EUM INSPIRATUM SPIRITU MISERICORDIÆ, *quando in ferale hoc carmen erupit*: Præfice illi impium, qui adversans insistat ad dextram illius &c. Ps. CIX. 6. *& seq.* NULLO LABORE CERNITUR HÆC NON ESSE VERBA NISI HOMINIS VEHEMENTI IRA PERCITI, ET EXTREMA VINDICTÆ CUPIDITATE FLAGRANTIS, *qualem neque lex Mosis permittat, neque ferat Evangelium Christi.* Ideoque indignatur ille Theologus, fuisse magni nominis interpretem, qui in argumento Psalmi scripserit, *Davidem* UT FIGURAM JESU CHRISTI, *singulari zelo impulsum, poposcisse à Deo vindictam de hostibus suis. At, ubi*, ait, *inveniunt Christum hac ratione hostibus suis maledixisse? An obliti sunt verborum quibus morti vicinus pro nequissimis mortalium tam clementer intercedebat? Nonne adversariorum omnium pessimi, & jurati Evangelii hostes illi erant qui sceleratis eum animis & manibus affixerunt cruci? tantum tamen abest ut meritas in eos diras intonaverit, ut e contra gratiam Patris sui ad tantorum criminum veniam imploraverit. Fateor*, sic pergit, *non intelligere me religionem Christianam, si illa tales diras permittat, & si per eam liceat tam horribilem vindictam ab hostibus suis exposcere, uti ab hujus aliorumque Psalmorum auctore factum videmus.*

XVII. *Brevibus comprehensa aphorismis.*

XVII. Fricanda paululum hæc arista est, ut videamus quorsum tandem hypercritica ejusmodi judiciorum temeritas evadat. Et primo quidem Davidem prophetasse contendit, non solum quando prophetias ipse suas non intelligebat, sed & *quando nesciebat se prophetare*, & alia omnia animo agitabat quæ cum rebus in Christo impletis nullum habent nexum. Id quamvis durum dictu atque auditu sit, tolerabile tamen videri potest præ iis quæ sequuntur. II. Tales, inquit, qualescunque prophetias re ipsa, quam mente versabat Psaltes, *ei inspiravit: Spiritus autem Dei*

Dei neque verba inspiravit, neque mentem; fortuito accidit, aut, si velis, sub ductu aliquo Divinæ providentiæ (cui quam exiguam efficacitatem in hominum animos Theologi isti attribuant, hic monere nihil attinet) ut eadem verba significent aliquid ei rei simile quæ deinceps evenit Christo. III. Id quum deprehenderent Christus & Apostoli, verba illa propter aliquam rei significatæ similitudinem, rebus suo tempore gestis, quamvis *præter intentionem dicentis*, applicatum ivere. IV. Non modo dubitat *an* Ps. lxix. *&* cix. *Davidis* sint, quamvis Davidis iis sit præscriptum nomen; sed ne dubitat quidem, quin *ab alio quam Divino Spiritu inspirati sint.* Effrenis *ira* & indomita *vindictæ cupiditas, lege & Evangelio damnata*, id est, si fortiter verum dicere velimus, spiritus carnis, imo spiritus Diaboli, tam vehementis orationis scaturigo est.

XVIII. *Convincenda impietatis.*

XVIII. Non possum, neque enimvero debeo, dissimulare, quin hæc mihi videantur oppido injuriosa esse, in Davidem, in Psalmos Davidis, in Dei Spiritum quo Psalmos suos David edidit, in Christum denique & Apostolos, longe aliter de his Davidis Psalmis judicantes. Atque insigni prævaricatione defuturum me officio meo arbitror, nisi tanti momenti caussam serio vindicem.

XIX. *David præscius de Christo locutus est.*

XIX. Et hoc primo non facile admittendum existimo, extare quasdam Davidis de Christo prophetias in Novo Testamento laudatas, quas ipse inscius protulerit, inscius, inquam, se prophetare: quum Petrus diserte asserat, eum praescium de Christo locutum esse, *quum Propheta foret.* Act. ii. 30. 31. Scio distinguendum esse, inter ejusmodi vaticinia quæ directe Christum spectant, & ea quæ primo in typo aliquo impleta fuere: illorumque præ hisce majorem esse evidentiam. Sed quum typus iste Divino consilio constitutus sit, & quæ typo acciderunt destinata sint ad præfigurationem earum rerum quæ in antitypo venire debent; narratio rei quæ in typo cernitur, non propter fortuitam rerum similitudinem, sed ex Divino consilio, vera prædictio est rei in antitypo implendæ. Neque ulla ratio est cur credamus, Deum non eodem consilio ita direxisse sermonem prophetarum, ut primo quidem ea significaret quæ tenuiora erant in typo, sed & fortius ea exprimeret quæ majora esse debebant in antitypo. Et quis dixit *Clerico*, aut amico ejus, Davidem, *cui Deus sapientiam in occulto notam fecit*, Ps. li. 8. nescivisse se in quibusdam Messiæ typum esse, & in rebus quæ sibi con-

contingebant, ac in verbis quæ dictabat ei Spiritus, non inesse arcaniorem significationem? Certe Petrus testatur, prænuncium qui in prophetis erat Spiritum Christi effecisse ut EXQUIRERENT ET SCRUTARENTUR EA *quæ Christo eventura erant, tam perpessiones illius, quam gloriam eas consecuturam.* 1 Pet. I. 10. 11. Et iniqua profecto Davidis hac in parte cum Cajapha comparatio est. Atque hic ipse Cajaphas, quamvis nescius, non tamen sine Deo prophetabat. Neque sola, quod illi volunt, negotii de quo agebatur natura, sed insignis Dei providentia ista ipsi verba dictabat. Hoc enim innuit Johannes, quum monet eum *anni istius Pontificem fuisse.*

XX. *Et quidem inspirante Deo.*

XX. II. Cæterum illud prorsus est intolerandum, quod neget Spiritum Dei *vel verba, vel eorum mentem, Davidi inspirasse*, quando prophetias istas de Christo edidit. E diametro hæc Christi & Apostolorum clarissimæ doctrinæ opponuntur. Apostoli testantur, DEUM LOCUTUM ESSE PER OS DAVIDIS SERVI SUI. Act. IV. 25. & Christus ipse, DAVIDEM PER SPIRITUM SANCTUM locutum esse Matth. XXII. 43. Neque usquam docemur, Psalmos Davidis ita discriminari, ut alios per Spiritum Sanctum dixerit, alios sine Spiritu, aut instinctu alterius spiritus qui Spiritui Sancto contrarius est.

XXI. *Verbis ipsius proprie dicta prophetia inest.*

XXI. III. Si quæ David ex suo poëtico ingenio cecinerit, de suis duntaxat rebus cogitans, quibus fortuito respondent alia circa Christum gesta; ego confidenter dixero, ea non magis esse prophetias de Christo, quam si centone aliquo ex Virgilianis versibus compilato partem Evangelicæ historiæ enarrarem, atque centonem istum venditarem pro prophetia. Itane Christus & Apostoli egerint? Hoccine ipsorum sapientia & virtute, hoccine Evangelio dignum est? Ipsa phrasis qua usi sunt Christus & Apostoli, Psalmorum verba instituto suo accommodantes, veram prophetiæ rationem iis subfuisse indicat. Si comma 10. Ps. XLI. non nisi de Davidis rebus agat; decorumne Christo fuit quum proditionem Judæ prædiceret hoc sermone uti, *oportet* UT IMPLEATUR SCRIPTURA, *qui edit mecum panem, sustulit adversum me calcem suam?* Joh. XIII. 18. Si intentio illius qui auctor Ps. CIX. est nequaquam fuit ut de Juda loqueretur, potuitne Petrus ex decoro, imo ex vero dicere, *Viri fratres*, OPORTUIT IMPLERI SCRIPTURAM HANC QUAM PRÆDIXIT SPIRITUS SANCTUS PER OS DAVIDIS, DE JUDA, *qui fuit via dux iis qui apprehenderunt Jesum: Scriptum enim est in libro Psalmorum*, FIAT COMMORATIO EJUS DESERTA,

ı, ET NON SIT QUI HABITET IN EA, &, EPISCOPATUM IPSIUS
IAT ALTER. Act. I. 16. 20. quæ inveniuntur Pf. LXIX. 26. &
8. Multa his verbis continentur maximi ad caussam de qua
tamus momenti. Non id solum quod hactenus contendi-
ı Psalmis allegatis proprie dictam prophetiam de Christo
neri, sic ut sensui istorum satisfactum non sit donec in
to impleantur: sed & alia in quibus ille Theologus a veri-
tramite discedit.

XII. IV. Iniquissime dubitat, an Psalmi isti Davidem au- XXII.
n habeant. Inscriptio ipsa sufficere debebat ad dubitatio- *Psalmi*
omnem modesto animo evellendam. Si cui necdum ac- LXIX. &
ere lubeat, eum, nisi Christianus esse nolit, cedere opor- CIX *indubie Davidis*
ctoritati Apostolicæ. De utroque Psalmo expressum mo- *sunt.*
etri testimonium audivimus. SPIRITUS SANCTUS PRÆDIXIT
s DAVIDIS. De LXIX. Paulus scribit Rom. XI. 9. ET DA-
ICIT, *Fiat mensa eorum in laqueum, & tendiculam &c.* quod
Pf. LXIX. 23. Quid nominis itaque huic dubitationi tri-
? An supinam ignorantiam dicam? an inexcusabilem di-
idi temeritatem? an audacis animi ad obstrependum Apo-
profanam & impiam inclinationem? Non existimet Theo-
ille, hanc impietatis exprobrationem injustæ imputandam
acundiæ. Nemini pro Deo & verbo ejus loquenti inter-
lebet, quin serio & graviter agat, & suis res quasque no-
us appellet.

XIII. V. At majora subsunt. Non quæritur duntaxat, an XXIII.
are liceat, num David Psalmorum istorum auctor sit? quæ- *Impium,*
an ullo modo prophetiæ sint, an ex Deo sint, illiusque *est eos attribuere insanæ ira & vindictæ cupiditati.*
n? Apostoli pericopas sæpius laudatorum Psalmorum ci-
ti prophetias, ex iis argumenta conficiunt, testantur Da-
Psalmos esse, adhibent ut partes Sacræ Scripturæ; Petrus
SPIRITUM SANCTUM ITA LOCUTUM ESSE PER OS DAVIDIS,
ata oratione proclamat. Et hic Theologum Criticum ex-
e cernimus, aperto capite contendentem, non esse istos
os a Spiritu lenitatis dictatos; sed potius feralia carmina
vehementi ira perciti, & insana vindictæ cupiditate flagran-
contra quam Christi Evangelium præcipiat. Vel ipsa mihi
Modestia, &, quam sectæ suæ propriam Remonstrantes fa-
, indulgentissima Tolerantia, quo nomine tantam protervi-
, si vera rerum vocabula nondum amisimus, indigitare
eat: ut, quum Petrus dicit, Spiritus Sanctus locutus est per

os Davidis, Criticus aliquis oggranniat, dubito an Davidi, nescio cui, non Spiritus Sanctus, sed Spiritus iracundiæ & vindictæ, adversans legi & Evangelio, ea verba dictavit. Ego non possum ad tantam impietatem non exhorrescere.

XXIV. Dira illa in præfractos Divinæ Majestatis hostes, non repugnant lenitati Christi.

XXIV. Neque metuo ne mihi versis vicibus impietatis impingat dicam, si horribiles ejusmodi diras a Spiritu Sancto esse dictatas, & Davidi, ut personam Messiæ gerenti, congruere, credam. Ego enim simpliciter credo, quidquid dicit Deus. Et Deum id dicere credo, quod prædicarunt & scripserunt Apostoli. Neque tam difficile est tremendas istas imprecationes cum cætera lenitate Christi conciliare, quam Criticus ille opinatur. Enimvero incredibilis est Christi benignitas, etiam adversus impios & hostes suos, sed eos potissimum quos a Patre æterno electionis decreto datos, & Spiritus sui efficacia vindicandos novit: pro iis intercedit, ut crucis suæ valore a peccatis liberati, gratiæ ac salutis evadant participes. Quales inter eos quoque erant qui ipsum affixerunt cruci, & virtute intercessionis ipsius, ac sermone Petri, conversi sunt ad fidem. Act. II. 23. 36. 37. Addo amplius: quum inter homines versaretur Christus, legi charitatis subjectus, homines omnes promiscue uti proximos suos tenero pietatis affectu dilexit; salutem ipsorum optavit, pereuntibus misericordiæ lacrumas impendit, atque ita suis consummatissimum reliquit lenitatis exemplar. Verum tamen idem quoque Christus cognovit quam justa ira Pater suus cœlestis exardescat adversus protervos gratiæ suæ contemptores, rebelles, flecti nescios regni sui hostes; quam atrocia in eos constituerit supplicia; quam utilia aut necessaria ea sint ad gloriæ Divinæ illustrationem, & Ecclesiæ suæ tutelam atque amplificationem. Et huic Patris suæ voluntati, uti æquæ, justæ, sanctæ, consentit ac consciscit, eique vota accommodat sua, ut adversus irreconciliabiles Paternæ suæque Majestatis inimicos voluntas illa Dei sortiatur effectum. Quid in ea re est, quod non pium, & sanctum, & Christo, Dei filio, eadem omnia cum Patre suo volenti, dignum atque decorum sit? Et quid tandem his imprecationibus continetur, quod non alibi se in præfracte impios patraturum esse denunciavit Deus? Quæ lenitas interdicit ea vota Christo, quibus Deo veritatis ac justitiæ suæ gloria asseritur? Quid obstat itaque quo minus *David, uti figura Christi*, Spiritu Christi plenus, eas diras prænunciaverit, non huic illive suo adversario, sed rebellibus atque impœnitentibus Dei & Christi hostibus? Si me roget Criticus, quo ani-

animo hos similesque Psalmos canam; respondebo candide, non eo profecto animo, qui iis quos nunc ut veritatis persecutores considero mala illa omnia imprecetur (quum enim mihi non constet quid de eorum personis decreverit Deus, malim pro ipsorum conversione & salute calidissimis votis intercedere) sed animo, qui ad Divini judicii severitatem, & futuram impiorum calamitatem horreat & contremiscat, justitiam interim Dei amet & laudet; sicuti beati coelites. Apoc. VI. 10. XI. 17. 18. XVI. 5. 6. 7.

XXV. *Salomon etiam Prophetis annumerandus.*

XXV. Sed & SALOMO, filius Davidis, Prophetis annumerandus esse videtur, quippe cui bis apparuit Jehova 1 Reg. XI. 9. & quem insigni non naturalium solum & civilium rerum, sed & spiritualium & coelestium mysteriorum cognitione imbuit: qui & præco publicus eorum mysteriorum fuit, eoque nomine gloriatur Eccl. I. 12. *Ego* ECCLESIASTES *Rex eram super Israelem Hierosolymis*: qui denique scripta nobis aliqua reliquit, pro Divinis & Canonicis agnita, ab Ecclesia Hebræorum primum, tum & Christianorum: nimirum *Proverbia*, *Ecclesiasten*, & *Canticum excellentissimum*.

XXVI. *Proverbiorum liber eum auctorem habet.*

XXVI. Sententias quidem ter mille dixit Salomon, quas an scripserit omnes, in templi tabulariis, & piorum ac doctorum hominum Museis asservandas, pro certo non dixerim. Quas nunc habemus superstites, illæ ipsi maximam partem adscribuntur. At non eodem tempore collectæ sunt. Nonnullæ creduntur ab ipso Salomone consignatæ & ordine digestæ esse, eæ videlicet quæ continentur capitibus primis XXIV. Quorum inscriptio est, PROVERBIA SALOMONIS, FILII DAVIDIS, REGIS ISRAEL. Aliæ collectæ sunt a Viris Ezechiæ Regis: a Cap. XXV. usque ad XXX. Trigesimi capitis inscriptio est: *Sermones* AGUR, *filii* JAKEH, *pronunciatum. Dixit ille Vir* LEÏTHIEL, LEÏTHIEL VEUCHAL. Quæ nemo non fatetur esse obscurissima; & quis etiam ex doctissimis præter conjecturas quidquam profert? Fortasse modestiæ esset suam hic confiteri ignorantiam.

XXVII. *Conjectura de Agur filio Jakeh, Leïthiel & Ucbal.*

XXVII. Si tamen aliquid dicendum sit, mihi quidem hic acuminis laudem præ cæteris quos vidi interpretibus reportare videtur Celeberrimus *Coccejus*. Is per *Agur* Salomonem intelligit; per *Jakeh*, Davidem. Significat autem אגור *recollectum*, יקה *obedientem*, inde enim יקהה *obedientia* Gen. XLIX. 10. Prov. XXX. 17. Fuerat enim David constans in obedientia, Vir secundum cor Dei, qui omnem voluntatem ipsius fecerat. Salomon autem aberraverat, at per Dei gratiam recollectus fuerat, illiusque rei me-

moria ænigmaticis hisce nominibus eleganter conservatur. Ponit Agur, id est Salomon, nunc per veram resipiscentiam recollectus, loquentem introducit הגבר לאיתיאל ואכל *Virum Leïthiel & Uchal.* הגבר nomen est a fortitudine desumptum, notatque *Virum robustum*, heroëm. לאיתיאל *Leïthiel* ita a plerisque exponunt ut ל habeant pro præfixo, & nota Dativi casus, & tunc איתיאל *Ithiel* vertunt, *Deus fortis mecum.* At Clarissimus Coccejus putat ל ad radicem pertinere, & vocem esse compositam ex לאיתי & אל, id est *laboravi*, vel *lassatus sum Dei caussa.* אכל *Uchal* significat *prævalui.* Atque ita hæc nomina ænigmatice denotarent hominem, qui ingenio maximo præditus, & animi fortitudine, congressus est cum Deo, ad eum cognoscendum & amplectendum maximo cum labore & defatigatione, atque etiam vicit, ut Deum cognoverit & amplexus sit.

XXVIII. *Confessio suæ stoliditatis sapientissimo Salomone indigna non est.*

XXVIII. Talem virum, sive sit ipse Salomon, sive quivis alius istis facultatibus præditus, dicere oportet, *Brutus ego præ viro*: hoc est edere confessionem propriæ ignorantiæ, stupiditatis & cœcitatis naturalis, sic ut cognitio arcanorum Dei, & consiliorum ac viarum ejus superet mentis humanæ captum, perspicaciam atque ingenium. Et revera ita sese res habet: quo quis est sapientior, eo clarius suam cernit hebetudinem ubi se in Divinis contemplandis applicat. Consideratis enim tantis Dei operibus, tanto opifice tantique opificis Filio, consideratis etiam verbi Divinitus revelati abyssis, omnes statim evanescunt sensus, omnis nos destituit ratio, omne ingenii acumen, usque adeo ut in tantis contemplationibus vel sapientissimus quisque infra hominum sortem sibi abjectus esse videatur, tantique luminis splendor oculorum mentis aciem obfuscet universam. Non itaque sapientissimo Salomone indigna est ista stoliditatis suæ confessio; neque repugnat illi quam alibi edit sapientiæ professioni? de qua a Deo sibi donata gloriari in Domino poterat, comparatione non tam cum rebus Divinis, quam cum aliis hominibus facta.

XXIX. *Lemuel cognomen Salomonis.*

XXIX. Denique Capitis XXXI inscriptio est, *Verba* LEMUELIS REGIS, narrantis monita quibus eum informavit mater sua, magni animi fœmina, & fortassis etiam Spiritu Dei acta. *Lemuel* autem ipse videtur esse Salomon: neque enim vel apud Hebræos, vel vicinas gentes, ullus invenitur Rex eo nomine dictus. Non abludit a vero, nomen istud datum ipsi esse a matre blandiente; & quum significet *eum qui Dei est*, simul monebat Salo-

mo-

monem officii sui, ut ita sese gereret quemadmodum decet ministrum Dei, eumque qui se Dei novit esse peculium.

XXX. Libro autem huic Proverbia Salomonis sub quocumque nomine complectenti, Divinam atque Canonicam auctoritatem attribuit universa Ecclesia, tam Hebræa quam Christiana, præeuntibus huic Apostolis, qui aliquoties pericopas aliquas hujus libri, & quidem ut Scripturæ Divinæ partem, in T. N. allegant. Sic Paulus, Rom. III. 10. 15. Scriptum esse testatur, *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*, quod desumtum est ex Prov. I. 16. Adde Rom. XII. 20. coll. cum Prov. XXV. 21. Heb. XII. 5. 6. coll. cum Prov. III. 11. Jac. IV. 6. col. cum Prov. III. 32. Omitto alia. Merito igitur πᾶς ὁ τῶν ἀρχαίων χορὸς πανάρετον σοφίαν τὰς Σολομῶντος παροιμίας ἐκάλουν: *totus antiquorum chorus Proverbia Salomonis sapientiam omni virtutum genere refertam appellarunt*, referente *Eusebio Hist. Lib.* IV. *Cap.* XXV. Notatusque eo nomine est *Theodorus Mopsvestenus*, quod *non ex Prophetiæ accepta gratia, sed tantum prudentia humana Salomonem proverbia ista dictasse contenderit*; damnatus in *Concilio* V. *Constantinopolitano*, circa Annum DLI.

XXX. *Liber Proverbiorum pro Canonico habendus est.*

XXXI. Haut paullo ulterius procedendum sibi existimavit nuperus *Criticus*; qui non modo *nullam Divinam inspirationem* Proverbiorum agnoscit, sed ne quidem eximium aliquid in iis deprehendit. *Sententiæ*, inquit, *morales sunt, quas Vir aliquis honestus* SINE INSPIRATIONE *dicere posset. Imo infinitæ inter illas inveniuntur, quæ non nisi proverbia popularia sunt, quibus revera bona mens inest, sed* NIHIL DIVINI. *Monita occurrunt Oeconomica magno numero, quæ mulierculæ & rustici ubivis norunt.* Hui quam vilia! At nonnulla etiam censere sustinet, tanquam parum sapientia, & Spiritu Dei indigna: nominatim ea quæ exstant Cap. XXX. 18. 19. 20. *Fatendum est*, inquit, *ingenue, sine Spiritu Prophetico melius aliquid potuisse dici. Non suo pretio Spiritum Prophetiæ æstimant, qui talia eum dictasse credunt.* Imo ne hic quidem subsistit. Non veretur alia reprehendere, ut *contraria charitati & Evangelio*, in quo censu locat monitum de non spondendo temere pro aliis: quod aliquoties repetitur. Cap. VI. I. XVII. 18. XXII. 26. XXVII. 13. Et bellum se atque elegantem putat, dum mercatores nostros etiam non monitos id religiose satis observare jocatur; ludicro tandem sermone disputationem istam finiens. *Non admodum, uti mihi quidem videtur, necesse fuit ut Deus Prophetas mitteret qui mortales parsimoniam in facultatum suarum administratione docerent:*

XXXI. *Quamvis indignis convitiis proscissus à nupero Critico.*

rent: maxime autem necesse fuit ut Christus iis prædicaret liberalitatem. Quasi Salomonis & Christi doctrina adversa fronte in se invicem incurrerent.

XXXII. *A quibus serio vindicatur.*

XXXII. Facile est animadvertere, quo hæc, non per ambages amplius, sed recta via evadant. Nimirum si liber Proverbiorum nihil Divini præ se ferat; si infinita inibi nil nisi vulgaria dicteria sint, quæ mulierculæ & rustici ubivis norunt; si alia parum admodum sapientiæ & bonæ mentis contineant, quibus meliora dicere in promtu est; si nonnulla denique haut satis conveniant charitati & liberalitati a Christo commendatæ: quid superest nisi ut ejus indolis liber ex canone Divinorum scriptorum deturbetur? ut vix sapientibus & bonis annumeretur? vel etiam ablegetur εἰς τὴν τῶν ἰώλων καὶ ψυχρῶν ἀγορὰν, in vicum vendentem thus & odores? Quid ergo? An merus Thrasonismus est, quum Proverbiorum auctor ea comparata ipso operis exordio protestatur, *ad sciendum sapientiam & eruditionem, ad intelligendum dicta prudentiæ: ad percipiendum eruditionem intelligentiæ, justitiæ, jurisque & omnis recti: ad dandum fatuis astutiam, puero scientiam & solertiam.* Iterumque Cap. VIII. 5. 6. 7. *Intelligite fatui astutiam, & stolidi animum advertite, Audite, nam* PRÆSTANTIA LOQUAR: *Et apertura labiorum meorum eloquar recta. Nam veritatem meditatam effert palatum meum &c.* An judicio destitutus & mente captus fuit sacræ historiæ scriptor, quando incomparabilem Salomonis sapientiam etiam a proverbiis suis laudat? An vero quæ tantam sapientiam continent omnia perierunt, iis solum collectis & reservatis in quibus a subtilioribus Criticis tantillum bonæ mentis cernitur? Utinam hic *Grotium* suum secutus esset Criticus, statuentem, librum hunc esse ἐκλογὴν *optimarum sententiarum*: omniaque in eo contenta *esse* ἠθικὰ, *pertinentia aut ad morum aut ad prudentiæ præcepta, sic tamen ut hæc & illa semper ad Dei cultum respiciant.* Licetne homini Christiano negare, Divini quidquam illi libro inesse, quem Paulus, Jacobus, Petrus, ut partem Divinæ scripturæ laudant? An Divinitati obstant Oeconomicæ prudentiæ monita, etiam rusticis & mulierculis nota? Atqui vera sapientia & virtus latissimæ extensionis sunt, nihilque tam exiguum est quod non ab ipsis dirigatur, nihil tam humile quod non sublimioribus cogitationibus materiem atque occasionem præbeat. Tuam fidem, Critice: an Divini aliquid inest orationi Jesaiæ quæ exstat Cap. XXVIII. 23. & seq. ubi non sine insigni verborum magnificentia ita infit: *Aures adhibete, & audite*

audite vocem meam, attendite & audite sermonem meum. An totum diem arat arator ad seminandum? sulcat & occat terram suam? An non quum æquavit superficiem ejus, aut spargit melanthium, cyminumque dispergit? aut disponit triticum præstans, vel hordeum insigne, vel speltam in termino suo? Deinde colligat illud ad eam rationem quam Deus ejus docet eum? Nam non tribula trituratur melanthium &c. An & hic tibi oggerere libebit: quid tanto verborum apparatu Propheta prædicat, quod stupidissimus quisque novit rusticorum?

XXXIII. Et quid censura tua dignum invenis Prov. xxx. 18. 19.? Nonne revera in sublimi illo celerique aquilæ per cœlum volatu, in tanta volubilitate & implicatione serpentis, contortuplicatione spirarum ipsius, in universo navigationis negotio, in conjugum matrimonio jungendorum amoribus, arcanum aliquod est, cujus proximas caussas & singularissimas rationes, & speciales providentiæ Divinæ circa illas res ductus, animus hominis non adsequitur? Nonne Deus ipse inter grandia opera sua aquilam cum suo volatu numerat? Job. xxxix. 30. Nonne navium per mare ambulatio Davidi quoque celebrata? Ps. civ. 26. uti occasionem dans videndi opera Dei, & mirabilia ipsius in profundo. Ps. cvii. 23. 24. Nonne stupenda res est, quæ cernitur in conjugiis hominum ante sibi invicem ignotorum, ac mirabilibus viis, præter utriusque intentionem, junctorum, tantaque mox charitate colligatorum, ut illa omnem erga fratres, sorores, ipsosque adeo parentes pietatem superet? An indignum homine sapiente est, suam hic profiteri ignorantiam, & stupere ad grandia ista Divinæ providentiæ opera? An indignum Dei Spiritu, ad hanc humilitatem suos condocefacere? An indecora magis in Aguris quam Asaphi ore inscitiæ suæ professio est? Nam & hic de se scripsit: *Ego brutus eram, qui ignorarem: velut Behemoth, jumentum magnum, eram apud te.* Ps. lxxiii. 22.

XXXIV. Denique quid est in monitis contra temerariam sponsionem pecuniariam, quod carpi mereatur? Non enim animus Salomonis est omni tempore & casu pecuniaria sponsione interdicere. Inconsideratam juventutem, aliosque male consultos facultatum suarum dilapidatores, a temeritate spondendi avocat, qua sibi suisque noceant, & illi aliquando ipsi pro quo spondent. Nonne hæc pars quædam prudentiæ Oeconomicæ est? An indignum Spiritu Dei, ad hanc quoque sapientiæ & virtutis speciem suos hortari? Nunquid eodem tendit Christi ad discipulos jussum,

jussum, de residuis fragmentis colligendis ne quid pereat? At Christus liberalitatem commendavit, laudavitque Samaritanum qui pro hospite vulnerato spoponderat. Recte. Verum sapiens parsimonia suppeditat id de quo liberalis esse queas. Temeraria sponsio qua te ipsum bonis exuis ut dites locupletiorem, aufert id quod multo consultius impenderes in pauperem, aut promitteres pro eo. Has vindicias Divinis Salomonis Proverbiis adversus novellæ Critices audaciam me debere existimavi.

XXXV. *Calumnia in Ecclesiasten Salomonis.*

XXXV. Nec difficilius refelluntur quæ adversus alterum Salomonis librum objicere Critico visum est; in quo *nihil* etiam *prophetici* animadvertit, neque probabile esse existimat, *Spiritum Dei voluisse ratiocinia & argumenta Sadducæorum, vel pejora etiam, in omni sua efficacia prolixe exponere; ut non nisi duobus tribusve verbis ea refelleret.* Observat, *Grotium*, contendisse, Ecclesiastem sub Salomonis quidem nomine scriptum esse, sed ab alio qui in Chaldæa vixerit. *Qua conjectura*, inquit, *si vera sit, liber iste non erit nisi quidam animi lusus eorum qui in Captivitate Babylonica fuerunt.* Addit, *cognoscere se quendam Sacræ Critices peritissimum, qui suspicetur auctorem hujus libri iis fuisse imbutum opinionibus, de immortalitate animæ & vita futura, quas deinceps tenuerunt Sadducæi.* Ipse tamen satius existimat nihil super isthac quæstione determinare.

XXXVI. *Retusa.*

Adde Præf. §. XII.

XXXVI. Mihi vero multo sanius sanctiusque sentire videntur, qui & Salomonem libri istius auctorem, & argumentum atque materiem probam sanctamque agnoscunt. Oportet sane auctorem mortalium omnium mendacissimum esse, nisi Salomon sit. Quis enim præter Salomonem, filius David & Rex Hierosolymis fuit? quis in tantam potentiam excrevit, tantamque sapientiam, ut præcesserit omnes qui ante eum fuerunt Hierosolymis? quis tantis fuit instructus opibus, ut grandia ista opera perficeret, quibus auctor hic suo se indulsisse animo testatur? Omnia hæc ita Salomoni propria sunt, ut in nullum alium transscribi queant. Conjectat quidem Grotius, Scriptorem in Chaldæa versatum fuisse: at nullo idoneo argumento. Nam quod ex vocibus Chaldæis conficere id sese posse putat, in eo fallitur. Dato enim, vocabula aliquot Chaldæa hic occurrere: id probat, auctorem ejus linguæ non fuisse imperitum; in Chaldæa fuisse, non probat. At quot, & quæ tandem illa vocabula Chaldæa sunt? Quatuor solum in Annotationibus suis deprehendit. I. סיר, *Olla*. Cap. VII. 6. At hoc Hebraicum esse patet ex Exod. XVI. 3. II. אביונה. Cap. XII. 5, sed & hoc Hebræum est, ab אבה *voluit.*

[...]uit. III. פשר, *solvere*. Cap. VIII. 1. IV. גומץ, *Fossa*. Cap. X. 8. Duae hae posteriores voces alibi non occurrunt in codice Hebraeo. At quantillam is Hebraei sermonis partem continet? Et quid communius, quam linguam aliquid ex vicinis & cognatis mutuari? Mirum autem, quam exiguus praetextus viris eruditis ad paradoxas opiniones sufficiat.

XXXVII. Scopus etiam & argumentum libri omnino pium sanctumque est. Docet enim rerum humanarum omnium, cogitationum, affectuum, ipsius etiam sapientiae vanitatem: damnat irrequietam animorum curiositatem & inconstantiam: suadet *hilarem*, laetumque bonorum Dei usum, qui a bona conscientia, & studio eorum operum quibus placetur Deo, sejungi non potest; inque ea re constituit maximam hujus vitae felicitatem: interim animum extollit ad sublimiora, monet in ipso voluptatis usu ac fructu retinendam esse judicii Divini memoriam. Concludit denique, uti sapientissimo Propheta dignum est: *summa rei est, his omnibus auditis*: DEUM IPSUM REVERERE, ET PRAECEPTA EJUS OBSERVA, QUIA HOC EST TOTUM HOMINIS. NAM OMNE OPUS DEUS IPSE ADDUCET IN JUDICIUM, CUM OMNI RE OCCULTA; SIVE BONUM, SIVE MALUM. Hoccine Sadducaeum, aut Epicuraeum est? Quae alicubi insparguntur sententiae, & in malum sonare videntur, neque satis inter se convenire; illae in suo nexu consideratae, atque uti debent expositae, & verae sunt, & aliis consentaneae, & ad eundem omnes scopum referendae.

XXXVIII. Non majori benignitate Criticus tertium Salomonis librum excipit, qui CANTICUM CANTICORUM dicitur. Et primo quidem eorum sibi opinionem repudiandam existimat, *qui credunt librum hunc mysticum esse, quo mutuus Christi & Ecclesiae amor describatur*. Ipse statuere mavult, *Eclogam esse sive Idyllion, quo Salomo sub persona Pastoris amores suos canit, fortassis cum filia Pharaonis, stilo Bucolico, qualis est Graecorum Latinorumque Poëtarum, nisi quod pro genio gentis & Poësios Hebraicae multo durior & magis dithyrambicus sit*. Et ne quid exactitudinis Criticae deesset, monet comparationes quibus Salomo utitur Cap. IV. cum iis contendi posse, quibus suos amores *Polyphemus* cecinit apud *Ovidium Lib.* XIII. *Metamorphoseon*. XXXVIII. *Convitia in Canticum Canticorum.*

XXXIX. At quid est sacratissima quaeque in profana, absurda, & ridicula vertere, si hoc non est? Salomonis nomen carmen ipsum praefert. Salomonem hominum omnium sapientissimum fuisse, omnis historia sacra tradit. Si vero non nisi suos, XXXIX. *Refutata.*

& amicæ cujusdam suæ, amores hoc cantico cecinerit, stilo tam turgido, & comparationibus tam enormibus, nescio quomodo sapientiæ laudem hoc opere tueri posset: & profecto Polyphemo aliquo dignius carmen foret, quam sapientissimo, cultissimo & politissimo Regum. Quid etiam mentis Ecclesiæ fuit, ut tam turgidum Idyllion, quod nullo modo cum Theocriti & Virgilii Bucolicis, aut Catulli Epithalamiis, conferri meretur, & in quo vix mica sanæ mentis esset, nisi majora subsint, tanquam pretiosissimum depositum, tanta sedulitate custodiret? Hui quam pro thesauro carbones! Ipsum nomen *Cantici Canticorum* præcellentiam ejus indicat: quid autem in eo est præcellentiæ, si nil nisi amatorium carmen foret, secreta nuptiarum arcana, lenesque amantium sub noctem susurros, stilo cothurnato & translationibus audacissimis prorsusque insolitis, nimis quam aperte revelans? Tralatitium in sacris est, arctissimam & suavissimam Christi & Ecclesiæ unionem, castosque amores, conjugii similitudine designare: illum sponsum & dilectum, hanc sponsam vocare; præsertim in sacris canticis. Ps. XLV. Jes. v. 1. Hoc vero est Canticum Canticorum, conflatum ex multis Canticis, imo omnia cantica complectens, eorumque summam & medullam aperiens, in quo tanquam in centro reliqua cantica coeunt & conspirant. Ita ut nucleus sacrorum canticorum a Salomone in hoc carmen coactus sit. Et revera deprehenditur hic perpetuus Christi, Ecclesiæ, & Ministrorum ejus διαλογισμός. Nunc loquitur Ecclesia verba apta statui suo in diversis temporibus, exprimentia caritatem suam, fidem, spem, ardentia desideria; nonnunquam gaudium ac lætitiam, gratiarum actiones, gloriationesque inde ortas: aliquando pulcritudinem incomparabilem sponsi sui, & incredibilem suavitatem amoris ejus: quandoque & querelas & preces: est & ubi intercurrunt verba cohortationum mutuarum. Ecclesiæ respondet Christus, significans quid in ea singulis temporibus pro statuum diversitate operetur: nonnunquam & querimoniam instituit, nonnunquam hortatur, nonnunquam consolatur Hac mente si exponantur verba, tunc pulcherrima sunt, lepidissima, plena optimarum significationum. Tunc titulo suo dignum erit carmen, dignum Salomone, dignum Ecclesia quæ custodiat & legat, dignum Spiritu Sancto qui inspiravit. Hæc nos pro Salomone & Divinis ejus scriptis.

XL. *Observationes in* XL. Sed attendi velim quanta Divinorum voluminum pars per Criticam hanc falcem demetatur. Cui si credimus, Historia

Sacra omnes sine ulla inspiratione scriptæ sunt, ab hominibus probis quidem & ab omni mentiendi lubidine alienissimis, qui veritatem quantum scivere declaraverunt, & fidissimos quos invenire potuerunt secuti sunt commentarios; hominibus tamen errori etiam in scribendo obnoxiis, qui diversis auctoribus nixi, vel memoriæ lapsu, diversimode etiam easdem quandoque res tradant; non sine manifestis, palpabilibus & irreconciliabilibus contradictionibus. *Psalmi* aliquot Davidis titulum præferentes, ex iracundia potius & vindictæ cupiditate, quam ex Dei Spiritu sunt. In *Proverbiis* Salomonis multa vulgaria, quibus meliora sine inspiratione facile dixerit Criticus. *Canticum Canticorum* nihil habet mysticum: sed rustico & Giganteo Polyphemi carmini simile est. Ita si perrexerimus, quantillum tandem Divini remanebit? O miseram Ecclesiam, quæ tam exigui pretii scripta pro summo pretioso thesauro hactenus custodivisti, exosculata, venerata es! Vel potius o audacem, & impiam Criticam, quæ tantum tibi in Divina juris attribuis, & fidelibus fidei suæ fulcra, & jucundissimas delicias tam scelerate ademtum is! *audacem illam Criticam.*

XLI. At prosequamur Prophetarum ordinem, qui illo & sequentibus temporibus frequentes fuisse comperiuntur; ideoque compendio dicendi sunt, ne in immensum hæc excrescat commentatio. Deprehendo autem duum fuisse generum, quorum alii nulla post se reliquerunt scripta quæ in Ecclesiæ Archiva relata etiamnum supersint; alii scriptis adhuc dum exstantibus notiores sunt. Illorum catalogum breviter, servato temporum quibus prophetarunt ordine, exhibebo, mox dicturus de cæteris. *XLI. Sequentium Prophetarum alii scripta reliquerunt, alii non.*

XLII. Sub Salomonis regno vixit Ahias Silonites, qui Jeroboamo Hierosolymis egresso obvius, prædixit Imperium in decem tribus Israelis; & prædictionem illam confirmavit lacerata nova veste in fragmenta duodecim, quorum decem dedit Jeroboamo. 1 Reg. XI. 29. Idem præ senio caligans uxori Jeroboami, de salute ægrotantis filii sciscitanti, non illius solum mortem, sed & horrendam familiæ Jeroboami internecionem, & excidium regni Israelis, gravissima oratione vaticinatus est. 1 Reg. XIV. Quum Rehabeam Salomonis filius rerum potiebatur Hierosolymis, Semajas propheta, floruit: cujus ad Regem orationes narrantur. 2 Chron. XI. 2. XII. 5. Ei contemporaneus fuit Iddo, qui una cum ipso res gestas Rehabeami retulit in commentarios. 2 Chron. XII. 15. Sicuti & deinceps Abiæ, filii Rehabeami. 2 Chron. XIII. 22. De Viro illo Dei, qui ex Juda *XLII Inter illos sunt Abias. Semajas. Iddo.*

prodiens adversus altare Betheliticum prophetavit, & altero illo SENE PROPHETA qui Bethele habitabat, prolixe nuper disserui ex 2 Reg. XIII. Iis autem hic suus est locus. Iddonem excepit, *Azarias.* Asa regnante, AZARIAS filius *Oded*, qui insignis reformationis au-*Oded.* ctor pio regi fuit. 2 Chron. XV. 1. ODED autem creditur fuisse *Iddo*, modo nobis laudatus. Certe & ipsum prophetam fuisse, eademque quæ filius vaticinatum, colligitur ex vers. 8. *Quare quum audisset Asa verba ista, & prophetiam illam* ODEDI PROPHETÆ, *con-*
Hananias. *firmans se &c.* Eodem tempore vixit HANANIAS *Videns*, qui Asam increpuit ob fœdus cum Benhadade rege Syriæ, & ob fiduciam in ipso potius quam Jehova collocatam, & molestam bellorum ex bellis seriem prædixit. Adeo indignante pio cæteroquin rege, ut fidum vatem in carcerem cippi compegerit. 2 Chron. XVI.
Jehu. 7. Hananiæ filius JEHU fuit; item propheta, qui Baësæ regi Israelis, ob commissa in Deum scelera, familiæ suæ excidionem prædixit. 1 Reg. XVI. 1. Josaphatum objurgavit ob nimiæ familiaritatis cum impio Achabo commercium. 2 Chron. XIX. 1.

XLIII. *Elias.* XLIII. Achabi tempore, in regno Israelitico celeberrima fama fuit ELIAS; cujus uti perquam mirabilis, ita notissima historia
Michas. est. Σύγχρονος Eliæ in eodem regno fuit MICHAS filius Jimlæ, cujus fida & animosa ad reges oratio exponitur 1 Reg. XXII. Et
Anonymus. alter Propheta ANONYMUS, qui Achabum ob manumissum Benhadadem Syriæ regem increpuit; & socio suo filio prophetarum mortem a leone inferendam prænunciavit, eo quod renuisset ipsum ex mandato Dei percutere. 1 Reg. XX. 35. Eodem fere tem-
Jahaziel. pore in regno Judæ vixit JAHAZIEL, filius Zachariæ, qui Josaphatum, & Judam universum, & cives Hierosolymitanos egregie animavit, adversus ingentem copiarum hostilium vim, jussitque securos esse de præsenti Dei ope certaque victoria. 2 Chron. XX.
Eliezer. 14. ELIEZER filius Dodavæ eundem Josaphatum objurgavit, ob amicitiam cum impio Rege Ahazia. 2 Chron. XX. 37. Eliæ suc-
Elisæus. cessor ELISÆUS fuit, dupla portione Spiritus ejus quasi ex Testamento locupletatus: non quod altero tanto excellentior præceptore suo fuerit; sed quod quasi filius ejus primogenitus, inter cæteros condiscipulos ac veluti fratres suos geminam partem acceperit, reliquis simplici portione contentis. 2 Reg. II. 9. 10. Notior est vis ipsius Prophetica & mirifica, quam ut prolixiori eam commentario exsequi necesse sit.

XLIV. *Zacharias.* XLIV. Notabile fatum fuit ZACHARIÆ Filii Jojadæ, Pontificis simul & Prophetæ; qui quum Spiritu Dei inducente ex editiori loco

loco his populum verbis affatus esset: *Sic ait Deus, quare transgredimini præceptum Jehovæ, ut non prosperemini? quia dereliquistis Jehovam, vicissim dereliquit vos; facta conjuratione obruerunt eum lapidibus, ex præcepto Regis, in atrio domus Jehovæ.* 2 Chron. XXIV. 20. 21. Detestabilis hæc erat ingratitudo Joasi Regis, qui vitam, regnum, & prosperitatem suam omnem debebat Jojadæ patri Zachariæ. Idcirco Zacharias tam indignam virtutibus & meritis suis mercedem reportans, justissima indignatione percitus, quum moreretur dixit: Videbit Jehova, et requiret. Et certe vidit Jehova, ac requisivit. Impium populum armis Syrorum ultus est, quorum quamvis exiguæ essent copiæ, in eorum tamen manus numerosissimum Judæorum exercitum tradidit Jehova. Ingratum Regem, postquam gravissimis excruciatus morbis fuerat, conjurati quidam in lectulo ægritudinis interfecerunt. 2 Chron. XXIV. 25.

XLV. Magis se obsequentem Prophetæ Anonymo præbuit Amazias filius Joasi; qui quum centies mille Israelitas conduxisset centum talentis argenti, ut secum adversus Idumæos prælia- rentur, venit ad eum Vir Dei, edicens, dimitteret Israelitas, Jehovam iiscum non esse, remitteret omnem quam impenderat argenti vim, confisus Dei benignitate, qui & suas copias victoria donaturus esset, & majoribus eum divitiis locupletaturus. Paruit mandato, & Israelitas quantumvis indignantes facescere jussit. 2 Chron. XXV. 7. Quum propter Achazi Regis scelera Israelitæ e cognatis suis captivos duxissent ducenta millia mulierum, puerorum & puellarum, prædamque ingentem deportarent Samariam, exstitit ibi Propheta Jehovæ nomine Oded, qui victricibus turbis obvius exposuit ipsis iram Dei in Judæos, cujus ministri quidem & exsecutores ipsi fuerant, at non sine magno suo crimine; auctorque fuit ut dimitterent captivam istam multitudinem, ne & in ipsos æstus iræ Divinæ exundaret. Factum illud est regnante apud Israelitas Pecacho filio Remaliæ, eodem tempore quo prophetavit Jesaias. 2 Chron. XXVIII. 9. Sub Manassis regno plures fuisse Videntes, qui ad ipsum locuti sunt in nomine Jehovæ Dei Israelis, colligimus ex 2 Chron. XXXIII. 18. Ultimus quod memini, eorum cujus scripta non habemus est Urias, filius Semajæ ex Kiriath Jearim, qui vaticinans exstitit tempore Jojakimi, iisdem fere quibus Jeremias verbis: quem in Ægyptum profugum, indeque accitum, Rex Jojakim percussit gladio, & cadaver ipsius abjecit ad sepulcra plebejorum. Jer. XXVI. 20.

XLV. *Anonymus.*

Oded.

Urias.

XLVI. *Epistola Eliæ ad Joramum.*

XLVI. Atque hi sunt Prophetæ quorum nulla nunc scripta exstant, de quibus aliquid monere habeamus. At intactam prorsus præterire non possum *Epistolam* illam quam *Elias* ad *Joramum* regem Judæ scripsisse narratur 2 Chron. XXI. 12. quum tamen constet eum in cœlum assumtum esse vivente & regnante Josaphato patre Jorami, qui ablato Elia Elisæum consuluisse legitur 2 Reg. III. 11. Sunt qui hac difficultate pressi opinantur, Eliam, epistolæ hujus auctorem, diversum esse a celebri illo Thisbite: imo Elisæum, discipulum Eliæ, & hæredem Spiritus illius, magistri sui nomine venire. At neutrum mihi probabile videtur. Neque enim ullius historiæ monumentis constat, alterum ab Elia ejusdem nominis prophetam, eodem fere tempore, in regno Israelis fuisse; neque ulla nota hic a magno isto Propheta distinguitur. Exemplo etiam caret, Elisæum, cujus frequens in historia mentio est, nomine Eliæ insigniri. Nec temere eo confugiendum, ut insolitas locutiones pro arbitrio nobis fingamus.

XLVII. Quid ergo? Credidere aliqui ab Elia, postquam humanis rebus ereptus esset, scriptam hanc Epistolam. Quod non magis mirandum esse existimat *Grotius*, quam quod Judas Macchabæus somnio Divinitus immisso vidisse scribitur 2 Macc. XV. Oniam Sacerdotem, & Jeremiam Prophetam pro populo orantes. At præterquam quod hoc ex apocrypho & fabuloso scripto recitetur, cujus fides penes auctorem sit, ratio diversitatis per se est manifesta. Multum enim interest, an sancti in cœlis pro piis in terra commorantibus orent; an calamo, & atramento, aut quovis alio pacto literas in cœlis scribant, ad eos deferendas qui in inferiori hac mundi parte hospitantur. Non quod existimem id fieri non posse, si quidem ita numini placuerit: multa enim nobis credenda sunt haut paullo mirabiliora. Sed quod prodigia non esse statuenda arbitrer, nisi docente Deo. *Ridiculum est*, inquit *Lightfootus*, *opinari cum Judæis*, *Eliam has literas e cælo misisse*, *postquam eo abreptus fuerat*. *Oper. T.* 1. *p.* 85. *In Chronico Temporum.*

XLVIII. Credibilius igitur est, literas ab Elia scriptas esse ante raptum; quamvis deinceps ad Joramum delatas. Potuit enim spiritu prophetico prævidere, quæ Joramus facturus esset; sicuti Elisæus prævidit quæ facturus esset Azael Syriæ regno potitus. Neque improbabile est, Eliam scriptum hoc commisisse Elisæo, ut suo tempore cum Joramo communicaret; sicuti certo

aliam

aliam rem ei commisit post mortem ejus peragendam, nempe ut Azaeli indicaret futurum eum esse Syriæ regem. Sic ad majorem Jorami convictionem oportuit ipsum ab absentibus cœloque adscriptis reprehendi, qui præsentes & imperio suo subjectos non ita fortassis passus fuisset; uti acute observatum est a *Junio*.

XLIX. *Lightfootus* historiæ seriem ita contexit: *Moabo rebellante adversus regem Israelis, Rex Joram requirit Josaphati auxilium ad rebelles coercendos. Annuit Josaphat: copias suas colligit: Joramum filium collocat in throno, res imperii curaturum domi: sicque discedens urget expeditionem. Joram, patre jam agente peregre, insurgit in fratres & Nobiles Judæ, eosque interficit, & consilium capit regni retinendi. Elias inter vivos etiamnum degens hæc audit, & quanquam nihil illi adhuc rei fuerat cum quoquam regum Judæ, scripsit illi epistolam præduram, quam curavit ad eum transferri, ipse haut diu post turbine translatus in cælum. Elisa post decessum domini, revertitur, per divisum Jordanem, Jerichuntem, Bethelem, Carmelum, Samariam, indeque descendit ad castra Regum in Moabo.* De qua serie rerum judicent eruditi: non vacat nunc mihi, neque prolubium est omnia ad unguem explorare.

L. Nunc ad eos transeamus prophetas, qui instigante Dei Spiritu oracula sua victuris chartis commiserunt. Quod maxime factum comperimus vergentibus ad excidionem Israelitarum rebus, propter horrenda quibus sese obstringebant crimina. Sub ista enim tempora suscitavit Deus continuam prophetarum seriem, tam in regno Israelis quam Judæ, qui non ore solum sed & scriptis rebellem populum officii sui commonefacerent, & tam ipsorum scelera, quam Dei comminationes, perpetuis monumentis ad posteros transmitterent, ut generationes omnes viderent ingratitudinem & abominationes istius populi, veluti stilo ferreo & cuspide adamantis æternis tabulis inarata; neve, sacro correpti timore, similia committerent. Eorum autem Prophetarum hic est ordo. *L. Hebræorum republica ad excidium vergente, prophetæ oracula sua scriptis consignarunt.*

LI. Si non primus, certe inter primos fuit Jonas, filius Amithai ex Gath Hepher, qui vixit tempore Jeroboami secundi regis Judæ. Jeroboamo autem prædixit insignem victoriam de Syris reportandam. 2 Reg. XIV. 25. Idem est cujus prophetiam de Ninivitis habemus: ad quos a Deo missus legationem istam primo declinat, humano uti videtur consilio, veritus ne ingressus Gentilium abdicatio foret Israelitarum. Japhunte ergo se subducit, donec a Deo deprehensus, & ingenti miraculo e ventre bel- *LI. Jonas.*

belluæ marinæ sospes ejectus, commissum sibi nuncium Ninivem defert. Comparari meretur similis tergiversatio Simonis filii Jonæ, in eodem oppido agentis, quando accersebatur ad Cornelium, in quo consecrandæ erant primitiæ gentium. Act. x. *Hoseas.* HOSEAS sub eodem Jeroboamo vaticinatus est, sed & deinceps sub Uzia, Jothamo, Achazo, & Ezechia, regibus Judæ. Hos. I. I. id est totos annos LXX, aut diutius, ut alii supputant. Proximus Hoseæ est AMOS, cujus prophetia enunciata est diebus Jeroboami & Uziæ. *Amos.* Non est hic ille Amotz pater Jesaiæ, qui fuit vir nobilissimus, & regii sanguinis; sed pecuarius ex Thekoa: educatione neque propheta, neque prophetæ filius, id est, neque Magister neque Discipulus in scholis prophetarum, sed bubulcus, qui tamen illustris evasit discipulus in schola Domini, & illustris Doctor in congregatione Israelis. Prophetavit adversus sex nationes præter Israelem & Judam, & in omnes pronunciavit inevitabilem sententiam destructionis. Eodem tempore quo Amosus in regno Israelis, in regno Judæ prophetare cœpit JOEL: *Joel.* quem Judæorum nonnulli volunt vixisse tempore Elisæi, & minas illius de fame impletas fuisse in fame septennali quæ in id tempus incidit. 2 Reg. VIII. I. alii ad tempora Manassis referunt. Utrique male. Loquitur enim de eadem plaga locustarum, siccitatis, & ignis, de qua Amosus. Et quum Joelis prophetiæ non sit adscriptum tempus, incertum est uter antecesserit. *Jesaias.* JESAIAS sub iisdem regibus prophetavit: vir nobilis & proxima consanguinitate attingens regem, Amaziæ regis ex fratre Amotzo nepos, uti Hebræorum traditio habet, & ut Hieronymus ait, socer Manassis, a quo tamen serra dissectus esse proditur. *Adde Præf. §. XIII.* Prophetare autem cœpit sub extremum regni Uziæ, quia ab initio regni illius usque ad Manassen sunt anni CXIII. Quo toto tempore non est credibile vixisse Jesaiam, nedum prophetasse. *Michæas.* MICHEAS in idem tempus incidit; vaticinatus sub Jothamo Uziæ filio, Achazo, & Ezechia, ut ex inscriptione prophetiæ ejus liquet. Hic non est confundendus cum Michæa filio Jimlæ, qui Achabo prædixit interitum. I Reg. XXII. 17. centum & quadraginta annis ante hoc tempus de quo non agimus. Sed is est cujus meminerunt seniores Judæ Jer. XXVI. 18. Et sicuti simul cum Jesaia prophetavit, ita Spiritus Sanctus eadem utrique iisdem verbis dictavit. Confer Jes. II. 2. cum Mich. IV. I.

LII. Nahum. LII. NAHUM quo tempore prophetaverit, nisi ex ipsa prophetia judicari non potest. *Clemens Alexandrinus Strom. Lib. I.* refert

ad

ad tempora Joachimi, & ponit post Ezechielem. *Junius* refert ad extrema Josiæ, ut simul cum Jeremia vixerit. *Seder olam* ad Manassis tempora refert, quod & *Abarbanel* indicat. Credibilius, fuisse anteriorem, & ad minimum Jesaiæ & Michææ σύγχρονον. Interpretes enim fere omnes magno consensu caput primum exponunt de clade Sanheribi, quam in Judæa accepit decimo quarto anno regni Ezechiæ. Habacuc etiam tempus suum non indicat. *Habacuc.* Hebræi secuti Chronologiam suam satis antiquam, sub Manasse collocant. Neque id improbabile est. Quod dicitur 2 Reg. xxi. 10. *Dominus locutus est per servos suos Prophetas dicendo, Propterea quod fecit Manasses rex Judæ abominationes istas, &c. Idcirco ecce ego adducturus sum malum super Hierosolymam & Judam, ut quisquis audierit ambæ aures ejus tinniant:* non male convenit cum Habac. i. 5. *Respicite & intuemini, & admiratione abrepti admiramini: nam opus operor diebus vestris, quod non credituri estis quum narrabitur &c.*

LIII. Obadias quo tempore prophetaverit, certo dici non potest. *LIII. Obadiæ ætas incerta.* Hebræorum plerique opinantur fuisse eum præfectum aulæ Achabi, de quo 1 Reg. xviii. & natione Idumæum, ac Proselytum. Sed nihil horum est probabile. Non enim propheticæ excellentiæ, sed solius pietatis nomine, istum Obadiam sacra historia laudat. Et si Propheta fuisset, quo pacto & aula potiri, & favore regis potuisset, quo tempore Jesabel rerum Domina, prophetas omnes Jehovæ ad necem quærebat? Apparet autem ex ipsa prophetia, quod Prophetæ hujus tempore res Judæorum & Hierosolymæ inprimis afflictæ fuerint, & quod Idumæi afflictionem illam promoverint auxerintque. Nam *peregrini captivam abduxerant copiam Hierosolymorum, & alienigenæ intrarant portas ejus; & super Hierosolymam jecerant sortem; & tunc Edom erat unus ex eis.* vers. 11. Ob quam rem ingentes iis calamitates prædicit. Quando autem hæc evenerint Hierosolymæ; an referenda sint ad captivitatem Babylonicam, an ad priora tempora, quando urbs direpta est per Sisacum regem Ægypti, 1 Reg. xiv. 25. vel per Philistæos & Arabes. 2 Chron. xxi. 16. 17. vel per Joasum regem Israelis. 2 Chron. xxv. 21. in incerto est. Pro priori sententia facit, quod iisdem propemodum verbis utitur, quibus Jeremias Cap. xlix. 14. & tunc fuisset σύγχρονος Jeremiæ circa tempora captivitatis Babylonicæ. Sed obesse iterum videtur, quod nulla prorsus mentio fiat ullius ejusmodi prophetæ, qui fuerit tempore destructionis Hierosolymæ, aut post illud, quum viri primæ no-

tæ & alicujus dignitatis sollicite memorentur. Fateamur ergo ætatem hujus prophetæ esse ἄδηλον.

LIV. *Zephanias.* LIV. Zephanias tempore Josiæ prophetavit. Cap. 1. 1. Et creditur a quibusdam Regis Ezechiæ pronepos. At incertum est, an qui inter majores ipsius numeratur Ezechias, rex fuerit. Non est incredibile prophetiam ipsius in initia Josiæ incidere, ante provectum reformationis opus. Nam Cap. 1. 4. 5. acriter invehitur in eos qui adorant in tectis exercitum cœli, & jurant per Jehovam & per Malcam; ac minatur Deum excisurum esse residuum Baalis, & nomen poparum cum sacerdotibus.

LV. *Jeremias.* LV. Jeremias prophetare incepit anno Josiæ XIII. juvenis admodum, & prophetam populo Dei egit, uti Moses, annos XL. Nimirum XVIII. sub Josia, XI. sub Jojakimo, & XI. sub Zedekia. Sic *Lightfootus. Junius* autem numerat ad minimum XLIII. Et ut Moses tanto temporis spatio, XL. nimirum annorum, Doctor populo in deserto adfuit, donec in terram sibi promissam introirent; ita Jeremias tantundem temporis Doctorem populi egit in terra propria, donec expellerentur in desertum gentium. Atque hic postremus est prophetarum in terra Canaan, ante captivitatem Babylonicam, cujus non propheta solum, sed & testis fuit. De illius obitu & sepultura hæc tradit *Elmakinus Hist. Eccl. p.* 128. *Jeremias, sicut & Habacuc, in Ægyptum concessit prophetavitque contra Ægyptum, & dixit: Nebucadnetzarem Regem Babyloniæ moturum contra Ægyptum, occisurum homines, combusturum delubra Deosque Ægyptiorum. Quumque contra Ægyptum, Babelem, Tyrum, Sidonem, & Ammonitas vaticinari non cessaret, lapidibus obrutus succubuit, sepultusque est in Ægypto. Ferunt etiam Alexandrum, quum ingrederetur Ægyptum, corpus Jeremiæ secum deportasse Alexandriam, ibique sepelivisse.* Sed hæc partim incerta, partim vero absimilia sunt.

CAP. XIX.

De Prophetis in Captivitate Babylonica.

I. *Abductionis Babylonicæ gradus* IV. *Primus.* II. *Secundus.* III. *Tertius.* IV. *Quartus.* V. *Misericordiæ insignis est, quod captivis etiam prophetas dederit Deus.* VI. *Ezechielis icon.* VII. *Tempus quo prophetavit.* VIII. *Argumentum prophetiarum ejus.* IX. *Earum γνησιότης, male a quibusdam in dubium vocata.* X. *De morte & sepultura ipsius Fabula Epiphanii.* XI. *Et Benjaminis.* XII. *Daniel quando abductus.* XIII. *Ety-*

XIII. *Etymologia nominis ejus.* XIV. *Stemma.* XV. *Ætas.* XVI. *Ingenium.* XVII. *Vitæ genus.* XVIII. *An Prophetis accensendus?* XIX. *Rationes negantium.* XX. *Ajentium.* XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. *His probatis, illæ refutantur.* XXVI. *Danielis mors & sepultura.* XXVII. *De hac fabula Benjaminis.* XXVIII. *Ac Pecachiæ.* XXIX. *In scriptis Danielis consideranda.* XXX. I. *Auctoritas.* XXXI. II. *Antiquitas.* XXXII. *Frustra impetita à Talmudistis.* XXXIII. *Porphyrio.* XXXIV. *Et Spinosa.* XXXV. III. *Sermo Authenticus.* XXXVI. *Huetii hariolationes.* XXXVII. *Refutata.* XXXVIII. IV. *Materia Libri Danielis.* XXXIX. *Scripta ψευδεπίγραφα.* XL. *Ab Huetio defensa.* XLI. XLII. *At valde frigide.*

Captivitatis sive Abductionis Babylonicæ *tres* fuere gradus, sive, uti ego malo, *quatuor*. *Prima* abductio contigit anno *primo Nebucadnetzaris*, *tertio Jojakimi* exeunte, vel *quarto* ineunte. Sic enim conciliari debent Daniel & Jeremias. Daniel Cap. I. com. I. *tertio* Jojakimi anno Nebucadnetzarem Hierosolymam obsedisse narrat: nimirum eo anno exeunte. Jeremias Cap. XXV. I. eandem rem refert ad annum quartum Jojakimi, videlicet ineuntem. Erat autem *Nebucadnetzar* filius Nabopolassari, qui Babylonicum regnum, quod modicum acceperat, armis auxit: adjunxitque ei Ægyptum, Cœle-Syriam, & Phœniciam, plurimum adjutus virtute filii sui Nebucadnetzaris, qui Patrem amplitudine imperii, & rerum gestarum gloria, immensum antecelluit. *Jojakimus* fuit antepenultimus regum Judæ, filius Josiæ, frater Joachazi, quem Pharao Necho, regno motum in Ægyptum abduxit, pater Jojachini sive Jechoniæ, qui in regno ipsi successit, & frater Zedekiæ, ultimi Judæorum regis. Regno præfectus a rege Ægypti, ejus fuit tributarius. Homo nequam, & incoctus vitiis. Adversus hunc primam expeditionem suscepit Nebucadnetzar, patre adhuc vivente, & apud Babylonios imperante, uti ex collatione sacræ historiæ cum profana viri eruditissimi observarunt. Ipse tamen a Jeremia & Daniele Rex vocatur, quia cum potestate Regia a Patre ad hanc expeditionem missus, & omnino Paterni Imperii consors. Profligatis itaque Ægyptiis, commoditate adductus loci, Hierosolymam invadit, quæ ante quadriennium ab Ægyptiis fuerat subjugata, & jam fiduciaria erat Ægypti regno. Hoc tempore *Daniel* cum sociis, & parte vasorum templi, deportatus est. Jojakim autem se fidei Babyloniorum committens, in regno mansit.

I. Abductionis Babylonicæ gradus IV. Primus.

II. *Secundus.* II. *Secunda* deportatio contigit post *rebellionem Jojakimi.* Nam devictis Ægyptiis, & Babyloniis longius remotis, exspectabat populus regni instaurationem, tanta fiducia, ut rex post tres annos servitutis deficere a Nebucadnetzare auderet. Verum eo successu, ut in vinculis abductus fuerit Babelem. 2 Chron. XXXVI. 6. quo tamen non videtur pervenisse, sed, in itinere mortuus, vel projectus est in via, vel leviter terra obtectus, nec deplanctus, atque ita sepultura asini sepultus. Jer. XXII. 18. 19. & XXXVI. 30. Tunc cum Jojakimo deportavit Nebucadnetzar Judæos ter mille viginti tres Jer. LII. 28.

III. *Tertius.* III. *Tertia* abductio facta est sub *Jechonia*, qui patri Jojakimo suffectus, tribus duntaxat mensibus septemque diebus regnavit, & obsessa Hierosolyma sponte exivit, seque & matrem & principes & aulicos in potestatem regis Babyloniæ tradidit. Qui eo tempore præstantissimos quosque Judæorum deportavit, sola populi fæce relicta. 2 Reg. XXV. 10. 2 Chron. XXXVI. 10. ipsumque Jechoniam diuturno multavit carcere. 2 Reg. XXV. 30. Tunc deportatus est *Mordochæus*, Esth. II. 5. 6. & *Ezechiel.* Ezech. I. I. 2.

IV. *Quartus.* IV. *Quarta* atque ultima deportatio incidit in regnum *Zedekiæ*, qui Jechoniæ patruus erat, eique a Nebucadnetzare in successorem datus. Nam vilissimi illi Judæorum, qui in terra sua remanserant, illius possessione superbi, se solos ut verum Abrahami semen jactabant, exsules autem ut profanos atque impuros adspernabantur. Ezech. XXXIII. 24. Et usque adeo quidem hac sibi cogitatione placebant, ut rebellaverit Zedekias contra Nebucadnetzarem, missis in Ægyptum legatis, rogatum ut equos sibi & milites darent. Ezech. XVII. 15. utque cum regibus vicinis, Edomi, Moabi, Ammonis, Tyri & Sidonis, per legatos ipsorum venientibus Hierosolymam, contra Nebucadnetzarem fœdera iniret. Jer. XXVII. 3. Nebucadnetzar itaque, ubi novis motibus ardere Palæstinam videt, nihil cunctandum ratus, priusquam gentium inter se robora coirent, venit cum exercitu valido in Judæam, arcem belli Hierosolymam obsidet, impugnat, diruit, templum incendit, populum partim occidit, partim abducit. Regis filii ante oculos ipsius trucidantur, ipsi oculi eruuntur; vinctusque duabus numellis chalibeis in Babyloniam deportatur. 2 Reg. XXV. Jer. LII.

V. *Misericordia insignis est,* V. Dubitari non potest, quin justissimo Dei judicio propter crimina sua Judæis hæc acciderint. Nondum tamen populo re-

pudi

pudii libellum dederat: ideoque exsulibus etiam prophetas concessit, instructioni & solatio futuros. Terram quidem Canaan suam vocaverat terram. In ea domum habuerat, & populum. Sed, quum populum ex ea educere incepisset, quasi cum eo in exsilium ivit, deditque iis prophetas in medio gentium, in terra impura, iisque visiones exhibuit, indices maximarum rerum. Significans jam tum, instare tempus quo equitet in deserto, regnumque in gentes per totum mundum habeat: neque habere Judæos qui Hierosolymis manserant, & templum adhuc videbant, tantam præ illis qui in captivitate erant gloriationem.

quod captivis etiam prophetas dederit Deus.

VI. Prophetæ autem qui tunc ipsis dati fuerunt, duo potissimum erant; Ezechiel & Daniel. Ezechiel tribus Leviticæ fuit, ex familia sacerdotali, filius *Buzi*, ipse quoque sacerdos. Cap. I. 3. *Nomen* יחזקאל notat *fortiter aget Deus*. Et credibile est, pios parentes corruptissimis illis temporibus, fidem suam testatos esse, eandemque liberis commendasse, impositione nominum emphaticorum. Quamvis pater hujus prophetæ בוזי *Buzi* vocaretur, id est, *ignominia mea*, quia tempora illa ignominiæ & contumeliæ plena fuerunt: sperabat tamen futurum esse, ut Deus potentia sua fulciret pios, & fœdus gratiæ suæ valida manu adsereret. At non est quod in nomine hæreamus. Majora dicenda sunt: Nam sane fuit hic noster Vir *eruditione* & *ingenio eximius*: ita ut, seposito etiam prophetiæ dono, quod incomparabile est, cum aliis illustribus scriptoribus comparari mereatur, ob pulcherrimas *ἰνδάλματα*, comparationes elegantes, & magnam rerum multarum, præsertim architecturæ, peritiam.

VI Ezechielis icon.

VII. Prophetare incepit, quinto post suam cum Jechonia deportationem anno, post Jeremiam annis XXXIV. Idem dicitur *annus trigesimus*, sive ab initio regni Nabopolassaris, sive a Paschate per Josiam celebrato, & insigni illa reformatione, sive a se nato; sive quod omnia hæc in eundem annum inciderint, & idcirco simul cogitari queant. Hoc tempore Spiritus eum incessit, & juxta flumen in Babylonia vidit cœlos apertos, ut Christus pari ætate eos sibi apertos habuit, juxta flumen in Judæa. Luc. III. 21. 22. 23. Perrexit Judæis prophetare in Babylone eodem tempore, quo Jeremias iis prophetabat in Judæa. Incidit initium prophetiæ ipsius in medium regni Zedekiæ; quo pacatus erat Judææ status. Neque deerant Pseudo-prophetæ, qui blanda omnia populo pollicerentur; Jechoniam reductum & jugum Babyloniorum excussum iri. Ita cum securitate homi-

VII. Tempus quo prophetavit.

num, falſiſque prophetis, luctandum fuit, Jeremiæ in Judæa, Ezechieli in Babylonia. Creditur prophetaſſe annos admodum viginti.

VIII. Argumentum prophetiarum ejus.

VIII. Prophetiæ ipſæ ſcatent ingentibus myſteriis, expoſitis ſtilo plerumque ænigmatico & ſymbolico, ideoque obſcuriori, niſi attendentibus & exercitatis. Vidit ante omnia filium hominis in Throno Dei ſedentem, eique miniſtrantes ſanctos Angelos in gubernatione univerſi atque Eccleſiæ. Prædicit deinceps & verbis & ſymbolis excidium Hieroſolymæ, & templi, ob ſcelera Judæorum. Vaticinatur de everſione coronæ præſentis & futuræ, ut regnum tradatur Meſſiæ. Ammonitis, Moabitis, Tyriis, Ægypto, Edomo, ſua quoque fata canit. Abrogatis paſtoribus male fidis, magnum illum fidiſſimumque animarum paſtorem excitatum iri promittit. Prænunciat reductionem Iſraelis in terram, reunionem omnium tribuum, & veluti exſuſcitationem ex mortuis. Porro bella Eccleſiæ cum Gogo, tum Novum Templum Spirituale a Chriſto exſtruendum, & Civitatem Sanctam, & hæreditatem Iſraelitis ac Proſelytis communem. Quæ ſi recte intelligantur, introducunt animum in meditationem rerum maximarum, digniſſimarumque quæ a Deo per prophetas populo ſuo revelentur.

IX. Earum γνησιότης, male a quibuſdam in dubium vocata.

IX. Peſſimum itaque factum eſt, quod in *Tractatu Talmudico de Sabbatho* narratur, Rabbinos quoſdam antiquos de rejiciendo Ezechielis libro & expungendo e Canone conſilia agitaſſe, quod viderentur ſibi nonnulla in eo deprehendere cum Moſis lege haut bene convenientia: ac facturos fuiſſe revera, abſque Anania quodam fuiſſet, qui diſcrepantias omnes ſe conciliaturum promiſit, & præſtitit. At bene eſt, quod fides noſtra non pendeat a judicio fatuorum hominum. Si quæ prophetiæ γνησιότητος ac Divinitatis ſuæ argumenta habeant; certe hæ ſunt. Quarum maximus conſenſus eſt cum illis Jeremiæ, eodem quidem tempore, ſed loco remotiſſimo prophetantis; & cum illis Diviniſſimæ Apocalypſios Johannis. Plurimas etiam jam obſignavit eventus. Et in caſſum recidunt argutatoris *Theologo-Politici* cavillationes ac calumniæ, adverſus hanc quoque ſacrorum voluminum partem; merito ab aliis caſtigatæ.

X. De Morte & ſepultura ipſius Fabula Epiphanii.

X. *Mortem & ſepulturam* Ezechielis *Epiphanius*, aut quicumque Auctor eſt *Libri de Vitis Prophetarum*, hoc modo narrat. *Occiſus eſt*, inquit, *Babylone, à duce populi in ea ſtatione cui praerat, quum ipſum Propheta ob idolorum cultum redarguiſſet. Sepultus eſt deinceps in*

agro

agro Maur, in monumento Sem & Arphaxad, majorum Abrahami: & hodie sepulcrum ejus visitur spelunca duplici. Pauculis interpositis, sic pergit: *Jacet autem vir sanctus in Syrorum regione, ac multi ejus ad sepulcrum orationis caussa confluere solebant. Quumque frequens Judaeorum illic ad ipsius memoriam concursus esset factus, veriti Chaldaei ne contra se consurgerent, impressionem in eos facere atque interficere decreverant. At propheta beneficio fluminis aqua consistit, ut Israelitae ulteriorem in ripam transmittentes evaderent. Ex hostibus qui fugientem populum ausi sunt persequi, pone ipsum demersi sunt. Ad haec propheta sponte susceptis precibus, uberrimam piscium copiam suppeditans fame jam confectos aluit; ac deficientibus plerisque à Deo vitam impetravit.* Piget plura adscribere: adeo fabulosa sunt, & Apocrypha.

XI. At neque melioris notae ea quae in *Itinerario* suo *Benjamin Tudelensis* nugatur. Is postquam de Turri locutus esset Babylonica, in confinio illius, ad ripam Euphratis, dicit exstare *Synagogam beati Ezechielis prophetae, ubi e regione Synagogae sexaginta turres sunt, & inter singulas est Synagoga. In illius atrio librorum sacrorum theca est; & post Synagogam, Ezechielis filii Buzi sepulcrum: cui magna pulcherrimique operis testudo impendet, quam construxit Jechonias Judaeorum rex cum triginta quinque Judaeorum millibus qui eum sequebantur, quum ab Evilmerodacho e carcere dimissus esset. Hic locus una sui parte flumen Chebar respicit; altera vero Euphratem. Caeterum Jechonias, omnesque qui eum comitati sunt, in pariete sculpti visuntur. Jechonias primo loco; Ezechiel, ultimo. Is locus ad hunc usque diem quadantenus sanctuarium est: hic enim e locis remotissimis precandi caussa confluunt, inde ab anni initio ad festum expiationis usque, magnaque gaudia agitant. . . . . Ibi productum magnum librum, quem Ezechiel propheta sua scripsit manu, legunt expiationis die. Super Ezechielis sepulcro die noctuque ardet lampas, inde ab eo tempore quo eam ipse accendit: & hactenus ellychnia identidem mutant, oleumque addunt qui eum secuti sunt. . . . . Quin etiam magnatum inter Muhammedanos filii eo ad precandum veniunt, ob ardentem beati Ezechielis prophetae amorem: locumque vocant* HABITACULUM ELEGANTIAE. Haec Benjamin: penes quem historiae istius fides sit. Me quod attinet, ego sum infirmior unus multorum; neque facile credulitatem meam id genus narrationibus mancipo. Contenti simus ea de Ezechiele scire quae sacrae literae tradunt. Caetera gerrae sunt, omni auctoritate destitutae. *XI. Et Benjaminis.*

XII. Una cum Ezechiele, durante Captivitate Babylonica vixit DANIEL, ante ipsum abductus, anno primo Nebucadnetzaris, *XII. Daniel quan-*

do abductus. ris, & tertio Jojakimi Dan. I. I. Quod tam disertim ab ipso notatum Daniele est; non tantum ad rei fidem, & historiæ accurationem; sed quia inde incipienda est computatio LXX. istorum annorum quos durare debuit captivitas Babylonica: & ut doceatur, quanta bonitate Deus Danielem cum sociis præmiserit, gratos futuros Regi, ad populi deinceps captivandi commodum. Hujus quoque Prophetæ historiam breviter enarremus: primo de *ipso*, tum de *scriptis* ejus dicturi.

XIII. *Etymologia nominis ejus.* XIII. NOMEN ipsi fuit דניאל DANIEL, quod parum abest a דן DAN de quo Rachel Gen. XXX. 6. דנני אלהים, *caussam meam egit Deus.* Significat ergo, *Judex*, sive *Vindex meus Deus est.* Quo nomine veluti symbolo pii parentes spem suam in Deum testati sunt, præsertim in rebus suis perplexis, sive publicis, sive privatis, illiusque suæ spei filium hunc nomine suo testem esse voluerunt. *David* unum ex filiis suis hoc nomine habuit. I Paral. III. I. ex Abigail. & *Ithamar* aliquem ex suis posteris. Esr. VIII. 2.

XIV. *Stemma.* XIV. STEMMA, si non *Regium*, saltem *principale* fuit. Quod colligitur partim ex 2 Reg. XX. 18. partim ex Dan. I. 3. In quo adoranda nobis venit Divinæ providentiæ ἀνυπεύθυνος libertas, quæ aliquando quidem vilissimos ex plebe selegit, quos cœlestis gratiæ suæ donis locupletaret, uti Amosum, Elisæum, Apostolos; sed & aliàs magnates hujus sæculi illustres fecit muneribus in Ecclesia.

XV. *Ætas.* XV. ÆTAS ejus incidit in initium, durationem, finem septuagenariæ captivitatis Babylonicæ, quo tempore *Romanis* imperarunt *Ancus Martius* & *Tarquinius Priscus. Medis, Astyages* & *Cyaxares. Babyloniis, Nebucadnetzar* cum posteris. *Persis, Cyrus. Lydis, Crœsus.* Quo tempore etiam tria potentissima regna *Assyriorum, Judæorum, Chaldæorum*, & tres eorum metropoles, *Ninive, Hierosolyma, Babel*, excisæ sunt. Floruerunt quoque circa hoc tempus *septem Græciæ sapientes*, observante *Pererio.*

XVI. *Ingenium.* XVI. INGENIUM ipsi obtigit disciplinarum omnium capax. Dan. I. 4. Adjutum sedula instructione Chaldæorum: 19. 20. sed imprimis eruditum a Deo. ib. vers. 17. Dan. IV. 5. 6. V. II. Unde sapientiæ fama apud vicinas quoque gentes inclytus fuit. Ezech. XXVIII. 3. Eruditioni accessit *pietas* eximia erga Deum. Dan. I. 8. *Animus* sortem sive prosperam sive adversam æque ferens. Dan. V. 17. *Fidesque* in *Regem* intemerata. Dan. VI. 4. in gentem suam constans. Dan. IX.

XVII. In

XVII. In vitæ genere notandum *I.* τὸ οἰκονομικόν. Ubi [quæ]ritur, an cœlebs fuerit, an conjugatus. Quod *Cornelius à* [La]*pide*, Jesuita, fidenter determinat: *Illibatam virginitatem*, inquit, [ad] *mortem usque servavit, uti* omnes *fatentur.* Veterum plurimi [it]a censuerunt. Nec abludunt Judæi, qui tradunt fuisse illum [fac]to *Spadonem*: ex Jes. xxxix. 7. collat. cum Dan. i. 6. Sed [hi]c certe fugit eos ratio. Nam סריס non semper *exsectum* notat, [sed], quia tales præcipuis sæpe admovebantur dignitatibus, quem-[vis] et virum *primatem* & *aulicum*. Vid. Gen. xxxvii. vers. ult. ubi [Po]tiphar dicitur סריס, quem tamen uxori, eique satis petulanti, [m]aritum fuisse constat. Unde *Targum* merito vertit רבנא *magna-*[te]m, LXX aliquando δυνάστην. Et sane Hebræum סריס, Chaldæum [רב]ן, Syrum מהימנא, Græcum Εὐνοῦχος, ejusdem significationis [sun]t. Probabile itaque est, Danielem non ratione mutilati cor-[por]is, sed officii secretioris, hoc nomine vocatum, & revera [co]njugatum fuisse. Nam Ezech. xiv. 14. Noacho & Jobo, tam [tu]m intercessionis, quam sobolis respectu, jungitur. *II.* τὸ πο-[λιτ]ικόν. Summæ post Regem dignitatis fuit sub *Nebucadnetzare*, [Da]n. ii. 48. 49. qua tamen destitutus fuisse videtur sub *Balthasa-*[re]. Dan. v. 11. 16. Sed restitutus ab eodem, maximoque in ho-[no]re habitus a *Dario Medo*. Dan. vi. & *Cyro Persa*. ibid. vers. ult. [III.] τὸ ἐκκλησιαστικόν. Ubi considerandum, quem locum oc-[cu]paverit in conventu sacro populi Dei.

XVII. *Vitæ genus.*

XVIII. Quærendum hic venit, an *Prophetis* adnumerandus sit [Da]niel, an, quod Judæi malunt, *Hagiographis*. Distinguere [eni]m solent Hebræi inter נבואה, *Prophetiam*, & רוח הקדש, *Spi-*[ritu]m *Sanctum*. *Spiritum Sanctum* ei attribuunt, qui integra om-[niu]m sensuum suorum functione, instar alterius hominis loqui-[tu]r, sic tamen ut excitetur a Spiritu Dei, illuminante mentem, [&] suggerente verba veritatis, confessionis & laudis. *Prophetiam* [ve]ro vocant, quando homini sive vigilanti, sive dormienti, [sen]suum usus aufertur, ut abreptus vel videat visiones, vel au-[dia]t vocem sibi loquentem. Hac distinctione supposita, Danie-[lis] scripta expungunt albo *prophetiarum*, rediguntque in ordinem [ה]כתובים, sive *Hagiographorum*, quibus pretium statuunt aliquan-[to] minus.

XVIII. *An Prophetis accensendus.*

Adde Præf. §. XIV.

XIX. Pugnant autem his rationibus. I. Quod etsi Angelus [se] videndum dederit, eumque rerum futurarum notitia im-[bue]rit, per somnium id factum sit, neque Angelum in sese de-[sc]enderit; quod ad veram prophetiam requiritur. II. Quod

XIX. *Rationes negantium.*

fue-

fuerit Eunuchus. Talibus autem interdixit Dominus, ne *in cœtum suum veniant.* Deut. XXIII. I. Tantum abest ut Prophetico fungi queant munere. III. Quod vixerit, non more Prophetarum, sed Magnatum. IV. Quod non liqueat eum publice in Ecclesia prædicasse. Hæc quidem Hebræi.

XX. Ajentium. XX. Multa tamen sunt, quæ nos credere jubent, Danielem non prophetam solum, sed & inter prophetas eximium fuisse. Nam I. Jesus, Prophetarum omnium Princeps ac Dominus, expresse eum PROPHETÆ elogio decorat. Matth. XXIV. 15. II. Omnia prophetiæ requisita ei adsunt, & modo quidem præstantissimo: sive res spectemus, quas prædixit, quæ & in se magnæ & bonæ fuerunt, & quarum cognitio generi humano, & imprimis populo Dei, est utilissima: sive circumstantias rerum, cum omni sua exactitudine ipsi patefactas: sive revelationis modum, in quo & Majestas Dei, & familiaritas cum sacro vate clarissime elucent; accedente ænigmatum & symbolorum ipsi repræsentatorum dilucida per Angelum explicatione. III. Quum repræsentatio Messiæ, & regni ipsius, cum iis quæ huc pertinent, anima Prophetiæ sit; vix quisquam ex prophetis invenitur, qui plura de eo, & luculentiora, & determinatius disseruerit. Adeo ut quo propius a diebus Messiæ abfuit, eo illos conspectius & cognoverit, & annunciaverit. IV. Suffragantur Judæi ipsi, ubi ad se redierunt. *Josephus Antiq. Lib.* X. *Cap. ult.* non solum appellat Ἕνα τῶν μεγίστων προφητῶν, *maximorum prophetarum unum*, sed & aliis ipsum anteponit. Ου γὰρ, inquit, τὰ μέλλοντα μόνον προφητεύων διετέλει, καθάπερ καὶ οἱ ἄλλοι προφῆται, ἀλλὰ καὶ καιρὸν ὥριζεν εἰς ὃν ταῦτα ἀποβήσεται, καὶ τῶν προφητῶν τὰ χείρω προλεγόντων, καὶ διὰ τούτων δυσχεραινομένων ὑπὸ τῶν βασιλέων καὶ τοῦ πλήθους, Δανιῆλος ἀγαθῶν ἐγίνετο προφήτης αὐτοῖς. *Non enim futura solum prædicere solebat, ita ut alii prophetæ, sed & tempus quo hæc eventura erant, determinabat. Quumque alii prophetæ mala prænunciarent, proptereaque regum & vulgi odia in se concitarent, bonorum prænuncius his erat Daniel. Jacchiades* etiam, cujus in Danielem commentarium cum Observationibus suis edidit *Constantinus l'Empereur*, in Capitis primi comma decimum septimum scribit הגיע לקצה גבול נבואה, *summum terminum prophetiæ assecutus est.*

XXI. His probatis, illa refutantur. XXI. Quæ in contrarium proferuntur rationes, exigui admodum, aut nullius etiam momenti sunt. Primo enim illud generatim verum non est, quod Prophetæ omnes quando fatidicum nu-

numinis influxum patiebantur, semper exsternationi & alienationi sensuum obnoxii fuerint. Nullo scripturarum testimonio, nulla exemplorum inductione, probari potest, vehementem ejusmodi raptum omnibus communem fuisse prophetis, cujus in plerisque nulla exstant argumenta. Cæterum etiamsi hæc res certissima foret, mirum est inveniri interpretes tam væcordes, qui eo telo adversus Danielem pugnent; quem constat visionum magnificentia ita quandoque fuisse consternatum, ut decor ipsius mutatione in ipso fuerit corruptus, & viribus defetiscentibus mortuo similis jacuerit. Dan. VIII. 28. VIII. 17. & 27. X. 8. At ipsum nunc audiamus *Maimonidem*; qui visionem Propheticam explicaturus in hæc verba loquitur: *Est terror quidam Panicus qui occupat prophetam inter vigilandum; sicut ex Daniele patet; quando ait:* Et vidi visionem hanc neque remansit in me ulla fortitudo, & vis mea mutata est in corruptionem, neque retinui fortitudinem ullam. *Item*, & fui lethargo oppressus super faciem meam, & facies mea ad terram. *Sermo enim Angeli, quo ipsum allocutus est, & illius erectio, facta utique fuerunt in visione prophetia. In tali autem negotio sensus omnes à suis functionibus quiescunt, & venit influentia illa super facultatem rationalem, ac ab ista diffunditur in facultatem imaginatricem, hocque pacto opus suum perficit atque absolvit.* Hactenus Maimonides. Si vero visionis propheticæ efficacia non alio melius exemplo declarari potest, quam illo Danielis, quid Danieli hac in parte deest ob quam rem cæteris prophetis inferior censeatur?

Mor. Nevoch. Part. II. Cap. XLI.

XXII. Deinde illud quoque vanum est, quod non viderit Angelum sese erudientem, nisi in insomnio. Nam neque ex vero istud affirmatur, vidit enim audivitque Angelum vigilans & orans. Dan. IX. 21. neque si verum esset, prophetiæ decus ipsi adimeret. Sic enim de propheta dixit Deus. Num. XII. 6. *In visione me notum faciam ei, in somnio loquar cum eo.*

XXIII. Non fuisse Danielem exsectum, saltem id ex voce סריס probari non posse supra a nobis disputatum est. Et quid si fuisset? Vitium corpori per vim illatum non ponit limites Divinæ gratiæ. Cujus hæc exstat insignis promissio Jes. LVI. 3. 4. 5. *Ne dicat Eunuchus, en ego sum lignum aridum. Nam ita ait Jehova de eunuchis, qui observaverint sabbata mea, & elegerint id quo delector, apprehenderintque fœdus meum; etiam daturus sum eis in domo mea & intra muros meos spatium & nomen, melius quam filiorum aut filiarum.* Interdictum quidem exsectis est Deut. XXIII. 1. פצוע

 בכוף

בקהל יהוה *venire in cœtum Domini.* At notum eſt, plerosque Hebræorum, adſtipulantibus etiam eruditiſſimis Chriſtianorum, eam phraſin ita exponere, ut denotet jus ducendi Iſraelitidem. Quam explicationem ſi ſequamur, nihil eſt in iſthac lege, quod inſtituto noſtro obſit.

XXIV. Porro prophetiæ gratia non tollit dignitatem politicam: neque ſemper exigit *τὸ σκληροδίαιτον.* Eundem hominem & amicitia principum florere, & ſimul vatem agere, nulla res vetat. Male cum vatibus ageretur, ſi nominis hujus honorem nemo ferret, niſi qui cum baculo & pera ambularet; quaſi illuvies ſapientiam gigneret, & bonam mentem. Moſes, qui Prophetarum princeps, idem etiam ſupremus Iſraelitarum Dynaſta fuit. Pontifici quoque Hebræorum, cujus poſt principem ſumma erat in republica dignitas, prophetiæ aliquando donum obtigit. Denique frequens eſt magiſtrorum dicterium, שאין הנבואה שורה אלא על אדם עשיר *non quieſcere prophetiam, niſi ſuper divitem.*

XXV. Quod de publico Eccleſiæ miniſterio loquuntur, id ita tenendum eſt; diſtingui debere, quod ſupra quoque monuimus, *donum prophetiæ* a *munere prophetico.* Fieri poteſt ut illo Deus aliquem dignetur quem non vocat ad hoc. Tum porro, non conſtat nobis quid Daniel in cœtibus populi Dei dixerit, aut non dixerit. Uti nihil ea de re adfirmandum, ita nec præfracte quidquam negandum habemus. Certe Eccleſiam docuit, & etiamnum docet Divinis ſuis ſcriptis. Atque hæc ad vindicias Danielis, uti inſignis Prophetæ, adverſus Judæorum cavillationes, dicenda nunc nobis fuerunt.

XXVI. *Danielis mors & ſepultura.*

XXVI. MORTEM & SEPULTURAM ſcriptura tacet. Grandævum fuiſſe ſatis patet, quippe qui quinque Monarchis potentiſſimis in eodem imperio ſuccedentibus charus fuerit: Nebucadnetzari, Evilmerodacho, Baltaſari, Dario Medo, & Cyro. *Pererius* ipſi attribuit annos CXXXVIII. Iſidorus cx. qui minimum, LXXXI. *Epiphanius* & *Dorotheus*, tradunt Babylone in pace obdormiviſſe, & in ſpelunca regia magnifice tumulatum eſſe, illiuſque ſepulcrum ad eum uſque diem omnibus Babylone notiſſimum fuiſſe. Cæterum libri illi de vitis Prophetarum *ψευδεπίγραφοι* ſunt, falſoque Auctoribus iſtis adſcripti: quod & antea ſubindicavimus. Scimus nos in Suſiana ad Tigridem fuiſſe Danielem, anno tertio Cyri. Dan. x. 1. 4. Tunc autem valde ſenex erat. Regreſſum dein Babylonem, ibique diem ſuum clauſiſſe, nemo

nemo quod ſciam ex veteribus tradidit. Vero propius eſt illic obiiſſe, ubi ſenectutem egit.

XXVII. Conſentit hactenus *Benjaminis* narratio p. 86. qui Danielis ſepulcrum Suſanæ ad Tigridem locat, remque de eo miram magis quam veram tradit. Nimirum ab ea parte Tigridis cui tanti vatis ſepulcrum adjacet divitias eſſe, rerumque omnium adfluentiam; ab altera autem parte, paupertatis regnum. Hinc natam inter accolas invidiam ortaſque lites; donec tandem inter defeſſos hac conditione tranſactum fuit: ut Danielis loculus alternatim locum mutaret, & hoc anno ab hac fluminis parte, altero ab altera eſſet. Promiſſis ergo pactiſque conventis utrimque ſteterunt; donec eo veniſſet Senigar Saas magnus Perſarum Imperator, qui indignum ratus loculum Prophetæ ita de loco in locum volutari, juſſit Judæos atque Iſmaelitas ſpatium utrimque æquale dimetiri, & Danielis loculum vitreo conditorio imponere, catenis ferreis e medio ponte ſuſpendendo. Ubi ad ſuam uſque ætatem pependiſſe teſtatur. De loco ſepulcri conſentit *Abulfeda*, Arabs ἀνέκδοτος apud Schickardum, in *notis ad Diſſertationem de feſto Purim. Suſan*, inquit, *eſt urbs antiquiſſima in Chuſiſtan, ubi eſt ſepulcrum Danielis Prophetæ.* XXVII. *De hac fabula Benjaminis.*

XXVIII. Fabellæ autem Benjaminis ſubſcribit *R. Pecachias*, cujus hæc verba idem *Schickardus* exhibet, ex *Itiner.* Cap. IX. *Oſtenderunt mihi urnam Danielis. Initio erat in latere altero (trans flumen) ubi omnis copia, proſperitas atque benedictio. Dicebant itaque cis flumen incolentes, quia Sanctus ille nobiſcum non eſt ſepultus, ideo terra noſtra caret benedictione. Inde orta ſunt bella continua inter eos, ut mox illi victores, mox hi, ad ſeſe raperent urnam: donec tandem ſenes litem componerent, ſtatutis fulcris ferreis in medio flumine, & urna catenis inde ſuſpenſa, quæ tota eſt ænea, ex alvi medio eminens ulnis X ſuper aquas, ut cernatur procul inſtar vitri pulcri. Narrant Judæi accolæ, ſi navis feratur ſub ea, & probos vehat, tranſire indemnes: ſin minus, mergi aquis. Itaque ſubter navigare metuunt.* XXVIII. *Ac Pecachia.*

XXIX. Atque hæc quidem de *perſona* Danielis dicta nobis ſunto. Nunc ad SCRIPTA ipſius tranſeamus. In quibus hæc quatuor notari merentur. I. DIVINA ILLORUM AUCTORITAS. II. ANTIQUITAS. III. SERMO AUTHENTICUS. IV. MATERIA. XXIX. *In ſcriptis Danielis conſideranda.*

XXX. AUCTORITAS DIVINA irrefutabile argumentum habet in vaticiniorum, quoad res, modos, tempus, perſonas, cæteraque quæ huc pertinent, incredibili exactitudine. Palam enim eſt a nemine iſta, niſi Deo monente, cognoſci poſſe. Non ea ſcientia XXX. I. *Auctoritas.*

tia, ſtudiis, arte aut præceptis conſtat. Quidquid ita ſcitur, ex numinis inſtinctu eſt. Bene hactenus Chaldæorum ſapientes Regi dixerunt; *non eſſe in cujuſquam mortalium facultate ſitum, ut hæc talia indicet, à ſolis ea diis cognoſci, quorum habitatio in carne non eſt.* Dan. II. 10. II. Quod & ipſe confeſſus eſt Nebucadnetzar, com. 47. *Ex vero*, inquiens, *Deus veſter eſt Deus Deorum, & Dominus Regum, & revelans arcana; quum potueris revelare arcanum hoc.* Et ſane quæ toto libro de Daniele narrantur, quid niſi cœli commercia ſunt? Sæpe inter Angelos ſe eſſe cernit, loquitur cum iis, populorum fata diſcit. Ad ſummam vere illi contigit, tranſſilire mortalitatem ſuam, non diſſimulantibus, qui eo familiarius utebantur, rerum Dominis. Dan. V. 11. 12. 14.

XXXI. II. *Antiquitas.* XXXI. ANTIQUITATIS indicium eſt, quod ab ipſo Daniele conſcripta eſſe ſua vaticinia, clariſſime doceatur Cap. VII. 1. 2. *Tum ſomnium ſcripſit, ſummam verborum. Prolocutus Daniel dixit: Videbam in viſione mea per noctem &c.* Iterumque Cap. XII. 4. *Tu Daniel occlude hæc verba, & obſigna hunc Librum ad tempus determinatum uſque: percurrent multi & augebitur ſcientia.* Unde conficitur, non ſolum prophetias aliquas ſparſim a Daniele conſcriptas eſſe; ſed & eas in librum eſſe collectas, & librum quidem perennaturum, ac labentibus ſeculis, ad augmentum ſcientiæ, a multis percurrendum.

XXXII. *Fruſtra impetita a Talmudiſtis.* XXXII. Nugas ergo agunt *Talmudiſtæ* in *Gemara Bava Batra Cap.* I. ubi Danielis volumen a Viris Synagogæ Magnæ elaboratum eſſe ſciſcunt, quod fas non fuerit prophetias literis tradere extra terram ſanctam. Multo verius *Joſephus Antiq. Lib.* X. *Cap.* XII. τὰ βίβλια ὅσα δὴ συγγραψάμενος καταλέλοιπεν Δανιῆλος ἀναγινώσκεται παρ' ἡμῖν ἔτι καὶ νῦν. *Libri quos conſcriptos reliquit Daniel, etiam nunc apud nos leguntur, qui nobis certam fidem faciunt, quod Deus colloquia cum ipſo miſcuerit.* Ratio autem quam pro ſe Talmudiſtæ adferunt, palam ſcripturæ adverſa eſt, expreſſe teſtanti vaticinia quædam in Chaldæa conſcripta eſſe, non Danielis ſolum, quod modo oſtendi, ſed & Ezechielis. Vide Ezech. I. I. Quæ ab ipſo ſcripta eſſe ex eo patet, quod αὐτοπροσώπως loquatur. Sed & ſanæ rationi prætextus ille repugnat. Si enim Deus neque ſe neque oraculis ſuis indignum exiſtimet, ea cum vatibus extra terram ſanctam communicare: ſi prophetæ eadem ibidem viva voce populo explicuerint, cur nefas eſt id facere ſcripto?

XXXIII. *Porphyrio.* XXXIII. Rancorem quoque ſuum, atque odium Divinarum literarum oſtendit *Porphyrius*, qui librum hunc Antiochi Epiphanis

nis ævo in Judæa fuisse compositum blasphemat, ab auctore nescio quo, falso sibi Danielis nomen vindicante, qui res ad id tempus gestas, sic tanquam futuras prædixerit. Ea autem quæ vere futura erant flexiloquis & falsis vaticiniis prænunciaverit. Sed refellendo ei sufficit *Josephus Lib.* XI. *Cap.* XVIII. Ubi Danielis Prophetias a Jaddo Pontifice Alexandro monstratas refert.

XXXIV. Sed & sapientiæ prætextu insanit *Philosophus Theologo-Politicus*, qui librum Danielis prodiisse demum censet dudum post instauratum a Juda Maccabæo templi cultum. Nulla probabili ratione, nisi quod ita sibi videatur. Admodum intricate agit. Postrema quinque capita sine dubio Danielis esse fatetur. Priora suspicatur ex Chronologicis Chaldæorum libris esse desumta. Subjungit, libro Danielis Ezræ librum adnecti, huic illum Estheræ, unde concludit, omnes illos ejusdem esse Auctoris, quibus pro mantissa addit illum Nehemiæ. Quæ audaces, profanæ, atque insubidæ hariolationes sunt. XXXIV. *Et Spinosa.*

XXXV. III. Sermo Authenticus *Hebræus* est in cap. I. & tribus versiculis secundi. Inde usque ad finem cap. VII. *Chaldæus.* Postea rursus *Hebræus.* Additamenta de *Susanna*, *Bele*, *Dracone*, *hymno trium puerorum*, non nisi *Græce* exstant. Quæ caussa hujus diversitatis? Dicunt multi consulto id factum, ut sex Chaldaicis capitibus haberent Chaldæi quæ regibus suis evenissent, sequentibus quinque docerentur Hebræi futura post excisum Babylonicum imperium mysteria. At totum volumen non Chaldæis, sed Ecclesiæ scriptum est. Septimi capitis pars minima de Chaldæis agit, ea exponens quæ orbi terrarum atque Ecclesiæ usque ad novissima tempora eventura sunt. Et tamen Chaldæo conscriptum idiomate est. XXXV. III. *Sermo Authenticus.*

XXXVI. Cornicum oculos se fixisse *Huetius* opinatur, dum conjectat, *Librum totum Chaldaice primum in Chaldæa fuisse exaratum; deinde Hebraice versum a Judæis reducibus, in gratiam & utilitatem suæ gentis, idque publica auctoritate: demum etiam Græce, ab Auctore priscæ interpretationis, ab Aquila, Theodotione, Symmacho, aliis. Inde contigit*, inquit, *ut male multatis & detruncatis exemplaribus (quod fieri facile potuit in gente tot ruinis, exiliis, incendiis vastata,) librarii quum ad recomponendum opus accederent quæ in Hebraico exemplari deerant, ex Chaldaico supplere cogerentur: unde ambiguus ille fœtus exortus est. Additamentis autem de Susanna &c. quod lectu jucunda, & ad vulgi captum essent accommodata, contigisse putat ut valde celebrarentur inter Hellenistas, & Alexandrinos potissimum, quorum ingenium* XXXVI. *Huetii hariolationes.*

genium istiusmodi deliciis & auditionibus valde delectabatur. Inde ergo prodeunte maxima Græcorum copia, primigenia ipsa archetypa, ut fieri assolet, neglecta jacuerunt, ac tandem penitus interciderunt: vel, ut acute conjicit Origenes, à Judæis ipsis dedita opera suppressa sunt, ut majorum suorum infamiam abolerent.

XXXVII. *Refutata.*

XXXVII. Fabulæ: quarum temeraria conjectatione multum Divinæ Sacrorum librorum auctoritati deteritur. Nos majori eos prosequimur reverentia, quam ut in eorum conservatione tantum sive industriæ sive socordiæ humanæ intervenisse ausimus hariolari. Et sane caussa dici non potest, cur illius quod vult supplementi auctores, ex Chaldæo in suum idioma id minus transtulerint quam cætera translata videbant. Quanto satius est in. Providentiæ Divinæ abditis sæpe nobis rationibus placide acquiescere, quam audacibus conjecturis arcana numinis consilia temerare? Velim scire, I. Quis ex antiquis aliquod conjecturæ huic substernat fundamentum. II. Quid impulerit Judæos Chaldæum Danielis volumen in Hebræum vertere, magis quam ea quæ apud Ezram exstant, quum Chaldæa lingua æque vel magis etiam tunc iis nota fuerit quam Hebræa, & ad vulgi intellectum Chaldaicas Paraphrases concinnarint. III. Quid impediverit reconcinnatores fragmenta Chaldaica eadem lingua dare qua cætera. IV. Cur minus Susannæ &c. Historia Hebraizantibus quam Hellenistis placuerit, ut non illi quoque sua eam lingua servarent. V. Cur hanc pessimorum senum infamiam eximere Divinis scriptis maluerint, quam Patriarcharum opprobria, totiusque gentis in deserto crimina; & tot sæva prophetarum adversus ipsos jurgia? Præsertim quum Danielis prudentia & justitia ea defloccatorum senum improbitate magis commendetur.

XXXVIII. IV. *Materia Libri Danielis.*

XXXVIII. MATERIA sive argumentum libri, partim *Historicum* est, comprehensum sex primis Capitibus: partim *Propheticum*, contentum totidem Capitibus postremis. *Pars Historica* non eo solum pertinet, ut narret mirabilia Dei opera per maximos Reges, vel circa eos patrata, quorum cognitio & meditatio Ecclesiæ omnis ævi utilissima est; sed præcipue eo est destinata, ut prophetiis Danielis fidem adstruat. Nihil enim hic fere contingit, ubi non Daniel aut socii ipsius intersint, semper uti exempla virtutum & intemeratæ pietatis. Imo vix quidquam est, ubi non vis Prophetica Danielis, & familiaritas ipsius cum Deo stupendis se prodant indiciis: sive insomnia memoranda & exponenda, sive arcana revelanda sint; sive denique prodigiis

giis sine exemplo concilianda Prophetæ auctoritas. Dum autem Prophetæ auctoritatem conciliavit, suam maxime adseruit Deus; primo quidem apud populum suum Israeliticum, deinde & apud Chaldæos, Medos ac Persas, quos sui in res omnes dominii, & supra cunctos qui dii dicebantur eminentiæ, luculentissimis argumentis convicit: quamvis ad veram conversionem, beatamque sui communionem efficaciter non pellexerit. *Pars Prophetica* exponit fata quatuor magnorum in mundo imperiorum, quibus implicitæ fuerunt res populi Israelitici: & cum maxime eo comparata est, ut doceat regnum Christi: cujus describit initium, progressum, certamina atque angustias, terminandas lætissima liberatione, & beata suscitatione mortuorum ad vitam æternam.

XXXIX. Historia *Susannæ*, *Beli*, *Draconis*, ψευδεπίγραφος, & Apocrypha est: ab Hebræis & veterrimis Christianorum non agnita. *Hieronymus* eas narrationes obelo prænotavit: ac testatur *Origenem*, & *Eusebium*, & *Apollinarem*, pro iis *Porphyrio* respondere noluisse, quæ nullam Scripturæ Sacræ auctoritatem habeant. Imo multa in iis inveniuntur, quæ aperte falsa, & indubie Divinis adversa fronte repugnantia sunt. At non est otii vel negotii mei hic transcribere, quæ a Theologis nostris, quando de Libris Apocryphis disputant, prolixe observata, & solide vindicata sunt. XXXIX. *Scripta* ψευδεπίγραφα.

XL. Id mirari subit, tam frigide hac in parte Ecclesiæ suæ caussam egisse Doctissimum *Huetium*, ut multo prudentius silentio ea transmissurus fuisse videri queat, quæ tractando nitescere posse merito desperavit. Duo tantum lectorem monet, *quæ his reliquiis auctoritatem aliquam conciliare possint: multos primum in iis Hebraismos occurrere, quos si quis oculis æquis perspexerit, Hebraice primum fuisse conceptas fatebitur: deinde Judæos historiæ Susannæ veritati non refragari: sed Libri tantum hujus, quo ea continentur, auctoritatem oppugnare, unico hoc argumento, quod Hebrais literis consignatus non esset; cujus rei probabilem hanc dari caussam ab Origene, quæcunque progenitorum suorum corruptelas & impuritates monumenta continerent, summo à recentioribus Judæorum Magistris studio erasa fuisse & obliterata.* XL. *Ab Huetio defensa.*

XLI. Tuam fidem! literatissime *Hueti*, haccine tu ratione dilui posse censuisti, quæ a nostris adversus hæc additamenta objecta esse non ignoras? Hæccine ad auctoritatem huic Libro conciliandam ipse tu, qua es judicii soliditate, existimas? He- XLI. *At valde frigide.*

braismi, inquis, hic occurrunt aliquot. Esto, quid tum? Ergone agnoscenda Divina aliqua hujus libri auctoritas? Ne ipse quidem tu ita nos jubeas colligere. At saltem, ais, idcirco fatebitur æquus lector, Hebraice primum conceptas has narrationes esse. Fateatur: quid exinde lucri captas? Nonne & recentiores Hebræi sua lingua ineptierunt? Nonne Hebraica quoque cudi potuerunt ψευδεπίγραφα? At non suadet æquitas, id fateri, quod tu vis ut fateamur. Quid ni ab Hellenista aliquo primum concipi hæc historiola potuerit, sermone Græco, sed qui aliquantum multum de Hebræo traheret? Nullus in Novo Testamento liber exstat, qui non scateat Hebraismis. Idcircone fatendum est, eos omnes Hebraice primum esse conceptos? Ubi tua mens fuit, Doctissime *Hueti*, quando hac via argutari animo collubitum est tuo? An non rediisti in illius rei memoriam, quam omnes fere nostri adversus narrationum harum auctoritatem objecerunt, & quam *Hieronymus* suo jam sibi tempore ab Hebræorum Magistrorum aliquo objectam memorat: nimirum eos in iis exstare Græcanicæ elegantiæ tropos, quibus nulla unquam Hebræa respondere queant, & quæ arguant non aliunde versas, sed Græca primum lingua conceptas esse? Nosti paranomasiam ductam ἀπὸ τῦ σχίνυ καὶ ἀπὸ τῦ πρίνυ. Sed an nosti Hebræa arborum nomina, quæ tale quid admittant? Quis non potius existimet a Græculo aliquo suaviludio hæc esse, quam ex Hebræo petita?

XLII. Quod addit *Huetius*, Judæos historiæ Susannæ veritati non refragari, nescio an satis probare possit. *Hieronymus præf. in Danielem* se contrarium expertum esse testatur. *Audivi ego quendam de præceptoribus Judæorum, quum Susannæ deridevet historiam: & a Græco, nescio quo, eam diceret esse confictam.* Eandem etiamnum genti suæ mentem sedere, docet auctor *Zemach David. Lib. II. Num.* CCCXXX. *Historia Susannæ, filiæ Chilkiæ, prout consignata est in libro Susannæ, ab illis*, Christianis scilicet, *per traditionem recepta est; à nobis vero non.* Quam autem jactat caussam *Huetius* obliteratæ editionis Hebraicæ, eam nulli omnino rei esse, supra demonstravimus.

CAP.

CAP. XX.

De Prophetis post Captivitatem Babylonicam.

I. Daniel non videtur Judææ post captivitatem præfuisse. II. *Haggæus non cælestis genius, sed homo fuit.* III. *Zacharias filius Barachiæ, an ille de quo* Jes. VIII. 2.? IV. *Agit Jesaias de testibus editæ à se Prophetiæ.* V. *Vel testaturis ita prædicta esse omnia, uti prædicta erant.* VI. *Et tunc per Uriam & Zachariam, intelligendi sunt homines Jesaiæ coævi.* VII. *Quod sua non caret difficultate.* VIII. *Vel confirmaturis Jesaiæ prophetiam prophetia simili.* IX. *Hi videntur esse Urias filius Semajæ, & Zacharias Propheta.* X. *Quippe qui eadem cum Jesaia vaticinati sunt.* XI. *Idque insigni fide ac constantia.* XII. *Adstipulantibus Talmudicis.* XIII. *Et Paraphrastæ.* XIV. *Zacharias quem Christus laudat* Matth. XXIII. 35. *an propheta noster?* XV. *An Filius Jojadæ?* XVI. *An alius à zelotis occisus paullo ante novissimam obsidionem?* XVII. *Non admodum liquet.* XVIII. *Haggæus & Zacharias prophetarunt sub Dario: an Hystaspi, an Notho?* XIX. *Id ut terminetur, tenenda est series regum Persiæ.* XX. *Ea è Scriptura deducta secundum Coccejum.* XXI. *Alia secundum Burmannum.* XXII. *Rationes eorum qui Darium Nothum intelligunt.* XXIII. *Eorum qui pro Hystaspi pugnant.* XXIV. *Quid opponi possit prioribus.* XXV. XXVI. *Quid posterioribus.* XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. *Quid ad has rursus exceptiones respondeatur.* XXXI. *Res est obscura.* XXXII. *Tam Haggæus quam Zacharias præclara de Messia oracula fuderunt.* XXXIII. *Malachias Prophetarum ultimus.* XXXIV. *Si Munus Propheticum spectemus, non si gratiam Prophetiæ.* XXXV. *Quæ Jaddo contigisse fertur.* XXXVI. *Et Judæ Maccabæo.* XXXVII. *Et Menahemo.* XXXVIII. *E Galilæa quoque prodierunt Prophetæ.*

SOluta captivitate Babylonica, & Judæis patriæ redditis, tres a Deo Prophetæ dati sunt, HAGGÆUS, ZACHARIAS, MALACHIAS. DANIELEM quoque tum superstitem fuisse constat; sed quod Hebræorum aliqui tradunt, eum in Judæam rediisse, ut partem faceret Synagogæ Magnæ, a qua tunc populus gubernabatur, sublestæ fidei est: neque admodum cum historia consentit, quæ nusquam Danielis in Judæa mentionem facit; quum tamen in regimine populi tantæ experien-

I. Daniel non videtur Judææ post captivitatem præfuisse.

tiæ, prudentiæ, auctoritatisque vir indictus manere non potuisse videatur. Verius est, eum gratia & potentia apud Darium Medum, & Cyrum ac successores ejus floruisse, ac res Israelitarum peregre apud istos mundi dominos procurasse.

II. Haggæus non cælestis genius, sed homo fuit.

II. HAGGÆUM non hominem fuisse, sed Angelum humana specie indutum, cœlitusque missum ut homines ad officia sua & pietatis studium excitaret, nonnullos olim credidisse, auctor est *Hieronymus*: ea inductos ratione, quod Cap. I. 13. dicatur מלאך יהוה במלאכות יהוה *Angelus Domini in legatione Domini*. At nihil tam esse stultum quod non ab aliquo dictum sit sapiente, antiqua querela est. Quis sacrarum literarum vel mediocriter peritus ignorat, Angeli nomen non tam naturæ quam officii esse; & uti aliquando cœlestes notat genios, quibus ad ministeria sua summum numen utitur, ita alibi hominibus designandis adhiberi quibus docendi provinciam imposuit? Disertissimus locus exstat Mal. II. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & lex ex ore ipsius requiretur; nam* ANGELUS JEHOVÆ EXERCITUUM EST. Et sane Haggæus *Propheta* vocatur, quod non cœlestium geniorum, sed hominum elogium est; & Zachariæ, uti ejusdem generis atque ordinis, jungitur. Ezr. VI. 14.

III. Zacharias filius Barachiæ, an ille de quo Jes. VIII. 2.

III. ZACHARIAS filius fuit *Barachiæ*, filii *Iddonis*. Zach. I. 1. An illius *Iddonis*, qui Rehabeami ætate vixit, ejusque res gestas scriptis consignavit? 2 Chron. XII. 15. Non videtur id pati temporum ratio. Nam inter Rehabeamum & Darium, sub quo prophetavit Zacharias, intercedunt anni ad minimum CCXL. Unde consequitur, Iddonem Zachariæ avum, vel alium fuisse ab isto, vel Zachariam ab isthoc Iddone non nisi intercedentibus aliquot generationibus descendisse. Quum autem *Barachiæ* filius fuisse dicatur, quæsitum ab Interpretibus est, an idem sit de quo Jesaias Cap. VIII. 2. *Adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, &* ZACHARIAM FILIUM JEBERECHIÆ. Item, an idem sit cum eo de quo Dominus noster Matth. XXIII. 35. *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, effusus super terram, à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem* ZACHARIÆ, FILII BARACHIÆ, *quem occidistis inter templum & altare.* Dignæ quæstiones, quæ cum cura tractentur.

IV. Agit Jesaias de testibus editæ a se prophetiæ.

IV. Ac primam quod attinet, expendendum ante omnia, *cujus rei* testes adhibuerit Jesaias. Ubi seorsim abeunt eruditi. Nonnulli intelligunt testes consummati per Prophetam *matrimonii*, ad

ad quod decem quidem requirebantur ordinario; sed hîc duo adhibiti, notissimi ac fide dignissimi. Alii de testibus *partus* cogitant; ne quis calumniari posset editam esse fœminam, eique clam suppositum marem. Aliqui etiam de testibus *nominis*, filio Prophetæ in circumcisione dati, qui quasi compatres fuerint. Verum omnia hæc dilutiora esse videntur. Melius illi, qui de testibus *edita à se prophetiæ* Prophetam agere existimant.

V. Quod iterum dupliciter intelligi potest: vel ut testes sibi consciscceret, testificaturos ita omnia prædicta esse uti prædicebantur; vel ut aliquos nominatim laudaret, eodem quo ipse agebatur numinis instinctu eandem rem prædicturos. Priorem accurate & dilucide exposuit gravissimus Theologus *Zacharias Ursinus*. *Quum in præsentia non inveniret fidem Propheta apud populum, rejiciebat dijudicationem litis inter se & populum infidelem, ad impletionem vaticinii, utpote quæ demonstratura erat, si sequeretur tempore prædicto, Jesaiam vera & à Deo profecta oracula edidisse, & contra, si non responderet eventus prædictioni, fuisse vanum & impostorem. Ne autem, si fierent prædicta, populus eludere posset oracula, quasi vel non essent edita, vel non sic essent edita sicut res evenissent, vel non certa Dei patefactione, sed casu essent hæc prædicta: neve Jesaias, si non fierent quæ prædicebat, posset subterfugere crimen imposturæ & pseudoprophetiæ, negando se hæc prædixisse; ideo testes adhibet, quorum auctoritas apud populum erat exceptione major: qui si non evenirent prædicta, testarentur contra Jesaiam quod prædixisset falsa: sin autem evenirent, testarentur pro Jesaia, contra Achazum & populum, quod Jesaias hæc ita, ut evenissent, nomine Jehovæ, certo & constanter, etiam quovis suo periculo, prædixisset, ac proinde ipsius oracula vera atque Divina, Achazi autem & populi manifestam impietatem atque blasphemiam esse, qui verbum Dei, ore Jesaia prolatum, contempsissent, & mendacii arguissent.* Similia habet *Musculus*, neque abludit *Calvinus*.

V. Vel testaturis ita prædicta esse omnia, uti prædicta erant.

VI. Quicunque autem ita instituunt, eos necesse est per laudatos hic testes intelligere viros quosdam honoratos magnæque apud populum existimationis, una cum Jesaia Hierosolymis tunc viventes. Uriam igitur *Sacerdotem*, eum esse existimant qui tempore Achazi Pontificatu functus est, & idololatriæ ejus minister fuit, construens ejus jussu altare Damascenum in templo Hierosolymitano. 2 Reg. xvi. 10. Hunc *testem fidum* vocari contendunt, non ratione suarum quibus præditus erat virtutum, sed ratione auctoritatis qua pollebat apud populum, ob officii dignitatem. Addit *Ursinus*: *videtur & ideo hunc Uriam adhibuisse, ut*

VI. Et tunc per Uriam & Zachariam intelligendi sunt homines Jesaiæ coævi.

ut qui & ipse existens contemtor oraculorum propheticorum, paullo post cogeretur volens nolens illorum veritati perhibere testimonium. ZACHARIAM autem *filium Jeberechiæ*, putant fuisse *socerum Achazi*, *avum maternum Hizkiæ*, cujus mentio est 2 Reg. XVIII. 2. & 2 Chron. XXIX. 1. Atque in hanc sententiam concedere deprehendo plerosque interpretum.

VII. Quod sua non careat difficultate.

VII. Videtur tamen suis quibusdam laborare difficultatibus. Primo enim quum Jesaias omnem hanc prophetiam suam non solum publica voce coram Rege & populo proclamaverit, sed & jubente Deo, sua manu in volumine scripserit, &, ut *Calvinus* vult, valvis templi adfigi curaverit, inde in Archivis adservandam; quid opus erat testibus, testificaturis hæc ita ab Jesaia prædicta esse? Ipsa pro se validissime omnium testabatur Jesaiæ manus & scriptura. Deinde prophetiæ, de quarum certitudine agebatur, non omnes, non pleræque, implendæ erant, vivente Jesaia & coævis sibi hominibus: quomodo ergo ex eventu testes illi, vel pro, vel contra Jesaiam, responsuri essent? Ne dicam nunc, *Uriam* Pontificem, hominem prævaricatorem, mancipium libidinum impii Regis, infidum supremo Domino suo ministrum, Jesaiæ hostem, indignum videri elogio *testis fidelis*; neque constare, an *Zacharias*, socer Achazi, *filius Jeberechiæ* fuerit, quum nomen patris ipsius nusquam edatur.

VIII. Vel confirmaturis Jesaiæ prophetiam prophetia simili.

VIII. Ut itaque difficultates istæ vitentur, & verba Prophetæ insignem emphasin habeant; non incommode videntur exponi de ejusmodi, qui similia aut eadem prophetaturi, & suis hic designati nominibus, Jesaiæ oracula valde confirmaturi erant. Neque temnendam arbitror *Aberbanelis* observationem, quam antiquioribus magistris debet, versum hunc non tam *prophetæ* quam Dei sermonem esse: ut Deus de testibus sibi consciscendis agat. Cui & altera addi potest, verba Hebræa וְאָעִ֣ידָה לִּ֔י עֵדִ֖ים נֶאֱמָנִ֑ים ita proprie sonare ut futurum designent tempus; ideoque optime verti, *& consciscam mihi testes fideles.* Quod & bene observavit versio interlinearis, sic reddens: *Et testificari faciam mihi testes fideles.* Nam sub litera ו non exstat punctum quod conversivum Grammatici vocant; idcirco verbum futuri temporis manet in significatione futuri. Idque eo magis, quia in proximis commatibus, tam antecedente, quam sequente, analogia Grammatices in punctatione ו conversivi exacte observatur. Quinam autem illi testes sunt, quos adsciturum sive Propheta sive Deus testatur? Hi

lau-

laudantur I. Ratione *nominis.* II. Ratione *Testimonii.* III. Ratione *fidei* in testando.

IX. Nomina testium sunt *Urias Sacerdos*, & *Zacharias filius Jebarachiæ.* Quid hic satius, an de hominibus cogitare, cætera ignotis, aut altero etiam pessime noto, qui vix quidquam ad confirmationem hujus prophetiæ conferre potuerunt, an de iis qui iisdem nominibus alibi in sacris maxima cum laude memorantur? Quis dubitet, hoc præferendum, nisi aliquid obstet? Nihil autem obstare mox ostendemus. Porro laudatur *Urias* filius *Semajæ* ex *Kiriat Jearim*, qui quum prophetasset contra Hierosolymam, & terram Judæ, aufugere in Ægyptum coactus, indeque accersitus a Rege Jojakimo capite mulctatus est. Jer. XXVI. 20. Non dicitur quidem diserte eum Uriam *Sacerdotem* fuisse, sed nec quidquam dicitur, unde suspicio incidere queat contrarii. Præter Uriam hunc, notissimus est *Zacharias* filius *Barachiæ*, cujus volumen propheticum habemus, qui sub Dario prophetavit. Nomina vero *Barachiæ* & *Jebarachiæ*, unicâ solum literulâ discreta, eâque quæ nullam significationi mutationem inducit; pro uno eodemque nomine merito censentur. Hi sane digni sunt qui pro testibus adhibeantur.

IX. Hi videntur esse Urias filius Semajæ, & Zacharias Propheta.

X. At quomodo *testes* esse poterant Jesaiæ? Id nunc exponendum: quod spero me facturum esse clarissime. Videndum quid his capitibus vaticinetur Jesaias. Judæis prædixerat adventum Messiæ ad populum suum, & qualitatem illius temporis, quo is debebat nasci; prædixerat item calamitates, quas in se, in populum, in domum suam accersebat Achazus, inferendas per Assyrios, id est Tiglat-Pileser, & Sanheribum, Assyriæ Reges, quibus jungi potest Nebucadnetzar. Nam postquam Monarchia Assyriorum ad Chaldæos translata esset, Chaldæi Assyriorum nomine quandoque veniunt. Prædixerat denique restitutionem terræ ad pristinam ubertatem, adeo ut montes qui ligone pastinabantur, ad quos nemo antea accedere ausus fuerat, tunc futuri essent actus bovis, & conculcatio ovis, id est fertilia & secura pascua, sine ferarum, sine hostium metu. Hæc autem omnia suis testimoniis confirmarunt, *Urias* filius *Semajæ*, qui de vastatione terræ Judaicæ, tanta constantia vaticinatus est; & *Zacharias* filius *Barachiæ*, qui post solutam captivitatem Babylonicam vivens, multiplicationem populi in terra, benedictionem terræ, & adventum Messiæ isthoc temporis articulo, luculentissime prædixit. Quod autem hi in eandem cum Jesaia prophetiam

X. Quippe qui eadem cum Jesaia vaticinati sunt.

phetiam conspiraturi, tot antequam nati essent annis, suis nominibus prænuncientur, id admodum ad confirmanda Jesaiæ vaticinia faciebat.

XI. Idque insigni fide ac constantia.

XI. Denique quum ostenderimus, quo modo pro testibus adsciti fuerint; per se clarum est, quam ob rem *testes fideles* dicantur. Tales enim erant, tam ratione virtutum suarum, & auctoritatis qua pollebant; quam ratione intrepidæ constantiæ in asserendis suis vaticiniis. Unde concludo: *Zachariam* hunc nostrum *Barachiæ* filium, *Jesaiæ* laudatum esse, longe antequam esset natus.

XII. Adstipulantibus Talmudicis.

XII. Non admodum abludunt ab hac sententia Talmudici, in *Talm. Babyl. Tract. Maccoth fol.* 24. 1. 2. Unde hæc excerpsit *Lightfootus ad* Matth. XXIII. 35. *Scriptum est, testari mihi faciam testes fideles, Uriam sacerdotem & Zachariam filium Barachiæ* (nota scribi ברכיהו sine י) *At quanam est ratio cur Uria conjungatur cum Zacharia? Uria enim fuit sub templo primo, Zacharia sub secundo. At appendit Scriptura prophetiam Zachariæ ad prophetiam Uriæ. Ab Uria dictum est;* vestri ergo Zion arabitur ut ager. *A Zacharia scribitur:* adhuc sedebunt senes & grandævæ in plateis Hierosolymæ. *Quum adimpleatur prophetia Uriæ, adimplebitur quoque prophetia Zachariæ.* Additur apud *Aberbanelem*, hæc fuisse verba R. *Aquiba* ad Rabban Gamaliel, & Rabbi Josuam, & R. Eliefer filium Asariæ, quibus adeo hac expositione satisfactum est, ut gratulabundi in hæc verba eruperint: עקיבה נחמתנו עקיבה נחמתנו *Aquiba solatus nos es, Aquiba solatus nos es.*

XIII. Et Paraphraste.

Adde Præf. §. XV.

XIII. In eandem prope mentem *Paraphrastes Jonathan*: ואסהיד קדמי סהדין מהימנין ית לוטיא דאמרית לאיתיא בנבואת אוריא כהנא והא אתו אף כן כל נחמתא דאמרית לאיתיא בנבואת זכריה בר יברכיה אנא עתיד לאיתיא. *Et testari facito coram me testes fideles: maledictiones quas dixi ut inducerem in prophetia Uriæ sacerdotis, quæ ecce venerunt. Ad eundum modum omnes consolationes quas dixi me adducturum in prophetia Zachariæ, filii Jeberechiæ, eas ego adducturus sum.* Ad summam: in eo conveniunt, ut per Zachariam nostrum hunc Prophetam intelligant.

XIV. Zacharias quem Christus laudat Matth. XXIII. 35. an propheta noster?

XIV. An & de eodem locutus est Dominus? Matth. XXIII. 35. Id nunc porro inquirendum. Pro ipso faciunt hæc argumenta. I. Quod non solum ipsius nomen fuerit *Zacharias*, sed & patris ipsius nomen *Barachias*. Quo nomine patris ab aliis Zachariis in Scriptura memoratis distinguitur. Neque enim alium uspiam Zachariam, filium Barachiæ, in sacris literis invenimus.

nimus. II. Quod com. 31. de *Prophetis trucidatis* loquatur Christus: Hic autem inter ultimos Prophetarum quum sit, ultimus etiam eorum esse potuit, qui a Judæis sit occisus. III. Quod apud Jesaiam jungatur *Uriæ martyri*, & fortassis eo quoque nomine *testis fidelis* elogio insigniatur, quod non minus quam Urias testimonium suum morte obsignaverit. At obstat huic sententiæ, quod nullius historiæ monumentis narratum exstet, Zachariam prophetam violenta morte peremtum esse; neque illud admodum conveniat cum ingenio Judæorum reducum ex captivitate, quibus pii tunc viri præerant.

XV. An Filius Jojadæ?

XV. Idcirco alii malunt Servatorem loqui de *Zacharia* filio *Jojadæ*, de quo 2 Chron. xxiv. His inducti argumentis. I. Quia nullius alterius Zachariæ occisi sacræ literæ meminerunt. Nec videtur Christus aliquid adduxisse incertum & obscurum; sed rem omnibus comprobatissimam. II. Quod locus cædis conveniat. Facta est enim in subdiali, quod חצר vocant Hebræi, αὐλὴν Græci, *Josephus* ὕπαιθρον, in quo erat Altare holocaustorum; ita ut subdialis pars aliqua inter Altare & Ædem templi, quam ναὸν Christus vocat, intercederet: quem locum etiam in historia περὶ ἁλώσεως *Lib.* v. *Josephus* eodem modo nominat μεχρὶ τοῦ βωμοῦ καὶ τοῦ ναοῦ. In *Thalmude Babylonico de mensuris Templi Cap.* v. dicitur, inter porticum & hoc Altare spatium fuisse xxii. cubitorum. III. Quod Christus de cæde exemplariter vindicanda agat. Hic autem Zacharias moriturus dixit: *Videbit Jehova, & requiret.* IV. Quod Judæi ipsi mortem hujus Zachariæ filii Jojadæ insigni nota & vindicta memorabilem esse observaverint: additis etiam pro more suo fabellis, quas qui amat, videre apud *Lightfootum* poterit. Quæ omnia quidem illustria sunt: at obstat tamen, I. Quod Zacharias ille constanter filius *Jojadæ* dicatur, nusquam filius *Barachiæ*. II. Quod Christus de eo videatur agere qui *novissime* a Judæis occisus est, atque hac ratione *Abeli* opponitur. At post Zachariam Jojadæ occisus erat sub templo primo Urias; sub secundo, & quidem recentissime, Johannes Baptista, omnibus prophetis major.

XVI. An alius a Zelotis occisus paullo ante novissimam obsidionem?

XVI. Alii ergo cogitant de *Zacharia* aliquo filio *Baruchi*, de quo *Josephus Belli Jud. Lib.* v. *Cap.* i. loquitur ut τινὶ τῶν ἐπιφανεστάτων *Illustrissimorum aliquo*, qui λίαν μισοπόνηρος, *nequissimis inimicus nimis & probis amicus*, in odium zelotarum incidit; qui septuaginta plebejorum honestissimos convocant, judicum specie potestate carentes, & apud eos Zachariam quasi res proderet

Romanis accusant, quodque ad Vespasianum proditionis caussa misisset: & quamvis a judicibus absolutum nequiter tamen occidunt, in medio templo, statimque e templo in subjectam vallem projiciunt. Ad hunc Christum prophetando respexisse contendunt Viri quidam eruditissimi; alii timidius, alii confidentius. *Grotius*, postquam Christi dictum de Zacharia filio Jojadæ prolixe exosuisset, hæc subdit: *Addam hoc quoque, videri ita hic Christum alludere ad veterem historiam, ut simul insit ejus verbis futuri præsagium. Nam virorum bonorum atque insignium ultimus ab Hierosolymitis trucidatus, & quidem in ipso templo, dictus itidem est Zacharias, & quidem filius Baruchi; quod cum Barachiæ nomine idem haberi potest: cujus cædem statim secuta est obsidio, ut apud Josephum videre est.* Confidentissime *Coccejus in Scholiis ad hunc locum*: PROPHETIA PROCUL DUBIO EST DE ZACHARIA FILIO BARUCH, *quem Zelotæ innocentem; constituto simulacro quodam summi Synedrii* LXX *hominum, condemnarunt, & in Templo ipso interfecerunt; ut Josephus in Historia Belli Judaici narrat. Factum id paullo ante quam urbs expugnaretur.* Rationes hujus sententiæ sunt. I. Quia convenit nomen. II. Et historia. III. Et locus patratæ cædis. IV. Et ultimus fuit bonorum ab Hierosolymitis trucidatus. V. Et mox secuta est atrocissima numinis vindicta, totius reipublicæ excidio. Sed obstat, quod durum videatur, verba Christi in præterito loquentis, vertere in prophetiam de futuro.

XVII. *Non admodum liquet.*

XVII. Atque hæc quidem a Viris Doctissimis, non sine aliqua probabilitate, utrimque disputantur. Habent singulæ sententiæ suas quibus se tueantur rationes. Singulæ etiam suis premuntur difficultatibus. Per me quidem integrum cuique esto eam amplecti, quam arbitrabitur solidioribus niti argumentis, & cujus difficultates se minori negotio soluturum sperat. Ultima illa, uti non videtur mihi *procul dubio* cæteris anteponenda, quod *Coccejus* dictat: ita nec seponenda, ut quæ omni probabilitate sit destituta. Nam rationes ejus non sunt nulli rei: neque difficultas insolubilis. Scivit Christus ea quæ futura erant: & prædictiones futurorum verbis præteriti temporis frequenter exponuntur. Potuit denique Christus Hebraice loquens, participio uti cui nulla temporis determinatio inest, quod prudenter Matthæus Aoristo expressit. Pone dixisse Christum, אשר אתם מקטלים אותו, verbis, si vis, ad eam dialectum flexis quæ tunc obtinuit. Poterit id tam futuri quam præteriti sensu intelligi.

XVIII. *Haggæus*

XVIII. Sed *ætatem* nunc videamus, qua tam Haggæus quam Za-

Zacharias prophetarunt. De *Haggao* ita dicitur Cap. I. com. I. *Anno secundo Darii Regis, mense sexto, die primo mensis, fuit verbum Jehova per Haggaum Prophetam ad Zorobabelem* &c. De *Zacharia* pariter in libri sui initio. *Mense octavo, anno secundo Darii, fuit verbum Jehova ad Zachariam.* Unde liquet, inter utriusque prophetiam non nisi duorum mensium intervallum fuisse. At quid ille DARIUS sit, cujus secundo anno prophetare cœperunt, an DARIUS HYSTASPIS, an DARIUS NOTHUS, valde inter eruditos controvertitur. Intricatissima res est historia regum Persiæ, prout a Græcis traditur, cujus scriptores inter se, & cum Divina historia conciliare, non opis est nostræ, fortassis nec humanæ. Ego rem tam arduam ne tentabo quidem. Sed memor me juvenibus scribere, quibus mea addicta opera est, annitar ut præcipuas quasdam sententias Doctissimorum hominum, quorum nunc magna est in Ecclesia auctoritas, & perspicue intelligere, & de singularum rationibus arbitrari suo modo queant.

& Zacharias prophetarunt sub Dario: an Hystaspi, an Notho?

XIX. Id itaque tenendum ante omnia, eo comparatas fuisse tam *Haggai* quam *Zacharia* prophetias, ut Zorobabelem Principem, & Josuam Pontificem, una cum populo Judaico animarent, ad templi ædificationem, aliquammultis annis interruptam, redordiendam, & consummandam. Id quoque sciendum, a variis Persarum regibus, in quorum tunc potestate Judæi erant, nunc interdictam, nunc concessam eam ædificationem fuisse. Ea tempora rite dignosci non possunt, nisi seriem quandam regum Persiæ nobis repræsentemus. Series ista conficitur vel ex Scriptura, vel ex Græcis auctoribus: qui tum cum Scriptura diversimode conferuntur.

XIX. *Id ut termineturtur, tenenda est series regum Persia.*

XX. Ex Scriptura ita conficit *Coccejus. Darii in sacris Literis memorantur quatuor. Primus est* DARIUS MEDUS, *filius Ahasueri* Dan. VI. I. 9. IX. I. *quem aliqui putant esse Nabonidum Berosi, quem Cyrus expulerit Babylone. Sed is Babylonius fuit. Vid. Joseph. contr. Apion. Lib. I. Ego cum aliis existimo esse Cuaxarem Xenophontis, vel saltem Cuaxaris filium. Nam Achaschuerosch & Cuaxares idem nomen. Forte Xenophon nomen patris filio imposuit. Melius saltem convenit sacra historia cum Xenophonte, dum Medorum & Persarum regnum conjunctum & conjunctum faciunt, & Cyrum quidem domitorem Babylonis, sed Medum initio novum Dynastam faciunt. Secundus est* DARIUS HYSTASPIS *quem ponit Esra post Cyrum* Cap. IV. 5. *Quem sequitur* AHASSUEROS, *id est* XERXES Esr. IV. 6. *quartus à Cyro Rex, tertius successorum Cyri. Hunc excipit* ARTHACHSCHAST, *hoc est* ARTAXERXES,

XX. *Ea ex Scriptura deducta secundum Coccejum.*

XES, *is qui* LONGIMANUS *vocitari consuevit.* Esr. IV. 7. *sub quo facta est pax Antalcidæ: quam innuit Zacharias* Cap. I. II. *Subit tertius* DARIUS, *dictus* NOTHUS. *Post hunc est* ARTAXERXES Esr. VI. 14 VII. I. MNEMON, *de quo & fratre ejus Cyro secundo Xenophon, qui hujus commilito fuit. Apud Nehemiam* Cap. XII. 22. *mentio* DARII PERSÆ *ultimi regis, cum quo Alexander dimicavit.* His ita confectis, annorum rationem hoc pacto subducit. *Primus annus Cyri habetur pro septuagesimo captivitatis Jechoniæ. Cyri Monarchiæ*

tribuuntur ab historicis anni	30.
Cambysi	7.
Magis	1.
Dario Hystaspis	36.
Xerxi	21.
Artaxerxi	41.
Adde Darii Nothi	2.
Fient	138.

Hoc autem anno secundo Darii Nothi, id est centum triginta & octo annis post primum Cyri edictum, ædificationem templi secundum prophetias Haggæi & Zachariæ iterum susceptam esse contendit. Sic *Coccejus ad Haggai Cap.* 1.

XXI. *Alia secundum Burmannum.*

XXI. *Burmannus* paullo aliter commentatur, quamvis in *Dario Notho* cum *Coccejo* consentiat. *Reges Persiæ*, inquit, *quorum hic habenda ratio est, ab historicis hoc ordine numerantur.* I. CYRUS, *qui regnavit annos* 7. II. CAMBYSES *filius*, 8. III. DARIUS HYSTASPIDES 36. IV. XERXES 21. V. ARTAXERXES LONGIMANUS 40. VI. DARIUS NOTHUS 19. VII. ARTAXERXES MNEMON 43. *Qui anni in unam collecti summam conficiunt* 174. Horum autem regum nomina cum iis qui memorantur Ezr. Cap. IV. ita confert. *Apud Ezram inveniuntur, Cyrus, Ahasueros, Artasastha, & Darius. Per Ahasuerum multi intelligunt Cambysen Cyri filium, cujus tempore impedita sit ædificatio templi. Per Artasastham communiter intelligitur Artaxerxes Longimanus, ita dictus quod dextram sinistra longiorem haberet: quamvis alii hunc pro Dario habeant. Quem nonnulli iterum Darium Hystaspidem faciunt. Cæterum tota historia connexio evincit, potiorem esse eorum sententiam, qui Ahasuerum existimant esse celebrem illum Xerxem, filium Hystaspidis, natum ipsi ex Atossa Cyri filia. Per Artasastham intelligendus Artaxerxes Longimanus, uti dictum: per Darium, Darius Nothus, sic dictus, quod ex concubina eum genuisset Artaxerxes.* His ita explicatis subjungit historiam ædificationis Templi

pli. *Judæi ex indulto Cyri fundamenta jacere cœperunt anno primo* (debuisset dicere secundo. Ezr. III. 8.) *Monarchiæ ipsius Babylonicæ: & frustra obnitentibus æmulis in ædificatione perrexerunt annos 46, aut ultra, donec à Xerxe & Artaxerxe Longimano edictis prohiberentur: sicut colligitur ex* Ezr. IV. *Ab eo tempore cessavit opus usque ad annum secundum Darii Nothi; cujus sexto anno consummatum est: quamvis suprema demum manus ei imposita sit anno septimo Artaxerxis Mnemonis. Totum itaque tempus quo occupati fuerunt in ædificando templo, usque ad sextum Darii, est 117. annorum: quorum pars operi, pars cessationi imputanda est. Cessationi adtribuendi anni præter propter 68. aut 70.* Hæc *Burmannus in Commentariis ad* Ezr. IV.

XXII. Non lubet singula conferre, quod immensi foret operis; id solum nunc attendi velim, quod ad Darii Nothi annum secundum prophetiæ hæ referantur. Idem & *Scaliger* contendit, & post Scaligerum *Sethus Calvisius*, qui prolixe hanc caussam agit *Isagoges Cap.* XLII. quamvis ex aliis principiis quam *Coccejus* aut *Burmannus*. Horum hoc est præcipuum argumentum, Zachariæ Cap. I. com. 12. Angelus intercessor ait: *Jehova Deus exercituum, quo usque tu non miseraris Hierosolymam, & urbes Judæ quas rigide tractasti hos septuaginta annos?* Apud eundem Zachariam Cap. VII. 3. narratur, quod biennio ante absolutionem templi, anno quarto Darii Regis, legati quidam ex Babylonia consuluerint sacerdotes & prophetas, an flendum esset Ecclesiæ, *quemadmodum feci*, inquit, *his aliquam multis annis*. In responso autem Dei, anni illi dicuntur fuisse LXX. com. 5. *Quando jejunastis quinto & septimo mense*, HIS SEPTUAGINTA ANNIS, &c. Non videtur id intelligi posse de annis Captivitatis Babylonicæ: quippe qui Zachariæ tempore, quomodocunque id putetur, jam dudum præterierant. Palam autem est de iis annis agi, quorum isthoc demum tempore finis erat. Rogant enim, an nunc sibi a LXX. annorum jejunio ad lætiorem vivendi modum revertendum sit. Unde infertur, intelligi annos post solutam captivitatem elapsos, sed in rebus arctis, quibus jejunii & planctus data fuit occasio. Illi autem non possunt inveniri ætate Darii Hystaspidis: tum enim non nisi quindecim præter propter annis fuit in terram reductis ob prohibitam templi ædificationem occasio jejunandi præbita. Sed optime inveniuntur in eo tempore quod intercessit inter initium Cyri & regnum Darii Nothi. Ita suam tuentur Viri Doctissimi sententiam.

XXII. Rationes eorum qui Darium Nothum intelligunt.

XXIII. Plerique tamen in alia omnia eunt: & per Darium

XXIII. Ez-

rum qui pro Hystaspide pugnant. Ezræ ac prophetis laudatum intelligunt DARIUM HYSTASPIM. Pugnantque his rationibus. I. A *Cyri* primo, quo promulgatum est edictum de templi ædificatione, ad *Darii Nothi* sextum, quo absoluta est, intercedunt secundum Scaligerum & Calvisium anni *centum & tredecim*, secundum Burmannum *centum & septendecim*, secundum Coccejum *centum quadraginta duo*. Toto hoc temporis spatio, & aliquamdiu tam ante quam post, *Zorobabel* Principatum, & *Josua* Pontificatum obtinuit. Tam diuturnum autem gubernationis spatium, tam in Ecclesia quam in Republica, nullo unquam seculo de ullo mortalium auditum est. Unde concluditur, tantum interstitium non intercedere inter templi inchoationem & consummationem, quantum est inter initium *Cyri* & sextum *Darii Nothi*. II. Haggæi Cap. II. 3. narratur, aliquos Judæorum conspexisse splendorem Templi primi, & cum eo comparasse gloriam secundi, qualis fuit anno secundo Darii mense septimo. Id si intelligatur de *Dario Notho*, necesse est illos Judæorum qui utrumque templum simul conspexerunt, ultra *centum & octoginta* annos ad minimum vixisse: quod ab omni probabilitate abhorret. Sic illi qui pro *Dario Hystaspide* pugnant.

XXIV. *Quid opponi possit prioribus.* XXIV. Merentur rationes istæ inter se confligi: quod ut fieri possit circumspectius, lubet nonnullas subjungere considerationes quæ opponi possunt singulis. Ad argumentum de LXX annis elapsis secundo Darii, respondetur varie. Probabilissima tamen difficultatis solutio hæc esse videtur, quam *Theodoretus* primus indicavit, multi autem post ipsum eruditi approbarunt. Nimirum septuagesimam esse duplicem; unam *Hierosolymitanæ captivitatis*, alteram *Hierosolymitanæ desolationis, & cremati templi*: priorem incepisse *primo* Nebucadnetzaris, & desiisse primo *Cyri*; posteriorem incepisse *Nebucadnetzaris decimo nono*, & desiisse *Darii Hystaspis secundo*, quando post aliquantam interruptionem instaurari templum cœpit. Hos autem postremos LXX annos intelligi Zach. VII. res ipsa propemodum loquitur. Certe referri ea historia non potest ad annos captivitatis Babylonicæ de quibus Jer. XXV. II. 12. & XXIX. 10. Illi enim jam ante annos XVII. desierant: & si propter captivitatem jejunassent Judæi, jejunare etiam soluta captivitate desiissent. Jejunaverant autem ad usque secundum, imo quartum Darii. Ergo caussa jejunii alia fuit, nimirum cremati & nondum instaurati templi tristis consideratio. Quod & ipsa legationis occasio demonstrat. Quum enim viderent opus ædificationis Templi tam pulcre procedere, rogandum sibi existima-

ftimarunt, an cessante caussa jejuniorum in eum usque diem continuatorum, ipsa quoque jejunia cessare non conveniret. Videsis *Lightfootum Chron. Temp. p.* 138. Sic itaque infringi videtur vis argumenti quo nonnulli ex his LXX annis pro *Dario Notho* pugnant; quum æque commode, si non commodius, ad *Darium Hystaspin* referri queant.

XXV. *Quid posterioribus.*

XXV. Ab altera parte, ad argumentum quod ducitur ex incredibili *longævitate Zorobabelis* & *Josuæ*, si *Darius Nothus* intelligendus esset, respondet *Calvisius*, eodem absurdo adversam sententiam premi. Etsi enim a Monarchiæ *Cyri secundo*, ad *Darii Hystaspis sextum* nemo plures numeret quam *viginti duos*, & hac ratione expedita videatur difficultas de ætate *Zorobabelis* & *Josuæ*, tamen quod in iis evitatur admittendum est in *Nehemia*, *Ezra*, & *Sanneballato*. Nam *Nehemias* vixisse creditur ad tempora *Alexandri Magni* : eo quod Cap. XII. 11. 22. nominet Pontificem *Jadduam*, quem certum est coævum fuisse Alexandro. *Ezras* pariter vixisse videtur prope ad finem Imperii Persarum: nam Cap. X. 6. dicitur intrasse cubiculum *Joanan*, *patris Jadduæ*. Quod argumentum post *Brouchtonum Nisbetus* validius urget, consideratis Ezræ natalibus. *Ezras*, inquiunt, filius erat *Serajæ*. Ezr. VII. 1. *Serajas* autem a Nebucadnetzare ante captivitatem necatus fuit. 2 Reg. XXV. 18. Ergo Ezras natus ante destructam Hierosolymam, & septimo anno *Artaxerxis Mnemonis*, quo Babylone Hierosolymam rediit, oportuit eum annos egisse supra *ducentos*. Denique & *Sanneballati* magna fuit longævitas : is enim Nehemiæ tempore Cuthæorum princeps, ætatem produxit ad Alexandri M. tempora, apud quem gratia pollens, Manassi genero suo impetravit facultatem ædificandi templum in monte Garizim, quod Hierosolymitano suppar foret. Quum igitur tanta longævitas in *Nehemia*, *Ezra* & *Sanneballato* deprehendatur, quæ invidia est eandem negare, aut incredibilem existimare in *Zorobabele* & *Josua*? Præsertim quum Josua & amici ipsius dicantur אנשי מופת *viri portenti*. Zach. III. 8.

XXVI. Ad Hagg. II. 3. respondet *Scaliger de Emend. Temp. Lib.* VI. *p.* 565. *ex his verbis colligi non posse, aliquem tum ex illis, qui domum priorem viderant, superstitem fuisse : sed perinde accipiendum, quasi diceret : O si quis vestrum prioris domus gloriam vidisset, eam cum ista contendens quam nihili hanc faceret!* Eamque suam explicationem similibus ex Evangelio locutionibus firmare nititur. Unde conficit, *objectionem de longævitate nihili esse :* vel si alicujus momenti

menti ſit, valere *ad ſuſpendendam ſententiam ipſius, non ad infirmandam.* Eadem fere mente *Coccejus* Haggæi verba ſic *παραφράζει*: *Olim quum fundaretur Templum, flebant multi ſeniores, conſpicientes ejus exiguitatem. Fluxerunt interim tot anni. Si igitur jam eſt aliquis inter vos ejus ætatis, ut poſſit adhuc meminiſſe prioris ædificii, nonne vobis Templum hoc pro nihilo videtur? Certe ſi viverent qui viderunt illud, hoc pro nihilo ducerent.* Addit tamen: *credibile eſt, multos in populo potuiſſe memores eſſe Templi prioris, ſub Hyſtaſpide.* At tanti non putat eam rationem, ut propterea deſereret ſententiam de Templi ſecundi ædificatione ſub Dario Notho: ad quam majoribus ſe rationibus compelli exiſtimat.

XXVII. *Quid ad has rurſus exceptiones reſpondeatur.*

XXVII. Sed & hiſce rurſus multa ab aliis reponuntur, quibus vim earum animadverſionum elidi poſſe putant. Ac *Nehemiam* quidem quod attinet, qui illius longævitatem urgent, iidem permittunt credere, *Artaxerxem*, ſub quo Gubernator Judææ *Nehemias* eſt conſtitutus, non *Longimanum* fuiſſe, ſed *Mnemonem, Darii Nothi* filium. A vigeſimo autem *Longimani* ad vigeſimum *Mnemonis* ſunt anni ad minimum ſexaginta, quot de allegata longævitate Nehemiæ detrahere itaque licet. Cæterum ea hypotheſis quum non admittatur ab iis qui templum ſub *Hyſtaſpide* ædificatum pugnant; videri quidem poteſt reſponſio illa adverſus *Scaligerum* valere: at revera difficultatem non tollit. Nam *Artaxerxes* ille qui *Ezram* & *Nehemiam* miſit Hieroſolymam, ſecutus eſt *Darium* iſtum qui edictum de Templo ædificando condidit. Ezr. VI. 14. In qua re utrimque conveniunt. Qui itaque edictum iſtud *Dario Hyſtaſpidi* adſcribunt, eos neceſſe eſt per *Artaxerxem* intelligere *Longimanum.* Et ſic inconcuſſum hactenus manet argumentum ex *Nehemiæ* longævitate petitum. Alia ergo quærenda reſponſio eſt. Nimirum *Jadduam juvenem* ſpectare potuit *Nehemias ſenex.* Ponamus *Jadduam* Pontificem factum eſſe anno ætatis triceſimo: *Alexandri* tempore habuiſſe annos nonaginta, quod in Pontificibus non eſt rarum: ex iſta hypotheſi fieri poteſt, ut *Nehemias* annis ſexaginta ante *Alexandri* Monarchiam, mortuus ſit, & tamen aliquo tempore cum *Jaddua* vixerit. Et ſic *Nehemiæ* ætas nihil haberet extraordinarii.

XXVIII. Major eſt circa *Ezram* difficultas. Sed & illa non contemnendis obſervationibus minuitur, ſive vitæ ipſius *initium*, ſive *finem* ſpectemus. *Initium* deſtructa Hieroſolyma prius fuiſſe, probari ex eo non poteſt quod *Seraja* dicatur eſſe filius: & *Serajas* a *Nebucadnetzare* ante captivitatem trucidatus ſit. Nam neque

que certum est, *Serajam* a *Nebucadnetzare* necatum parentem *Ezræ* fuisse; quum plures *Serajæ*, etiam de genere sacerdotum, ab Ezra & Nehemia nominentur: neque ex eo quod *Ezras Serajæ filius* dicatur, proximum ejus filium fuisse consequitur. Nam Ezr. VII. 1. *Azaria* dicitur fuisse filius *Merajoth*: licet inter *Azariam* & *Merajoth* brevitatis caussa illic omissi non pauciores quam septem interjiciantur 1 Chron. VI. 7. 8. 9. *Ezræ* scopus fuit demonstrare majores suos ex genere sacerdotali esse. Id præstat, significando se a *Seraja* prognatum: quod verum est, seu nepos, seu abnepos fuerit. Ergo de initio ætatis *Ezræ* ex *Serajæ* nomine nihil concludi potest. At neque vitam ipsius productam fuisse prope ad finem Imperii Persici, conficitur ex eo quod dicatur *intrasse cubiculum Joanan patris Jadduæ*. Ezr. x. 6. Nam potuit *Joanan* eo tempore admodum juvenis fuisse. Actus autem Ezræ ibi laudatus, ultimus eorum est quos Scriptura memorat. Secundum multorum Pontificum ætatem, a juventute *Joanan* ad senectutem *Jadduæ* fluxisse facile poterant anni plus centum. Atque hactenus cadunt argumenta pro prodigiosa illa *Ezræ* longævitate.

XXIX. Ad *Sanneballati* ætatem, in qua *Scaligeri* & *Calvisii* primaria spes est, ita respondetur. Supposito *Nehemiam* anno *Mnemonis* vicesimo Hierosolymam venisse, quæ quidem *Scaligeri* est sententia, *Sanneballati* ætas nihil habebit extraordinarium. Fuerit vicennis *Mnemonis* vicesimo: inde ad *Alexandri* quintum non sunt supra quinquaginta, quando in obsidione Tyri mortuus est *Sanneballatus*, non major septuagenario. At hæc iterum responsio ex illius quidem hypothesi est cui respondetur, non illius qui respondet Itaque manet difficultas. Si enim *Sanneballatus Nehemiæ* adversatus sit vicesimo *Artaxerxis Longimani*, oportuit eum virum fuisse maturæ ætatis quum tanta præditus esset auctoritate. At ponamus fuisse vicennem; necesse est ut in obsidione Tyri habuerit annos centum & triginta. Ejusmodi longævitatem, ut satis ordinariam eo tempore, *Scaliger* & *Calvisius* tuentur. Verum *Cappellus*, *Petavius*, *Torniellus*, alii, potius, quam hoc admittant, geminum faciunt *Sanneballatum*: alterum qui *Nehemiæ* se opposuit, *Longimani* vicesimo, & cujus gener a *Nehemia* ejectus est templo, diebus *Darii*, non *Codomanni*, ut *Scaliger*, sed *Nothi*. Neh. XII. 22. alterum vero prioris filium, vel nepotem, vel saltem ei cognominem. Cujus filiam *Nicasonem Manassis*, *Jadduæ* Pontificis frater, in uxorem duxerat, idcirco non a *Nehemia*, sed fratre *Jadduæ* pulsus. Duplex itaque fuit *Sanneballatus*:

tus: alter *Horonita* ille, qui sub *Artaxerxe Longimano* præfecturam habuit: alter ei cognominis *Cuthæus* aliquis, qui *Bagosæ* successit, qui satrapa missus in Samariam fuit a *Dario Codomanno*, ultimo rege Persarum: quod expressim annotavit *Josephus*.

XXX. Argumentum ex Hagg. II. 4. *Scaligeri* explicatione non videtur posse elidi. Verba enim clara sunt, & diserta: *Quis ex vobis est qui superstes est, qui vidit domum hanc in gloria sua priore? & quid vos videtis illam nunc? nonne ad illam tanquam nihil est in oculis vestris?* Quis, nisi præjudiciis aliunde occupatus, aliter hunc prophetæ sermonem intelligat, quam quod alloquatur eos quibus utramque domum conspicere, & utriusque collationem instituere datum est? Liquidiora hisce non sunt ea quæ narrantur Ezr. III. 12. 13. Vide iis *Roberti Bailii Opus Theologicum & Chronologicum p.* 159.

XXXI. *Res est obscura.*

XXXI. Atque hæc prolixius aliquanto disputavimus; ut discant juniores, nihil temere determinare; neque mox quidquam pro certo & indubitato habere, quod a recenti aliquo Magistro fortassis audiverunt. Ponderandæ sunt rationes: nemini obtrudenda auctoritas. Quæ a neutra parte præjudicium faciat. Prudentiæ est, aliquando respondere, NON LIQUET. Quod & hic mihi liceat. Si tamen dicendum sit aliquid; fortiores videntur rationes quæ pro *Dario Hystaspide* militant.

XXXII. *Tam Haggæus quam Zacharias præclara de Messia oracula fuderunt.*

XXXII. In prophetiis tam *Haggæi* quam *Zachariæ* multa de Messia, ut jam appropinquante, exstant. Et Haggæus quidem illustrat mysterium adorandæ Trinitatis, Jehovam exercituum repræsentans, qui populo adsit cum Verbo & Spiritu suo Cap. II. 4. 5. Promittit etiam domui secundæ majorem gloriam, quippe quæ gavisura esset præsentia Messiæ, per Arcam olim adumbrati. Ostendit non longe illud tempus abesse. vers. 6. 7. &c. Eadem & Zacharias habet; sed & alia multa ad regnum Messiæ & signa temporum pertinentia, quibus enarrandis nunc non est otium. Non male *Coccejus* exposuit generalem scopum Zachariæ: *nimirum quod sit reducere populum ad pœnitentiam, roborare eum adversus tentationes & afflictiones impendentes, confirmare in fide & exspectatione Mediatoris, & populum ad eum excipiendum præparare, nos autem maximis argumentis instruere quibus eum agnoscamus, ut veritatem fidei de justitia, qua in ipso est, conservemus, patientes simus in certaminibus Ecclesiæ, & mundum furentem contra Christum fide vincamus.*

XXXIII. *Malachias*

XXXIII. Ultimus Prophetarum est MALACHIAS, quod Hebraice notat ANGELUS MEUS. Ut inepte *Origenes*, & si qui alii, col-

collegerunt, eum cœlestem genium fuisse, quod & de Haggæo monui. Judæorum nonnulli tradunt fuisse *Mardochæum*, alii *Ezram*, nonnulli etiam *Zorobabelem*, aut *Nehemiam*; omnes futilibus aut nullis rationibus. Verius est, esse nomen proprium hominis, cujus historia nobis est incognita. At nec determinate dixeris, qua ætate prophetaverit. Id patet, prophetasse templo jam exstructo, quia illius ut integri mentionem facit. Cap. I. 10. Quin etiam apparet satis, eum fuisse tempore proximo post ædificationem templi: nimirum quo Israel adhuc fuit sub Ducibus, quales Zorobabel & Nehemias. Nam *Ducis* mentionem facit. Cap. I. 8. Et illud indubium est, vixisse temporibus corruptis, quorum initium Nehemias attigit. Invehitur adversus illicita matrimonia Cap. II. 11. de quibus Nehem. XIII. 23. 28. adversus decimarum interversionem. Cap. III. 8. de qua Nehem. XIII. 10. 11. adversus profanationes alias. Cap. I. 13. & II. 8. de quibus Nehem. XIII. 15. Concludit convertendo populum ad studium Mosis, atque ad exspectationem Eliæ præcursoris, & Messiæ solis justitiæ. Post ipsius ex hoc mundo excessum, spiritus etiam Prophetiæ excessit, ac veluti peregrinus fuit inter Judæos, usque dum aurora Evangelii illucesceret.

Prophetarum ultimus.

XXXIV. *Si Munus Propheticum spectamus, non si gratiam Prophetiæ.*

XXXIV. Quod tamen ita de munere prophetico intelligendum est, ut non idcirco negetur singularibus quibusdam personis contigisse revelationes quasdam, quibus de rebus vel ad privatam suam vel ad communem salutem spectantibus informarentur. Neque enim idoneæ satis caussæ esse videntur, cur bonæ notæ historicis talia narrantibus præfracte negetur fides.

XXXV. *Quæ Jaddo contigisse fertur.*

XXXV. Notum est quid JADDO PONTIFICI contigisse *Josephus* memoret, quum Alexander Judæis iratus expugnata Gaza Hierosolymam propere moveret. Tunc Pontifex, multa trepidante animo frustra volvens, indictis populo supplicationibus, & immolatis Deo victimis, publicam ipsi salutem commendavit. Proxima vero post sacrificium nocte in somniis ei Deus apparuit, jubens ut bono animo esset, & coronata urbe portas aperiret; utque populus in albis vestibus prodiret obviam, ipse vero cum reliquis sacerdotibus solemni cultu sui ordinis, securi de Dei providentia. Quæ quam feliciter ipsi, totique populo Judaico cesserint, alibi a me fusius expositum est.

XXXVI. *Et Judæ Maccabæo.*

XXXVI. Nescio an tantum tribuendum sit historiæ quæ invenitur 2 Maccab. XV. Quum Nicanor improba spe Judæam jam devoraverat, JUDAS MACCABÆUS populum ad fortitudinem ex-

exhortans, optimis sermonibus somnium fide dignum adjecisse fertur. Nimirum visum sibi per quietem *Oniam*, summum sacerdotem, protensis manibus vota pro Judæorum salute facientem: eodemque tempore apparuisse virum, canitie & gloria præstantem, cujus admirabilis quædam & decentissima erat excellentia. Tum dixisse Oniam, hic est amans ille fratrum propheta Dei Jeremias, qui multis oravit pro populo & civitate sancta. Jeremiam vero protendisse dextram, & gladium aureum dedisse Judæ Maccabæo, quumque daret pronunciasse ista: ACCIPE SANCTUM GLADIUM, DONUM A DEO, QUO FRANGAS ADVERSARIOS.

XXXVII, *Et Manahemo.* XXXVII. Memorabile est quod *Josephus* narrat *Antiquitat. Lib.* XV. *Cap.* XIII. in hæc verba. *Erat quidam Essenus. Manahemus nomine, cum alias vitæ honestæ & probatæ hominum testimonio, tum vero divinitus etiam concessum habens donum fatidici spiritus: hic conspicatus Herodem etiam tum cum cæteris pueris ludum literarium frequentantem, Regem Judæorum salutavit: ille putans se aut rideri, aut non satis notum esse homini, correxit ejus verba, unum de plebe se profitens. Tum Manahemus subridens, & blando plausu posteriora ejus permulcens verius quam feriens, imo regnabis, inquit, & feliciter dominaberis: sic enim Deus vult, & memor esto Manahemi verborum, quæ te fortunæ mutabilis admoneant. Nihil enim te magis cogitare decet, quam de justitia & pietate & æquitate erga cives subditos: sed scio te hoc non facturum, futuri præscius: eris enim tam divini quam humani juris immemor, licet alioqui fortunatissimus, & sempiterna dignus gloria. Nec tamen Deum latebis, qui te extremo vitæ tempore gravi castigatione reprehensurus est. Hæc verba non magni fecit Herodes, qui tum nihil tale sperabat: prosperis deinde successibus ad regnum & tantam felicitatem elatus, quum maxime vigeret, Manahemum accersitum rogat de diuturnitate imperii. Ille nihil certi respondit, sed sciscitante Rege num decem annos duraturum sit, & viginti, inquit, atque triginta: atque ita indeterminatum fatalem finem reliquit. Herodes vero vel hoc contentus, Manahemum data dextera dimisit, & ex eo semper Essenos in pretio habuit. Hæc tametsi fidem excedere videntur, visum est tamen lectori indicare, quod multi sint in eo genere quibus ob morum probitatem Divinitas aperire dignatur sua decreta & consilia.* De eodem *Menahemo* hæc exstant in *Juchasin fol.* 29. *col.* 2. *Erat autem Menahem grandis sapiens, ad instar Prophetæ, & multa vaticinia edidit. Prædixit Herodi adhuc minorenni, futurum ut regnaret. Quumque ille regnaret accersivit eum, qui & prædixit ei, ipsum regnaturum*

plus

[Plus] *quam triginta annos. Regnavit autem annis* XXXVII. Atque ita historiam prophetarum perduximus proxime ad tempora Evangelii.

§. XXXVIII. Concludimus hac observatione, quod nullo tribuum aut familiarum discrimine, quoscunque Israelitas prophetiæ gratia dignatus sit Dominus. *Excitavi e filiis vestris prophetas; an vero non est ita, o filii Israelis? dictum Jehovæ.* Am. II. 11. In Evangelio secundum Johannem Cap. VII. 52. primarii sacerdotes et Pharisæi Nicodemo dixisse feruntur: *scrutare, & scito ex Galilæa non fuisse suscitatum Prophetam.* Sed nos scrutati sumus, & cognovimus, temere id & falso ab iis fuisse assertum. Nam *Nahum* erat *Elkosita*, cujus patria Hieronymi tempore, eodem adhuc nomine nota, vicus erat Galilææ. Jonas erat ex *Gath Hepher.* 2 Reg. XIV. 25. Gath hepher autem sita in tribu *Zabulon.* Jos. XIX. 13. consequenter in Galilæa. Notum enim est eam tribum partem Galilææ tenuisse. XXXVIII. *E Galilæa quoque prodierunt prophetæ.*

CAP. XXI.

De Prophetis in Evangelio laudatis.

I. *Primus Prophetarum in Evangelio laudatus, est Zacharias.* II. *Cujus nomen non sine omine fuisse videtur.* III. *Munere sacerdos fuit, non Pontifex.* IV. *Neque ejus vicarius.* V. *Sortito ei obtigerat suffitum facere.* VI. *Quum appareret ipsi Gabriel.* VII. *Promittens ex effœta uxore filium.* VIII. *At incredulitatem suam Zacharias ominoso silentio luit.* IX. *Quod mox solvit insigni prophetia.* X. *Fabula de martyrio Zachariæ.* XI. *Et consecutis miraculis.* XII. *Josephus ter per Angelum compellatus.* XIII. *Simeon Propheta, an Hillelis filius?* XIV. *Historia Simeonis Hillelidis.* XV. *Collata cum narratione Lucæ.* XVI. *Non exhibet satis certa argumenta quibus eundem fuisse probetur.* XVII. *Johannes Baptista, an vaticinatus fuerit antequam natus?* XVIII. *Non videtur.* XIX. *Calvinus vindicatus à calumnia Cornelii à Lapide.* XX. *Johannes est vox clamantis in deserto.* XXI. *Angelus Anteambulo Angeli fœderis.* XXII. *Elias Malachiæ.* XXIII. *Propheta Altissimi.* XXIV. *Quo nemo inter genitos e mulieribus major.* XXV. *Eo tamen excepto qui est μικρότερος in regno cælorum.* XXVI. Τὸ σκληροδίαιτον *Johannis.* XXVII. *Abstinentia religiosa à vino, an repræsentet quodammodo statum innocentiæ.* XXVIII. *Quomodo ea vivendi ratio cum sacerdotio consistere potuerit.*

rit. XXIX. *Præcipuum Johannis officium.* XXX. *Ejusdem Martyrium.* XXXI. *Josepho memoratum.* XXXII. *Et Historiographis Hebræis.* XXXIII. *Messias, fatentibus Judæis, Propheta Mosi similis, vel major.* XXXIV. *Talis est noster Jesus.* XXXV. *Cujus tamen prædicatio aliquando à prophetia distinguitur.* XXXVI. *Josephi de Christo testimonium.* XXXVII. *Cur à quibusdam genuinum esse censeatur.* XXXVIII. *Cur rejiciatur ab aliis.* XXXIX. Ἐπίκρισις. XL. XLI. XLII. XLIII. *Expenduntur rationes rejicientium.* XLIV. *De Apostolis copiosissime scripsit Spanhemius.* XLV. *Iidem Prophetæ fuerunt.* XLVI. *An de iis prophetaverit David* Pf. LXVIII. 27. 28. XLVII. *Prophetæ Testamenti Novi.* XLVIII. *Exercitiorum propheticorum modus antiquissimus.* XLIX. *Quo sensu spiritus prophetarum prophetis subjiciantur.* L. *Agabus futurorum prænuncius.* LI. *Prophetiæ de Timotheo.* LII. *Johannis Apocalypsis.* LIII. *Evangelistarum dignitas & munus.* LIV. *Stephanus, Spiritu Sancto repletus, & facie Angeli instar coruscans.* LV. *Idoneam pro se Apologiam recitavit.* LVI. *Injusta nuperi Critici Censura vexatam.* LVII. LVIII. LIX. *Quo modo Scribæ & Pharisæi monumenta Prophetarum ornantes, adversus semetipsos testati fuerint.* LX. *Mirabile Stephani visum.* LXI. LXII. *Quid apertura cœli notet.* LXIII. *Quomodo Dei gloriam viderit.* LXIV. *& D. Jesum adstantem ad dexteram Dei.* LXV. *Quid Prophetici contigerit Cornelio, & aliis e plebe fidelibus.*

I. Primus prophetarum in Evangelio laudatus, est Zacharias.

INter Prophetas, quorum mentionem facit sacra *Evangeliorum* historia, principem locum obtinet ZACHARIAS, Johannis Baptistæ pater, cui quæ Divinitus contigerint, accurata oratione exponit Divus Lucas, Evang. Cap. 1.

II. Cujus nomen non sine omine fuisse videtur.

II. ZACHARIÆ NOMEN non sine omine aliquo gestasse videtur. Eodem olim insignitus fuerat Sacerdos aliquis & Propheta, uterque suo tempore illustris ac celeber. *Zacharias* filius *Jojadæ*, Sacerdos, ante captivitatem: & *Zacharias*, filius *Barachiæ*, Propheta, post eam. Non caret acumine Doctissimi *Lightfooti* observatio: æquum fuisse ut Vir iste in quo omne deinceps sacerdotium terminari debuit, & obtumescere vaticinium, propter Veri illius Sacerdotis Maximique Prophetæ mox nascituri adventum, eodem cum iis nomine insigniretur, penes quos tam hoc quam illud in occasum vergebat, & sensim minuebatur.

III. Munere sacerdos

III. Erat autem Zacharias SACERDOS. Non defuere ex antiquis, magnæ existimationis Doctores, qui eum *Pontificem* fuisse ar-

arbitrati sunt. Sed errore magno. Apparet enim ex laterculo Pontificum istius temporis, nullum in iis Zachariæ nostro fuisse locum. Imo & ipsa Lucæ verba opinionem istam falsi arguunt. Solet enim Lucas Pontifices ἀρχιερέας dicere. Cap. III. 2. Act. iv. 6. Hunc autem simpliciter ἱερέα vocat, addito etiam pronomine τις, ἱερεύς τις, *Sacerdos aliquis.* Quomodo de summo Pontifice nemo loqueretur. Adde quod Zacharias suis vicibus, & sortito functionem obiret. Pontifex autem omnia sacra omni tempore peragebat. Neque existimandum est, quia adolevisse dicitur Zacharias, ideo ipsum introivisse intra velum intimum, in Sanctum Sanctorum, quo pedem penetrare, nisi Pontifici, nemini mortalium fas fuit. Agitur enim hic de quotidiano suffitu, adolendo in altari aureo incensi, quod erat in sancto, extra velum interius, ubi quotidie operabantur Sacerdotes. *fuit, non Pontifex.*

IV. Imo ne quidem *Vicarium Pontificis* fuisse, quem סגן *Saganem* vocant Hebræorum Magistri, credibile est; nihil enim habet historia quod eò nos ducat; & certe non alterius locum hac functione explevit, sed sui ordinis vicem sustinuit. Non tamen eo velim pugnare argumento, quo *Scultetus* utitur *Exercit. Evang. Cap.* VI. quod vicarius non substitueretur Pontifici nisi die expiationis, ut si quid contigisset quo impuratus videretur, alter ille ejus vice intraret in adytum: quam primum autem dies expiationum præteriisset, vicarius ille mox se abdicaret. Ita quidem *Cunæus de Repub. Hebr. Lib.* II. *Cap.* VI. Sed ab aliis Viris eruditissimis observatum est, vicarii illius perpetuam fuisse dignitatem, ita quidem ut qui spe proximior esset Pontificatus hæres eam gereret, donec ipsi succederet Pontifici. Vide sis *Selden. de Succes. ad Pontif. Lib.* II. *Cap.* I. & *Buxtorfium in Lexico Talmudico ad vocem* סגן. *Lightfootus ad* Luc. III. 2. docet *Saganem* non tam *Vicepontificem* fuisse, quam *Supersacerdotem*; eundemque cum ממונה *præfecto templi*, cujus officium non ἐφήμερον, sed perpetuum fuit, saltem annuum. Quod fusius prosequitur *de Minist. Templi Cap.* V. Sufficiat ergo Zachariam pro sacerdote habere: nihilque de majore aliqua dignitate sine caussa somniemus. IV. *Neque ejus Vicarius.*

V. Quum vices sacri ministerii *Classem Abiæ*, ad quam pertinebat, tetigissent, *sortito* ipsi obtigit munus *suffitum faciendi.* Omnia enim in quotidiano ministerio sorte distributa sunt tum sacerdotibus, tum Levitis: quis quod ministerium obiret, quis holo- V. *Sortito ei obtigerat suffitum facere.*

holocaustum offeret, quis pacifica, quis mane, quis vesperi, quis sacrificium jugularet, quis sanguinem effunderet, quis altare excineraret, quis suffitum faceret. Sortitio illa fiebat in conclavi *Gazith*, quod formam magnæ Basilicæ habebat. Valde autem expetebant sacerdotes ut *suffitum* sibi *facere* liceret; quod compertum esset omnia bene & ex animi sententia succedere ei qui suffitum fecerat. Prudenter enimvero institutum est ut distributio officiorum *sorte* fieret: tum ne in delectu officiorum rixæ orirentur; tum ut doceretur, eam cuique vocationem alacriter obeundam, quam Deus cujus sors est, ei demandarit.

VI. *Quum appareret ipsi Gabriel.*

VI. Eam itaque functionem quum in *Templo*, id est ea ædis sacræ parte quæ *Sanctum* dicitur, obiret Zacharias, visus est ei *Angelus Domini, stans ad dextram altaris suffitus.* Solebat olim Deus voluntatem suam sacerdoti ex Arca insinuare: nunc autem nulla Arca, nullum Oraculum loquebatur. Sed apparet Angelus, quem ante istum diem unquam eo loco conspectum auditumve fuisse vix constat.

VII. *Promittens ex effœta uxore filinm.*

VII. Is Zachariæ ex Elisabeta uxore, jam grandæva, filium pollicetur, qui non ipsi solum, sed & plurimis gaudio & exsultationi futurus esset, cujus deinde præclaras dotes, & eximia officia disertissimo sermone exponit. Quibus omnibus immorari nunc non est otium. Id notatu dignum, apparitionem Angeli, nunciaturi mirabilem partum vetulæ, pridem sterilis, sapientissime, ut omnia, a Deo adhibitam esse, ut miraculis circa nativitatem Filii sui ex Virgine jam futuram conciliaret fidem. Facilius enim credet Deum invisibilem humana carne indutum conspiciendum se præbere, si quis Angelum pariter invisibilem contueatur: & cur dubitet virginem castissimam & immaculatam parturire posse, qui annosam vetulam, effœtam & gignendis liberis prorsus inidoneam, parere comperit?

VIII. *At incredulitatem suam Zacharias ominolo silentio luit.*

VIII. Cæterum hic laborabat Zachariæ fides: cujus defectum insolita prorsus poena luendum habuit. Indicto enim ipsi ab Angelo silentio mutus factus est, ad eum usque dicm, quo peperit ei uxor promissum filium. Non contemnenda pars prudentiæ justorum est, actiones Dei inter se contendere, prospicienterque observare ut primis respondeant postrema. Ritus adolendi incensi, primariæ inter oblationes, ex Judæorum sententia, sanctitatis est. Incepit autem cum ignorantia & inadvertentia, primisque sacerdotibus cessit infelicissime. Levit. x. Et ad finem vergens turpatur incredulitate, quæ adolenti linguæ usum adi-

mit. Nonne manifestissime ita docetur, prisci sacerdotii τὸ ... καὶ τὸ ἀνωφελές; Sacerdotis erat peractis in Templo sacris, men Dei solemni benedictionis carmine imponere populo. m. VI. 24. 25. 26. Id exspectabat a Zacharia tota populi titudo, foris in oratione perseverans. Sed hæret ille, & longiorem solito moram prodiens, improviso insperatoque atio, fandi prorsus impotens, communem exspectationem sine cunctorum stupore fallit. Obmutuerat dudum Prophem ordo; nunc & Sacerdos benedicturus obmutescit, ut sio isthoc locus fieret Prophetarum Maximo, arcana Divino consiliorum de salute generis humani mox promulgaturo, Sacerdoti Summo, veram animarum expiationem solidasque edictiones brevi allaturo: utque animi mortalium, in tanta rerum exspectatione suspensi, ad audientiam sermonum ejus, stupendum aliorum silentium, excitarentur.

X. Octavo a partu filii die, quum de nomine infantis disarent amici, ipseque adhuc mutus postulata tabella scripsis JOHANNEM nomen ejus fore, uti mandaverat Angelus, il *apertum Zachariæ os est, & laxata lingua, & loquebatur bene Deo.* Os quod incredulitas obturaverat, fides aperit. Et populo benedicere prohibitus erat, a benedictione Dei serem orditur. Imo *repletus Spiritu Sancto prophetavit*, & ex carmine Divinarum promissionum instantem nunc implem, & filii sui viam Christo præparaturi prosperos succes aliaque eo pertinentia, lætus celebrat. In Zacharia ita, quæ dudum emortua erat prophetia, mirabiliter renascitur. IX. *Quod mox solvit insigni prophetia.*

X. De cæteris rebus gestis Zachariæ, & morte, sive marty sacra historia nihil habet. Eum defectum ex humanis scrip supplere nititur Annalium Pater. Ex *Petro Episcopo Alexandri* rrans, Zachariam, quod filium ad necem quæsitum subisset, ab Herode inter templum & altare occidi jussum. itur & alia necis caussa ex *Cyrillo Alexandrino*, *quod prophetico ad occultorum cognitionem deductus, quum mysterium virginis de partu probe intelligeret, non arcuerit incontaminatam purissimam matrem, ab eo templi loco qui Virginibus ex lege designatus erat: autem iste locus inter altare & templum intermedius. Quando igi audierunt Regem totius creationis ad humanam nativitatem Divino procedere, veriti ne in ejus Regis potestatem & imperium veni, eum qui hac de partu testificatus erat interficiunt, sacerdotem santes.* X. *Fabula de martyrio Zachariæ.*

XI. Et consecutis miraculis.

XI. At nec miracula martyrio huic deesse oportuit. Ea igitur sic narrantur. Saxa templi conspersa Zachariæ cruore indelebiles illius notas conservarunt. Teste *Tertulliano*, qui in *Scorpiaco* hæc habet: *Zacharias inter altare & ædem trucidatur, perennes cruoris sui maculas silicibus adsignans.* Quod tamen *Hieronymus* albis dentibus ridet; tribuens id simplicitati credentium potius quam historiæ veritati: &, nescio quam pie, ita certe scribens, *Simpliciores fratres inter ruinas templi & altaris, sive in portarum exitibus qui Siloam ducunt, rubra saxa monstrantes, Zachariæ sanguine putant esse polluta. Non condemnamus errorem, qui de odio Judæorum, & fidei pietate descendit.* Sed & aliud miraculum audi, ex Epistola quam *Valentinianus Imperator* ad Episcopos Asiæ scripsisse fertur, & quæ apud *Theodoretum* exstat *Hist. Lib.* IV. *Cap.* VII. ubi sic inter alia Princeps: *Ne in ea quæ Testamenti Christi sunt damna incurratis, id quod in Zachariæ sanguine eveniebat: nam funesti illi, perinde ac pestifer dæmon, qui cædis illius socius erat, mortis supplicio traditi, adveniente cœlitus Rege nostro Jesu Christo, disrupti perierunt.* At hæc Apocrypha sunt, neque digna quæ credantur.

XII. Josephus ter per Angelum compellatus.

XII. Ad JOSEPHUM etiam, Beatæ Virginis sponsum, prophetico more delatum oraculum est. Idque hac occasione. Quum certis indiciis comperisset Mariam esse prægnantem, & caussam imprægnationis ignoraret; consilium iniit de ea clam deserenda. Justus enim quum esset, patriarumque legum amantissimus, non esse honestati ac verecundiæ suæ conveniens existimavit, in castos thalamos admittere pollutam. Quia tamen desponsatam sibi puellam amabat, cæterasque illius virtutes valde hactenus fuerat veneratus, hinc noluit eam publice accusare & ignominiæ exponere: satius arbitratus, ut absque strepitu forensi, absque infamia, non consciis nisi quos scire necesse erat, daret illi repudii libellum, ubi opus non erat divortii caussas exponere. Ista animo consilia agitanti, *ecce Angelus Domini in somnio apparuit, dicens, Josephe, fili Davidis, ne metue accipere Mariam uxorem tuam. Nam quod in ea genitum est, ex Spiritu Sancto est &c.* Matth. I. 20. 21. Facile autem cognovit Josephus, Divinitus hoc sibi immitti somnium, quod de cogitatis suis instrueretur, quæ non nisi Deo nota sunt. Idcirco experrectus fecit ut imperarat ei Angelus. Sed & iterato ei Angelus conspectus est, per requiem, jubens ut cum puerulo Jesu, & matre ejus, aufugeret in Ægyptum, evitaturus insidias ac furorem Herodis, ibique commoraretur usque dum Angelus imperaret reditum.

Matth.

Matth. II. 13. Denique tertium ei Angelus in Ægypto apparuit, jubens ut cum puerulo & matre rediret in regionem Israelis, mortuos enim esse qui animam pueruli petebant. Ibid. com. 19. 20.

XIII. Non posset hic sine piaculo omitti Simeon, *vir justus ac religiosus, exspectans consolationem Israelis, super quo Spiritus Sanctus erat. Fuerat ipsi Divinitus nunciatum à Spiritu Sancto, ipsum non visurum mortem priusquam vidisset Christum illum Domini. Is igitur venit impulsore Spiritu in templum. Et quum introducerent puerulum Jesum parentes, tunc ipse recepit eum in ulnas suas, & benedixit Deo ac dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine &c.* Luc. II. 25. & seq. Quæritur inter eruditos, fuerit ne hic Simeon filius celebratissimi in Judæorum historia *Hillelis*. Quod ut ordine dijudicari queat, primo historia illius Simeonis enarranda est; tunc ea componenda cnm narratione Lucæ, & ex utriusque collatione formanda sententia. XIII. *Simeon Propheta, an Hillelis filius?*

XIV. Historia *Simeonis* ita habet. Pater ei fuit *Hillel*, dictus *Babylonius*, quia ex Babylonia venerat, annos natus XL. Totidem annis Hierosolymæ legi operam dedit. Totidem rexit Israelem. Familia fuit nobilissima; cui vix ulla ea ætate anteferri merebatur. נשיא מבית דוד *Princeps ex domo Davidis*, ex Schephatia filio Abitalæ 2 Sam. III. 4. Quod tamen non nisi de materno genere intelligendum. Fuit autem Hillel senex caput familiæ Principum, princeps Academiæ & Synedrii : & hæc generis dignitas continuata est ipsi, filiis ac nepotibus ejus, ad decimam usque generationem. Hujus filius Simeon, dignitatis paternæ hæres, primus quos legimus omnium insignitus titulo *Rabban*, pater Gamalielis de quo Act. v. 34. ea ætate vixit qua natus est Christus. Operæ pretium est adscribere verba *Gansii* in *Zemach David*, *Part*. II. *ad Annum* 3761. ישוע נוצרי נולד בבית לחם יהודה פרסה ומחצה מירושלים בשנת ג' אלפים ותש' סא ליצירה והיא שנת מב' לקיסר אגושטו ולפי חשבון זה היה לדתו בימי ר' שמעון בן הלל *Jesus Nazarenus natus est in Betlehem Juda, sesqui milliare distanti Hierosolymis, anno post creationem* 3761. *qui est* XLII. *Cæsaris Augusti, & secundum computationem hanc incidit nativitas ejus in dies R. Simeonis, filii Hillelis.* Videtur etiam vir fuisse antiquæ probitatis & simplicitatis, qui virtutem sitam esse putavit, non in composita oratione, sed factis ad æqui justique normam conformatis. Etenim inter apophthegmata ipsius hoc quoque laudatur. לא המדרש הוא העקר אלא המעשה *sermo quantumvis acutus* XIV. *Historia Simeonis Hillelidis.*

 non

non est fundamentum, sed opus. Hæc ex scriptis Hebræorum de Simeone collegerunt Viri eruditissimi. De cætero Recturam ejus pertinaci silentio transmiserunt Talmudici operis consarcinatores. לא נזכר במשנה, *nulla ejus mentio est in Misna:* dicitur in *Tractatu de Sabbato. Cap.* I.

XV. *Collata cum narratione Lucæ.*

XV. Si vero conferantur cum iis quæ de suo Simeone Lucas narrat, convenit. I. Nomen. II. Locus habitationis. III. Ætas. IV. Vitæ probitas. V. Gratia Sancti Spiritus. Nam Divinitatis cujusdam opinionem apud populum Principes isti habebant. Ex his colligunt *Sculterus*, *Lightfootus*, *Altingius*, aliique cum ipsis Viri Doctissimi, Simeonem Lucæ memoratum fuisse filium Hillelis, Patrem Gamalielis, Principem Senatus Judaici. Atque ipsum Talmudistarum de ipso silentium favere huic sententiæ arbitrantur. Cujus silentii non alia fuerit caussa præter Vatinianum odium, quo Talmudis compilatores Jesum Nazarenum prosecuti sunt. Quem quia Simeon iste primus omnium Hierosolymitanorum agnovit, & non solum confessionem de ipso publice in Templo edidit, verum etiam de loco illius nativitatio Herodem sciscitantem erudiit, (nam & hunc consultum, & quidem præ cæteris, qui omnium scribarum princeps erat vix licet ambigere) omnia ejus dicta factaque ad æternam oblivionem damnata sunt, solo nomine superstite beneficio Hillelianæ genealogiæ: quemadmodum ob eandem caussam aliorum etiam memoria silentio involuta est. Ita *Altingius in Schil. Lib.* IV. *Cap.* XXI.

XVI. *Non exhibet satis certa argumenta quibus eundem fuisse probetur.*

XVI. Quis neget: erudite hæc ad eum modum a summis viris disputari; Attamen non desunt argumenta, quæ contrarium suadere videntur. Solet sacra Evangeliorum historia, ubi de viris agit qui magnæ apud suos existimationis fuerunt, & notabile aliquid fecerunt circa res Christi, eos dignitatis aut muneris sui elogiis decorare: quum id & ad Christi gloriam tendere, & ad alios alliciendos idoneum esse videatur. Sic Nicodemum, *unum* vocat *ex primoribus Judaeorum.* Joh. III. I. Jairum, *præfectum Synagogæ.* Luc. VIII. 41. Josephum, *Senatorem, virum bonum ac justum.* Luc. XXIII. 50. Gamalielem, quem Simeonis hujus filium esse volunt, *Legis doctorem, quem totus populus in pretio habeat.* Act. V. 34. Menahem, σύντροφον Ἡρώδȣ τȣ̃ τετράρχȣ. Act. XIII. I. Sergium Paulum, *Proprætorem, virum intelligentem.* Act. XIII. 7. & quæ similia inveniuntur plura. Hic autem nibil tale est; imo verba ita sunt composita

ut ne minimam tantæ dignitatis suspicionem ingenerare apta nata sint. Sic enim simpliciter Lucas: *Et ecce quidam erat Hierosolymis cui nomen Simeon.* Itane loqui solet Lucas de summo Israelitici Senatus Principe? Adde, Rabban Simeonis filium fuisse Gamalielem, quem constat Pharisaicæ sectæ addictissimum, & Christianæ pietati infensissimum fuisse hostem. Si parens ipsius Christum puerulum agnovisset, & publice prædicasset; an non & filium suum iis imbuisset principiis, quæ eum Christo & Christianismo fecissent aliquanto faventiorem? Nam quæ modestius adversus Apostolos dixisse memoratur Act. v. 35. ea quidem æquitatis naturalis reliquias in ipso arguunt; favorem in Evangelium non arguunt. Denique, si is qui Christum tanto cum affectu ulnis in templo excepit, totius populi Israelitici fuisset princeps, qui magnam secum ubique catervam trahit, & cujus facta dictaque in exemplum eunt; nonne ea res, in populo, in Senatu, in aula Regis Herodis ingentes cievisset motus? Hæc faciunt ut eorum opinionem qui Simeonem Lucæ laudatum, Hillelis filium, Senatus principem esse volunt, ut mollissime loquar, parum certam esse existimem.

XVII. Maximis Prophetarum JOHANNES BAPTISTA suo merito, Christique æstimatione, accensendus est, quem Veterum plerique prophetasse dicunt ante quam natus esset. Nimirum hoc ipso historia testatur Evangelica, quod quum ad matrem ipsius prægnantem prægnans venisset Maria, audita Mariæ salutatione *subsilierit fœtus in utero Elisabethæ*, quæ *repleta Spiritu Sancto exclamavit voce magna, dixitque, Benedicta tu inter mulieres, quia benedictus fructus uteri tui. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim, ut exstitit vox salutationis tuæ in auribus meis, subsiliit fœtus exsultans in utero meo,* Luc. 1. 41. 42. 43. 44. Hoc post Veterum plerosque vir quidam eruditus his propemodum verbis exponit: *Infantulus tectus materna carne, ossibus & cute, qui lucem nondum spectaverat diei; nec vocibus assueverat humanis, nescius rerum quæ extra matris agebantur ventrem, necdum instructus usu rationis, audit advenientem Mariam, agnoscit quam nondum viderat; imo quod magis est, novit benedictum fructum ventris Mariæ, saltando gaudium & hilaritatem suam testatus. Hanc notitiam non hauserat ex sensibus: illorum enim usu huc usque erat destitutus. Nec acceperat à parentibus: illi enim necdum viderant. Nec ex ulla institutione, cujus omnino expers erat. Sed immediata Dei operatione & potentia & sanctificatione effectum est, ut hic præco & anteambulo Domini*

XVII. Johannes Baptista, an vaticinatus antequam natus?

 etiam

etiam nosset Dominum suum, antequam quidquam nosset rerum extra se, & saltatione illum indicaret, quem necdum ore voceque poterat annunciare; & fidem haberet, antequam ἀκοὴν, ex qua fides ordinario est, imo verbum Dei, per quod est ἡ ἀκοὴ, accepisset. Ita potest Deus supra quam comprehendimus. Fateor docte, eleganter, pathetice, pie etiam, dicta esse hæc omnia: ideoque nec piguit hic adscribere.

XVIII. Non videtur. XVIII. Dubito tamen an probari ex sacro textu queant. Mihi, eo diligenter perpenso, sic videtur. Habuit illa subsultatio infantis in utero Elisabethæ singulare aliquid, & extraordinarium, quod ipsa, a Spiritu Dei edocta, alio tendere deprehendit. Non enim ipsius lætitia, ex conspectu & amica salutatione dulcissimæ cognatæ orta, caussa fuit subsultationis in foetu: sed ipsa mater a foetu præventa, illiusque saltatione, & motu extraordinario, didicit singulare aliquid sibi accidere, matrem Domini sui ad se venire. Inde non consequitur, infantulum nondum natum agnovisse advenientem in Maria Jesum, eumve id docuisse matrem suam Elisabetham. Non etiam dicitur infantulum repletum fuisse Spiritu. Id solum dicitur, Elisabetham ex motu infantis extraordinario, extraordinarium aliquid collegisse, ipsamque, Magistro Spiritu Sancto, quo subito replebatur, de Maria Christi matre edoctam, prophetasse.

XIX. Calvinus vindicatus a calumnia Cornelii a Lapide.

Adde Præf. §. XVI.

XIX. Lubet appingere *Calvini* commentarium, ut eadem opera occasionem habeam retundendæ Jesuiticæ calumniæ. Ita ergo ille ad Luc. 1. 41. *Naturale quidem est ut ad subitum gaudium moveat se fœtus in utero gravidæ mulieris: sed* LUCAS ALIQUID EXTRAORDINARIUM NOTARE VOLUIT. *Quamquam nihil ad rem attinet argutis quæstionibus nos intricare, an senserit infans Christi præsentiam, an sensus hic fuerit pietatis potius. Hoc unum sufficiat* ARCANO SPIRITUS MOTU INFANTEM SALIISSE. *Nec sane proprium illi sensum tribuit Lucas; sed magis significat hanc Divinæ in matre ipsa operationis fuisse partem, quod infans exsultavit in utero ejus.* Iterumque ad vers. 44. *Amplificat istam Dei gratiam de qua loquitur, ex subito motu infantis quem utero gestabat:* UNDE DUBIUM NON EST QUIN TESTARI VELIT, SE ALIQUID SUPERNATURALE ET DIVINUM SENSISSE. An qui ita loquitur, is a te meritus est, *Corneli à Lapide*, ut de ipso scriberes, *Calvinus censet naturalem duntaxat fuisse hunc motum & saltum Johannis.*

XX. Johannes est XX. Etiamsi stricte loquendo verum non sit, vaticinatum esse Johannem antequam natus esset: hoc tamen certum, ante nativita-

vitatem ipsius præclara de ipso edita esse vaticinia. Ipse enim est de quo Jesaias dixit Cap. XL. 3. *Vox clamantis in deserto, parate viam Jehovæ*, quod & ipse sibi applicat Joh. I. 23. *Vox* est, id est præco sonorus, clarus, fidus, non nisi Dei sermones referens: mera vox, sermone, vita, victu, amictu, omnibus denique actionibus, & semper docens. *Clamantis*, Dei, qui eo tempore validissime quosvis hortabatur ad poenitentiam, brevique in Evangelii præconio audiendus erat ad terminos terræ. Nota, non dici *vocem clamantem*, sed *clamantis*, ut clamor primo Dei sit, Johannes autem non nisi Echo, repercussio illius clamoris; illiusque prædicatio revera בת קול *filia vocis Divinæ*. Vox clamantis *in deserto*, tam literaliter, quam mystice. Prædicavit enim in deserto Judææ. Matth. III. I. Totaque Judæa mystici tunc deserti instar habebat: referta feris, truncis, vepribus, sentibus, caudicibus, saxis nullos Deo fructus ferentibus. Summa prædicationis ipsius, eo tendebat, ut *Jehovæ*, id est Messiæ humana carne induto, adventanti ad populum suum, *præpararetur via*, animique excitarentur ad ipsius receptionem.

Vox clamantis in deserto.

XXI. De eodem loquitur Deus Malac. III. I. *Ecce ego missurus sum Angelum meum*, nuncium, præconem, proxime venturum post Malachiam, prophetarum ultimum; *qui expediat viam Faciei meæ*, id est Messiæ, in quo faciem suam hominibus peccatoribus contemplandam gratiose exhibet Deus; ipsis Hebræis, ut nuper ostensum, eam explicationem approbantibus. *Et repente veniet ad templum suum Dominus, quem vos quæritis; & Angelus fœderis, quo vos delectamini. Dominus* ille Messias est: quem David etiam in Spiritu Dominum suum nuncupat Ps. CX. Idem est *Angelus fœderis*, missus ad prædicandum, confirmandum, & morte sua obsignandum foedus gratiæ; & ad promissa illius foederis impetranda ac præstanda electis. Ad cujus adventum tot jam seculis anhelaverant quotquot exspectabant consolationem Israelis. Is *veniet*, videndus & audiendus populo; *in templum suum*, ad illius honorem & cultum ædificatum; ipse Dominus templi, & prophetarum omnium, qui illius prodromi fuerunt. *Repente veniet*. Opinione citius: certe stante adhuc templo, ut ibi exerceat judicium. Quis autem est, cui hæc conveniant nisi Christo, ipsiusque proximo prodromo Johanni?

XXI. *Angelus Anteambulo Angeli fœderis.*

XXII. Eodem pertinent quæ exstant Cap. IV. 5. 6. *Ecce ego missurus sum vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Jehovæ magnus & reverendus &c.* De die adventus Messiæ id intelligendum esse

XXII. *Elias Malachiæ.*

esse, vix ipsi negaverint Judæi. Matth. XVII. 10. Ut autem per *Eliam*, Thisbitem illum intelligamus, qui turbine in cœlum assumtus est, nulla jubet necessitas. Sæpe fit ut nomina ejusmodi propria aliis personis applicentur, ob aliquam quam iiscum habent similitudinem. Sic *Messias* dicitur *David*. Jer. XXX. 9. Hos. III. 5. Ezech. XXXIV. 24. Et *Jehu* appellatur *Zimri*. 2 Reg. IX. 31. *Elias* autem est *Johannes Baptista*, Eliæ in dotibus, officio, vitæ ratione simillimus, imo in omnibus major. Luc. I. 17. Matth. XI. 14. XVII. 12. Elias corruptissimis temporibus nullo periculo absterritus est quo minus Regi omnique populo peccata ipsorum ob oculos poneret. Idem spiritus in Johanne apparuit. Ob hanc zeli eminentiam animam *Phineæ* in *Eliam* venisse fabulantur. Neque improbabile est quod *Grotius* existimat, a vetustioribus fuisse dictum, *Eliam venisse in spiritu Phineæ*; saltem hanc fuisse locutionis istius mentem. Ne apud ipsos quidem Judæos satis constat, an Elias ille priscus ipse venturus sit. *Maimonides in Hilcat Melachim*, *Cap.* XII. §. 2. de Eliæ adventu disputans: *Hæc omnia*, inquit, *& alia similia, nemo novit quomodo futura sint, donec exstent*. Et expressius *Menasse Ben Israel*, *de resurr. Mort. Lib.* III. *Cap.* VII. *Quidquid sit*, VENIET PRÆCURSOR ALIQUIS, *qui animos flectat, ac probe disponat, ne terra anathemate percutiatur*.

XXIII. *Propheta Altissimi.*

XXIII. Sed & Angelus ille qui nativitatem ipsius indicavit Zachariæ, simul prædicavit, quantus esset futurus. Luc. I. 14. & seq. Et Zacharias repletus Spiritu Sancto de mox nato prophetavit: *Tu vero puerule*, PROPHETA ALTISSIMI *vocaberis*: *praibis ante faciem Domini*; *ut pares vias ejus*; *& des cognitionem salutis populo ejus, per remissionem peccatorum ipsorum*. Luc. I. 76. 77. Propheticum munus solemniter auspicatus est anno ætatis suæ tricesimo. Nam *anno* XV. *Tiberii Cæsaris, Pontio Pilato procurante Judæam, sub Pontificibus Maximis Anna & Cajapha*, FACTUM EST VERBUM DOMINI AD JOANNEM, *Zachariæ filium in deserto*. Luc. III. 1. & seq. Hac formula prisci vates mittebantur. Jer. I. 2. Ezech. VI. I. Eademque in Johanne repetitur. Jam inde a Malachia exstinctus erat prophetarum ordo: adeo ut per multos annos nemo, verbo Domini ita impellente, populum instituerit. Nunc ordo ille restauratur initio facto a Johanne.

XXIV. *Quo nemo inter genitos e mulieribus major.*

XXIV. Quem ipse Jesus tanti fecit, ut pronunciaverit, *inter genitos e mulieribus non suscitatum fuisse quenquam Johanne majorem*: scilicet, dotibus, sanctitate, doctrinæ sublimitate, & muneris dignitate. Id enim ipsi datum, ut Messiæ proximus Anteam-

ambulo & Paranymphus esset, eumque præsentem digito monstrare.

XXV. At mirum est, quod mox subjungit Dominus: *τὸν μικρότερον enim qui minor est in regno cœlorum ipso esse majorem.* Id plerumque exponitur de minimo Ecclesiæ Christianæ ministro, cui datum est Evangelium consummationis prædicare: qui *major Johanne* diceretur, non ratione Spiritus Prophetici, Sanctitatis, Zeli, similiumve donorum, sed ratione ministerii, quod totum salutis nostræ mysterium multo exponere queat luculentius, quam unquam factum est a Johanne. Sed nescio an rejicienda sit eorum sententia, qui per *τὸν μικρότερον in regno cœlorum*, Christum ipsum intelligunt, ita dictum quia minor erat ætate, & posterior in ministerio: quo sensu Jacobus Alphæi vocabatur *ὁ μικρὸς parvus*, Marc. xv. 40. id est junior, respectu Jacobi Zebedæi, qui *Major* erat. Mirum enim videri posset, quod Dominus Jesus, qui toto hoc sermone suo præclara omnia de Johanne prædicat, mox, ubi nihil tale exspectaveris, eum minimo discipulorum suorum minorem faciat. At res ipsa suadebat, ut, quantumvis extolleret, se tamen eum minorem esse testaretur. Ipso Johanne proclamante: *is qui pone me venit, antepositus est mihi, quia prior me erat.* Joh. I. 15. Nec potest quisquam explicationem istam novitatis postulare, nisi qui ignorat quæ *Epiphanius*, *Chrysostomus*, *Euthymius*, *Theophilactus* commentati sunt, & multi post eos viri eruditi. XXV. *Eo tamen excepto qui est μικρότερος in regno cœlorum.*

XXVI. Singulare aliquid Johannes in toto vitæ suæ instituto præ se tulit: uti *loco commorationis*, ita *habitu*, & *victu*, exemplum edens pœnitentiæ luctuosæ. *Habitabat* non in frequentissimis urbibus, sed in *deserto*, procul omni pompa & splendore seculi. Non utique Eremitarum more inter feras: sed ubi occasionem habebat prædicandæ resipiscentiæ. Sic tamen ut hoc exemplo doceretur, gratiam Dei regnumque illius non esse alligatum ad terrestrem Hierosolymam, & palpabilem montem Zion, & Sanctuarium manu factum, sed & desertum a Deo esse inhabitandum, illosque homines, qui hactenus deserti instar infrugiferi fuerant, Dei fore locum & civitatem. Pro *amictu* habebat *cilicium camelinum*, hirtum, villosum, contextum e pilis cameli, rudibus & inpexis, non emollitis, comtis, & in filum netis. Qualis vestis אדרת שער *toga hirsuta* dicitur. Zach. XIII. 4. Quam cingebat Johannes *Zona pellicea*, quæ vestem cilicinam stringens austeritatem augebat: in hoc quoque Eliæ similis. *Victus* erant *ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον.* Id quidam de *frondium summitatibus* intelligunt; XXVI. *Τὸ σκληρόδιαιτον Johannis.*

alii alia comminiſcuntur. At non video cur recedendum ſit a communiſſima vocis ſignificatione. *Locuſtas* enim non hominibus ſolum, ſed & gentibus integris, pro cibo fuiſſe, res eſt notiſſima. His addebat *mel agreſte*, quod ſine cultu in montibus, ſilvis, ſciſſuris petrarum inveniebatur, vel de arboribus ultro defluebat. Sic ut veſtitui victus reſponderet, non quæſitus, vel paratus arte, ſed quem eremus ultro ſuppeditabat, crudus, & pauper. Non tamen hoc victus genus ſuperſtitioſe adfectavit, (opinor enim, quum apud cives aut regem ageret, non requiſiviſſe locuſtas) ſed exemplar eſſe voluit frugalitatis eximiæ. At neque *vinum* bibit, ullumve potum inebriantem, ad exemplum *Naziræorum*.

XXVII. *Abſtinentia religioſa a vino, an repræſentet quodammodo ſtatum innocentiæ.*

XXVII. Digna notatu eſt Doctiſſimi *Lightfooti* obſervatio: Supponit tanquam valde probabile, vitem fuiſſe eam arborem cujus eſu Deus homini interdixit in Paradiſo: quod quidam Hebræorum magiſtri abſque omni ſcrupulo ita determinant. Inde infert, Naziræatum, inſtitutum exactiſſimum, cujus pars magna conſiſtit in religioſa ab omni genimine vitis abſtinentia, commemorare aliquid de ſtatu ante peccatum, eumque quodammodo delineare; ſicuti lepra, immunditiarum immundiſſima, optime delineat ſtatum peccati.

XXVIII. *Quomodo ea vivendi ratio cum ſacerdotio conſiſtere potuerit.*

XXVIII. Quum Johannes *Sacerdotis filius* fuerit, & natalium jure *Sacerdos*, Sacerdotes autem lineis veſtibus indui, ſtatis vicibus in Templo commorari, de ſacrificiis edere, oportuerit; quæritur non immerito, quomodo commoratio in deſerto, victus & amictus tam a communi conſuetudine abhorrens, cum inſtituto Sacerdotali conveniat? Ad quam difficultatem expediendam, notandum eſſe arbitror, Johannem ſingulari conſtitutione Divina *Prophetam* fuiſſe: *Prophetæ* autem in muneris ſui functione, quæ tota a Dei impulſu pendet, ſupra communes leges ſunt: quod ex Samuelis hiſtoria multis argumentis probari poteſt. Porro non *Sacerdos* ſolum, ſed & *Naziræus* erat; idque non ſuapte electione, ſed Divina ordinatione. Naziræatui autem ordinariæ leges cedebant. Adde, in tanta Sacerdotum multitudine non ita requiſitam fuiſſe Johannis in templo præſentiam, quin plurimum ei temporis ad baptiſmi ſui præconium ſuperfuerit. Denique in muneris ſui exercitio juſſi quidem ſacerdotes ſunt ſtolis ſe albis amicire, quod eo caſu Johannem pariter feciſſe credere par eſt: at extra ſacram functionem nulli veſtium formæ adſtricti fuere.

XXIX. Præ-

XXIX. Præcipuum Johannis officium fuit, *prædicare Baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum*, admonere auditores suos, ut *Regnum cœlorum* quod jam præ foribus erat avide amplecterentur, & denique *monstrare præsentem Messiam*, omniumque ad eum animos convertere. Omnes fere qui tunc erant religionis doctores, de cibo, potu, lotionibus, decimis, sacrificiis, & externis ejusmodi ritibus disputabant, haut aliter ac si totius religionis prora, quod ajunt, & puppis in iis sitæ essent: imo clarissima Dei præcepta suis sæpenumero humanis & hypocriticis institutis irrita faciebant: turgentes interim superba propriæ justitiæ præsumtione. Johannes autem, longe aliter instituens, ab externis ad animum, a ceremonialibus ad moralia, ab humanis institutis ad Divina mandata, ab arroganti perfectionis opinione ad humilem peccatorum confessionem & resipiscentiæ studium, auditores suos avocat. Hebræorum Magistri templo suo, illiusque superbis substructionibus, & externo apparatu, insanum in modum sese extollebant. Johannes procul Hierosolymis, in eremo, regnum cœlorum prædicat; aliumque prorsus rerum statum sub Imperio Messiæ, cujus insignia privilegia sunt justitia, pax & gaudium per Spiritum Sanctum. Id jam instare proclamabat, futurumque ut brevi reveletur. Venit etiam ut testaretur de luce: jubebat ut crederent in eum qui post se venturus erat: & quum eum jam præsentem conspicaretur digito quoque monstravit, dicens, Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Eum supra se immensum extulit, indignum se fassus qui ipsi solveret corrigias. Totum denique ministerium suum eo comparatum esse, ut Christo crescente ipse minueretur: uti stellas omnes præstringit æthereus sol. Omnibus hisce confirmandis inserviebat ejus baptismus, quo Judæi ipsi, ut recentes proselyti, initiabantur instanti regno cœlorum, præstita confessione peccatorum, praxi pœnitentiæ, & professione fidei in Messiam ad remissionem peccatorum.

XXIX. Præcipuum Johannis officium.

XXX. In hac sanctissimi muneris functione, magno populi concursu, intrepide perrexit, donec ab Herode in carcerem conjectus, & ob caussas ex Evangelio notas capite truncatus est; cœlestem doctrinam suam casto sanguine obsignans. Hic finis magni istius Viri fuit, quem non Evangelica solum scripta, sed & Judæorum historiæ, magnis cum elogiis prædicant. Meretur Viri pietas, ut quæ de ipso prodita sunt ubique magna cum voluptate legantur. Ideoque hic quoque appingi curabo quæ de

XXX. Ejusdem Martyrium.

de eo *Josephus*, & *Chronicon Regum Templi secundi*, *&* *Zemach David* narraverunt.

XXXI. Josepho memoratum.

XXXI. *Josephus Antiq. lib.* XVIII. *cap.* VII. hæc habet: *Joannem, qui Baptista cognominatus est, Tetrarcha necavit, virum optimum, Judæos excitantem ad virtutum studia, & imprimis pietatis ac justitiæ, simulque ad baptismi lavacrum: quod ita demum Deo gratum fore ajebat, si non ab uno tantum alterove peccato abstineant, sed animis per justitiam prius mundatis addant & puritatem corporis. Quumque magni concursus ad eum fierent, plebe talis doctrinæ avidâ, Herodes veritus ne tanta hominis auctoritas defectionem aliquam pareret, quod viderentur nihil non facturi ex ejus consilio, judicavit satius esse, priusquam novi quid exoriretur, illum tollere, quam rebus turbatis seram pœnitentiam agere: itaque vinctum missum in Machæruntem illic occidi imperat: quod factum secuta est Judæorum existimatio ab irato Deo perditum esse Herodis exercitum.*

XXXII. Et Historiographis Hebrais.

XXXII. *In Chronico Regum templi secundi fol.* 54. *col.* 4. hæc extant: גם אנטיפוס הרשיע והתעיב מכל אשר היו לפניו ויקח אשת פוליפוס אחיו מתחתיו והיא כבר הולידה והוכיחהו על התועבה הזאת רבי יוחנן כהן גדול ויכהו אנטיפוס וימיתהו : *Antipas etiam impie egit & abominanda patravit præ omnibus qui ante ipsum fuerant, & accepit uxorem Philippi fratris sui à sub potestate ejus, quæ jam ante pepererat: redarguit autem ipsum ob hanc abominationem R. Jochanan Sacerdos magnus, & percussit eum Antipas, ac morte affecit eum. Zemach parte I. anno* 1770. similia habet: הורדוס אנטיפטר ויש קורין לו טיטרקי הוא בנו של הורדוס הראשון ואחיו של ארקילוס והוה המלך השלישי לבית הורדוס גם הוא היה רשע רע ואיש משחית רבים מחכמי ישראל הרג בחרב ולקח את אשת אחיו פוליפוס בעודנו חי לו לאשה ויוחנן כ״ג בעבור הוכיחו על זה הרגו בחרב עם רבים מחכמי ישראל : *Herodes Antipater, quem nonnulli Tetrarcham appellant, fuit filius Herodis primi, & frater Archelai, fuitque rex tertius de familia Herodis. Etiam iste fuit impius pessimus, & vir perditor, plurimos Sapientum Israelis occidit gladio; & accepit uxorem fratris sui Philippi, hoc adhuc vivente, sibi in uxorem. Jochanan vero Sacerdotem magnum, propterea quod ipsum redarguisset ob hoc facinus, interemit gladio, cum plurimis ex Sapientibus Israelis.* Quæ testimonia satis congruunt historiæ Evangelicæ de nomine Baptistæ, & baptizandi instituto: Matth. III. 1. & seq. deque caussa carceris & mortis ipsius Matth. XIV. 3. Marc. VI. 17. Luc. III. 19. 20.

XXXIII. Messias, fatentibus

XXXIII. In catalogo Prophetarum Johannem quidem sequeretur JESUS, sed is Prophetis omnibus major, eorum caput & Do-

Dominus est; neque cæteri omnes quidquam sapuerunt, nisi ex ejus Spiritu. *Messiam* Prophetæ nomine pollicitus Moses est. Deut. xviii. 15. Quæ verba licet alio nunc trahant recentiores Magistri, recepta tamen apud Judæos sententia est, Messiam Prophetam fore; Mosi non supparem, sed æqualem, imo majorem. Æqualem Mosi facit *Maimonides* in *Tractatu Teschuba Cap.* ix. *sub finem. Ille Rex qui existet de semine Davidis præditus erit sapientiâ magis quam Salomo*, ונביא גדול הוא קרוב למשה רבינו, *eritque magnus Propheta proximus Mosi Magistro nostro, & propterea docebit omnem populum, & instituet eos de via Domini, venientque omnes gentes ad audiendum ipsum.* Ulterius processerunt Veteres, quorum hoc fuit dicterium *Aberbeneli laudatum in Prophet. post. fol.* 78. *col.* 1. ירום מאברהם ונשא ממשה וגבה ממלאכי השרת. *Excelsior erit Abrahamo, elatior Mose, altior Angelis ministerii.* Nec est quod indicta nobis maneat Cabbalistica observatio *Baal Hatturim* indicantis comma 15. Cap. xviii. in Deuteronomio, *incipere & finire cum litera Nun*, quæ est nota numeri quinquagenarii, *ad significandum, Prophetæ ibi promisso cognitas fore quinquaginta portas intelligentiæ*, quarum quadraginta novem solum Mosi patuisse volunt: *itemque eodem versu decem contineri dictiones, quo significetur, non minus illi Prophetæ obtemperandum esse quam Decalogo.* Collectio quidem futilis est, at res certissima.

§ XXXIV. Cæterum nihil tam magnifice cogitare valuerunt Hebræi de Prophetiæ præstantia in *Messia* suo, quin id omne immensum supergressus sit noster Jesus. Cujus Propheticum munus, quoad omnes sui partes, & præcellentiam, post alios Theologos me quoque delineasse memini, *Exercit.* x. *in Symbol. Apost.* § xiii. *& seq.* Neque necesse arbitror, ut ea hic repetantur. XXXIV. *Talis est noster Jesus.*

§ XXXV. Id unum nunc addo: aliquando prædicationem Jesu ita a prophetia distingui: ut ei opponi videatur. Daniel officia & beneficia Messiæ memorans, iis adnumerat חתם חזון ונביא *obsignationem visionis & Prophetæ.* Dan. ix. 24. *Visio* notat prænunciationem rei futuræ. *Propheta*, eum cui futuræ rei prænunciatio incumbit. *Obsignatio visionis*, est illius consummatio per complementum, quo prænunciationi substituitur ipsa res præsens. Idem doceri videtur Hab. ii. 3. *Adhuc erit visio ad præstitutum tempus.* Ille docendi modus, qui in prophetica prædicatione, & typica præmonstratione consistit, durabit ad τὴν προθεσμίαν, & πλήρωμα τοῦ χρόνου, de quo Gal. iv. 2. 3. 4. וְיָפֵחַ לַקֵּץ *Et præco ad finem, scilicet veniet. Finis* notat extremam partem τῆς προθεσμίας, אחרית XXXV. *Cujus tamen prædicatio aliquando a prophetia distinguitur.*

Judæis, Propheta Mosi similis, vel major.

הימים, ἔσχατον τῶν ἡμερῶν τούτων. Tunc veniet יָפֵחַ *Præco*, nam id nomen esse, non verbum, *Ludovicus de Dieu* observavit. *Præco* autem hic notat testem rei præsentis. Is Christus est. Cujus & hoc dictum exstat: Matth. XI. 13. *Omnes Prophetæ & Lex usque ad Johannem prophetarunt.* Cui consentit Judæorum axioma, modo rite intelligatur: הנביאים לא מתנבאים אלא לימות המשיח *Omnes Prophetæ non prophetant nisi ad usque dies Messiæ.* Non ea mente, quasi vel nullæ antiquæ prophetiæ loquerentur de rebus post Messiæ apparitionem eventuris: (extendunt enim se ad consummationem seculorum) vel prophetiæ donum cum Messia cessaturum esset: (tunc enim reflorescere debuit) vel Messias ipse & discipuli ejus nullas res futuras prædixerint: (nam enarrant fata Ecclesiæ usque ad novissimum judicium) sed hoc sensu: quod quæ Prophetæ de Messia, & regno cœlorum, & permanentibus bonis prædixerunt, ea complementum in Christo habeant: *in quo omnes promissiones Dei, quotquot sunt, sunt Etiam & Amen.* 2 Cor. I. 20. Quo revelato non dicetur amplius, exspectate, veniet: sed, *Ecce Deus noster hic est, exspectavimus eum, & servat nos: hic est Jehova quem exspectavimus, exsultabimus, & lætabimur de salute ejus.* Jes. XXV. 9.

XXXVI. *Josephi de Christo testimonium.*

Adde Præf. §. XVII.

XXXVI. Quandoquidem autem Historicum non minus & Criticum, quam Theologum nunc ago, lubet expendere *Josephi* de Christo testimonium, prout illud invenitur *Antiq. Lib.* XVIII. *Cap.* IV. his conceptum verbis. *Eodem tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum qui libenter vera suscipiunt: plurimosque tam de Judæis, quam de gentibus sectatores habuit. Christus hic erat, quem accusatum à nostræ gentis principibus, Pilatus quum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut divinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerunt. Et usque in hodiernum diem Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit.* Super hac pericopa gravissimæ Criticis inter sese lites intercedunt: aliis pro illius γνησιότητος, aliis contra disputantibus. Mihi hic spectatorem primum agere lubet, tum denique pro mea libertate judicium interponere; quod sequetur qui volet.

XXXVII. *Cur a quibusdam genuinum esse censeatur.*

XXXVII. Pro γνησιότητι hæc militant. I. Constans & perpetuus Codicum omnium, sive manu exaratorum, sive typis impressorum, in eo retinendo consensus. II. Auctoritas Veterum, hoc Josephi testimonio pugnantium. Id faciunt Eusebius *Hist. Eccl.*

Eccl. Lib. I. *Cap.* XI. *Demonst. Eu. Lib.* III. *Cap.* VII. HIERONYMUS *in Catal. Scrip. Eccl.* ISIDORUS PELUSIOTA *Lib.* IV. *Epist.* 225. SOZOMENUS *Lib.* I. *Cap.* I. CEDRENUS. NICEPH. *Lib.* I. *Cap.* XXXIX. SUIDAS *in voce* Ἰώσηπος. Et sic continua serie ad nos propagatum est. III. Accedit & ratio, non una. Nam *I.* Non est probabile Josephum diligentissimum scriptorem, quum res Judæorum persequeretur, de eo viro tacuisse, qui maximos in ea gente excitavit motus, & sectam de nomine suo condidit, seque eum Messiam esse professus est ad cujus adventum tota tunc Judæorum natio anhelabat. *II.* Quum elogio suo dignos censuerit *Johannem Baptistam*, & *Jacobum* ἀδελφόθεον, credibilene est indignum mentione *Christum Jesum* existimasse, cujus longe clarius nomen fuit? *III.* Magis id stringit, si consideremus, quod *Jacobum* laudans, quo clariorem eum faceret, FRATREM eum scripserit JESU, QUI DICTUS EST CHRISTUS; quem videlicet longe notiorem esse sciebat. Sic enim Josephi verba habent *Antiq. Lib.* XX. *Cap.* VIII. *Ananus Junior concilium Judicum advocat, statutumque coram eo* FRATREM JESU CHRISTI JACOBUM *nomine, & una quosdam alios, reos impietatis peractos, lapidandos tradit. Quod factum omnibus in ea civitate bonis, & legum studiosis, vehementer displicuit.* IV. Consentit, ex Judicio eorum qui nasum habent Criticum, dictionis color, & orationis filum, talia nimirum, qualia Hellenistarum esse solent. Locutiones etiam quasdam observare licet Josepho familiares. Hæc *Huetius Demonst. Evang. p.* 47. *Editionis Amstelodamensis.*

XXXVIII. Pro adversa parte his pugnatur argumentis. I. Plurimi e priscis Christianæ sectæ propugnatoribus caussam suam hoc testimonio nunquam tutati sunt. Non *Justinus* non *Tertullianus*, non *Photius*, qui *Josephi* summarium & censuram edidit. Non autem omisissent hanc ῥῆσιν, si vel cognita ipsis, vel pro genuina habita fuisset. II. *Origines* non uno loco aperte scripsit, Jesum a Josepho non fuisse pro Christo agnitum: idem & *Theodoretus* asseveravit. Et res ipsa clamat. Quum Josephus vaticinia de Messia, sive assentatorie, sive ex animi sententia, Vespasiano applicatum iverit; quomodo de Jesu dixisset? ὁ ΧΡΙΣΤΟΣ ΟΥΤΟΣ ΗΝ. III. Fuit Josephus ex *Sacerdotum* genere prognatus, & *Pharisæorum* sectæ addictus, quos præ aliis Christus incessendos sibi proposuerat: proindeque verisimile non est, laudatum esse a Josepho, qui Josephi gregales gravissimis injuriis affecerat. IV. Non cohæret hæc περιοχὴ cum iis quæ antecedunt & quæ sequuntur, & inconsiderate admodum ab

XXXVIII. *Cur rejiciatur ab aliis.*

ab imperito intrusa est. V. Stili etiam discrepantiam obtendunt: frigidum esse ajunt, hærere, sudare, balbutire, qui hoc ἐπίβλημα operi accudit. VI. Denique absurdum esse, Josephum, cujus in Ethnicorum vanitatem potius, quam in Apostolorum disciplinam animus inclinabat, fatentem inducere, Prophetas prædixisse casus ac gesta Christi Jesu, ac reditum præsertim ad vitam. Ita fere *Blondel. Epist. ad Arnold. & Tanaq. Faber in Epistolis.*

XXXIX. Ἐπίκρισις

XXXIX. Ἐπίκρισις nostra hæc esto. I. Non admodum indigemus hoc argumento, quum ad rem Christianam propemodum perinde sit quid Josephus de Christo crediderit ac tradiderit. Tota controversia magis Historica, quam Theologica est: magis ad eruditionem secularem, quam ad fidem pertinens. II. Proinde non est nimis exagitanda eorum ingenuitas, qui malunt hoc argumento non uti, ne plumbeis armis pugnare videantur, ubi decretoria non desunt. Præsertim quum constet, multa aliena antiquitus conficta, magnisque auctoribus affícta fuisse, de quibus tamen illi neque vigilantes neque somniantes cogitaverant. Quod prolixo exemplorum syrmate comprobat *Blondellus, in Lib. de Carm. Sybill.* III. Non tamen laudanda est hypercritica quorundam crisis, qui sine necessitate argumenta conquirunt, quibus sua fidelibus arma extorqueant. Satius est horsum nobis eruditionem nostram famulari, ut suas hostibus exceptiones eripiamus, quam ut ipsi eas suggeramus. IV. Qui pro γνησιότητι hujus loci pugnant, ut de cæteris rationibus taceam, tuentur se possessione; unde deturbandi non sunt, nisi validis convictionibus. Quarum vicem præstare non possunt ea quæ opponuntur: ut ex singulorum examine patebit.

XL. *Expenduntur rationes rejicientium.*

XL. Resp. ad PRIMUM. In caussa esse potuit dolus Judæorum, qui ex quibusdam exemplaribus jam ab antiquo hanc pericopam eraserunt. Cui suspicioni fidem facit *Baronii* adversus Judæos expostulatio, *ad Ann. Ch.* XXXIV. §. 226. a quibus abrasum esse scribit hoc Josephi de Christo testimonium, in veteri quadam ipsorum membrana, qua Josephi historia de Græco in Hebraicam linguam conversa exstat. Dubitat quidem de hac narratione *Casaubonus. Exerc.* XVI. *Num.* 221. At vindicat Baronium *Huetius* p. 50. *Visitur*, inquit, *hodieque codex ille in Vaticana Bibliotheca, & Baronium absolvit. Photius* autem ignorare non potuit hoc testimonium in bene multis Josephi exemplaribus exstare, quum ex *Eusebio* aliisque id didicerit. Sed non constituerat ille totius

tius ἀρχαιολογίας epitomen dare. Excerpit quod visum fuit: omissis cæteris.

XLI. Ad SECUNDUM. *Origenes* & *Theodoretus* ita intelligendi sunt, ut negent eam probatam esse a Josepho sententiam quæ Jesum Christum esse statuit. Quod & nos credimus. Non enim Christianus fuit Josephus, sed Judæus. Historici hic partibus functus est, eaque retulit quæ communis ferebat fama, non interposito suo judicio. Ita intelligenda sunt verba: ὁ χριστὸς οὗτος ἦν est, vulgata appellatione sic fuit appellatus: uti alibi Jacobum dixit, ἀδελφὸν Ἰησοῦ, τοῦ Χριστοῦ λεγομένου. Præsertim quum iis, de Christo loquens, verbis usus sit, quibus de Heroibus suis, virisque communem sortem superantibus, uti Gentiles solent.

XLII. Ad TERTIUM. Non magno religionis suæ zelo ductum fuisse Josephum, multifariam ostendit. Quid ni ut ingenui historici laudem mereatur, hæc de Jesu tradiderit, qui Vespasianum capitalem Judaicæ gentis hostem, aut Messiam esse credidit, aut credere se finxit? Acuta admodum est *Cloppenburgii* observatio, in *Epist. ad Capp. Oper. T.* 1. *p.* 161. fuisse illo loco factam a Josepho Christi mentionem ejusmodi, quæ ἀναλόγως perfidiæ Judaicæ, blasphemam habuerit connexionem cum sequenti historia, quæ magis ἀπροσδιόνυσος est quam mentio Christi: ut voluerit Josephus parallelismo Paulinæ, sua opinione a Deo, revera a Decimo Mundo imprægnatæ, ridere fidem Christianorum de conceptione Jesu Christi ex virgine per operationem Spiritus Sancti. Vide tamen contra disputantem *Cappellum p.* 165.

XLIII. Ad QUARTUM. Quid ni cohæret? In antecedentibus mentionem fecerat Josephus seditionis a Judæis adversus Pilatum motæ, occasione signorum quæ cum effigie Cæsaris in urbem intulerat. In sequentibus narrat historiam Decii Mundi & Paulinæ, quæ in Isidis turpissimis sacris Romæ contigit. Utrumque factum est eadem ætate qua vixit Christus. Quid impedire historicum potuit, quo minus inter utramque hanc narrationem Christi meminerit? Magisne ad res Judæorum illa Mundi & Paulinæ Romana historia facit, quam hæc Christi? Et dato, non cohærere has narrationes: quid familiarius etiam præstantissimis historicis est, quam diversas congerere narrationes prout rerum postulat varietas, nulla quæsita argumentorum commissura? *Faciunt hoc sæpissime Principes historici, Thucydides, Polybius, Livius, in iis præsertim, quibus nolunt immorari*, uti ad hunc ipsum Josephi locum observat *Casaubonus. Exerc.* XI. *Nu.* 11. Ad QUINTUM. Volupe

lupe est super stilo altercantes audire *Tanaquillum Fabrum* & *Huetium*; ambos emunctæ naris Criticos; quorum hic ovum ovo similius esse negat, quam περιοχὴ hæc reliquarum Josephi scriptionum similis est. p. 53. Ad SEXTUM, ut ad II. Quasi dixisset: Hic quum feratur esse Christus, prædictiones prophetarum quæ genti nostræ Messiam spoponderunt, in eo feruntur exitum habuisse. Concludimus: non eas produci rationes, quæ evincant fidem huic Josephi testimonio denegandam esse.

XLIV. *De Apostolis copiosissime scripsit Spanhemius.*

XLIV. Christo, uti Prophetarum Domino, adjungendi sunt APOSTOLI, qui a principibus ipsi fuerunt ministeriis, testes vitæ, doctrinæ, miraculorum, mortis, resurrectionis ipsius, ditati locupletissimis spiritus sui donis, Doctores Universi, qui Evangelium propagarunt ad terminos orbis habitabilis, verbo ut absolvam, plusquam Prophetæ sub Oeconomia Testamenti Novi. De quorum nomine, institutione, munere, præeminentiis, numero, multa nobis dicenda forent, nisi eam materiam occupasset Maximum Ordinis nostri decus FRIDERICUS SPANHEMIUS, in *Dissertatione Historico-Theologica de Apostolatu & Apostolis*: ubi tam copiose, erudite, nitide, totum hoc negotium pertractavit, ut multo satius sit lectorem eo ablegare, quam repetita scriptione, quæ nunquam ad copiam & elegantiam Spanhemianæ Dissertationis accedet, & nobis & aliis molestiam facessere.

XLV. *Iidem Prophetæ fuerunt.*

XLV. Id nunc imprimis consideratu dignum est, quomodo Apostoli *Prophetæ* sint, quum alias a Prophetis distinguantur. In eo certe *Prophetæ* sunt. I. Quod veritates Evangelicas didicerint ex immediata revelatione Divini Spiritus, toties iis a Christo promissi, tam abundanter concessi. II. Quod eodem Spiritu impellente ac dirigente quas edocti erant veritates sive voce, sive scripto exponerent. III. Quod id facerent quarumvis gentium ac nationum linguis, quarum peritiam uno ipsis momento infuderat Divini Spiritus efficacia. IV. Quod doctrinam illam suam confirmaverint miraculis, quibus nulla secula par aliquid aut simile viderant, & quibus spectatores omnes in admirationem rapi necesse fuit. In eo autem a *Prophetis* stricte sic dictis *distinguuntur*, quod potissima pars functionis ipsorum non consisteret in rerum futurarum prædictione; sed in annunciatione Evangelii consummationis. Ut explicarent religionem Christianam excellentissime: partium ejus συναρμολογίαν accuratissime docerent: illam, ubi id opus fuit, productis e Veteri Testamento testimoniis & argumentis, evidentissime demonstrarent: & quæ ita abstrusa erant in allego-

legoriis & typis, a Deo in prisca illa Oeconomia institutis, ut nisi ope extraordinaria Spiritus intelligi & divinari non possent, ea mirifice interpretarentur. Quod tamen non impedit quo minus aliquoties prophetarum munere functi sunt, res futuras prædicendo. Uti Paulum & Petrum & Johannem in epistolis suis fecisse comperimus. *Prophetis* autem omnibus *majores* fuerunt in eo, quod quum afflatus prophetarum accederent, & recederent, prout Deo libitum fuit, lux ea quæ divinitus in mentes Apostolorum infusa est, perpetuo eos comitabatur.

XLVI. Id præterea nunc inquirere juvat, ecquid de Apostolis Christi, & tribubus unde eos nasci oportuit, vaticinatus sit David Ps. LXVIII. 27. 28. Ubi verba ex versione Juniana ita habent. *In congregationibus benedicite Deo, Domino*, qui estis *e scaturigine Israelis. Illic sit Benjamin, parvus, & dominator eorum: principes Judæ, & cœtus eorum: principes Zebulunis, principes Naphtali. Theodoretus*, aliique ex Veteribus, ad Apostolos hæc retulerunt. Nec desunt ex recentioribus qui adstipulentur: Eamque sententiam novis suffultam tibicinibus hoc fere modo exponit *Altingius Schil. Lib.* V. *Cap.* XX. *& commentario in hunc Psalmum oper. Tom.* II. Prophetico hoc Psalmo describitur gloriosa Christi in cœlos adscensio cum iis quæ eam sunt consecuta. In quibus est *benedictio Domini* במקהלות, *in Panegyribus*, magnis non unius populi coetibus. Hoc ergo versu describuntur ii qui laudum Divinarum futuri erant præcones. Et denominantur a *tribubus Israelis*, unde ortum isti præcones ducturi erant. Ibi primus collocatur Benjamin, designaturque Paulus ex ista tribu oriundus, diciturque הצעיר, Græcis νεώτερος, *minor*, quia sicuti Benjamin postremus filiorum Jacobi fuit, ita ipse postremus omnium ad Apostolatum vocatus est: unde se *minimum*, & *abortivum* dicit. 1 Cor. XV. 8. 9. 10. Eph. III. 8. Additur vox רֹדֵם, nuspiam alibi repetita. Ea vel simplex est, ἐκστατικὸν notans (Græci ἐν ἐκστάσει) & sane a רדם est נִרְדָּם *sopore ecstatico obrui*. Et tum exactissime delineat Pauli *Vocationem*, quæ facta in *ecstasi*. Act. IX. 3. --- & 12. & *Confirmationem* in munere, pariter in *ecstasi* factam. Act. XXII. 17. 2 Cor. XII. 1. Vel est composita; & significat, *qui dominatur iis*, imperio non herili, sed paterno & doctoris. 1 Cor. IV. 15. prærogativa, non dominationis, sed laboris, supra conservos. 1 Cor. XV. 10. 2 Cor. XI. 5. 23. Huic adduntur שָׂרִים *Principes*, προεστῶτες, ἡγούμενοι. Et quidem *Principes Judæ*, רִגְמָתָם. Vox ἅπαξ λεγομένη, *acervum lapidum* designans. *Lapis* autem *stator* & *conservator* rei alicujus dicitur.

XLVI. An de iis prophetaverit David Ps. LXVIII. 27. 28.

tur. Sic Joseph Gen. XLIX. 24. אבן ישראל *Lapis Israelis*. *Acervus lapidum* plures ejusdem tribus notat, in eodem opere collegas. Ex JUDÆ tribu Apostoli fuere, *I.* JACOBUS MINOR frater Domini. Gal. I. 19. filius Alphæi & Mariæ, Marc. XV. 40. quæ soror fuit Mariæ matris Jesu. Joh. XIX. 25. *II.* JUDAS, Jacobi hujus frater. Judæ I. I. *III.* JACOBUS MAJOR, & *IV.* JOHANNES filii Zebedæi & Salomes, quod colligitur ex Matth. XXVII. 56. col. c. Mar. XV. 40. quam sororem dicunt Josephi, sponsi Mariæ. *V.* SIMON ZELOTES, aut *Kananites*, quem fratrem uterinum Jacobi minoris & Judæ credidit antiquitas, *VI.* JUDAS ISCARIOTH. Cujus patria *Karioth* inter urbes Judæ tributas numeratur. Jos. XV. 25. Mentio deinde fit PRINCIPUM ZEBULUNIS. Huc referendi. I. PETRUS II. ANDREAS frater ejus. III. PHILIPPUS, omnes nati *Betsaida*, urbe *Galilææ*, tribus *Zabulon*. Joh. I. 45. IV. BARTHOLOMÆUS, qui multis idem esse creditur cum NATHANAELE, tum propter familiaritatem cum Philippo Joh. I. 46. col. cum Matth. X. 3. tum quia *Nathanael* inter Apostolos nominatur Joh. XXI. 2. *Nathanael* autem ex Cana Galilææ *Zebulonis* fuit. ib. Denique PRINCIPIS NAPHTALI. MATTHÆUS, *Capernaita*, ut videtur ex Matth. IX. 9. quæ urbs in ista tribu. Restat, THOMAS, sive *Didymus*, de cujus prosapia nihil liquet. Hæc *Altingius*; quæ si non prorsus convincentia, certe erudita sunt.

XLVII. *propheta Testamenti Novi.*

XLVII. Apostolis proximo ordine adnumerantur PROPHETÆ 1. Cor. XII. 28. *Et alios quidem constituit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, deinde* PROPHETAS. Sic & Eph. IV. II. *Is igitur dedit, alios quidem, Apostolos, alios Prophetas*. Confer Eph. II. 20. & III. 5. Prophetæ hic eos notant, qui singulari sacrarum literarum peritia præditi, extraordinario Spiritus dono, antiquas prophetias interpretabantur, ea quæ facta narrabantur ab Apostolis & Evangelistis conferentes cum priscis vaticiniis, & ex iis ostendentes ita fieri debuisse, atque ita demonstrantes veritatem Evangelii ex Mose & Prophetis. Illi distinguuntur ab *Apostolis*: non, quod Apostoli non essent prophetæ, quod sane erant; uti demonstravimus, modo excellentissimo; sed quod quidam prophetæ non essent Apostoli. Junguntur autem Apostolis, quia veritatem Apostolicæ prædicationis confirmabant ex priscis oraculis. Tales Prophetas credibile est in Antiochena Ecclesia fuisse BARNABAM & SIMEONEM qui vocabatur NIGER, & LUCIUM CYRENÆUM, & MANAHEN, qui fuerat educatus cum Herode Tetrarcha, & SAULUM: nisi fortasse & futura prædicendi facultate præ-

prædīti fuerint. Act. xiii. 1. Tales etiam Judas & Silas, qui *quum prophetæ essent, multo sermone adhortati sunt, & confirmarunt fratres.* Act. xv. 32. Et sane debuit in illis esse, & magna muneris dignitas, & magna Spiritus copia, quandoquidem medii inter Apostolos & Evangelistas interjiciuntur. Nam ut ab Apostolis secundi, sic sepositis Apostolis primi numerantur. Munus ipsorum, quum constiterit in Evangelii ex antiquis prophetarum oraculis solida confirmatione, nobilissimum fuisse manifestum est. Ad eam rem dotes requirebantur eximiæ, ingens cognitio rerum religionis Christianæ, & harmoniæ admirabilis quæ inter ejus partes intercedit, & propheticorum emblematum atque ænigmatum, quibus res Evangelii antiquitus repræsentatæ fuerunt, ingens præterea facultas illarum rerum ad ecclesiæ ædificationem explicandarum. Quæ dotes non tam exercitio & studio prophetis obtigerunt; quam afflatu aliquo extraordinario Spiritus, & virgula, quod dici solet, Divina. Quæ tamen singularis Dei gratia non obstat diligentiæ illi, quam ad præstantissimorum donorum consecutionem omnes adhibere tenebantur. Hinc factum, ut quemadmodum in prisca Ecclesia Israelitica, ita & in prima Christiana, frequens fuerit exercitiorum propheticorum usus.

XLVIII. De ejusmodi exercitiis propheticis intelligenda esse arbitror quæ Paulus præcipit 1 Cor. xiv. 29. & seq. Ubi *duos solum aut tres prophetas* in Ecclesia loqui vult, scilicet successive, uno die, ne multitudine loquentium obruantur auditores. *Aliis* autem, pari peritia præditis, permittit *dijudicare*, an via atque ordine exponantur vaticinia, convenienter intentioni priscorum prophetarum, an rite etiam applicentur suo singula subjecto. Nam debet in tali expositione prophetiarum esse demonstratio ad conscientiam. Addit Apostolus, *quod si quid alii revelatum fuerit adsidenti, prior taceto.* Nolebat enim eum qui loquebatur putare, ita se in loquendi provinciam venisse, ut non velit vicissim audire, etiam interrupto sermone suo. Erat hoc ex more prisco. Inter Judæos, in Synagogis, in conclavibus, in atriis Templi, habiti fuerunt sermones familiariores, in quibus interrogandi, judicandi, & sua vicissim cogitata expromendi dabatur occasio. Uti copiose ostendit Doctissimus Vir Campegius Vitringa *Archisynagogi sui Cap.* xi. Cæterum is qui loquendi sibi veniam poscebat, cum silentio alterius, debebat habere ἀποκάλυψιν, id est distinctam veritatis ex Divina informatione cogni-

XLVIII. *Exercitiorum propheticorum modus antiquissimus.*

tionem, qua clarius aliquid & elucidatius ac melius priore ex sacris literis docere idoneus esset. Nihil enim hic tentandum erat temere, & confuse: nihil arroganter aut pervicaciter.

XLIX. *Quo sensu spiritus prophetarum prophetis subjiciantur.*

XLIX. Nam *Spiritus Prophetarum Prophetis subjiciuntur.* Potest id dupliciter intelligi, & utroque sensu verum est, & scopo Apostolico conveniens. *Spiritus Prophetæ subjectus est ipsi Prophetanti.* Nemo ad ἀταξίαν suam tuendam prætendat, ita se urgeri ut differre nequeat. Non sic, inquit Apostolus, se res habet in iis quos sacris exercitiis adhibet Deus. Pythonici ita abripi & agi solebant ut suæ potestatis non essent: at Dei dona, quanquam non ab hominis voluntate profecta, voluntate tamen ejus reguntur quoad actum; & tempus ac moram ordini necessariam facile patiuntur. Spiritus igitur dona sua subjicit prophetantium prudentiæ & consilio, ut illis decenter utantur, & in tempus. Atque ita hæc ratio Apostoli referretur ad illud: *prior taceat.* Sed & ea mente exponi ista pericopa potest: ut *spiritus prophetarum loquentium subjecti* esse censeantur *aliis prophetis audientibus.* Quia, uti bene Celeberrimus Interpres, *Spiritus Sanctus per dona sua non facit, ut Propheta fiat superbus, arrogans, irreverecundus: sed unum donum alii dono coordinat, facitque ut libenter audiamus alios. Deus enim non uni dat omnia; sed dona sua distribuit inter multos, ut nemo possit dicere: ego te non indigeo. Atque ita spiritus se ipsum quodammodo subjicit Prophetis, nempe ut de se judicent, quid suum sit, quid non; quid dederit alicui Prophetæ, & quid ei adhuc desit.* Et sic ista ratio maxime spectaret illud: *Alii dijudicent.*

L. *Agabus futurorum prænuncius.*

L. At nec defuerunt Prophetæ strictissime sic dicti, quorum est res arcanas ac futuras prænunciare. Talis fuit AGABUS, qui *significavit per spiritum famem magnam futuram in toto terrarum orbe: quæ etiam fuit sub Claudio Cæsare.* Act. XI. 28. Idem *sumta Pauli zona, vinctisque manibus ac pedibus, dixit: Hæc dicit Spiritus Sanctus: Virum cujus est hæc zona ita vincient Hierosolymis Judæi, tradentque in manus Gentium.* Act. XXI. 11.

LI. *Prophetia de Timotheo.*

LI. Talium prophetiarum credibile est crebrum fuisse initio Christianæ Ecclesiæ usum, in cooptandis Evangelistis, similibusque Apostolorum cooperariis. Quum enim Apostoli primum orbem terrarum circuirent, neque longas in singulis locis moras necterent, humanis mediis scire non poterant, quinam ex neophytis idonei essent quos Ecclesiæ præfectos constituerent. Quum tamen ea res maximi esset momenti, succurrebat iis vel spiritus discretionis spirituum, vel prophetarum admonitiones, de certis qui-

quibusdam hominibus testantium, fidos eos futuros esse. Atque huc pertinere existimo Pauli illud ad Timotheum. 1 Tim. I. 18. *Hoc mandatum commendo tibi, fili Timothee, ut, secundum præcessas de te prophetias, milites per eas bonam illam militiam.* Nimirum per spiritum in prophetis loquentem creatus est Timotheus Evangelista, quem testimonio prophetarum approbatum & commendatum, manuumque impositione consecratum, ac majoribus spiritus donis locupletatum, socium sibi Paulus adsumsit; & nunc hortatur, ut, quod facturum prophetæ prædixerant, bonam decertet militiam.

LII. Taceo de Johannis Apocalypsi, quam excellentissimam Prophetiam esse rerum quæ in mundo & Ecclesia eventuræ sunt, usque ad rerum omnium finem, quis est qui negare ausit? Ejus meditatio adeo nunc eruditissimos nostri ævi scriptores exercuit; ut prolixiori de illa dissertationi supersedere sine ullo lectoris dispendio queam. Suffecerit nunc monere, adeo in Apocalypsi Prophetam egisse Johannem, ut nihil sit in Veteri Testamento quod cum eo possit eatenus comparari: usque adeo visa illa, quæ ipsi oblata sunt, magnifica sunt & splendida, & in miris symbolis constituta, & rebus futuris depingendis, ut id postmodum eventu comprobatum est, divinitus accommodata. Admirabilia, inquam, visa illa, tot partibus distincta, tot simulacris composita, tot variata veluti coloribus atque picturis, tot denique hominum, animalium, & rerum aliarum effigiebus ac apparatu illustrata, quæ illi non semel aut bis, sed alia aliis succedentia, repræsentabantur, omnes veterum Prophetarum afflatus admirabilitate sua vicerunt. Uti bene de iis judicavit *Moses Amyraldus in Præfatione ad Psalmos.* LII. *Johannis Apocalypsis.*

LIII. Post Prophetas numerantur Evangelistæ Eph. IV. 11. Quorum munus cum Prophetico munere magnam habet affinitatem, quamvis gradu ac dignitate paullo fuerit inferius. At quemadmodum extraordinarium fuit, in eo consistens ut Apostolorum in prædicando, vel scribendo etiam Evangelio, comites & coadjutores essent, sic par est existimare, fuisse eos donis aliquot extraordinariis instructos. Eorum primum fuit tanta vis spiritus, ut eos ab omni errore prohiberet, & ut quocunque mentem suam in rerum Theologicarum meditatione appellerent, veritatem perspicerent absque ullo errandi periculo. Qua in re Pastorum & Doctorum Ordinariorum conditionem superabant. Alterum est, quod, quum Evangelistæ Ecclesiis Christianis præfecti LIII. *Evangelistarum dignitas & munus.*

fecti essent, ut earum regimen secundum Apostolos constituerent, ut ex Epistola ad Titum manifestum est, præditi fuerunt ea prudentia, quæ proxime ad Apostolorum prudentiam accederet. At quamvis utramque illam rem, prout decebat, Spiritui Dei acceptam retulerint, negari non potest tamen, quin studium, & industriam, & lectionis assiduitatem, & contentionem animi ad acquisitionem utriusque attulerint, quem laborem Dei gratia mirifice prosperavit. Atque hac parte distinguebantur a Prophetis: quorum mentibus res illæ ab ipso Deo allapsæ sunt, & qui ex ἐνθουσιασμῷ quodam sapiebant. Vide sodes de hisce omnibus copiose & eleganter, suo more, disserentem laudatum modo *Amyraldum*.

LIV. Stephanus, Spiritu Sancto repletus, & facie Angeli instar coruscans.

LIV. Quæ de STEPHANO narrantur memorabiliora sunt, quam ut in historia Prophetarum Testamenti Novi omitti debeant. Fuit quidem ille ex ordine *Diaconorum*, at multa illi Divinitus concessa sunt quæ alioquin ad istum ordinem non spectabant. Nam & ipse, uti Evangelista vel Propheta aliquis, *prodigia & signa magna in populo edidit*, verbumque Evangelii prædicavit, tanta efficacitate, ut adversariorum *nemo obsistere potuerit sapientiæ & spiritui per quem loquebatur*: tanta denique gravitate atque decore, ut quotcunque in Judæorum concilio sedebant, *intentis eum oculis intuentes, viderint faciem ejus quasi faciem Angeli*. Actor. VI. Qui extraordinarius oris decor non solum loquentis commendabat dignitatem, sed & innocentiæ sanctissimi viri illustre dabat testimonium. Ita enim ostendebat Deus, non injurium eum esse in Mosis legem, quum faciem ejus eadem fulgoris majestate ornaret, quam in Mose olim stupuerant Israelitæ: neque quidquam ab ipso prædicari, quod legi per Angelos latæ adversaretur, quum faciem ejus Angelicæ simillimam redderet.

LV. Idoneam pro se Apologiam recitavit.

LV. Digna vero præ cæteris novissima ejus oratio fuit quæ a Luca Apostolorum Actis insereretur: quippe quæ non meram rerum notissimarum narrationem complectitur, sed sapientissima Apologia est, qua ex omni Dei circa populum Israeliticum politia arguit nihil a se doceri quod Divinæ menti non sit apprime consentaneum. Postulabatur blasphemiæ adversus Templum & Legem, eo quod dixisset, Jesum Nazarenum destructurum esse Templum, & mutaturum ritus quos tradiderat Moses. Ipse vero rem ab initio repetens ostendit, substantiam promissionis Patribus factæ non continere Templum, ritusque ibi observandos, imo ne ipsam quidem possessionem terræ Canaan, quum & Abrahamus,

hamus, & filius nepofque ejus, in ea terra uti non fua habitaverint, & fequentes Patriarchæ cum fua pofteritate, qui hæredes erant promiffionis Abrahamo factæ, potuerint falva promiffionis fubftantia in terra peregrina, vel afflictione premi, vel honoribus frui. Oftendit etiam præcipuas promifsiones Abrahamo factas effe ante datam ei circumcifionem, quod & Paulus alibi urget. Item, nihil nunc novi ab Ifraelitis fieri, quando Deo per miniftros fuos ipfos alloquenti obftreperent; quum majores eorum ipfi Mofi, cujus honorem nunc fibi adeo cordi effe videri volebant, fimiliter obftrepuiffent. Oftendit porro Templi, a Salomone demum ædificati, novitatem: urgetque difertam Dei declarationem, fe ædificio manu facto parum delectari. Unde concludit, pefsime eos facere quod in Templo, illiufque ritibus, tantum fanctimoniæ & religionis conftituerent, ac prophetas veritatem docentes perfequerentur; neque fibi vitio verti debere, fi de futura illius deftructione aliquid meminiffet.

LVI. Non diffiteor, in prolixa hac oratione occurrere nonnulla, quæ quo tendant prima auditione vix dignofcas; & alia quæ a Mofaicæ narrationis litera aliquantulum recedere videantur. At non idcirco meritus eft Stephanus hanc arrogantis Critici cenfuram: *Plenus quidem Spiritu Evangelii Sanctus Stephanus erat, quum eam recitaret orationem quæ exftat Act.* VII. *attamen multas ei immifcere videtur res hiftoricas nihil ad cauffam quæ difceptabatur pertinentes, & quæ vix eft ut conciliari queant cum hiftoria Veteris Teftamenti. Neque defunt homines eruditi, qui exiftimant Stephanum lapfu Mnemonico quadam diftinguenda confudiffe.* Profecto parum tribuere oportet Spiritui Sancto (quo non folum *imbutus*, fed & *repletus* fuiffe perhibetur Stephanus) qui dictat, tantam eum reliquiffe in intellectu Apologiftæ ἀκρισίαν ac judicii defectum, ut præter rem multa effuderit, non dignofcens quid cauffæ fuæ faveret; tantam etiam memoriæ infirmitatem, ut res notifsimas perperam narraverit. Quænam ifta eft Spiritus Sancti plenitudo, quam Chriftus ipfe, ut maximum liberalitatis fuæ donum, promifit, quæ tanto minus præftitit Viris Dei, quam mediocris diligentia ac folertia minimo præftat Criticorum? Mirum etiam eft, tam manifeftos defectus non deprehenfos ac reprehenfos effe a fapientibus Hebræorum, quos Lucas auctor eft non potuiffe obfiftere fapientiæ & Spiritui per quem loquebatur Stephanus. Mirum denique, Lucam orationem iftam Stephani tam prolixe defcripfiffe, fi tam parum ad rem faceret,

LVI. Injufta nuperi Critici cenfura vexatam.

neque suis careret erroribus, quos infimi subsellii in schola Hebræorum discipuli facile correxissent, quos tamen Divinus Scriptor intactos relinquit. Nisi fortassis & hunc æque imperitum fingat. Non multum me movet, quid dicere sustinuerint nonnulli quos Criticæ confidentiæ genius adflavit. Ego illos æmulari malo, qui attentiore consideratione sermonem Stephani expendentes, feliciter ostenderunt, & convenienter instituto suo eum esse locutum, & nihil dixisse quod repugnet Mosi. Quæ quum passim in Doctissimorum Virorum commentariis inveniantur; eo se nunc ablegari ne ægre ferat Criticus, donec novi aliquid protulerit, quod novam responsionem mereatur.

LVII. *Quomodo Scribæ & Pharisæi monumenta Prophetarum ornantes, adversus semet ipsos testati fuerint.*

LVII. Aculeum Auditorum mentibus infixerunt novissima Protomartyris verba, quibus credulitatem in persecutione prophetarum, & nece Christi graviter iis exprobrat. Eaque in memoriam mihi revocarunt, similem exprobrationem Christi. Matth. XXIII. 29. 30. 31. *Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum: Et dicitis, si fuissemus temporibus patrum nostrorum, non fuissemus eorum socii in cæde Prophetarum. Itaque testamini adversus vosmetipsos, vos esse filios eorum qui Prophetas occiderunt.* Obscuriuscula ea verba esse videntur. Quid enim in eo mali erat, quod monumenta in honorem Prophetarum structa exornarent? Nonne id faciendo ostendebant se valde improbare injustam parentum suorum crudelitatem? Qua ergo re testabantur se filios esse, id est æmulos, eorum qui Prophetas occiderant? Sane exornatio monumentorum vix videbatur idoneum ejus rei argumentum esse. Imo comparata erat ad demonstrationem honoris, & conjuncta cum protestatione reverentiæ, qua memoriam prophetarum prosequebantur. Inde tamen argumentari Christum evidentius docet Lucas Cap. XI. 47. 48. *Væ vobis, quoniam ædificatis monumenta Prophetarum, patres autem vestri interemerunt eos. Nempe testimonio vestro ultro consentitis factis patrum vestrorum, quoniam illi quidem eos interemerunt, vos autem ædificatis eorum monumenta.*

LVIII. Ad difficultatis istius elucidationem judiciose a *Grotio* observatum est: Deum sæpe hominum opera & dicta interpretari, non quemadmodum illi ea accipi volunt, sed in aliam longe sententiam, quæ justissime in ipsos quadret. Idem hoc loco est animadvertere. Nam quod illi fatebantur a patribus suis occisos Prophetas, Christus accipit non in eum sensum

quem ipsi volebant; nam ipsi eos patres vocabant naturæ intuitu, Christus etiam animorum similitudine, quam & declarassent hactenus: & apertius essent declaraturi. Perinde est ac si dixisset: Videri quidem vultis magnifacere Prophetas, aliosque Dei servos, quorum monumenta non sine ostentatione reficitis, atque interim revera proles estis *τῶν προφητοκτόνων*, nihilo iis meliores. Idem meditamini, quod illi faciebant. Mortuos honoratis, quia vobis obstare non possunt. Imo ipsum illud studium monumenta reficiendi, testimonium perhibet adversus vos. Libenter enim eorum sepulcra exstruimus, quos nollemus superstites. Quos vero superstites habetis, eadem cum antiquis illis, & perfectius docentes, eos odio non nisi per cædem satiando prosequimini. Docta enimvero, & digna auctore suo annotatio! Attamen subtilis valde, &, ut credibile est, a paucissimis eorum qui audiebant intellecta. Quotus enim quisque tanta præditus est sagacitate, ut illationem ex verbis & factis Scribarum ac Pharisæorum, tam contrariam ei rei quam præ se ferebant & verba & facta ipsorum, legitima sequela deductam intelligat?

LIX. Hinc olim nata mihi suspicio, substerni hypothesin aliquam sermoni Christi, sive ex factis sive ex dogmatibus eorum quos increpat: hypothesin, inquam, tunc iis notissimam, quamvis nobis nunc minus exploratam. Et circumspicienti nemo hactenus occurrit, qui probabilius de tali hypothesi disseruerit quam Doctissimus *Lightfootus*. Is observavit, in *Gemara Hierosolymitana, ad Tractatum Talmudicum de Siclis Cap.* II. *Sect.* V. exstare hanc sententiam אין עושין נפשות לצדיקים דבריהן הן זכרונן. Hoc est: *οὐ κοσμοῦσι τὰ μνημεῖα τῶν δικαίων, nam dicta eorum sunt memoria eorum.* Quo dicterio docetur, injuriam quandam justis fieri, si struantur ipsis ornamenta sepulcralia, quæ vocantur נפשות, quod vitam atque animam memoriæ eorum conservarent: Habere enim justos potiora monumenta, quæ sunt verba ipsorum, memori mente reponenda. Qui ergo monumenta justis struit, is ex Talmudistarum mente, dedecore ipsos afficit, quasi non reliquissent sermones, quibus ipsorum memoria multo sanctius coleretur. Ex hac hypothesi, verborum Christi ista posset esse *παράφρασις*. Quid vobis animi est, Scribæ ac Pharisæi, quod fucato pietatis prætextu Prophetarum ac justorum exornatis monumenta? Nonne illud, ex vestra ipsorum doctrina, iis in dedecus cedit, quasi nulla reliquissent verba me-

moratu digna? Quid verba ipsorum negligitis, contemnitis, conculcatis, quum ipsi fateamini, ea præstantissima ipsorum monumenta esse? Fortassis & alia subsunt, nobis nunc incognita.

LX. Mirabile Stephani visum.

LX. Mirabile imprimis est quod accidit Stephano post habitam gravissimam hanc in senatu Judaico orationem. Tunc enim *Spiritu Sancto plenus, intentis in cælum oculis, vidit gloriam Dei, & Jesum adstantem ad dexteram Dei. Dixitque ecce conspicio cælos apertos, & Filium illum hominis adstantem ad dexteram Dei.* Act. VII. 55. 56.

LXI. Quid apertura cæli notet.

LXI. Merentur hæc aliquam ἐπιμονήν. Quidnam illud est quod *cælos apertos* vidisse narratur? Non hic solum ea loquendi ratio occurrit, sed & Ezech. I. I. Matth. III. 16. Act. X. 11. Apoc. IV. I. & XIX. II. At in ea explicanda seorsim abeunt Interpretes; uti in re obscura fieri solet. Nonnulli id referunt ad *fulmina* & *fulgetra*, quibus æther hominibus dividi & aperiri videtur. Estque is dictionis modus Poetis non insolens. Sic *Silius Italicus Lib.* I.

- - - - ruptoque polo micat igneus æther.

Statius Thebaid. Lib. I.

- - - - abrupta tremiscunt
Fulgura & attritus subita face rumpitur æther.

Ovidius Lib. Fast. II.

Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus æther.

Alii concipiunt *Chasma* sive hiatum, qualem exponunt Physici in Meteorologicis; quando nimirum partes aeris extremæ & supremæ condensantur & lucidiores fiunt, ut adspectum terminent, intermedius autem aer rarior manens de more non videtur. Tunc se veluti hiatus quidam & apertura cœli spectantium oculis repræsentat. Alii pugnant factam esse supremi cœli *realem fissuram*, & distractionem partium ante continuarum. Alii denique existimant, notari *remotionem omnium impedimentorum* quæ visus aciem remorari poterant, ut id viderent sancti quod videre ipsos volebat Deus. Quando nihil videtur sudo cœlo, nisi illud sublime candens, clausum videtur esse cœlum, sed quando in convexo, aut supra illud, aut ex illo descendens aliquid cernitur, illius objecti repræsentatione aperiri cœlum videtur.

LXII. Non est mei moris in re ancipiti temere aliquid determinare; at si conjectandi venia detur, existimem pro circumstantiarum varietate variam esse posse hujus locutionis expositionem. Quum Ezechiel apertos sibi cœlos fuisse scribit, si aliquid

quid oculis ipsius corporeis objectum fuerit, non est absurdum cogitare de *fulgetris*, aut saltem de coruscatione fulgetris simillima, nisi quod durabilior esset. Ipse enim eo nos videtur ducere com. 4. *Vidi ergo, quum ecce ventus turbineus veniret ab Aquilone, nubem magnam & ignem sese accendentem, & splendorem ejus circumstantem &c.* In baptismo Christi Matth. III. 16. & Mar. I. 10. videtur aliquid præter naturæ ordinem contigisse, quod *Chasmati* non erat absimile: ut in suprema aeris regione sensibiliter conspectus fuerit quidam hiatus, unde columbæ species descenderit. Non enim necesse, neque adeo verisimile est, illam sive columbam, sive columbæ speciem, in supremo cœlo formatam inde descendisse. In visionibus ecstaticis, quibus non res ipsæ sensibus, sed rerum emblemata phantasiæ objiciuntur, apertura cœlorum, non in *re*, sed sanctorum hominum *imaginatione* est. Ita expono Act. x. 10. Apoc. IV. I. XIX. II. In hac Stephani nostri historia puto vel factam esse realem partium continuarum disjunctionem in supremo cœlo, vel saltem eas partes cœlorum quæ visum nostrum terminant factas esse transparentes, ut penetrare oculis suis potuerit ad ea corpora conspicienda quæ in supremis cœlis sunt.

LXIII. Quid autem ibi conspexit? *Gloriam Dei*, id est lucem aliquam, fulgorem, & claritatem eximiam, quæ symbolum Divinæ Majestatis est. Confer Exod. XXIV. 10. Ezech. I. 27. Luc. II. 9. 2 Pet. I. 17. col. cum Matth. XVII. 5. Eam vidit oculis corporis quos in cœlum intentos tenebat. Sed & accessit attenta contemplatio mentis, quæ per externa symbola ad res arcanas & spirituales penetrabat. Erat enim *plenus Spiritu Sancto*: cujus ope factum est I. Ut oculos ab inferioribus generose ad superiora attolleret, unde hæc Divinitatis gloria affulgere ipsi poterat. II. Ut idoneos eos haberet ad tantam lucem conspiciendam ferendamque; cui cæteroquin in hac mortalitate nostra oculorum humanorum hebetudo impar est. Dan. x. 7. Act. IX. 7. III. Ut mentem defixam tenere potuerit in contemplatione rerum cœlestium, quum tot eum ac tanta circumstarent, quæ vel constantissimi Viri meditationes distractura & turbatura fuissent. LXIII. *Quomodo Dei gloriam viderit.*

LXIV. Sed & præterea Dominum *Jesum* vidit: ipse, inquam, in terra constitutus vidit Jesum in coelis. Non enim deserto coelo propior ei factus est Dominus. Act. I. II. III. 21. Potuit id fieri, facultate illa videndi mirum in modum per Divinam omnipotentiam aucta atque amplificata. Neque incredi- LXIV. *& D. Jesum adstantem ad dexteram Dei.*

 bile

bile videri debet, quod is qui dedit homini solertiam & artem longinqua tanquam propiora, & parva tanquam longe majora, telescopiorum & microscopiorum ope, oculis sistendi, Stephano eam oculorum aciem dederit: ut e terra prospicere potuerit ea quæ gererentur in cœlis. Vidit autem Jesum *ad dexteram* Dei constitutum; id est ornatum Regia, Deoque proxima, imo & Divina, Majestate ac gloria: & fortassis etiam localiter ad dextram splendidi illius fulgoris, qui oculis ipsius objectus erat. Vidit denique *stantem*: ut significaretur parata Domini promptitudo ad Stephanum tuendum, ac firmandum, & spiritum ipsius suscipiendum. Confer Mich. v. 3. ועמד *& stabit, & pascet in robore Jehovæ.* Dan. XII. I. Michael העומד על בני עמך *qui stat super filiis populi tui.* Græci etiam adjutores παραστάτας vocant. Atque ita eximium istud visum magnam Stephano consolationem creavit; fuitque ipsi prælibatio cœlestis gloriæ.

LXV. *Quid Prophetici contigerit Cornelio, & aliis e plebe fidelibus.*

LXV. Sed & e *plebe fidelibus*, isthoc Novi Testamenti initio, Prophetica aliqua concessa sunt. CORNELIUS CENTURIO, unus ex חסידי אומות עולם *iis gentilibus qui numen pie venerantur*, non solum Angelum conspexit, cujus sermone certior redderetur, exauditas esse preces suas, & gratas Deo eleemosynas: sed a Petro principiis Christianæ religionis imbutus, repente una cum familiaribus suis, ad stuporem spectantium, mirifico spiritus afflatu correptus est. Adeo quidem *ut fideles ex circumcisione, qui venerant cum Petro, obstupuerint; quod etiam in gentes effusum esset donum Spiritus Sancti. Audiebant enim eos loquentes linguis* (antea incognitis) *& magnificantes Deum.* Act. x. 45. 46. Eodem beneficio Divinæ gratiæ mactati sunt discipuli Johannis Baptistæ, quibus quum *Paulus manus imposuisset, venit Spiritus Sanctus in eos, & loquebantur linguis, &* PROPHETABANT. Act. XIX. 6. Quod frequens satis fuit primis illis Christianismi temporibus, colligi potest ex I Cor. XII. ubi de variis Spiritus Sancti charismatis, *quæ singulis distribuit quibus vult*, prolixe disputat Apostolus.

CAP. XXII.

De Apostolorum in docendo Infallibilitate.

I. *Apostolorum in docendo infallibilitas magni ad rem Christianam momenti est.* II. *Ad eam non nisi certis quibusdam gradibus pervenerunt.* III. *Non extendit se ad singula facta.* IV. *In doctrina ipsa revelavit*

iis Spiritus qua temporis ratio exigebat. V. *Termini quibus ea infallibilitas circumscribitur.* VI. *Sententia Spinosæ.* VII. *Clerici.* VIII. *Sincere & sancte nobis expendenda.* IX. X. *Luc.* XII. II. *promissa Apostolis infallibilis Divini Spiritus assistentia.* XI. *Dictum Christi Joh.* XVI. 13. *extenuatum a Clerico.* XII. XIII. XIV. XV. *Sincere expositum a nobis.* XVI. *An qua gesta narrantur Act.* XV. *infallibilitati Apostolicæ præjudicent?* XVII. *Ostenditur, non præjudicare.* XVIII. XIX. *Cur scripserint Apostoli, Visum est Spiritui Sancto & nobis.* XX. XXI. *Qui factum ut Petrus aliquamdiu ignoraverit vocationem gentium.* XXII. *Discrepantia Pauli & Petri,* XXIII. *Non tollit utriusque infallibilitatem in doctrina.* XXIV. *Pauli Apologia,* XXV. *Nullius ipsum in doctrina erroris arguit.* XXVI. *Non fatetur se ullo modo peccasse.* XXVII. *Quo sensu negaverit, se cognovisse quod Ananias esset Pontifex.* XXVIII. *Inspiratio Prophetica male opponitur sanctæ prudentiæ.* XXIX. XXX. *Quamvis Apostoli non ea qua Christus auctoritate locuti sint; non tamen idcirco caruerunt doctrinæ infallibilitate.* XXXI. *Quo sensu Paulus suam sententiam à mandato Domini distinguat.* XXXII. *Epilogus.*

QUandoquidem Apostoli universalis Ecclesiæ Doctores a Christo constituti sunt, omnemque doctrinam Evangelicam acceptam iis ferre debemus; diligenter ante omnia inquirendum est, an in docendo & scribendo tam certa atque indeclinabili infallibilis Spiritus directione ducti sint, ut doctrina ipsorum nunquam a veritate aberraverit? Id enim quamvis Ecclesia Christiana pro indubitato semper, & pro fidei suæ principio, habuerit; attamen infelici hoc nostro seculo, a magni, sed pravi ingenii hominibus, in controversiam trahi cœpit. Unde imposita nobis est necessitas veritatem primum dilucide explicandi, tum fortiter tuendi ac vindicandi. I. *Apostolorum in docendo infallibilitas magni ad rem Christianam momenti est.*

II. Atque id quidem ex Evangelica Historia est notissimum, Apostolos, quum primum a Christo vocarentur, cœlestis doctrinæ admodum fuisse rudes: imo postquam ad triennium disciplina Christi gavisi fuissent, non ita defricatos fuisse a rubigine errorum ac præjudiciorum, quin circa genium atque indolem regni Dei absurdas foverint opiniones. Quas vix, aut ne vix quidem, deposuerint ante ipsius in cœlos adscensionem. Sed ad illud usque tempus discipulorum potius subsellia, quam Doctorum occupabant cathedras. Nisi quod tirocinium aliquod futuri Apostolatus eo tempore facere debuerint. Fuit enim illis pera- II. *Ad eam non nisi certis quibusdam gradibus pervenerunt.*

peragranda Judæa, adventus regni cœlorum annunciandi caussa: quam ad rem illis opus fuit & facultate aliqua patrandorum miraculorum, & luce cognitionis per quam aliorum discipulorum conditionem supergrederentur. At quam exigua illa fuerit præ ubertate donorum quæ in ipsos postea collata sunt, notum est ex Evangelio. Post resurrectionem ex mortuis insufflavit in eos Jesus, & dixit, *Accipite Spiritum Sanctum.* Joh. XX. 22. novam procul dubio gratiam, novamque lucis & notitiæ mensuram, impertiens. Sed & huic quoque cœlestium donorum accessioni aliquid defuit, quod sequentibus fuit temporibus suppletum. Verum postquam die Pentecostes imbuti sunt virtute ex alto, & repleti cœlitus in ipsos descendente Spiritu, in alios repente mutati sunt homines; iisque instructi dotibus, quibus ad officii ipsis demandati, & jam præstandi, functionem, prorsus redderentur idonei. *Cœperunt loqui variis linguis*, quas nunquam didicerant, *prout Spiritus ille dabat eis effari.* Act. II. 4. iisque linguis omnibus prædicabant τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ. Tunc exsolvit Jesus fidem promissi, quo se obstrinxerant Joh. XIV. 26. *Advocatus ille, vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæ dixi vobis.* Iterumque Cap. XVI. 13. *Quum venerit ille, Spiritus ille veritatis, dux via vobis erit in omnem veritatem.*

III. Non extendit se ad singula facta.

III. Quod tamen non videtur extendendum ad *singula facta*. Fieri enim potuit, ut doctrinam suam, cætera verissimam sanctissimamque, non rite applicuerint iis quæ in certis quibusdam circumstantiis occurrebant agenda. Unde Paulus Petro *in os obstitit, eo quod condemnandus esset, neque recto pede incederet, ut veritati Evangelii congruebat.* Gal. II. 11. 14. Quamvis in summa doctrinæ, etiam quod ad eundem articulum, exactissimus esset inter ipsos consensus.

IV. In doctrina ipsa revelavit iis Spiritus quæ temporis ratio exigebat.

IV. At neque hoc est dissimulandum, Apostolos post Pentecostale miraculum non mox omnia scivisse quæ tractu temporis in obeundo munere suo usui ipsis esse poterant: sed Spiritum ea iis revelasse, prout ratio temporum & Ecclesiæ profectus exigebat. Unde non nisi post idoneum spatium, de gentium vocatione, & rituum Mosaicorum abolitione admoniti sunt. Act. X. 9. & seq. & XV. 6.

V. Termini quibus ea infallibilitas circumscribitur.

V. Interim firmiter tenendum: I. Apostolos veritates omnes quas scire & docere habebant edoctos esse non ab hominibus, neque per homines, neque collectionibus aut ratiocinationibus sui ingenii, sed per revelationem immediatam Dei, quæ fieri non po-

potest ut unquam fallat. Gal. I. 12. *Neque enim ego ab homine id accepi, neque edoctus sum, sed per revelationem Jesu Christi.* II. Eodem Spiritu qui revelavit, impulsos atque directos fuisse ad docendum. Nam, uti modo audivimus, *loquebantur sicuti Spiritus dabat iis effari.* Act. II. 4. Adeo quidem, *ut non tam ipsi loquerentur, quam Spiritus Patris in iis.* Matth. X. 20. III. Quotiescunque in docendo prætendebant Spiritum Dei & revelationem, toties eos fidem omnem prorsus meruisse; ac recipiendum fuisse eorum sermonem, *non ut sermonem hominum, sed sicuti est vere, ut sermonem Dei.* I Thes. II. 13. IV. Spiritum quem doctorem Ductoremque habebant, non esse passum ut ullum unquam errorem, sive scii sive inscii, pro cœlesti veritate populis obtruderent. *Duxit* enim *nos in omnem veritatem.* Joh. XVI. 13. V. Deum ipsum doctrinæ ipsorum ut verissimæ ac certissimæ *perhibuisse testimonium, signis & prodigiis variisque virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus pro sua voluntate.* Unde non minus infallibilis ea habenda fuit quam *sermo per Angelos prolatus.* Heb. II. 2. 4. VI. Adeo infallibilem esse doctrinam Apostolicam, ut totius Ecclesiæ inconcussum fundamentum sit. Eph. II. 20. *Superstructi super fundamentum Apostolorum.* Quamobrem murus cœlestis Hierosolymæ repræsentatur uti habens *fundamenta duodecim, in quibus sunt duodecim nomina Apostolorum Agni.* Apoc. XXI. 14. Hæc summa est Orthodoxæ fidei, quam profitetur Ecclesia Catholica.

VI. A qua diversum abit *Auctor Tractatus Theologico-Politici Cap.* XI. Qui quidem hæc duo fatetur, I. *Neminem qui Novum Testamentum legit dubitare posse, quin Apostoli Prophetæ fuerint.* II. *Apostolos ea ex singulari revelatione habuisse quæ viva voce prædicaverunt, & simul signis confirmaverunt.* At distingui vult inter Apostolos quum *prædicabant*, & quum *scribebant*: *Prædicasse ut Prophetas; scripsisse ut Doctores tantum. Epistolas Apostolorum à solo lumine naturali dictatas fuisse. Ubi vero sibi in Epistolis Spiritum Dei & Spiritum Sanctum attribuunt, id vel ad eorum prædicationes esse referendum, vel per Spiritum Sanctum intelligi* MENTEM SANAM, BEATAM, ET DEO DICATAM. Assertum autem suum eo potissimum argumento probat; quia Apostoli in Epistolis suis frequentissime ratiocinantur. *Prophetæ vero auctoritas ratiocinari non patitur. Quisquis enim vult sua dogmata ratione confirmare, eo ipso ea arbitrali uniuscujusque judicio committit. Quod etiam Paulus, quia ratiocinatur, fecisse videtur.* I Cor. X. 15. At neque omnia quæ prædicarunt Apostoli, ut Prophetas prædicasse contendit. *Quæ enim simpliciter nullis signis,*

VI. Sententia Spinosæ.

tanquam testibus, adhibitis, scripto vel viva voce docuerunt, ea, inquit, *ex cognitione* (*naturali scilicet*) *locuti sunt, vel scripserunt.* Hæc *Spinosa*.

VII. *Clerici.* VII. Quocum paria in multis facere non dubitavit Auctor Crisios in historiam Criticam *Simonii*; quem compendii caussa *Clericum* nuncupabimus. Is omnem infallibilitatem Apostolorum hisce terminis circumscribit. I. Clare percipiebant principia generalia Religionis Judaicæ, quæ ab ineunte ætate didicerant. II. A Christo etiam distinctè audiverant, & clare intellexerant, doctrinam Evangelii, quæ comprehenditur articulis paucis, claris, facilibus intellectu, quique facile memoria retineri possunt. III. Viderant Christi miracula, resurrectionem ex mortuis, adscensionem in cœlum &c. IV. Quandoquidem hæc certo cognoverant, infallibiliter etiam narrabant ea quæ viderant atque audiverant. Id est, uti opinor, bona fide, nihil mentientes contra conscientiam. ATQUE HAC IN RE CONSISTEBAT IPSORUM INFALLIBILITAS. Quam *in Apologia hujus suæ sententiæ* p. 228. ita exponit. HÆC INFALLIBILITATIS SPECIES FACILE COMPREHENDITUR, MODO QUIS ATTENDAT, VIRUM BONUM, BONAQUE INTELLIGENDI FACULTATE PRÆDITUM, ET IN RELIGIONE BENE INFORMATUM, QUI NON CONJICIT SE IN CREBRÆ VEL PROLIXÆ RATIOCINATIONIS PERICULUM, NON POSSE FERE ERRARE, QUAMDIU IN TALI DISPOSITIONE MANET, EAMQUE VIAM INSISTIT. Addit V. *Fieri præterea potuisse ut spiritus miraculorum quem Jesus ipsis misit, firmaverit ipsis memoriam, & aperuerit mentem modo nobis incomprehensibili. At certum est*, ait, *quod non duxerit eos hic spiritus modo tam miraculoso, ut obligati simus quicquid dicebant aut scribebant ea reverentia recipere qua verba Christi.* Eam autem infallibilitatem, quæ ex perpetuo Spiritus Sancti ducatu in prædicationibus aut scriptis eorum oriatur, his potissimum argumentis impugnat. I. Quod nullum fundamentum in ipsa Scriptura, ullave Christi promissione habeat. II. Quod neque Apostoli de se ipsis, neque Veteres Christiani de Apostolis eam infallibilitatis opinionem habuerint. III. Quod Apostoli in opinionibus & prædicationibus suis, atque Apologiis, non minus quam in actionibus, aliquando erraverint. IV. Quod sua ipsi dictata a dictatis Spiritus Sancti quandoque distinguant. V. Quod infallibilitas talis soli Christo Domino competat.

VIII. *Sincere &* VIII. Quæ singula in omni sua emphasi exponemus, non ipsis semper Auctoris verbis, quod prolixum foret; sed nunquam dis-

lissimulata mente, aut imminuta vi argumenti: neque eo semper *sancte no-*
›rdine quem sibi Auctor elegit; sed qui nobis visus est, non *bis expen-*
ıd refutandum facillimus, sed rem percipiendam aptissimus. Et *denda.*
.unc, favente Deo, ea quæ sic exposita sunt, conabimur di-
uere: eo modo quem ipse sententiæ hujus auctor petiit. Non
:nim declamationibus ac rhetoricationibus utar, quibus præju-
dicia aut excitantur aut foventur, & affectus cientur præter ra-
:ionem, animusque ad veritatem dijudicandam minus idoneus
redditur. Non gravabo etiam adversarii sententiam odiosis se-
quelis, nisi si quæ ex rei ipsius indole sponte fluant. Sed recta
caussæ arcem invadam, rem cum re, argumenta cum argumen-
tis componam. Nihilque consulto intactum relinquam, quod
alicujus ad controversiæ determinationem momenti esse videa-
tur. Id unum meo jure posco, ut veritatem intrepide dicere
liceat; suisque res singulas designare nominibus. Quod tamen
sine sua contumelia factum Vir Doctus existimet. Non enim
hic agitur de ingenii, eruditionis, aut facundiæ palma; quarum
ego rerum omnium partes potiores Doctissimo Clerico lubens
tribuo: sed de Auctoritate Apostolica, de certitudine scriptura-
rum, atque adeo de fundamento totius religionis Christianæ.
Pro quo sarto tecto conservando quis sincerius, sanctius & fe-
licius laboret, illene sua opinione, an ego Ecclesiæ Catholicæ
sententiam defendens, judicet orbis Christianus: judicabit certe
orbis universi Dominus.

IX. A primo ordiamur. Opinio, inquit, infallibilitatis fundata *IX. Luc.*
est in promissione Christi quæ exstat Joh. XVI. 13. *Spiritus ille* *XII. 11.*
dux viæ vobis erit in omnem veritatem. Luc. XII. 11. *Quum au-* *promissa*
tem adduxerint vos ad Synagogas, & magistratus ac potestates, ne sol- *Apostolis*
liciti estote quomodo aut quid pro defensione allaturi, aut quid dicturi *infallibilis*
sitis. Spiritus enim Sanctus docebit vos eo momento, quæ oporteat di- *Divini*
cere. Ex neutro autem loco probari posse contendit, *Apostolos* *Spiritus*
honoratos fuisse perpetua Spiritus Sancti præsentia, qui dictaverit ipsi *assistentia.*
quidquid dicebant in negotio Religionis, sic ut omnia ipsorum verba con-
siderari debuerint veluti oracula. A postremo autem loco incipit:
observatque I. Eum non firmare opinionem communem, quum
non agatur ibi de perpetua assistentia; sed certo solum casu,
quando ad præsides & reges ducendi essent Christi caussâ, Matth.
X. 19. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ. II. Destruere illam opinionem. Si enim
id voluisset Christus quod nos volumus, non vetuisset sollicitos
esse de eo quod dicturi sint coram tribunalibus, eò quod tunc

 iis

iis dicenda suggesturus sit Spiritus; sed dixisset, nunquam vobis deficiet sermo, quum perpetuum ducem ac dictatorem habituri sitis Spiritum. Quando quis certâ occasione particulariter aliquid promittit, evidenter docet se id nolle effectum dare aliis occasionibus. III. Sensus dicti est, *Spiritus virtutis & sanctitatis, quem Evangelium producit in cordibus, sive fortis illa ac pia mentis dispositio quam cœlestis doctrina ingenerat, faciet ut nunquam vobis desint verba, etiamsi vel coram rerum dominis timendisque tyrannis habendus sermo sit. Nam uti Spiritus soporis, spiritus fortitudinis, sic & Spiritus Sanctus, aut Spiritus Dei, quandam animi habitudinem notant.*

X. Hæ sunt argutiæ illæ, quibus male feriata humani ingenii subtilitas improbè oggannit Deo; sed nec magno labore ad eas diluendas opus est. Nam I. In mundo est ratio, cur Christus Apostolis tum potissimum Spiritus sui assistentiam addixerit, quando caussam Evangelii agendam habebant apud principes & judices, vitæ necisque arbitros: quia tunc hominibus, etiam constantissimis, oratoribus, etiam disertissimis, externari mens solet. II. Tantum abest ut hic excludatur perpetua Spiritus assistentia, ut confirmetur validissime. Si enim ne tunc quidem solliciti esse debuerint, ne destitueret eos cum spiritu sermo, quando vincti, cæsi, prædamnati, ab iracundis judicum oculis & ore mortem ipsam in momenta exspectabant; quanto securiores esse potuerunt de facili ac plana rerum Divinarum explicatione, ubi sine eo metu verba ad populum facienda erant? Jeremiæ promittebat speciatim Deus, se ipsi adfore *adversus reges, principes, ac sacerdotes Judæ* Jer. I. 17. 18. 19. Neque tamen, opinor, eo indicabat non similiter se ei affore adversus alios hostes. Contrarium ipse docet com. 7. 8. *Ad quæcunque te misero, ito, & quæcunque præcepero tibi, loquitor. Ne timeto ab ipsis: nam adsum tibi ad eripiendum te, dictum Jehovæ.* Sed & Christus Apostolis promisit, *daturum se ipsis esse os & sapientiam, cui non poterunt contradicere, neque obsistere* OMNES QUI SE OPPONENT IPSIS Luc. XXI. 15. Sensus ergo hujus loci est: non solum securis vobis esse licet, in ordinario functionis vestræ curriculo, sed ne tunc quidem assistentiam Spiritus desiderabitis, ubi omnia destituere vel cordatissimos solent. III. Omnino hic agitur de ea assistentia Spiritus quæ ipsos in dicendo ἀναμαρτήτως faceret, tam quoad materiam dicendorum, quam quoad dicendi modum πῶς & τί. Sive apologia instituenda sit pro ipsis, sive exponenda doctrina Evangelii. τί ἀπολογήσητε, ἢ τί εἴπητε. *Spiritu Divino sup-*

suppeditante, ut bene Grotius, *& animo sapientiam, & ori eloquium, non calamistratum, sed simplici gravitate ipsam nudæ veritatis naturam referens.* Optime idem monuit, *conferendam hanc promissionem esse cum* Exod. IV. 12. Ubi Deus Mosi, quem ad Israelitas & Pharaonem ablegabat, his verbis animum addit: *Nunc itaque i, & ego adero ori tuo, & docebo te quæ locuturus es.* Ecquis vero dubitet, quin id promittat Mosi Deus, quod habebant Prophetæ ejus nomine loquentes? & quin ea Mosis dicta pro totidem oraculis accipi debuerint, tam a Pharaone, quam ab Israelitis? IV. Falsissimum est quod Spiritus Sanctus sanctam animi dispositionem notet. Iterum *Grotius* optimè. *Ne consternarentur tantis periculis Apostoli, magnum illis auxilium Christus promittit : non angelos, sed ipsum Dei Spiritum, quo nihil majus promitti potuit.* Et res ipsa loquitur. Vocatur enim Matth. X. 20. *Spiritus Patris*, & distinguitur ab Apostolorum dispositione, propriaque aptitudine. *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri.* An homini loquenti opponi potest ipsius ad loquendum aptitudo?. Et quis verborum sensus est, non tam vos estis qui loquimini, quam sancta illa animi vestri dispositio quam ingenerat Evangelium? Denique de illo hic Spiritu agitur quem sibi veluti vicarium promisit Christus. Quod de animi dispositione exponere, omnis ratio vetat. Neque usquam locorum Spiritus *Dei* aut *Patris*, meram animi nostri habitudinem significat. Detur *Clerico*, quod *Spiritus soporis, Spiritus timoris, Spiritus fortitudinis*, notet talem animi dispositionem cujus effectus sit *sopor, timor, fortitudo.* Quid id commune habet cum *Spiritu Patris*, & *Spiritu Dei?* Nunquid is significabit, eam dispositionem animi, quæ *Patrem* vel *Deum* faciat? Ita enim fieri oportet, si quæ phrasios futura sit similitudo.

XI. *Dictum Christi Joh. XVI. 13. extenuatum a Clerico.*

XI. Ad Joh. XVI. 13. observat noster: I. *Non esse illud intelligendum in omni suo rigore, quasi Apostoli scivissent omnia.* II. *Loquendi modum admodum figuratum atque improprium esse, quod sequentia innuunt. Non esse ergo verba nimium urgenda.* III. Hunc esse simplicissimum sensum: *Postquam acceperitis spiritum miraculorum, is vos quæ porro scire oportet docebit, sive per visiones, sive revocando vobis in memoriam id quod olim dixi; sic ut intelligatis sensum, & cognoscatis quid imposterum facto opus sit.* conf. Joh. XIV. 26. IV. *Porro Spiritus miraculorum non facit mox infallibilem. Exemplo sunt Corinthii* 1 Cor. XII. 8. *qui tamen non idcirco infallibiles veritatis doctores fuerunt. Sed instructione Apostoli indiguerunt ad correctionem*

vitiorum, *solutionem dubiorum*, *refutationem errorum*. Non igitur doceri perpetuum atque infallibilem Spiritus ductum: quippe cui eventus non respondeat.

XII. *Sincere expositum a nobis.* XII. Nos utiliora ad loci hujus elucidationem observabimus. I. *Generatim*. Pessima hæc est interpretandi ratio, ut conquisita subtilitate extenuetur verborum emphasis, & quæ magnifico sermonis apparatu in sacris literis dicuntur, in tenuem tandem sensum exeant. Quem commentandi morem præ cæteris Sociniani sectantur. Utinam non ex eodem principio sit nostri hominis querela de modo loquendi admodum figurato! Quamvis id quod figuratum hic est, ἐμφατικώτατον sit. Vix tamen dignum memoratu erat, non promitti hic Apostolis absolutam omniscientiam. Quis tam insanus, ut id somniet? Intelligenda est promissio Domini pro subjecta, ut ajunt, materia. Sic tamen ne grandibus verbis, quæ maximarum rerum cogitationem animo ingenerant, exigua aut communia & mediocria promittere censeatur. Non convenit id cum ingenuitate Domini, neque cum inexhausta bonitatis suæ opulentia, cui nunquam deest quod largiatur.

XIII. *II.* Nulla ratio est, quæ hic de Spiritu dicuntur, ea ad *Spiritum miraculorum* arctare. De eo enim Spiritu agitur quem ut sui vicarium Christus promittit; qui est παράκλητος. vers. 7. qui caussam Christi agit apud mundum, non utique solis miraculis, sed & cæteris gratiæ suæ operibus, conversione, sanctificatione, consolatione, corroboratione electorum; & caussam fidelium apud Deum. Rom. VIII. 26. Et sic opponitur κατηγόρῳ, Apoc. XII. 10. Estque *Spiritus Veritatis*; non solum quia Evangelium miraculis confirmat; sed quia interna, arcana, atque efficaci ratione eam mortalium animis insinuat. 1 Cor. II. 10. 12. Eph. I. 17. Hic promittitur ut ὁδηγὸς, allusione ad columnam ignis & nubis, quæ non patiebatur Israelitas in deserto aberrare. Conf. Jes. LXIII 11---- 14.

XIV. *III.* Spiritus miraculorum non facit mox infallibiles: attamen pro infallibili doctrina admittendum esse, quidquid miraculis suis confirmat ille Spiritus, ne ipse quidem Auctor noster negaverit. p. 257. Porro non pars aliqua doctrinæ Apostolorum, sed universa illa, prout eam suis tam prædicationibus quam Epistolis complexi sunt, cum omnibus suis illationibus & argumentationibus, (2 Thess. II. 15. εἴτε διὰ λόγου εἴτε δι' ἐπιστολῆς)

λῆς) miraculis confirmata fuit. Marc. xvi. 20. Act. xiv. 3. Heb. ii. 4. 1 Thess. i. 5.

XV. *IV. Specialissime.* Apostoli considerari possunt secundum id quod commune habuerunt cum reliquis *fidelibus*, vel secundum id quod ipsis proprium est qua *Apostolis*. Utroque adspectu facta ipsis hæc promissio, habita semper utriusque adspectus proportione. Qua *fideles*, Magistrum habuerunt Spiritum veritatis: ὁδηγοῦντι, qui duxit eos, ut columna nubis & ignis Israelitas, in omnem veritatem, ad salutem scitu necessariam. Id est, efficaci mentium illuminatione ita direxit, ut non potuerint incidere in errores qui salutem interverterent. Hoc revera omnibus contingit fidelibus. 1 Joh. ii. 20. 27. Sed præterea hic grandius aliquid promissum est qua *Apostolis*, quibus ut universalis Ecclesiæ Doctoribus, & eximiis Novi Testamenti Prophetis, majora debebantur, quibus muneri suo redderentur idonei. Porro muneris istius dignitas atque auctoritas exigebant, ut & ipsi persuasissimi essent nihil a se nisi quod verum erat doceri, & auditores ipsorum, intrepide, sine metu erroris, potuerint omnia ea recipere quæ de universa religione Christiana quandocunque & quomodocunque, sive viva voce, sive scripto, docebant. Hoc ut fieri posset, pollicetur iis Christus Spiritum ducem in omnem veritatem, quam annunciandam omni occasione haberent. Nisi enim supponas infallibilem Spiritus in omni Apostolica doctrina assistentiam, lubrica necesse est esse omnia. Ecclesia inædificata est *Fundamento Apostolorum*. Eph. ii. 20. 21. Quam solide, si fundamentum illud firmum non sit ac stabile? Firmum autem quo pacto erit, si supponantur Apostoli in docendo errori esse obnoxii? Pulcre Paulus 1 Cor. xii. 7. Ἑκάστῳ δὲ δίδωται ἡ φανέρωσις τοῦ πνεύματος πρὸς τὸ συμφέρον. *Unicuique datur declaratio Spiritus ad utilitatem.* Id est, unicuique prout in iis partibus quæ sibi demandatæ sunt quam maxime utilis Ecclesiæ esse potest, conceditur mensura Spiritus. Apostolorum autem prima omnium in Ecclesia fuit functio: quæ dignitate ipsam Prophetarum functionem superabat. com. 28. Quum itaque præ cæteris omnibus eximii fuerint, præstantioribus etiam instructi fuerunt donis; eo Prophetis excellentiores, quod quum illi certis temporibus habuerint suas inspirationes, hi, quibus assidue docendum erat, eas in docendo assiduas habuerint. Hoc enim erat πρὸς τὸ συμφέρον.

XVI. *Cæterum*, ait noster, *non respondit eventus.* Videamus. XVI. *An quæ gesta*

Ne-

narrantur Act. XV. infallibilitati Apostolicæ præjudicent?

Neque enim veteres Christiani de Apostolis, neque Apostoli de se ipsi eam infallibilitatis opinionem habuerunt. Quid ita? *Patet ex Act.* XV. *Judæi quidam Christiani facti jubebant Gentiles cum Christianismi professione circumcisionem suscipere. Illi opinioni acriter se opponunt Paulus & Barnabas; attamen non tantum valebat ipsorum authoritas, ut silentium Judaizantibus illis imponeret. Quamvis nulli Apostolorum Paulus cederet, non tamen cedebant ipsi: consulenda erat Ecclesia Hierosolymitana. Ibi Apostoli cum Presbyteris coacti, primum inter sese conferunt & disputant vers. 6. 7. tum sententiam dicunt Petrus & Jacobus, denique communibus suffragiis concludunt quid e re sit. Si Ecclesia illius temporis Paulum pro infallibili Doctore agnovisset, non fuisset necesse Hierosolymam mittere. Si Apostoli omnes repleti fuissent Spiritu infallibilitatis; ejusdem omnes fuissent sententiæ, sine disputatione ulla unum duntaxat elegissent, communi omnium nomine pronunciaturum oraculum.* Sic ille p. 249.

XVII. *Ostenditur, non præjudicare.*

XVII. Fricemus paullum hanc aristam. *I.* Absurdum est ex opinione horum Judaizantium de Auctoritate Apostolica judicium ferre; nam vix primis Christianismi elementis imbuti, multum trahebant ex gentis pertinacia, & cæco sectæ zelo. Erant enim ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων. vers. 5. Credentes quidem professione, sed ψευδάδελφοι, mentientes nomen Apostolorum, turbatores Ecclesiarum vers. 24. Iidem de quibus Paulus Gal. II. 4. *Irreptitii falsi fratres, clam ingressi ad explorandam libertatem quam habemus in Christo Jesu, ut homines liberos in servitutem adigerent.* Hos ut pro sententiæ suæ auctoribus *Clericus* laudet, per nos equidem licet. *II.* Verum est Paulum non obruisse Ecclesiam auctoritate sui Apostolatus: sic enim solebant docere Apostoli, ut τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας *declaratione veritatis se commendarent apud omnem conscientiam hominum.* 2 Cor. IV. 2. Quod & Christus Dominus fecit, non suam semper auctoritatem obtendens, sed ea seposita ad Mosen, ad scripturas, ad alia argumenta provocans. Joh. V. 39. 46. 47. Matth. XXII. 31. 32. Neque, quod *Spinosa* nugatur, auctoritati Propheticæ præjudicat, ut qui ea quæ dicit ratiocinando & argumentis persuadeat: sic enim ipse Deus Divinitatis suæ caussam agit, adversus idola eorumque patronos, invitatque eos ad suorum argumentorum productionem. Jes. XLI. & XLIV. *III.* Quod Ecclesia Antiochena statuerit quibusdam suorum Hierosolymam eundum esse, non ex eo erat quod de fide & auctoritate Pauli male aut dubie sentirent, sed ut ad convincendos Judaizantes pateret reliquorum con-

consensus. Nam & hoc ipsum factum est κατ' ἀποκάλυψιν, si quidem, quod *Gomaro*, *Grotio*, *Coccejo*, aliisque Viris doctis videtur, hæc profectio eadem est cum illa de qua ad Gal. II. I. 2. Ergo revelavit ipsi Deus adscensionem hanc utilem & necessariam ipsi atque Ecclesiæ esse. *Occasionem*, inquit Grotius, *ab hominibus natam, Christus viso aliquo nocturno confirmavit.* Ejus autem revelationis indubie conscios fecit Antiochenos: unde eo magis properata legatio. Porro quod ex Divina inspiratione Paulo concessa factum, pessime trahitur ad depreciandam Pauli auctoritatem, abrogandamve ipsi infallibilitatem. *IV.* Inspiratio Spiritus Sancti non collationem mutuam, multo minus considerationem scripturarum, aut dissertationem ex iis (non enim vi agit, aut per raptum semper) sed tollit errorem & dissensum. Qualem hic inter Apostolos fuisse nullo modo patet. Prorsus enim eadem cum Paulo Petrus & Jacobus docent. Plures Apostolos adfuisse non liquet, nisi fortasse Johannes adfuerit. Gal. II. 9. Itaque συζήτησις illa vers. 7. non fuit inter ipsos Apostolos, sed alios ex Ecclesia, quibus eam infallibilitatem non adscribimus. *V.* Quidquid hic actum est, actum esse ex instinctu Spiritus, ipsi scribunt Apostoli. vers. 28. ἜΔΟΞΕ ἉΓΙΩ͂Ι ΠΝΕΎΜΑΤΙ.

XVIII. Excipit noster. I. *Si Spiritus Sanctus ita ipsos replevisse ut non nisi instrumenta essent per quæ loquebatur, non equidem sese eodem cum Spiritu ordine memorassent. Quis prophetarum dixit unquam, visum est Deo & mihi?* II. Posito hunc esse sensum, quem & *Grotius* pandit, *Nobis per Spiritum Sanctum*, ἓν διὰ δυοῖν, *non tamen hinc concludi potest inspiratio Apostolorum perpetua, qualis ea est de qua disputatur. Apostoli, atque universa Ecclesia Hierosolymitana, animati erant Spiritu Evangelii; neque tamen perpetuo pleni Spiritu Prophetiæ. Qui si hic intelligeretur, non Apostolis solum, sed & presbyteris, imo universo isti cœtui, attribuenda foret infallibilitas.* III. Finis epistolæ non videtur satis tueri dignitatem oraculi. vers. 22. ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς εὖ πράξετε. A QUIBUS SI VOBIS CAVERITIS, BENE AGETIS. Propheta aliquis dixisset: *hæc fugienda sunt, ita enim jubet Dominus.* XVIII. *Cur scripserint Apostoli, Visum est Spiritui Sancto & nobis.*

XIX. Respondeo. *I.* Fuerunt quidem Apostoli instrumenta Spiritus Sancti, sed rationalia; suo enim intellectu, judicio, & sermone utebantur; ita tamen ut in eorum omnium usu dirigerentur a Spiritu Sancto. Qui non adimebat ratiocinandi facultatem, quam natura concesserat: sed eam cœlesti lumine collustratam, & circa ponderosam hanc quæstionem meditationibus

ſuis occupatam, arcana ſua virtute ita in judicando gubernabat, ut quod ipſis videbatur, revera dictamen Spiritus Sancti eſſet. Neque temere ſcripſerunt: *Viſum Spiritui S. & nobis.* Duo enim prætendebantur a Judaizantibus: ſententia Spiritus veteribus oraculis expreſſa; & auctoritas Apoſtolorum qui Hieroſolymis erant. Utrumque hic negatur. Aliter viſum Spiritui Sancto, ducenti nos in verum antiquorum oraculorum ſenſum: aliter & nobis, quibus religio eſt contraire Spiritui. Idcirco monent com. 24. ſe inconſideratis illis Legis Moſaicæ Zelotis *non edixiſſe ea* quibus pacem Eccleſiarum turbabant. ΟἿΣ ΟΥ̓ ΔΙΕΣΤΕΙΛΆΜΕΘΑ. *II.* Non directe ex hoc loco inferimus *perpetuam* Apoſtolorum *infallibilitatem*; ſufficit inferri non poſſe aliquid ei contrarium, atque id modo maneat, eos quod hic & nunc decernebant, dictante Spiritu Sancto decreviſſe. Ita quidem ut id decretum, non minus quam ullum Propheticum oraculum, humilis fidei obſequio ab Eccleſia recipiendum fuerit. Et quæ ratio eſt, cur ſtatuamus, circa alia fidei dogmata, ejuſdem aut majoris ponderis, minus eos a Spiritu Sancto informatos & directos fuiſſe, quam circa hoc πρόβλημα? Non tamen quæ hinc infertur, Apoſtolorum ex Spiritus directione infallibilitas, communicanda erit cum omnibus Presbyteris, totaque Eccleſia Hieroſolymitana. Hi enim, audito Spiritus in & per Apoſtolos dictamini, ſuum, ut par eſt, præbuerunt conſenſum. *III.* Oeconomiæ T. N. conveniens eſt ut non eo ſemper rigore loquantur Apoſtoli, quo Prophetæ Veteres. Nulla denique dici poteſt cauſſa cur oraculo Divino indigna hæc phraſis ſit: *Bene*, id eſt rem Deo gratam, *feceritis hæc obſervantes.* Similis locutio, ipſo notante *Grotio*, alibi occurrit ubi de iis agitur quæ Divini præcepti ſunt. Phil. IV. 14. 3 Joh. verſ. 6. Et ſpecialis fuit ratio cur ita concluderetur Epiſtola; quippe in qua nonnulla erant continentia magis conſilium prudentiæ ad tempus obſervandum, quam præceptum univerſale.

XX. *Qui factum, ut Petrus aliquandiu ignoraverit vocationem gentium.*

XX. Sed & aliud argumentum noſtro naſcitur ex Act. X. Unde claret, Petrum, licet jam Spiritu miraculoſo repletum, ignoraviſſe quod Evangelium prædicandum ſit gentilibus, donec cœleſti viſione eam veritatem edoceretur; quamvis Chriſtus ante ſuam in cœlos adſcenſionem Apoſtolis mandaſſet Evangelium prædicare omni creaturæ Marc. XVI. 15. omnibuſque gentibus Matth. XXVIII. 19. Porro, poſtquam Divino juſſui paruiſſet, *diſceptarunt adverſus eum qui erant ex circumciſione: dicentes ad viros præputium habentes introiviſti, & una ediſti cum eis.* Act. XI. 2. 3.

Un-

Unde patet, neque Petrum fuisse infallibilem, quippe cujus error nova visione corrigendus fuit, & priscis Christianis eam, quæ nunc Apostolis attribuitur infallibilitas, fuisse incognitam.

XXI. R. *I.* Olim quoque a nobis ipsis observatum est, Spiritum Sanctum non omnem veritatem simul Apostolis revelasse; sed πρὸς τὸ συμφέρον 1 Cor. xii. 7. quatenus Ecclesiæ exigebat utilitas. Non autem necesse erat Apostolos clare cognoscere, quod & quomodo Evangelium gentibus annunciandum esset, antequam tempus ei rei Divinitus destinatum advenisset. Suffecerit ergo, Petrum hanc veritatem cognovisse quam primum illius usus erat. Neque ex ignorata hactenus ea veritate, consequitur eum quæ antea de Evangelio docuerat docuisse sine infallibili spiritus assistentia. *II.* Mirum non est, Judæos Christianos, & viarum Dei adhuc ignaros, cum Petro super facto aliquo litigasse: sed mirum est, hoc in exemplum trahi in tanta Christianismi luce, postquam compertum est instinctu Spiritus factum fuisse quod illi culpabant. Deo ipso errorem quem de Apostolo conceperant redarguente, ecquis ei patrocinabitur?

XXII. Pergit noster. Interjectis annis aliquot, non ausus est Petrus Antiochiæ palam docere, fas esse homini Judæo vesci cum gentilibus, adeo quidem ut sua ista dissimulatione aliis quoque errandi fuerit occasio. Gal. ii. 12. Responderi quidem solet, errorem fuisse in facto, non in doctrina; neque aliter coactos ad Judaizandum fuisse infirmos Christianorum nisi exemplo imprudenti. *Attamen*, inquit, *clare hinc evincitur, infallibilitatem Metaphysicam, qua attribuitur Apostolis, non esse traditionem Apostolicam.* Nam I. *Dissimulatio Doctrinæ, veræ, utilis, & in iis rerum circumstantiis prædicandæ, & per quam aliis errandi detur occasio, humana infirmitas est, quæ non conveniat iis quos mera spiritus organa credis.* II. *Ista qua Petrus utebatur agendi ratio non minus insinuabat gentilibus circumcisionis observandæ necessitatem, quam si eam verbis docuisset.* III. *Probabile est Petrum & Barnabam credidisse dissimulationem hanc sibi esse licitam, nisi malis ipsos improbe contra conscientiam egisse. Atque ita aliqua cæspitatio etiam in doctrina agnoscenda.*

XXII. Discrepantia Pauli & Petri.

XXIII. Respondeo. *I.* Indubium est, quod ad doctrinam attinet, Petrum in hoc ipso negotio ejusdem cum Paulo fuisse sententiæ, fas scilicet homini Judæo esse familiaritatem cum fidelibus ex gentibus colere. Sic enim ipse edoctus erat per oraculum Act. x. 19. 20. Sic docuerat Hierosolymitanos Act. xi. 12. 17.

XXIII. Non tollit utriusque infallibilitatem in doctrina.

12. 17. Sic confirmaverat sua praxi. Gal. II. 12. Non fuit ergo error in dogmate aliquo. Non enim nunc aliter de hac re docebat atque olim. *II.* Omnis perplexitas Petri fuit circa facti circumstantias, ubi prudentiæ suum moderamen est. Ea docet omnibus omnia fieri, etiam infirmis veluti infirmum. 1 Cor. IX. 20. 22. Id existimabat Petrus hic habere locum, ne offenderet circumcisos, quorum cummaxime erat Apostolus. Paulus contra, & perspicacius, ac verius, arbitrabatur, ex intempestiva hac accommodatione plus scandali nasci. Tota ergo hæc controversia fuit non de Doctrina Christianæ libertatis, sed de illius usu hic & nunc: in quo Paulus prudentiæ regulas melius perspiciebat. Fatemur itaque hic errorem Petri, non in facto solum, sed & judicio, at circa factum: non circa caput aliquod doctrinæ. *III.* Non attribuimus nos Apostolis *infallibilitatem Metaphysicam*, neque credimus illos *mera* fuisse *Organa Spiritus* qualis est fistula ad os ac in manu Musici. Sed credimus eos quoties docebant, tam liquide a Spiritu Sancto fuisse informatos, ut nunquam errorem pro veritate Evangelica obtruserint; interim usos quoque suo ingenio, judicio, meditatione, consilio: quæ non tollebantur, sed sancte & potenter gubernabantur a Spiritu Sancto. Quod & antea monitum, nunc repetimus.

XXIV. *Pauli Apologia, pag. 231.* XXIV. At validissime se argumentari putat noster ex Pauli Apologia Act. XXIII. I. *Versus primus nihil quidem continet quod Evangelio conforme non sit; sed & nihil habet, quod sine inspiratione dici non possit.* II. *Sequentia indicium sunt impotentiæ, quam certe neque Spiritus Prophetiæ, neque patientia Evangelica Paulo inspiraverant.* III. *Paulus ipse crimen fatetur suâ excusatione. Fieri autem nullo modo potest, ut idem Spiritus dictet sermonem aliquem justo vehementiorem, & mox sermonis illius retractationem.* IV. *Excusatio ipsa non est bona. Evangelium enim nemini permittit maledicere, sive is cui maledicitur in Magistratu sit, sive quivis alius.* 1 Pet. II. 21. 23.

XXV. *Nulius ipsum in doctrina erroris arguit.* XXV. Respondeo. *I.* Certe vers. 1. nihil habet quod inspirationi sit contrarium. Multa per inspirationem dicta sunt, quæ & sine illa dici potuissent. Hoc quoque spiritus officium est, ut ea quæ aliunde nota sunt in mentem revocet, faciatque ut convenienti tempore, loco, modo exponantur. *II.* Si procedat Auctoris illatio, consequetur, Paulum in tam illustri Apologia peccasse adversus prima Christianismi elementa, turpi iracundia abreptum ea fecisse quæ Apostolo, quæ Evangelii ministro, quæ Chri-

Christiano quovis indigna sunt; excusatione usum esse absurda atque inepta, si non & subdola: nam etiamsi pontificem esse ignoraret, magistratum tamen esse ipse fatebatur. Male & contra Evangelium interpretatum esse Mosis mentem, quasi ita interdixisset magistratui maledicere, ut permiserit maledicere privato: consequenter passum esse ut κακοποιὸν, denique prodidisse hisce omnibus caussam Evangelii. Quorsum hæc tendunt? Hoccine conciliari potest, cum promissione Christi? Matth. x. 19. Luc. xii. 11. 12. aut protestatione Pauli? 1 Cor. iv. 12. 13. *convitiis affecti, bene precamur: si qui nos persequantur, sufferimus; infamati precamur.* Tantane impotentia atque imprudentia consistere potest cum Spiritu δυνάμεως καὶ ἀγάπης καὶ σωφρονισμοῦ; quem sibi vindicat. 2 Tim. 1. 7. Usque adeone martyribus & confessoribus e vulgo inferior nunc Paulus est? Vide sodes quo non transversum agat hominem improbæ disputationis æstus. Neque sunt hæ odiosæ præter rem sequelæ, quibus non esse me gravaturum adversarii sententiam pollicitus sum: sed quidquid dixi, res ipsa dictat.

XXVI. *III.* Non nescio quam diversimode Viri Docti Pauli Apologiam interprentur. Mihi dicere liceat, quod vero maxime consentaneum arbitror. Sic itaque animum induco meum, neque in priori sermone, neque in Apologia Paulum peccasse. Durus quidem sermo fuit, sed verus. משא *Onus.* Bene *Grotius*: *Utitur jure prophetæ.* Nam I. Prophetarum est libere reprehendere, non viros tantum principes, sed & Reges. 1 Reg. xviii. 18. 2 Reg. iii. 13. Jes. i. 10. 23. Ezech. xxi. 25. II. Eorundem est indicere improbis Dei judicia. Vid. Jes. xxii. 17. 18. Jer. xxii. 18. 24. 28. Apostoli autem Prophetæ erant, & amplius. Merito itaque Paulus & hypocrisin hominis increpuit, & Dei judicia non quidem imprecatus est, sed denunciavit. τύπτειν σε μέλλει. Comprobavit Prophetiam eventus. Nam, observante *Grotio*, Ananiæ incertum mortuo an amoto non multo post hoc tempus suffectus est Ismael Phabi. Non fuit ergo impotentia aut iracundia Pauli, hujus sermonis origo; sed Spiritus Propheticus. Simile vid. Act. xiii. 9.----11. Nihil hic contra institutum Evangelii, sed omnia ex auctoritate Apostolica. 2 Cor. x. 2.---6. Nihil contra exemplum Christi, sed secundum illud. Matth. xxiii. 27. XXVI. *Non fatetur se ullo modo peccasse.*

XXVII. Quorsum ergo Apologia? Non ea est qua crimen confitetur: sed qua bene se fecisse probat. Nam neque se pro legi- XXVII. *Quo sensu negaverit.*

Se cognovisse quod Ananias esset Pontifex.

legitimo Magistratu Ananiam agnoscere: neque contra legis edictum convitium dixisse innuit. Οὐκ ᾔδειν ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς. *Nesciebam*, inquit, *eum esse Pontificem*. Nimirum de jure. Idque ob duplicem caussam. I. Quia manifestato nunc Christo Pontifice, omne sacerdotium, maxime quod se Christo opponebat, omni jure nullum erat. Profitetur ergo se non cogitasse, esse adhuc in mundo sacerdotem maximum. Nempe Apostolus potius meminerat Christi Domini, & Apostolatus sui, quam splendoris Pontificalis, nil nisi umbram habentis, & hac cogitatione in ecstasin raptus, sententiam Divinam homini scelerato cum fiducia intimavit. II. Accedit, quod a Gamaliele didicerat, judicem qui honoris consequendi caussa pecunias dederit revera neque judicem esse, neque honorandum, sed asini habendum loco: ut est in titulo *Sanhedrin*. Judæi peculiariter vocant tales Magistratus *Deos aureos* atque *argenteos*, eosque *adorandos* negant. Talem autem esse Ananiam, palam constabat. Addit etiam se probe meminisse legis Exod. XXII. 28. At non peccasse adversus eam. Quum neque Ananiam pro Principe agnoscere deberet, neque sermo suus convitium esset: quippe non profectus ex malo animo, sed meliori ac superiori principio. Atque ita hæc Apologia sapiens, prudens, sancta est; mysteria continens isthoc tempore & loco non nimis clare exponenda: ne præter rem animos exacerbaret. Hac observatione cadunt omnes Auctoris nostri sophisticationes.

XXVIII. *Inspiratio Prophetica male opponitur sanctæ prudentiæ.*

XXVIII. Instat: *Æque difficulter credo Spiritum prophetiæ inspirasse Paulo sequentia* vers. 6. *Certe nemo est quin sine inspiratione tandumdem dicere queat. Adde quod Lucæ phrasis* γνοὺς δὲ ὁ Παῦλος, *indicet ad prudentiam Pauli hæc potius referenda, quam ad inspirationem propheticam.* At qua facilitate ea dicuntur, eadem facilitate iis respondetur. Quis docuit Criticum, ut ductum Divini Spiritus opponeret sanctæ prudentiæ? Certe Spiritus ille prudentiæ auctor datorque est: idcirco dictus *spiritus sapientiæ & intelligentiæ, & spiritus consilii.* Jes. XI. 2. Quippe efficiens in suis φρόνησιν δικαίων, *prudentiam justorum.*

XXIX. *Quamvis Apostoli non ea qua Christus auctoritate locuti sint.*

XXIX. Pergit noster novo argumento impugnare ductum Spiritus. *Nam tunc*, inquit, *jus habuissent annunciandi hominibus doctrinam salutis, eadem potestate; & loquendi eadem auctoritate qua Christus. Quum tamen in scriptis ipsorum contrarium semper appareat. Christus loquebatur ut ἐξουσίαν ἔχων.* Matth. VII. 29. & Matth. V. 22. ἘΓΩ ΔΕ΄ ΛΕ΄ΓΩ ὙΜΙ͂Ν. EGO VERO DICO VOBIS. *Apostoli contra profitentur,*

fitentur, se nihil ex se ipsis dicere, sed omnia referunt ad Christum & prophetas. Act. XXVI. 22. 1 Cor. XI. 23.

XXX. Respondeo. *I.* Si quæ huic argumento vis esset, deberet procedere ab eo qui Christum merum hominem, & nudum Dei ministrum credit. Quæ enim cæteroquin collationis hujus foret species? Nescio autem, an sui hactenus oblitus sit *Clericus*, ut palam illud profiteri animum sum induxerit. Nos aperte loquimur, remotis omnibus κρυπτοῖς τῆς αἰσχύνης, & Christum non Prophetam solum, sed & Prophetarum Dominum agnoscimus. Atque hactenus Prophetis omnibus infinities majorem, Heb. III. 3. 5. *II.* Prophetis in suo munere versantibus inspirationem Propheticam non denegabit noster. Illisne idcirco licuit eodem modo ac tono, ut ille ait, loqui, quo locutus est Christus? Non certè. Joh. III. 31. 34. Deus quædam verba reservaverat Christo soli dicenda. ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, 2 Cor. XII. 4. Non disputo nunc de locorum a me allegatorum sensu: nolim eam vitilitigandi occasionem captet *Clericus*. Res ipsa expendatur, quæ etiam sine his testimoniis manifesta est omnibus iis qui æternam Christi Deitatem nobiscum agnoscunt. *III.* Apostoli quoque ita aliquando locuti sunt, ut ad φράσιν illam Christi, quæ plena auctoritatis est, proxime accedant. Gal. V. 2. ἼΔΕ ἘΓΩ ΠΑΥ͂ΛΟΣ ΛΈΓΩ ὙΜΙ͂Ν.

XXX. Non tamen idcirco caruerunt doctrina infallibilitate.

XXXI. Urget denique: *Ipsi Apostoli distinguunt sua dicta à dictis Christi.* 1 Cor. VII. 10. 12. NON EGO, SED DOMINUS. *Reliquis autem* EGO DICO, NON DOMINUS. *Quod non potuisset dicere Paulus, si quidem credidissent auditores, ipsius verba æque infallibilia fuisse ac illa Christi.* Respondeo. Paulus eo capite res diversi generis tractat. De quibusdam auditum erat olim expressum Domini mandatum, uti de repudio. Conf. Matth. V. 32. XV. 7. De aliis nullum hactenus mandatum exstabat. De *illis* ait Paulus, *non ego dico*, non hoc ex me primum auditis, *sed Dominus* pridem dixit. De *his*, *ego dico*, *non Dominus*, id est, Christus hactenus nihil ea de re præcepit. Ego primus mentem Domini expono. Non utique ex sua duntaxat argumentatione, sed instinctu Christi. Nam non deerat ei δοκιμὴ τοῦ λαλοῦντος ἐν αὐτῷ Χριστοῦ. 2 Cor. XIII. 3. Similiter vers. 25. *Præceptum Domini non habeo.* Scilicet olim expressum, quod omnes in universum obliget. Γνώμην δὲ δίδωμι, *Sed sententiam meam dico*, id est, suggero consilium prudentiæ de eo quod expediat, hic & nunc. Non depromtum tamen ex meo penu; sed instinctu Spiritus, *ut cui Do-*

XXXI. Quo sensu Paulus suam sententiam a mandato Domini distinguat.

Dominus per misericordiam dederit fidum esse. Et omnino conferendum est com. 40. *Beatior erit, si ita maneat secundum meam sententiam. Videor autem mihi & ego Spiritum Dei habere.*

XXXII. *Epilogus.* XXXII. Atque hæc quidem extorsit mihi eruditus ac subtilis Criticus; quæ adversus Judæum aliquem aut Mahumedanum disputare maluissem, quam adversus hominem qui Christiano nobiscum nomine gloriatur. Nescio quanti, aut quantilli, ea factnrus sit, quæ Criticæ ipsius confidentiæ sæpius in hoc scripto opposui. Neque vero mea quidquam refert; qui iterum protestor, me eruditionem ipsius atque ingenium quo decet loco habere: at plurimas opiniones ejus, per omnes quos edidit libros sparsas, Arianismo, Pelagianismo, Libertinismo palam faventes, uti merentur, detestor. De cætero neque laudes ipsius ambio; neque contemtum deprecor. Id unum Lectorem rogo, ut non ex stricturis & censuris *Bibliothecæ* ipsius de libris meis judicet; sed, nisi tanti non sit, ex ipsis.

CAP. XXIII.

De Prophetissis.

I. *In Prophetissis principem locum habet Miriam.* II. *Nominis illius etymologia.* III. *Cur Aaronis soror dicatur.* IV. *Prophetissæ nomen ei competit in omni vi vocis.* V. *Ejus iniqua cum Mose altercatio.* VI. *Fabula Judaica de caussa litis.* VII. *Miriami lepra.* VIII. *Ad Mosis intercessionem curata.* IX. *Debora:* X. *Prophetissa.* XI. *Jus dixit Israeli.* XII. *Si Hebræis credimus valde opulenta fuit.* XIII. *Carmen illius elegantissimum.* XIV. XV. XVI. *Quo jure audax Jaelis facinus laudaverit, quum id non videatur carere culpa.* XVII. *Sphingis Thebanæ fabula, an ex historia Deboræ formata.* XVIII. *Annæ de Messia vaticinium.* XIX. *Brevi paraphrasi explicatum.* XX. *Ab Hebræis etiam Messiæ applicatum.* XXI. *Hulda.* XXII. *Locus habitationis ejus.* XXIII. *Prophetia.* XXIV. XXV. *An respondens eventui?* XXVI. *Maria Mater Domini.* XXVII. *Elisabetha, cognata ejus.* XXVIII. *Anna Phanuelis filia.* XXIX. *Ex tribu Aser, Galilæa.* XXX. *Prophetissa.* XXXI. *Vidua, nunquam repetitis nuptiis.* XXXII. *In Templo assidua.* XXXIII. *Quatuor Philippi filiæ prophetantes.*

Non

NOn virilem solum, sed & sequiorem sexum, Prophetiæ gratia ornare supremo numini visum est; quum non Prophetæ solum, sed & PROPHETIDES in sacra historia laudentur. Earum nunc, ne quid huic operi desit, seriem exhibere lubet. Principem in iis locum obtinet MIRIAM, soror Aaronis & Mosis, PROPHETISSÆ elogio insignita Exod. XV. 20. Quæ Hebræis *Miriam*, ea Græcis Μαριάμ, Latinis *Maria*, dicitur. *I. In prophetissis principem locum habet Miriam.*

II. Circa cujus nominis etymologiam multum ab eruditis disputatur: ab eo maxime tempore quo superstitio & idololatria circa Matrem Domini nostri invaluit: qua re factum est, ut, vel invita omni Grammatica, & reluctante linguæ Hebrææ genio, multa multi ex hoc nomine exsculpserint, quæ Divæ suæ tribuenda existimabant. Ridiculos se hac in parte præstiterunt aliqui Romanæ Ecclesiæ magistri; quorum næniis refutandis non est ut nunc operam abutar. *Angelus Caninius*, Orientalium literarum peritissimus, derivat a radice רום, idcirco significare vult, *excelsam, sublimem, eminentem.* At id longiuscule mihi videtur esse petitum, quamvis non abnuat *Drusius*. *Gomarus* arcessit a voce מרי *rebellio*, quæ juncta cum affixo tertiæ personæ pluralis numeri facit מִרְיָם, *rebellio eorum*; sicuti integra ea vox exstat Neh. IX. 17. Alii cogitant de radice מרר, unde מרה *amara*, voluntque ab amaritudine sic dictam. Sic auctor vitæ Mosis. ותקרא שמה מרים כי בעת ההיא החלו המצרי׳ בני חם למרור חיי בני ישראל. *Et vocatum est nomen ejus Miriam, quia eo tempore inceperunt Ægyptii, filii Chami, vitam amaram reddere Israelitis.* Utramque significationem jungit *Lightfootus*. *Vox*, inquit, *proprie & aperte indicat, quum rebellionem Judæorum, tum etiam amaram eorundem afflictionem. Multum & atrociter puniebantur propter Israelis in Ægypto scelera, tum quum Miriam hoc sortita est nomen.* Per me quidem integrum cuique erit de etymologiis ejusmodi, & rationibus impositorum nominum, judicare pro lubitu. Mihi, si nulla aliunde accedant indicia, nihil videtur esse incertius. *II. Nominis illius etymologia.*

III. Vocatur hæc Maria *soror Aaronis*. Cur non Mosis? Respondet, quia Aaron major erat, & proxime post Miriam natus. Addi potest, quia conjunctius cum eo vixerat; iisdem ædibus, eadem certe vicinia: quum Moses, a suorum commercio remotus, & pro filio filiæ Pharaonis habitus, in aula juventutem exegerit; ac dein quadraginta integros annos peregre abfuerit apud Midianitas. Potuit etiam fieri ut Miriam & Aaron *III. Cur Aaronis soror dicatur.*

ex alia matre fuerint quam Moses; unde illius potius quam hujus dicebatur soror. Ex Scholæ Romanæ Rabbinis sunt qui hinc colligant Miriam innuptam virginem fuisse, quod a fratre potius quam marito denominetur. At id valde imbecillum est, & Hebræorum opinioni adversum, qui de conjugio Miriam non dubitant, ut mox intelligemus: *Josephus Hurum*, qui Aaroni jungitur Exod. XXIV. 14. maritum ejus fuisse tradit.

VI. *Prophetissæ nomen ei competit in omni vi vocis.*

IV. Nobis id nunc potissimum considerandum est, quod נביאה *Prophetissa* fuisse dicatur. Non eo sensu quo Jesaiæ uxor, Jes. VIII. 3. quæ a marito hoc nomen traxit; uti apud Christianos veteres uxor Episcopi *Episcopa*, Presbyteri *Presbytera* vocabatur: sed quia quæ Prophetis propria sunt ea ipsi quoque competebant. Prophetare dicuntur qui arcana religionis exponunt, qui laudes Divinas Spiritu impulsore prædicant, qui sanctis precibus vacant, & prophetarum more loquuntur. Nihil horum est quod non conveniat Miriam. At cogitanda sunt his majora. Aliud est quod alicui actio aliqua prophetandi attribuatur: aliud quod prophetæ elogio decoretur. Prophetissam ergo quum dici audimus, statuendum est, eam extraordinario Spiritus afflatu de rebus arcanis edoctam, Israëlem quæ didicerat docuisse. Deus ipse beneficiis in Israëlem collatis hoc adnumerat quod pro doctoribus & ductoribus populi in deserto dederit ipsis *Mosen, Aaronem & Miriam.* Mich. VI. 4. Neque potuit ita sibi temperare Miriam, quin majores inde quam par est sumserit spiritus, & una cum Aarone Mosi dixerit: *an tantummodo per Mosen locutus est Jehova? nonne & per nos locutus est?* Num. XII. 2. Nec in ea re a Mose aut Deo redarguitur.

V. *Ejus iniqua cum Mose altercatio.*

Adde Præf. §. XVIII.

V. At vel hinc disce, quam atra imperfectionum nube splendidissima etiam lumina quandoque offuscentur. Hæc ipsa Miriam, hæc Prophetissa, hæc Ductrix populi Israelitici, affectibus suis nimium quantum indulgens, Mosique invidens, inique cum ipso altercata est, fratremque Aaronem in ejusdem secum criminis consortium traxit. Occasionem, aut praetextum liti dedit fœmina *Cuschitis*, quam uxorem sibi Moses duxerat. Quo nomine *Zipporam* intelligi credibile est; quæ, quamvis revera *Midianitis*, *Cuschitis* hic dicatur, quia Midianitæ partem illius regionis incolunt, quam Sacræ literæ appellant terram *Cusch*, & quam non *Æthiopiam*, sed *Arabiam* esse, probabilibus admodum argumentis addixit *Magnus Bochartus.* At quid ipsi tantopere circa hanc Cuschitidem displicuit? Sunt qui opinentur,

sp-

ipsam, tanti viri quantus Moses erat connubio superbam, postulasse se Miriamo præferri, quam tamen ductu populi prætulerat Deus. Simplicius est, Miriamum ægre tulisse matrimonium Mosis cum alienigena, & urfisse divortium, ut sociaret se Israelitidi.

VI. Hebræi hic miras nobis reliquere traditiones, quæ magis ingenium carnalis populi redolent, quam ut ulla verisimilitudine se approbent. Fabulantur Zipporam adfuisse Miriamo, quando renunciatum iis fuit Eldadum ac Medadum prophetare in castris: hanc vero dixisse; *væ uxoribus eorum; ubi enim prophetare inceperint, destituent suas conjuges, sicuti meus me maritus destituit.* Quod indignata Miriam, rataque injuriam Zipporæ fieri, cui debitum conjugale non solveretur, rem ad Aaronem detulerit, & cum eo Mosen increpuerit, muliere, ut in re muliebri, caussam fervidius agente. Alii dicunt, non ignorasse quidem antea Miriam hanc thori sejunctionem, sed dissimulasse, quod fratrem regimine populi fatigari crederet. Ubi vero septuaginta collegas, & in secundo regiminis onere adjutores, nactus esset, hunc rei uxoriæ neglectum intolerabilem esse existimavit. Atque huc referunt ea verba: Tantumne per Mosen locutus est Dominus? *sic ut lege singulari sanctitatis uti possit, unde jus ipsi natum sit destituendi uxorem?* Nonne et per nos locutus est? *qui tamen ob eam rem conjugium non abrumpimus, nec obliviscimur mutuæ fidei quam conjugibus nostris, quamvis non prophetantibus, debemus. Nobis commercium cum Deo habere licet citra ejusmodi separationem: proinde nec ea abstinentia Mosi opus est cum injuria uxoris.* At fortasse justo diutius næniis hisce sumus immorati. *VI. Fabula Judaica de caussa litis.*

VII. Adeo hæc murmuratio Jehovæ displicuit, ut absoluto Mose, ira ipsius exarserit adversus altercantes, & Miriam, facti hujus ducem, *lepra* percusserit, gravissima atque teterrima. Hac poena vindicavit Deus contemtum Mosis, sine ulla personarum acceptione: ex quo exemplo, aliisque ei similibus, hanc monelam Hebræis suis inculcavit Paulus, quæ nostris quoque insculpenda est animis. Heb. XII. 25. *Videte ne aversemini eum qui loquitur: Nam si illi non effugerunt qui recusarunt Divinitus loquentem in terra, multo magis nos qui eum qui de cœlis est aversaremur.* *VII. Miriami Lepra.*

VIII. Vehementer hac dilectissimæ sororis plaga commotus fuit Aaronis animus: qui sui etiam criminis conscientia tactus, humiliter pro ea deprecaturus his Mosen verbis compellasse fertur: *Ah Domine mi, ne quæso imponas nobis peccati pœnam, quo stulte egimus, & quo peccavimus. Ne quæso sit similis mortuo, cujus dimidia-* *VIII. Ad Mosis intercessionem curata.*

ta caro exesa est, quum egreditur ex utero matris suæ. Moses vero, quâ erat animi lenitudine ac pietate, ardenter pro sorore Deum oravit, & exoravit, sic ut mox a lepra curata fuerit: ea tamen lege ut septiduo castris excluderetur, quemadmodum fieri solebat iis qui dubiæ valetudinis erant. Addita hac interpretatione: *si pater ejus sputum inspuisset in faciem ejus, annon rubore suffusa esset septem dies?* Volebat nimirum Deus hanc plagam ab ipsa Miriam, totoque Israele, considerari uti argumentum maximæ indignationis, respectu Dei, & maximæ pudefactionis, respectu patientis. Et sic Mosi asserta fuit sua super omnes Prophetas eminentia.

IX. *Debora:* IX. Post *Miriam* celebre in Israele nomen consecuta est DEBORA: de qua sacra historia hæc habet. Jud. IV. 4. 5. *Debora autem fœmina prophetissa Lappidothana; hæc judicabat Israelem toto tempore illo. Atque hæc quidem habitabat sub palma Deboræ: inter Ramam & Bethelem in monte Ephraimi: adscendebantque ad eam filii Israelis ad judicium.* Nomen DEBORA *Apem* significat. Non in Hebræa solum gente, sed & alibi illustres fœminæ ab Apibus denominatæ sunt. Apud Græcos *Jovis* nutrix *Melissa* Nympha: & *Melissa Epidamni* filia, de qua *Stephanus in* Δυῤῥάχιον. & *Melissa Periandri* uxor, Regis Corinthiorum: & *Melissa* recentior, cujus epistolam edidit *Aldus* in volumine Græcarum epistolarum. Et sane Debora nostra, veluti apis, industria erat, suis mellea, hostibus aculeata. Erat autem אשת לפידות, quod non bene videntur transtulisse *Junius* & *Tremellius*, *Lappidothana*: non enim liquet ullam urbem fuisse in Israelitide eo nomine notam. Recepta opinio est, *Lappidoth* esse nomen viri, cujus uxor fuerit Debora. Hunc Hebræi quidam putant fuisse *Barac.* Nam voces Hebrææ ברק & לפידות significatione conveniunt: illa *fulgorem* notat, hæc sæpe de *fulgore* usurpatur. At ex tota narratione sacra satis apparet, Baracum Deboræ maritum non fuisse. Tandem fateri discant Hebræorum Magistri, aliquid esse in priscis historiis quod ignorent. Alii malunt לפידות esse vocem appellativam, ut dicatur *mulier splendorum*, Divinis splendoribus illuminata. Nec desunt, qui *mulierem lychnariam* interpretentur, quod lychnos conficeret ad usum sanctuarii. Lusus, & nugæ. Credibilius est fuisse uxorem *Lapidothi* alicujus, hominis cætera ignoti.

X. *Prophetissa.* X. Fuit autem אשה נביאה FOEMINA PROPHETIS, cui solebat Deus arcana sua patefacere, quæque sui cum numine commercii indicia Israëli approbarat. Nulla quidem illius exstant vaticinia præter ea quæ hoc & sequenti capite narrantur. Sed jam tum pro prophetide

fuit

fuit agnita; neque aliter ipsius jussa nisi ut Divina oracula considerabat Barac. Cui nomine Jehovæ Dei Israëlis præcipit, ut ad montem Thaboris colligeret sibi decies mille viros e filiis Zebulunis & Naphtali: præanuncians futurum esse ut Deus ad torrentem Cisonis traheret Siseram, principem militiæ Jabinis, cum curribus suis & omni multitudine sua, quem traditurus esset in manum Baraci. Sic *Prophetissam* egit.

XI. Sed & *jus dixit* Israeli. An potestate judiciaria, an consilio solum & auctoritate, quam sua sibi sapientia peperat, haut asseveranter determinavero. Id liquet, maximæ fuisse apud cives suos existimationis: quum enim sub *palma* rerum suarum sedem fixisset, palma, inquam, quæ ex ipsius sub ea commoratione nomen & celebritatem nacta erat, ultro *ad eam venerunt Israelitæ in judicium.* *XI. Jus dixit Israëli.*

XII. Quæ de loco commorationis narrantur, ea ad opulentiam ipsius referunt Magistri: atque in hanc mentem exposuit *Paraphrastes*: והוא יתבה בקרתא בעטרות דבורה מתפרנסה מן די לה ולה דקלין ביריחו פרדסין ברמתא זתין עבדין משח בבקעתא בית שקיא בביתאל עפר חור בטור מלכא: *Et fuit habitans in urbe in Atarot Debora, sustentata de suo: eique palmæ in Jericho, horti in Ramatha, oleæ facientes oleum in valle, domus irrigationis in Bethel, pulvis albus in monte regis.* At hæc exigua sunt, & nescio quo fundamento nixa. Nos majora sectamur. *XII. Si Hebræis credimus valde opulenta fuit.*

XIII. *Carmen* quo ob partam victoriam Deo bellorum Præsidi solemnes gratias egit Debora, tanta verborum magnificentia, tanta figurarum varietate, tam aptis auresque implentibus numeris, tam eleganti translationum audacia, tam nativa & nitida affectuum quos res exigebat repræsentatione, concinnatum est, ut neque Pindaricis nec Venusini vatis odis postponi debeat: & vel ex hoc solo specimine appareat, quanta Poesios vis antiquissimis temporibus fuerit apud Hebræos, præcipue apud vates Divini adflatus participes, quando Græcorum animi crassissima adhuc barbarie hebebant. *XIII. Carmen illius elegantissimum.*

VIV. Ex eo carmine eas nunc solum laudes excerpere juvat, quibus Prophetissa audax *Jaelis* facinus prædicavit. Cap. v. 24. & s. In quo tamen non pauca reperiuntur, quæ reprehensione potius quam laude digna videri queant. Nam neque modestiæ quam sexus ille profitetur decorum quis dixerit, fœmineam manum principis sanguine polluere: neque fœderum sanctitatem, quæ Kenææ huic cum Rege Jabin intercedebant, permittere, ut Impera- *XIV. Quo jure audax Jaëlis facinus laudaverit, quod tamen non videtur carere culpa.*

peratorem exercitus sui, instar brutæ alicujus pecudis, tam indigne mactaret: & violata sacratissima hospitalitatis jura; & simulata comitate ac composito fictoque blandiloquio temeratam sinceritatem ac fidem: denique universum hoc facinus magis redolere genium furiosæ ac perfidæ mulieris, quam honestæ modestæque matronæ.

XV. Cæterum quæ a *Jaele* facta sunt, & a *Debora* laudantur, non sunt exigenda ad commune humanitatis & confœderationis jus. Singulare, extraordinarium, Heroicum & Divinum aliquid hic agnoscendum est, quod vulgares honesti regulas exsuperet. Bellum ab Israelitarum parte justum erat. Sisera hostis publicus: oppressor populi Dei, Divinitus jam fractus, & anathemate devotus, a Deo proscriptus. Cujus rei per spiritum certior facta Jael, magnum & memorabile facinus ausa est. Kenæa quum esset, *pace* quidem fruebatur cum Rege Hatzoris: at non omnis pax confœderationem amicitiæ importat. Fieri potuit ut tributo vexationem solum redemerit familia Heberi, cujus uxor erat Jael. Pluribus arctioribusque amicitiæ vinculis adstricta hæc Kenæa populo Israelitico erat; cujus communem hostem & prodere ipsi & perdere licebat. Quod quum fas esset, non videtur nefas fuisse iis uti mediis, quæ fini isti adsequendo essent idonea: qualia erant, domum recipere, potu reficere, somnum inducere, & quæ id genus plura. In quibus hactenus non plus culpæ est, quam in aliis stratagematis, in militia non permissis solum, sed & laudatis. Simulavit quidem aliquid Jael, & dissimulavit: sed hoc non est absolute illicitum.

XVI. Præcipua difficultas in eo sita est, quod vix a mendacio absolvi posse hæc verba videantur, *diverte Domine mi, diverte ad me, ne timeto.* Vix enim est, ut id aliter intelligi possit, nisi ut sermo promittentis securitatem. Ut verum fatear, non invenio quo id prorsus exculpem. Ita comparatum est cum omnibus fere actionibus humanis, iis etiam quæ impulsore Spiritu peraguntur, ut facile de nostro aliquid addatur, neque solicite satis intra eos se terminos coerceat impetus, quos cæteroquin Divinæ legis sanctitudo præscripsit. Qua re nævus quidem actioni bonæ inducitur, sed non omnis ejus laus tollitur. Laudari itaque a Debora potuit heroicus ille & sexum superans Jaelis animus, quo ab ipso incitata Deo, superbum hostem sustulit; etiamsi in universo actionis illius molimine aliquid inveniatur, quod culpa prorsus non careat.

XVII. Ad

XVII. Ad Deboræ exemplum formata nonnullis videtur *Thebana Sphinx*, quæ regii sanguinis filia, totum quidem *corpus Leonis*, *faciem* autem *hominis*, habuisse dicitur. *Bœoti* eam Φῖκα vocabant: uti & *Phicio* monti insedisse fertur, ubi gryphos nectebat, atque ænigmata. Et constituta arbitra litium de successione regni, caussa cadentes morte mulctabat. *Socrates* eam nuncupabat χρησμολόγον δύσγνωστα μαντευομένην, *vatem obscura oracula edentem*. Quæ cum Deboræ historia aliquam videntur habere similitudinem, ut ex ea transsumta credi possint. Nam I. *Phix* Græca terminatione Phœnicia vox est, a פִּקֵּחַ *Pikkeah*, *oculatus*, *sapiens*, *vates*. Quæ vox invenitur Exod. IV. 11. & XXIII. 8. Eâque & Debora & Sphinx propter sagacitatem nominari meruerunt. II. Utraque habitavit in monte. III. Utraque vates. IV. Et Arbitra litium. V. Et sapientia pariter ac fortitudine valuit. Huc pertinebat *Leonis* atque *hominis* effigies. *Clemens Alexandrinus Stromat. Lib.* V. Sphingem symbolum fuisse dicit ἀλκῆς τε μετὰ συνέσεως, *roboris cum ingenii solertia*. VI. Utraque hostes multos letho dedit. Nam Canaanitarum strages sub ducatu Deboræ, a Phœnicibus, in quorum conspectu hæc gesta sunt, memoriæ tradita, fabulæ de Sphingis feritate occasionem dare potuit. Ita viri quidam eruditissimi: quæ tamen si quis argutum ingenii lusum æstimare malit, non habebit me admodum refragantem. Vide sis *Bocharti Canaan Lib.* I. *Cap.* XVI.

XVII. Sphingis Thebanæ fabula, an ex historia Deboræ formata.

XVIII. Ego ad Annam propero, Samuelis matrem, cujus non minus elegans ac facundum, mysticisque sensibus fœcundum carmen exstat 1 Sam. II. 1. & seq. Id Viri Doctissimi subtilibus commentariis exposuerunt: quos nunc examinare non vacat. Hoc certe liquidum mihi esse videtur, totum sermonis contextum longe magnificentiorem esse, quam ut ad suas cum æmula Peninna altercationes, & filium sibi a Domino concessum, unice referatur. Ut cætera taceam, palam est versu 10. egregiam de Christo prophetiam exstare. Quum enim miseram illam servitutem animo suo repræsentaret, quam serviebant Israelitæ sub jugo Philistæorum, & in qua durioris multo servitutis sub potestate peccati & Diaboli imago est; cogitationibus suis adscendit ad Messiam Regem, qui populum liberaturus, regnumque sibi & dominium in suos asserturus erat. De eo in hæc verba canit: *Contendentes in Jehovam conterentur, contra quemque in cælis intonabit. Jehova judicabit fines terræ: nam dabit fortitudinem Regi suo, & extollet cornu Uncti sui.*

XVIII. Annæ de Messia vaticinium.

XIX. Con-

XIX. *Brevi paraphrasi explicatum.*

XIX. *Contendentes in Jehovam*, ſunt omnes inimici regni Dei, qui *conſultant pariter contra Jehovam & Unctum ejus*. Pſ. II. 2. Tales nominatim erant improbi illi Judæi, mortalium omnium peſſimi, ſemper Chriſto illiuſque diſcipulis novas facientes controverſias, & gentilium animos adverſus eoſdem exacerbantes. Illis *contritionem* denunciat. Confer. Luc. XIX. 27. & XX. 16. futurumque ut Deus *contra quemque illorum in cœlo detonet*, id eſt iram terribilibus effectis e cœlo demonſtret. Conf. Pſ. L. 3. XCVII. 3. 6. Addit, *Jehovam judicaturum fines terræ*, multas ubique plagas hominibus refractariis immittendo, præſertim etiam terræ Iſraeliticæ incolis. Matth. XXIV. 7. 21. & XIX. 28. *Fortitudinem autem dabit Regi ſuo*. Tempore Annæ, nullus in Iſraele Rex erat. At didicerat Meſſiam futurum eſſe Regem, eumque prædicit proſpere acturum eſſe favente Deo. Pſ. CX. 2. LXXXIX. 22. *Et extollet cornu Uncti ſui.* Quod prorſus idem eſt cum Pſ. CXXXII. 17. 18. & Luc. I. 69.

XX. *Ab Hebræis etiam Meſſiæ applicatum.*

XX. Hebræorum quoque Magiſtri prophetiam de Meſſia in his verbis agnoverunt. *Chaldæus* non alium deſignari vult quam hunc ipſum, qui triumphato Magogo, ultimo hoſtium, regnaturus eſſet. Sic enim παραφράζει. * יעביד פורענות מן הגוג וממשרית עממין חטופין דאתן עמיה מסיפי ארעא ויתן תוקפא למלכה וירבי מלכות משיחה : *Dominus faciet ultionem de Magog, & de exercitu gentium rapacium, qui veniunt ex finibus terræ, & dabit fortitudinem Regi ſuo, & amplificabit Regnum Meſſiæ ſui.* Diſertus quoque in hanc mentem *Kimchius* eſt. המלך הוא המשיח ואמרה חנה זה על דרך נבואה או דרך קבלה כי היתה קבלה אצלם כי עתיד להיות מלך בישראל וחתמה השירה הזאת בדברי המלך לפי שזכרה מפלת הרשעים והם אויבי ישראל ואמרה כי האל יתן עז למלך ישראל שיושעו ישראל על ידו מיד אויביהם : *Rex iſte eſt Meſſias. Hæc autem Anna dixit per prophetiam, vel per traditionem. Fuit enim apud ipſos traditio, futurum eſſe regem in Iſraele : & obſignat canticum hoc verbis de hoc Rege: quia meminerat caſus impiorum, qui ſunt hoſtes Iſraelis, dicitque Deum daturum eſſe fortitudinem Regi Iſraelis, ut per manum ejus ſerventur Iſraelitæ e manu hoſtium ſuorum.*

XXI. *Hulda.*

XXI. Sed & magnum ac memorabile HULDÆ Prophetidis nomen eſt, quæ floruit ſub regno *Joſiæ*. Ejus tam *Perſona* quam *Prophetia* deſcribuntur 2 Reg. XXII. 14. & 2 Chron. XXXIV. 22. *Perſonam* quod attinet, fuit *uxor Sallumi*. Adeo non diſplicet Deo caſtum conjugium, ut non virgines ſolum, ſed & maritas, ubi lubitum eſt, familiari ſuo commercio & fatidica virtute beet. *Sallum* iſte, vel parens & avus ipſius, quorum nomina non iiſ-

dem semper literis pinguntur, vel fortassis ipse post patrem & avum, erat שומר הבגדים *custos vestium:* sacrarum, opinor; quarum usus in templo erat, & quarum custodelæ aliqui ex Sacerdotibus præfecti. Tradunt Hebræi ad VII. Templi portas fuisse VII. conclavia, quibus sacra vasa & sacræ vestes recondebantur: fuisse item VII viros quibus harum portarum ac conclavium commissa fuerit cura. Hi serioribus temporibus dicti sunt אמרכלין *Immarcalin*, aut, ut alii legunt, *Amarcalin*, qui sub se veluti vicarios habebant tres גזברין *Gizbarin*, de quibus vide *Lightfootum de Ministerio Templi Cap.* V. *Sect.* III. & IV. Ex his videtur fuisse Sallum.

XXII. Habitabat autem Hulda Hierosolymis בַּמִּשְׁנֶה *in secunda parte.* Id diversimode exponitur. Sunt qui ad *urbem* referunt. Nimirum tributa fuit *Hierosolyma* in partes *tres*: quarum *prima* est civitas Davidis, in monte Sion, ubi erat regia: *secunda*, proxima ab illa in monte Moria, ubi erat templum: *tertia* extima. In media ista parte volunt fuisse Huldæ ædes. Alii opinantur, *Misne* proprium nomen *vici* alicujus Hierosolymitani fuisse. Nec desunt qui pugnent, *locum* fuisse *apud Templum*; in quo docti conveniebant, de lege illiusque mente disputantes & conferentes, qualem recentiores בית מדרש vocant. Nam מִשְׁנֶה est *traditio legis interpres.* Sed uti in re antiqua, & obscura, nihil certi determinari potest. Observavi unam fuisse ex *Templi portis* cui *Hulda* nomen. Id an ad nostram prophetidem aliquo modo pertineat, fateor me ignorare. Videat qui vult *l'Empereur in Middoth* p. I. 2. Hoc scio, tantæ eam fuisse apud suos existimationis, ut tradant, neminem unquam, seu virum, seu fœminam, sepultum fuisse intra mœnia Hierosolymæ, excepta domo Davidis, præter hanc solam. Vide *Salomonem Jarchium in* 2 Reg. XXII.

XXII. Locus habitationis ejus.

XXIII. Certe *Prophetissa* fuit tantæ dignitatis, ut ad eam sciscitatum miserit Rex *Josias*, de suis ac regni fatis solicitus. Et regno quidem exitium prædixit, eo quod dereliquerant Jehovam, & adoleverant diis alienis. Regi vero, quod auditis legis verbis mollitus esset animo, & laceratis vestibus flevisset coram Jehova, hæc nunciari jussit: *Propterea, inquit Jehova, ecce ego faciam ut aggregeris ad patres tuos, & aggregeris ad sepulcra tua in pace, ut non videant oculi tui totum illud malum, quod ego inducturus sum contra locum hunc.*

XXIII. Prophetia.

XXIV. Prior vaticinii pars, quæ de regno agit, nulla admodum laborat difficultate. Alteri parti non usque quaque videtur respondere eventus. Nam felicitas & pietas Regis funesto fine ter-

XXIV. An respondent eventui?

terminata est. Pharao Necho Ægypti Rex cum copiis adversus Carchemis, oppidum Euphrati accubans, movet. Occurrit ipsi Josias cum lecta Judæorum manu, arma minitans. Cui Necho, missis nunciis, *quid mihi tecum, Rex Judaea? In te non sum profectus, sed domum cum qua mihi bellum est. Pracepit mihi Deus ut festinarem. Abstine à Deo, qui mecum est; ne te perdat.* Noluit monitioni salutari, quæ revera a Deo erat, at nescimus qua ratione Nechoni patefacta, parere Josias. Consertum prælium est in valle Megiddo, ubi ex vulnere Josias occubuit; & curru secundo, quem habebat, vectus Hierosolyma, illatus est in tumulum majorum, toto Israele & Juda plangentibus; threnum quoque cum aliis prophetis faciente Jeremia. An qui tam tristi perit fato, dici potest *in pace aggregari ad sepulcra sua?*

XXV. At distinguenda est pax privata regis, quam temerario bello ipse turbaverat, a pace publica regni. Hanc pollicita erat Prophetis; non illam. Docent id sequentia: *ne videant oculi tui malum, quod ego inducturus sum contra locum hunc.* Sæpe beneficium est tempestiva mors, quamvis cum aliqua amaritudine conjuncta. Qua de re eleganter cecinit *Juvenalis Satyra* X.

Incolumi Troja Priamus venisset ad umbras
Assaraci magnis solennibus, Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lachrymas, ut primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissaque Pollyxena palla,
Si foret exstinctus diverso tempore, quo non
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Eversa, & flammis Asiam ferroque cadentem.

Similia ne videret in regno suo Josias; factum Dei Providentia est ut in bello quidem occumberet, attamen inter profusissimas suorum lacrumas, regiis majorum tumulis inferretur. Atque ita Huldæ vaticinio sua constitit fides.

XXVI. *Maria Mater Domini.*

XXVI. Ad novi fœderis tabulas ubi ventum est, inter omnes alias fœminas caput immensum quantum effert MARIA *mater Domini;* cui quo modo apparuerit Angelus Gabriel, lætissimam conceptionem, & salutarem Filii Dei partum prænuncians, res omnibus notissima est. Nec minus cunctorum ore decantatum carmen, quo Dei ter Optimi Maximi laudes, Spiritu impulsore, celebravit. Quod si cum illo Annæ contendatur, maxima conferenti patebit affinitas & concentus jucundissimus.

XXVII. Nec

XXVII. Nec prætereunda Elisabetha eſt, quæ, eodem Spiritu magiſtro, nondum natum Dominum agnovit & prædicavit, cujus prægnans eam inviſebat mater. Eliſabetha hæc quamvis ex *filiabus Aaronis* Luc. I. 5. Mariæ tamen *cognata* dicitur ib. verſ. 36. quam ex tribu Judæ fuiſſe conſtat. In qua re nulla eſt repugnantia. Nihil enim obſtat quo minus mater Mariæ ex tribu Levi, & Aaronis familia fuerit: ſuntque ex Veteribus qui eam tradant Eliſabethæ fuiſſe ſororem. Fieri etiam potuit ut Eliſabethæ mater vel avia ex tribu Judæ fuerit, adeoque Mariæ patrem quantumvis propinqua conſanguinitate attingens: pater vero vel avus ejus ex tribu Levi. Familia autem, juxta tritiſſimum Judæorum canonem genealogicum, non ex matre, ſed ex patre cenſetur. Quod nonnulli objectant, nefas fuiſſe Iſraëlitis, uxorem ducere, vel nubere, extra ſuam cuique tribum, gratis ſumitur: ſaltem univerſale non eſt. Non invenimus ejus rei in ſacris monumentis interdictum. Exempla vero exſtant in contrarium. Aaron *Levita* duxit *Aminadabi filiam*, *ſororem Nabeſſonis*, Exod. VI. 22. qui fuit *princeps filiorum Judæ*. I Chron. II. 10. Si excipias, ante legem hoc eſſe factum; en exemplum aliud, poſt legem. *Jojada Sacerdos*, conſequenter *Levita*, Aaronides, duxit in uxorem *filiam Regis Jehoram*, ex tribu Judæ, domo Davidis. 2 Chron. XXII. II. Si inſtes, plus indultum fuiſſe Sacerdotibus Levitiſque quam aliis tribubus; non, quod jure poſſem, privilegii nunc iſtius tabulas exigam, ſed moneo id ſufficere ad tollendam eam de qua agimus difficultatem. Potuit enim ex hac hypotheſi pater Eliſabethæ, Aaronides, uxorem ſibi ſumere e familia Davidis, atque ita Mariæ parentibus cognatam. Sed & in aliis tribubus idem videmus. Certe *David*, *Judæus*, uxorem habuit filiam *Saulis*, *Benjaminitæ*. Nec ulla lex in contrarium reperitur. Nam Num. XXXVI. 6. eſt determinatio ſpecialis caſus in virginibus ἐπικλήροις, ad quas devolvitur tota hæreditas, omni virili ſtemmate defuncto: quarum matrimonia non ſolum *ſuæ tribus*, ſed & *ſuæ familiæ* hominibus adſtricta erant. Iſtiuſmodi autem ſpecialis determinatio communem libertatem firmat potius quam tollit. Porro talem virginem ἐπίκληρον Mariam fuiſſe, ideoque Joſepho ut proximo agnato deſponſatam, vero non abſimile eſt.

XXVII. Eliſabetha cognata ejus.

XXVIII. Cæterum Anna Phanuelis filia ex tribu *Aſer* Prophetissæ titulo nominatim inſignita eſt. Luc. II. 36. In cujus hiſtoria aliquammulta occurrunt, quæ obſervatione no-

XXVIII. Anna Phanuelis filia.

stra digna sunt. In *Annæ* vocabulo, *gratiæ*, in *Phanuelis*, *conspecti Dei*, in *Aser*, *beatitudinis* significatio est. Et sane inter plurima beneficia quæ ex fonte Divinæ *gratiæ* in eam sunt derivata, hoc ex maximis est, quod *Deum* humana carne vestitum *facie ad faciem viderit:* inque ea visione summam invenit & compendium *beatitudinis*.

XXIX. *Ex tribu Aser Galilæa.* XXIX. At quomodo aliqua ex tribu *Aser* degebat *Hierosolymis*? Num igitur tribuum Assyriaca captivitate dispersarum genealogiæ servatæ sunt? Num & illæ in patriam redierunt? Redierunt sane quotquot voluerunt: *omnibus* enim *qui de populo Dei erant* per edictum Cyri facta est redeundi copia. 2 Chron. XXXVI. 22. 23. Ezr. I. 1. --- 4. Conf. Ezr. VII. 13. Credibile quidem est, Israelitas publicos suos indices genealogicos, qui in Archivis adservabantur, amisisse: secus ac Judæi, quorum libri genealogici ad reditum in terram, & ultra, producti, apud Ezram, Nehemiam, & in primo Chronicorum exstant. Hoc tamen non impedit quo minus Israelitarum multi ex privatis commentariis cognoscere potuerint ad quam tribum pertinerent. Ita *Paulum* Apostolum de tribu *Benjamin* fuisse constat: *Annam* hanc nostram de tribu *Aser*. Nequiverunt tamen gentilium suorum non interruptum indicem ex publicis catalogis edere. Neque fortassis Anna, quamvis se ex tribu *Aser* esse sciret, ostendere potuit quo filiorum nepotumque ordine, & recta linea, ex tribus suæ stirpe descenderet. Idcirco post reditum ex captivitate Babylonica in partitione terræ aliter cum decem tribubus quam cum Judæis actum est. His enim suæ patritæ & avitæ adsignatæ sedes, quippe quorum nota erat stemmatographia. Quod in illis fieri non potuit. Quos constabat *Zabulonitas* esse, illis datum est habitare in antiqua *Zabulonitide*; & sic de cæteris. Attamen nequaquam tam accurata est possessionum inter eos distributio, atque olim. Qua de re diligentius egi *Decaphyli Cap.* V. Neque frustra est quod monetur, ex tribu *Aser* ortam fuisse Annam. Hinc enim patet fuisse *Galilæam*. Nam *Aseritæ* partem *Galilææ* occupabant. Et sic rursus falsi convincitur Pharisæorum observatio, *ex Galilæa nunquam Prophetam prodiisse* Joh. VII. 52.

XXX. *Prophetissa.* XXX. Nam sane Anna & *Galilæa* & *Prophetis* fuit: an laxius, an strictius sumto vocabulo, disputant eruditi. *Grotius* denotari vult *feminam quæ interdum à Spiritu Sancto invisebatur. Aliæ*, inquit, *olim fuerant Prophetides munere ordinario, ut Debora: quod genus Prophetarum in utroque sexu tum cessabat. Lightfootus*

tus contra contendit, cessasse quidem per quatuor admodum annorum centurias; sed cœpisse reflorescere sub auroram Evangelii; atque hanc nostram verso natali solo ex *Aseritide Hierosolymam* venisse, partim ut *devotam*, quo promtius orationibus vacaret in Templo, partim ut *prophetissam*, ut eo munere fungeretur in Metropoli. Cui sententiæ favere videtur & *Prophetissæ* nomen, quod non tam actus quam officii est; & quod com. 38. de Christo *locuta* narretur *omnibus qui exspectabant redemtionem Hierosolymis.*

XXXI. *Vidua, nunquam repetitis nuptiis.*

XXXI. Sed & hoc in illius laudibus erat, quod esset *vidua Annorum* LXXXIV, quæ non nisi VII annis cum thalami consorte vixerat. Magnum mulieris decus apud omnes fere nationes, non repetere nuptias: ne videatur *matrimonium magis quam maritum amasse*; quod de *Germanis Tacitus.* Veteres Christiani, quum non possent ostendere, ullo Christi edicto prohibitam esse matrimonii repetitionem, dissuadebant tamen: hinc repetitarum nuptiarum celebritati nolebant interesse presbyteri, ne probare viderentur.

XXXII. *In Templo assidua.*

XXXII. At cæteras omnes laudes superabat eximia illius pietas: quod *non abscederet a templo, jejuniis & deprecationibus colens Deum, diem ac noctem.* Hoc quoque ex antiquitate Hebraica clarandum est. Exod. XXXVIII. 8. laudantur mulieres הצבאות אשר צבאו פתח אהל מועד. Id vertunt Græci: *τὰς νηστευσάσας, αἳ ἐνήστευσαν παρὰ τὰς θύρας τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου.* *Junius*: *mulieres turmatim convenientes, quæ turmatim conveniebant ad portam tentorii conventus.* Similis locutio exstat, 1 Sam. II. 22. הנשים הצבאות פתח אהל מועד, *Græci, τὰς παρεστηκυίας παρὰ τὰς θύρας τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου.* *Junius*, ut antea: *mulieres quæ turmatim conveniebant ad portas tentorii conventus.* Verti etiam commode posset: *Statuta tempora observantes*: nam צבא *& agmen* significat, & *stationem*, sive statas ministerii vices. Ut Num. VIII. 25. ושוב מצבא העבודה *& revertetur a serie functionis.* Non quod tales fœminæ munere aliquo in templo fungerentur: sed λειτουργία ipsarum constabat *jejuniis & precibus*: saltem hæc pars erat ministerii maxima. Atque hæc fortassis ratio est cur Græci fœminas has λειτουργούσας vocarint *τὰς νηστευσάσας, jejunantes*, liberaliori interpretatione non tam vim vocis explicantes, quam rem & morem antiquitus receptum. Hoc faciebant matronæ illæ, non perpetuo (quod non ferebat rei domesticæ ratio) sed statis temporibus. Plus tamen nuptis viduæ potuerant, quibus ea cura liberatis, continuare λειτουργίαν suam licebat; sic *ut non abscederent* a templo, vacantes precibus & jejuniis.

juniis. De earum genere Anna nostra fuit. Quod tamen commode est intelligendum, admissa hyperbole. Nam ob necessaria naturæ, ob cibum capiendum, ob cætera munia civilis vitæ, abscedendum aliquando templo fuit. Notatur solummodo, frequentissimam ibi fuisse & maxime adsiduam. Sic Aaroni præcipitur & filiis, Lev. x. 7. *Neque à porta tentorii conventus exite, ne moriamini.* Et de Apostolis Lucas: Evan. xxiv. 53. *Erantque διὰ παντὸς omni tempore in templo, laudantes & benedicentes Deo.* Nisi fortasse singulare aliquid habuerit Anna, cui ut *Prophetissæ* cubiculum aliquod templi concessum sit, quod inhabitaret. Nam conclavia ejusmodi circa templum fuisse, quæ a fœminis quoque habitari fas esset, docet Joasi ex furore Athaliæ erepti historia: quem cum nutrice *abdidit* Joschabath uxor Pontificis Jojadæ *in conclavi lectorum*, sic ut *latitaverit in domo Dei sex annis.* 2 Chron. xxii. 11. 12.

XXXIII. *Quatuor Philippi filiæ prophetantes.*

XXXIII. Agmen claudant QUATUOR FILIÆ PHILIPPI EVANGELISTÆ: *quæ erant virgines prophetantes.* Act. xxi. 8. 9. non solum, uti opinor, in concentu Divinarum laudum, & insigni Scripturarum interpretandarum peritia: sed & futura prædicendi facultate præditæ. Sic enim Deo lubuit Evangelii initia nobilitare: ut quovis modo veritas constaret eximiæ illi promissioni: FILIÆ QUOQUE VESTRÆ PROPHETABUNT: & SUPER ANCILLAS MEAS EFFUNDAM DE SPIRITU MEO IN DIEBUS ILLIS, ET PROPHETABUNT. Act. ii. 17. 18.

CAP. XXIV.

De Continuatione Prophetiæ post excessum Apostolorum.

I. *An Prophetiæ donum, & Propheticum munus, adhuc in Ecclesia durent?* II. *Patrum de sua ætate testimonia. Justini.* III. *Ecclesiarum Gallicarum sub Antonino Vero.* IV. *Miltiadis.* V. *Origenis.* VI. *Cypriani: de se ipso.* VII. *Et innocentibus pueris.* VIII. *Gregorii Thaumaturgi.* IX. *Cui formula fidei a Johanne tradita.* X. *Et quem Basilius M. Apostolis, Prophetis, ipsique Mosi æquiparat.* XI. *Theodoreti de suo tempore.* XII. *Joël perpetuum Prophetiæ donum, ex quorundam opinione, Ecclesiæ promisisse videtur.* XIII. *Quod & experientia comprobasse creditur ad nostram usque ætatem.* XIV. *Non videtur prorsus negandum ad tertium aut quartum seculum viguisse Prophetiæ do-*

num. XV. *At nec omnia promiscue admittenda, quæ narrantur a Patribus.* XVI. *Judicium Voetii.* XVII. *Et Spanhemii.* XVIII. *Joëlis promissio non infert continuationem perpetuam muneris Prophetici.* XIX. *Nec Ecclesia, post consummatum Scripturarum canonem, eo indiget.* XX. *Nulla enim nova dogmata ibi traditis addenda supersunt.* XXI. *Neque ad obscura Scripturarum illustranda, novam fas est exspectare Propheticam revelationem.* XXII. *Quam qui præ se tulerunt, plerumque nihil præstiterunt quod non proficisci possit a communi industria.* XXIII. *In prætensis istis revelationibus magis elucere solet genius scribentis, quam Character Divini Spiritus. Ut patet in formula Thaumaturgi.* XXIV. *Et revelatione Paniatoviæ, de Adoranda Trinitate.* XXV. *Et Cotteri Concione Angelica, & Paraphrasi Orationis Dominicæ.* XXVI. *Prudenter Lutherus, verbo scripto contentus, a visionibus & apparitionibus desiderandis abstinuit.* XXVII. *De Zvvinglii somnio quid judicandum.* XXVIII. *Periculosum est, revelationis opinione, ardua & communem vocationem excedentia moliri.* XXIX. *Munceri Prophetiæ, sibi multisque aliis exitio fuere.* XXX. *Nicolai Drabicii incredibilis confidentia, & grandiloquentia.* XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. *Cujus tamen vaticiniis eventus non respondit.* XXXV. *Quamvis se Apostolis anteponat.* XXXVI. *Jurii de eo similibusque benignum judicium.* XXXVII. XXXVIII. *Mea ἐπίκρισις.* XXXIX. *Epilogus.*

HActenus catalogum Prophetarum in utroque sexu pertexuimus, quousque sacrarum sequi licuit ductum literarum. Quærendum nunc restat, *an post Apostolorum e terris excessum, Prophetiæ donum & Propheticum munus, in Ecclesia Christiana cessaverint; an vero aliquot seculis continuata paullatim defecerint; an denique, licet fortassis rariora, adhuc durent, & duratura sint in Ecclesia ad consummationem seculorum?*

I. An Prophetiæ donum, & Propheticum munus, adhuc in Ecclesia durent?

II. Antiquos si consulamus Christianæ religionis doctores, multi ex iis, atque gravissimi, suo adhuc ævo Prophetiæ facultatem viguisse, aliquoties testantur: idque non obiter solum & perfunctorie, sed & quando cum acerrimis disputant adversariis, quibus os oblinere difficillimum fuisset. Justinus *Philosophus & Martyr*, in suo quod cum Judæo *Tryphone* per biduum habuit colloquio, hoc sibi non esse omittendum autumavit. Sic enim loquitur p. 308. nuperæ editionis Coloniensis: Παρὰ γὰρ ἡμῖν καὶ μέχρι νῦν προφητικὰ χαρίσματά ἐστιν. ἐξ οὗ καὶ αὐτοὶ συνιέναι

II. Patrum de sua ætate testimonia. Justini.

νίεναι ὀφείλετε, ὅτι τὰ πάλαι ἐν τῷ γένει ὑμῶν εἰς ἡμᾶς μετετέθη. *Apud nos enim huc usque etiam Prophetica exstant dona: unde & vos intelligere debetis, quæ olim in genere vestro fuere, ea in nos translata.* Quem locum & *Eusebius* enotavit *Histor. Eccl. Lib.* IV. *Cap.* XVIII. Ubi de *Justino* ita: γράφει δὲ ὡς ὅτι μέχρι καὶ αὐτοῦ χαρίσματα προφητικὰ διέλαμπεν ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας. *Sed & Prophetiæ dona adhuc sua ætate in Ecclesia viguisse scribit.*

III. Ecclesiarum Gallicarum sub Antonino Vero.

III. Eidem *Eusebio* debemus magnam partem Epistolæ quam ECCLESIÆ IN GALLIIS ad Ecclesias Asiæ Phrygiæque miserunt, de rebus gestis Martyrum suorum, sub Imperatore *Antonino Vero.* Ex ea Epistola excerpendum aliquid est quod ad rem nostram facit. Sic autem se habet: *Alcibiades quidam, unus ex eorum martyrum numero, durum & squalidum vivendi genus sectabatur: nullumque omnino cibum admittens, solo pane & aqua hactenus vesci consueverat. Cumque in carcere positus eandem vivendi rationem vellet retinere, Attalo post primum quod in Amphitheatro confecerat certamen, revelatum est, non recte neque ordine facere Alcibiadem, qui & creaturis Dei minime uteretur, & aliis exemplum scandali fieret. Paruit itaque Alcibiades, & cunctis deinceps cibis promiscue uti cœpit, gratias agens Deo.* Quibus narratis, addunt Gallicani Fratres: οὐ γὰρ ἀνεπίσκεπτοι χάριτος Θεοῦ ἦσαν, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἦν σύμβουλον αὐτοῖς. *Non enim Divina gratia eos præsentia sua destituerat: sed consultorem habebant Spiritum Sanctum. Lib.* V. *Cap.* III.

IV. Miltiadis.

IV. MILTIADES, apud eundem *Eusebium Lib.* V. *Cap.* XVIII. Prophetas Novi Testamenti enumerans, Agabo, Silæ, Philippi filiabus, addit *Ammiam Philadelphensem*, *Quadratum* & plures alios: subjuncta hac universali sententia: δεῖν γὰρ εἶναι τὸ προφητικὸν χάρισμα ἐν πάσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ μέχρι τῆς τελείας παρουσίας ὁ Ἀπόστολος ἀξιοῖ. ETENIM PROPHETIÆ DONUM IN OMNI ECCLESIA AD ULTIMUM USQUE DOMINI ADVENTUM PERMANERE DEBERE, AUCTOR EST APOSTOLUS.

V. Origenis.

V. De suo tempore ita scribit ORIGENES *Lib.* I. *adversus Celsum p.* 34. 35. Καὶ ἔτι ἴχνη τοῦ ἁγίου ἐκείνου πνεύματος, ὀφθέντος ἐν εἴδει περιστερᾶς, παρὰ Χριστιανοῖς σώζεται. ἐξεπάδουσι δαίμονας, καὶ πολλὰς ἰάσεις ἐπιτελοῦσι, καὶ ὁρῶσί τινα κατὰ τὸ βούλημα τοῦ λόγου περὶ μελλόντων. Κἂν χλευάσῃ δὲ Κέλσος τὸ λεχθησόμενον, ἢ ὃν εἰσήγαγεν ὁ Ἰουδαῖος, ὅμως λελέξεται, ὅτι πολλοὶ, ὥσπερεὶ ἄκοντες, προσεληλύθασι Χριστιανισμῷ, πνεύματός τινος τρέψαντος αὐτῶν τὸ ἡγεμονικὸν αἰφνίδιον ἀπὸ τοῦ μισεῖν τὸν λόγον ἐπὶ τὸ ὑπεραποθανεῖν αὐτοῦ, καὶ φαντασιώσαντος αὐτοὺς, ὕπαρ ἢ ὄναρ. Πολλὰ γὰρ τοιαῦτα ἱστορήσαμεν ἅτινα ἐὰν γράφωμεν,

αὐτοὶ αὐτοῖς παρατυχόντες καὶ ἰδόντες, γέλωτα πλατὺν ὀφλήσομεν τοῖς ἀπίςοις, ἡμᾶς ὁμοίως οἷς ὑπολαμβάνουσι ταῦτ' ἀναπεπλακέναι, καὶ αὐτοὺς πλάσσειν. Ἀλλὰ γὰρ Θεὸς μάρτυς τοῦ ἡμετέρου συνειδότος, βουλομένου οὐ διὰ ψευδῶν ἀπαγγελιῶν, ἀλλὰ διά τινος ἐνεργείας ποικίλης συνιςάνειν τὴν Ἰησοῦ θείαν διδασκαλίαν. *Quin & hodie vestigia Spiritus illius Sancti, qui columba specie apparuit, servantur apud Christianos; excantant dæmonia, multas sanationes perficiunt, prævident voluntate Dei futura. Irrideat licet Celsus quod dicetur, aut introductus ab eo Judæus, dicatur tamen; multos pene invitos attractos esse ad religionem Christianam, spiritu quodam repente mutante intellectum eorum, ab odio quo erga verbum detinebantur, ita ut ipsius gratia non cunctarentur mortem oppetere, post visiones oblatas ipsis, vel dormientibus vel vigilantibus.* MULTA ENIM TALIA VIDIMUS, *quæ si memoraremus duntaxat* GESTA IN NOSTRA PRÆSENTIA, *cachinnos tollerent infideles, rati nos quoque sicut illos de quibus male suspicantur fingere.* TESTIS AUTEM EST DEUS NOSTRÆ CONSCIENTIÆ, *conari me, non falsis narratiunculis, sed variis compertæ efficaciæ exemplis commendare Divinam Jesu Doctrinam.* Quod sane luculentissimum durantis adhuc in Ecclesia Prophetiæ testimonium est.

VI. Quo tempore *Origenes*, eodem & CYPRIANUS vixit, qui in *Epistola* XI. secundum ordinem Editionis Oxoniensis, ad *Pamelii* numeros VII. ad *Erasmi Lib* IV. *Epist.* IV. quæ inscripta est *Presbyteris & Diaconis*, suas aliquot visiones narrat. Quarum prima quamvis nihil eximium haberet; quod non quisque Christianus facile ex scriptura norit, compulsum tamen sese ait ut cum fratribus communicaret. Sic enim ipse: *Nam quod magis suasit & compulit ut has ad vos literas scriberem, scire debetis (sicut Dominus ostendere & revelare dignatur) dictum esse in visione: petite & impetratis. Tunc deinde præceptum plebi adsistenti, ut pro quibusdam personis designatis sibi peterent. In petendo autem fuisse dissonas voces, & dispares voluntates, & vehementer hoc displicuisse illi qui petere jusserat. &c.* Sed & secundam visionem addit de retiario. *Nam & illud ostensum est*, inquit, quod *sederet pater familias, sedente sibi ad dextram juvene, qui juvenis anxius & cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu sustinens, mæsto vultu sedebat. Alius vero in sinistra parte consistens rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, minabatur: & quum miraretur, quid hoc esset, ille qui vidit, dictum est ei. Juvenem, qui ad dextram sic sederet, contristari & dolere quod præcepta sua non observarentur: illum vero in sinistra exsultare, quod sibi daretur occasio ut à patre familias potesta-*

VI. Cypriani: de se ipso.

tem sumeret sæviendi. Explicationem visionis, ne hæreremus in dubio, ipse *Cyprianus* suggerit. *Et vidimus impletum, quod fuerat ostensum, ut, dum Domini præcepta contemnimus, dum data legis mandata salutaria non tenemus, facultatem nocendi inimicus acciperet, & minus armatos, & ad repugnandum minus cautos, jactu retis operiret.* Imo & tertiam visionem de instanti Ecclesiæ liberatione eadem narrat epistola, his verbis: *Denique ad minimum famulum suum, & in delictis licet plurimis constitutum, & dignatione ejus indignum, tamen ille pro sua erga nos bonitate mandare dignatus est. Dic illi, inquit, securus sit, quia pax ventura est: sed quod interim morula est, supersunt adhuc aliqui qui probentur.*

VII. *Et innocentibus pueris.*

VII. Cæterum illud omitti non debet, quod de *puerorum ecstasi* narrat *Epist.* XVI. quæ est ad *Pamelii* numeros X. ad *Erasm. Lib.* III. *Epist.* XIV. *Castigare nos itaque Divina censura nec noctibus desinit, nec diebus: præter nocturnas enim visiones, per dies quoque impletur apud nos Spiritu Sancto innocens puerorum ætas, quæ in ecstasi videt oculis, & audit, & loquitur ea quibus nos Dominus monere & instruere dignatur.* Sed & nocturna visione admonitum esse Cyprianum de instante sibi morte, illiusque tempore ac modo, *Pontius Diaconus* prolixe refert. Taliumque revelationum martyribus factarum in omnis ævi historia infinita propemodum exempla inveniuntur: quibus colligendis si operam impendere vellem, ingens mihi scribendum esset volumen.

VIII. *Gregorii Thaumaturgi.*

VIII. Auditor *Origenis* GREGORIUS fuit, cui, a mirabilibus quæ patrasse fertur operibus, THAUMATURGI datum est elogium. Eum ad Episcopatum Neocæsareensis Ecclesiæ quasi compulit *Phadimus*, illo tempore Amasenorum Ecclesiæ Antistes, ᾧ θεόθεν ἐξ ἁγίου πνεύματος προγνωστική τις δύναμις ἦν. *Cui*, ut *Gregorius Nyssenus* auctor est, *divinitus à Spiritu Sancto præscia futurorum vis quadam inerat.* Suscepto Episcopatu, Gregorius mente anxius, ambiguusque quanam potissimum incederet via, diu multumque versatus est. In his curis noctem pervigilem agenti, quidam in figura humana, facie ac forma senili, evidenter apparuisse fertur, ornatu atque compositione indumenti augustum quendam, sacrum atque Divinum referens decorem; magnam gratia vultus atque dispositione figuræ præ sese ferens virtutem. Is Divino se jussu ei apparuisse nunciavit, ut piæ fidei veritas revelaretur: porrectoque digito aliam ei ostendit imaginem, specie muliebri, majorem & augustiorem quam pro humana conditione. Simul adfulsit, obscura quamvis nocte, lumen una cum iis qui appa-

rue-

fuerant, quasi accensa tæda: unde non solum veram cognitionem fidei accépit: verum etiam nominatim eos qui apparuerant cognovit, utroque eorum propria appellatione alterum alloquente. Audivisse enim dicitur ex ea quæ muliebri habitu visa erat, quum hortaretur Evangelistam Johannem, ut adolescenti mysterium veræ pietatis aperiret, atque illum dixisse, paratum se esse hac quoque in re Matri Domini gratificari. Atque ita exposito sermone, qui & rei quæsitæ conveniret, & admodum bene finitus ac circumscriptus esset, rursum ex oculis discessisse. Gregorium autem ex templo Divinam illam institutionem & disciplinam literis mandasse. Cujus hæc sunt verba: digna enim formula fidei est, quæ & hic a junioribus legatur.

IX. Cui formula fidei a Johanne tradita est.

IX. Εἷς Θεὸς, πατὴρ λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης καὶ δυνάμεως, καὶ χαρακτῆρος ἀϊδίου. τέλειος, τελείου γεννήτωρ. Πατὴρ, υἱοῦ μονογενοῦς. Εἷς κύριος, μόνος ἐκ μόνου, Θεὸς ἐκ Θεοῦ. χαρακτὴρ καὶ εἰκὼν τῆς Θεότητος, λόγος ἐνεργὸς, σοφία τῆς τῶν ὅλων συστάσεως περιεκτικὴ, καὶ δύναμις τῆς ὅλης κτίσεως ποιητικὴ, υἱὸς ἀληθινὸς ἀληθινοῦ πατρὸς. ἀόρατος ἀοράτου, καὶ ἄφθαρτος ἀφθάρτου, καὶ ἀθάνατος ἀθανάτου, καὶ ἀΐδιος ἀϊδίου. καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον, ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον. καὶ δι' υἱοῦ πεφηνὸς, δηλαδὴ τοῖς ἀνθρώποις· εἰκὼν τοῦ υἱοῦ, τελείου τελεία. ζωὴ, ζώντων αἰτία· πηγὴ ἁγία· ἁγιότης ἁγιασμοῦ χορηγός· ἐν ᾧ φανεροῦται Θεὸς ὁ πατὴρ, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ ἐν πᾶσι, καὶ Θεὸς ὁ Υἱὸς, ὁ διὰ πάντων. Τριὰς τελεία, δόξῃ καὶ ἀϊδιότητι, καὶ βασιλείᾳ, μὴ μεριζομένη, μηδὲ ἀπαλλοτριωμένη. *Unus est Deus Pater Verbi viventis, Sapientiæ subsistentis, & Potentiæ, & Figuræ æternæ, Perfectus Perfecti Genitor, Pater Filii Unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, Deus de Deo, Figura & Imago Deitatis, Verbum efficax, Sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva, & Potentia totius creaturæ effectrix, Filius verus veri Patris, Visum effugiens visum effugientis; & corruptioni non obnoxius non obnoxii corruptioni; & morti non obnoxius non obnoxii morti; & Æternus, Æterni. Unus Spiritus Sanctus ex Deo ortum & existentiam habens, quique per Filium apparuit, videlicet hominibus: Imago Filii perfecti perfecta, vita viventium caussa, Fons Sanctus, Sanctitas Sanctificationis suppeditatrix: per quem manifestatur Deus Pater, qui est super omnia, & in omnibus, & Deus Filius qui per omnia permanat. Trinitas perfecta, quæ gloria, atque æternitate, & regno non dividitur, neque abalienatur.* Hæc omnia *Gregorius Nyssenus* in *Oratione de Vita Gregorii Thaumaturgi*: qui tanto apud eum fuit pretio, ut Mosi æquiparare non dubitaverit.

X. Et quem Basilius

X. Quod & prolixius fecit Nysseni frater, *Basilius Magnus*, in *Libro de Spiritu Sancto Cap.* XXIX. *Cæterum Gregorium Magnum, & illius*

…lius M. Apostolis, Prophetis, ipsique Mosi æquiparat.

lius voces quo loco ponam? An non cum Apostolis & Prophetis, virum qui eodem spiritu quo illi versatus sit, quique Sanctorum vestigiis per omnem vitam inhæserit, quique Evangelicæ conversationis vigorem, quamdiu vixit, præstiterit? Equidem illud dixerim: profecto injuria adfecerimus veritatem, si non animam illam adnumeremus iis qui Deo juncti sunt: qui velut insignis magnaque lucerna in Ecclesia Dei resplenduit: qui e spiritus ope terrorem habuit adversus dæmonum potestatem. Nam tantam acceperat gratiam ad obedientiam fidei inter gentes, ut, adsumtis non plus septendecim Christianis, universum populum, & urbanum & rusticanum, per agnitionem adjunxerit Deo. Ille & fluminum cursus in diversum vertit, præcipiens illis in magno nomine Christi, & paludem exsiccavit, belli caussam præbentem fratribus avaris. CÆTERUM PRÆDICTIONES DE FUTURIS EJUSMODI SUNT, UT NIHILO SIT INFERIOR CÆTERIS PROPHETIS. *Sed omnino perlongum foret viri recensere miracula: qui propter donorum excellentiam, quæ in ipso operabatur spiritus, in omni virtute, signis & prodigiis, ab ipsis etiam veritatis hostibus* ALTER MOYSES *fuerit appellatus.*

XI. Theodoreti de suo tempore.

XI. At nec seriori ætate Prophetias prorsus desiisse Viri præstantissimi testantur. THEODORETUS in *Commentariis ad Joel* II. Prophetiæ donum ad sua usque tempora continuatum memorat: *Ἄχρις γὰρ ἡμῶν τοῦτο διεφυλάχθη τὸ δῶρον, καὶ εἰσὶν ἐν τοῖς ἁγίοις ἄνδρες καθαρὸν τῆς διανοίας τὸ ὀπτικὸν ἔχοντες, οἳ πολλὰ τῶν μελλόντων καὶ προγινώσκουσι καὶ προλέγουσι. Permansit enim ad nos usque hoc donum: & sunt inter sanctos qui puram mentis aciem habentes, multa de futuris & praenoscunt, & prædicunt.*

XII. Joël perpetuum Prophetiæ donum ex quorundam opinione, Ecclesiæ promisisse videtur.

XII. Imo non desunt Viri pii & eruditi, qui existiment Prophetiæ donum a Deo Ecclesiæ promissum esse in omnem ætatem. Quam in rem maxime urgent vaticinium Joelis, a Petro allegatum Act. II. 16. 17. 18. *Hoc illud est quod dictum est per Prophetam Joelem, Et erit ultimis temporibus, dicit Deus, effundam ex spiritu meo in quamvis carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem in servos meos & in ancillas meas in diebus illis effundam ex spiritu meo, & prophetabunt.* Nota I. Promitti hic *visiones, somnia, prophetias*, ex spiritus abundanter effundendi operatione ortas. II. Eas prophetias intelligendas esse de *revelationibus extraordinariis*, quales Apostolis contigisse, & in primitiva Ecclesia frequentes fuisse, in confesso est. Petrus enim vaticinium istud iis rebus adplicat quæ sibi evenerant die Pentecostes. III. Plus tamen aliquid promitti, vel saltem diversum ab eo quod Apostolis concessum est.

Nam

Nam & *visionum* & *somniorum* hic exstat promissio. In illa vero Spiritus Sancti effusione qua donati sunt Apostoli, non somnia aut visiones erant, sed sublimior, interna puta, illuminatio, qua in momento multarum linguarum & profundissimorum mysteriorum gnari reddebantur. Plus ultra ergo vaticinii complementum se extendit, ut nimirum per somnia quoque & visiones Spiritus Sanctus mysteria in Novo Testamento revelet. IV. Promissionem hanc factam esse *ultimis temporibus*. Ultima vero tempora an nescimus totum Evangelii cursum designare? V. Effusionem Spiritus *in omnem carnem* ad *extremum judicii diem* extendi. vers. 20. VI. Illius communionem *omnibus longe post futuris* promitti. vers. 39. *Vobis enim facta est promissio, & liberis vestris, & omnibus longe post futuris, quoscunque videlicet advocaverit Dominus Deus noster.*

XIII. Convenienter huic vaticinio texi potest Catalogus visionum, revelationum, somniorum Divinorum, & prophetiarum, per omnia Ecclesiæ secula; ad quam rem plurimum contulit ex opulentissimo immensæ lectionis suæ penu Venerandus noster Voetius. *Disput. Select. Part.* II. *p.* 1055: *& seq*: Et hac nostra ætate non defuere *Drabitii, Kotteri, Paniatoviæ*, pro insignibus prophetis, a gravissimis hominibus habiti, etiam post serium & accuratum rerum examen. Ut nihil nunc dicam de admirabili illa Divini Spiritus dispensatione, quæ quibusdam Euangelii ministris, aliisque hominibus eximie piis, in *Scotia* contigisse fertur: aut de illis raptibus & ecstasibus, quibus nuperrime in *Galliis pueri puellaque* mira ac fidem propemodum superantia locuti fuisse memorantur. Quorum acerrimum sese defensorem præstitit Doctissimus & Celeberrimus Jurius. XIII. *Quod & experientia comprobasse creditur ad nostram usque ætatem.*

XIV. At quantavis confidentia multa narrari videamus, non tamen nefas esse existimo ea accuratiori examini subjicere Mihi sic videtur: Deum quidem Optimum Maximumque initio Euangelii Prophetas, Spiritu suo singulari ratione actos, Ecclesiæ concessisse, qui una cum Apostolis, imo & aliquanto post eorum ex terris excessum, salutari doctrinæ propagandæ invigilarunt, & missionem suam prodigiis confirmarunt: hoc enim illorum temporum ratio prorsus requirere videbatur. Neque abnuo, tales insignes Dei Viros, tertio etiamnum & quarto æræ Christianæ seculo exstitisse: durum enim esset piis Patribus, de sui ævi suæque familiaritatis hominibus talia constanter narrantibus, fidem omnem abrogare. XIV. *Non videtur prorsus negandum, ad tertium aut quartum seculum viguisse Prophetiadonum.*

XV. Non tamen idcirco necesse arbitror, ut sine discrimine omnia XV. *At nec omnia*

promiscue admittenda, quæ narrantur a Patribus. omnia admittamus. Patrum plerorumque stilus, ad declamatorium dicendi genus accommodatus, hyperbolicis exaggerationibus scatet: quæ nisi benigniore interpretatione aliquantum juventur, non est ut justam veramque rerum ideam animo repræsentent. Nec dissimulandum, Patrum aliquammultos nimia laborasse credulitate; & imprudenter arripuisse, imprudentius narrasse, eo cui assueti erant dicendi magnifico charactere, quæ tamen scire potuissent haut satis esse explorata, modo libuisset majore cum judicio attendere. Quod nemo ignorat, nisi qui in legendis Patribus hospes est, aut eadem cum ipsis credulitate præditus. Accedit, quod, quum admodum sibi placerent homines in visionibus & apparitionibus, facile sibi persuaserint ab extraordinaria Divini Spiritus operatione proficisci, quæ ex vehementi fixaque imaginatione, secundum ordinarium naturæ cursum, provenire potuerunt. Sane quæ de suis visionibus *Cyprianum* narrantem modo audivimus, non tam grandia esse videntur, quin homini talium cogitationum pleno, naturaliter in mentem venire quiverint.

XVI. *Judicium Voetii.* XVI. Ne vero justo difficilior esse videar, adpingam duorum Magnorum virorum judicia; quibus plane subscribo. Prior esto Venerabilis noster VOETIUS, qui *Disput. Select. Part.* II. *p.* 1059. in hæc verba fatur: *De Melitonis, Methodii, Gregorii Neocæsariensis, dicti Thaumaturgi, prædictionibus, & Viris Sanctis istiusmodi in primitiva Ecclesia, libenter fateor non fuisse maligne fictas, aut diabolicas: sed, an Divinæ fuerint, non puto nefas esse dubitare; saltem in medio relinquere. Quidquid sit, elogium illud Basilii, tanquam nimis hyperbolicum minime admitto; quum eundem spiritum Gregorio Thaumaturgo tribuit quem Apostolis & Prophetis; & quod in prædictionibus de futuris nihilo Prophetis inferior fuerit, & cum Mose illum comparat: quod etiam facit Nyssenus in ejus vita. Vide ejusdem Gregorii expositionem fidei, quam per revelationem à Johanne Evangelista acceptam, ab Orientali Ecclesia teneri, adserit Gerardus Vossius, præpositus Tungrensis. Sed Ecclesiam totam hoc ita credidisse, nemo credet, qui noverit quam auctoritatem Patrum scriptis tribuerit Augustinus.* Hactenus *Voetius.*

XVII. *Et Spanhemii.* XVII. Cui dignior jungi non potest, quam FRIDERICUS SPANHEMIUS, cujus de Gregorio hoc exstat judicium. *Introd. ad Hist. Nov. Test. sec.* III. *p.* 332. *Plurima Gregorii hujus nomen falso præferunt, ut Expositio Fidei, adversus Arrianos, ex revelatione Johannis & Mariæ Virginis .... De Epistola Canonica eidem adscripta, merito ambigunt Eruditi. At multo magis de prodigiis & miraculis, propemodum si-*

ne fine, quæ illi à Nysseno in ejus Vita, & passim à Basilio ipso, Theodoreto, Socrate, Evagrio, Suida &c. tribuuntur, unde Thaumaturgi nomen, & alterius Mosis. Multa certe apud Nyssenum anilem quandam credulitatem spirant.

XVIII. Verum, esto, detur aliquandiu Propheticos in Ecclesia Viros floruisse, neque adsignari posse determinatum tempus quo desierint; non puto tamen in sacris literis inveniri declarationem aliquam Divinæ voluntatis, qua constituerit Propheticum munus in Ecclesia continuare. Nam quæ apud Joëlem exstat promissio, a Petro repetita, modoque a nobis laudata, ea alio spectare videtur. Prophetis in Testamento Veteri solemne est, tum officia tum beneficia fidelium Novi Testamenti ejusmodi exprimere formulis, quæ petuntur & ob officiis maximi inter Judæos pretii, & a beneficiis quæ priscus ille populus maxime appetebat. Sic officia cultus spiritualis & rationalis, sub Oeconomia Testamenti Novi, describuntur per adscendere in montem domus Domini, ædificare ipsi altare, offerre incensum & munus purum, mactare victimas, celebrare sabbata; & quæ id genus occurrunt plurima. Et beneficia Christianæ Ecclesiæ destinata similibus describuntur locutionibus. Eodem hæ quoque pertinent, quibus Joel utitur. Nimirum sub Veteri Testamento vigebant prophetiæ, somnia, revelationes, Deo se immediate patefaciente. Id nunc transfertur ad Oeconomiam Testamenti Novi, ut phrasi prophetica designetur abundantia lucis & cognitionis Dei, & profectus in ea; quæ tanta erat futura, ut fideles gregarii Testamenti Novi, collati cum fidelibus gregariis Testamenti Veteris, tam longo ipsos superaturi sint intervallo, quantum fuit olim inter Prophetas, & alios ex plebe homines. Confer ejusdem argumenti promissiones. Jes. XI. 9. Jer. XXXI. 34. earumque implementum 1 Joh. II. 27. Interim illius rei eximium atque extraordinarium quoddam argumentum, ac veluti arrham, exstare Deus voluit, in incredibili illa spiritus effusione qua mactati sunt Apostoli; cujus & alios quosdam primis illis temporibus consortes fecit, & in qua verba ipsa prophetiæ implentur sic ut tinniunt: ut ex illis firma ratiocinatione colligerent fideles, quid sibi a Divina opulentia exspectare liceret. Fidem huic explicationi facit, ut alia prætercam, Petri ad Judæos alloquium vers. 38. & 39. *Resipiscite & baptizetur unusquisque vestrum in nomen Jesu Christi, in remissionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim facta est promissio, & liberis vestris, & omnibus longe post fu-*

XVIII. *Joëlis promissio non infert continuationem perpetuam muneris Prophetici.*

futuris &c. Quisquamne est mortalium, Prophetici muneris in Ecclesia Christiana continuationi tam impense favens, ut postulet Prophetiæ spiritum omnibus credentibus & baptizatis promitti? Aut si id assereret, nonne ab ipso rerum eventu palam refutaretur? Quibus rite observatis, sponte sua concidunt argumenta ex hoc vaticinio producta, ut necesse non sit ad singula respondere.

XIX. Nec Ecclesia, post consummatum Scripturarum canonem, eo indiget.

XIX. Uti non declaravit Deus voluntatem suam de continuando in Ecclesia spiritu & munere Prophetico, ita nec Ecclesiæ illis opus est. Postquam enim doctrina fidei, ab Apostolis & Apostolicis viris longe lateque per omnes gentes sparsa, sacris comprehensa est voluminibus, ad sufficientissimum canonem fidei ac morum; nulla amplius prophetia valde indigemus. Satis est fidelibus, ut, implorato Spiritus auxilio, inexhaustam scripturæ opulentiam scrutentur, ibi abundantissime inventuri quod ad consummatæ salutis acquisitionem requiritur. Si qui adhuc Prophetæ excitandi forent in Ecclesia; id I. vel eum in finem foret, ut docerent aliquid quod sit scriptura præstantius; vel saltem ut aliquid ad eam adjiciant quod non sit a Prophetis, & Apostolis hactenus revelatum: II. Vel, quia sunt in scripturæ dogmatis, & in Prophetarum vaticinationibus multa, quæ magna sunt obscuritate obstructa, ut Deus per istos homines nobis eorum interpretationem impertiatur: III. Vel ut heroica aliqua prudentia & fortitudine animi ad res arduas aggrediendas & ipsi sese accingerent, & alios animarent, quæ tamen extra sphæram communis vocationis sunt: Vel denique ut certos quosdam eventus prædicerent, quorum cognitio magnam Ecclesiæ utilitatem esset allatura, qui tamen aliter quam a Spiritu Dei præsentiri non possent. Ad ista enim referri debere, judiciose observavit *Moses Amyraldus*, omnes caussas ob quas Deus homines istos extraordinarios, prophetarum nomine dignos, reliquis mortalibus ostenderet. At nihil horum omnium Oeconomiæ Novi testamenti conveniens, nedum necesse esse, idem *Amyraldus* copiosa oratione evincit: *in Præfat. ad Psalmos.* Nos grati agnoscentes quæ ab ipso mutuamur, studebimus compendio.

XX. Nulla enim nova dogmata ibi traditis addenda supersunt.

XX. Et primam quidem caussam quod attinet, ea admitti ab iis non potest, qui ut par est, de Divinarum literarum perfectione, & ad consummatam sapientiam sufficientia, persuasi sunt. Et sane nisi quis eas funditus subvertere velit, eum iis de semet ipsis testantibus credere oportet, quod loquantur sapientiam Dei

Dei inter perfectos, quod pandant mysteria in quæ ipsi introspicere cupiunt cœlestes genii, quod imperiis & potestatibus quæ in cœlis sunt notam faciant multiformem illam Dei sapientiam, quod possint nos sapientes reddere ad salutem, ut perfectus sit homo Dei, ad omne bonum opus perfecte instructus. Et quid ultra exspectemus? Qui plura se sapere postulat, aliudque Evangelium pollicetur præter illud quod accepimus, is sciat nos cum Paulo facere, asseverante non esse aliud Evangelium, monentique ne altum sapere velimus. Μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Et quid tandem in ullo scripti genere invenitur, a quoquam, qui se prophetam dixit, aut ab aliis pro propheta habitus est, proditum, quod Libris nostris indubie Divinis addi mereatur, & veritates contineat momentosas, cœlestes, Divinas, ad fidem, pietatem, salutem conducibiles, quæ ibi non exstant? Quidquid mihi unquam uspiamve compertum est ab iis qui scripturarum doctrinam, ut rudia sapientiæ elementa, despicatui habent, id vel in blasphemis commentis consistit, vel in superstitiosis & anilibus nugis, vel in pomposa sermonis grandiloquentia, cui ne mica quidem bonæ mentis inest. Nos equidem ea spiritus mensura contenti sumus, quæ mentes nostras ita virtute sua comparat, ut non ipsi aliquid per nos divinare, vel de novo revelare possimus, sed ea tantum quæ in scriptura patefacta sunt, ad salutem intelligere. Atque ea quum Spiritu Magistro discimus, tunc nos prophetare existimamus, Deoque gratias agimus, quod isthac in nobis ratione Joëlis vaticinium impleat. Itaque ob hanc certe caussam non indigemus Prophetis, ut alias nos veritates doceant præter eas quæ in sacris scriptæ exstant voluminibus.

XXI. Neque ad obscura Scripturarum illustranda, novam fas est exspectare Propheticam revelationem.

XXI. At neque Prophetas ob eam nobis caussam dari necesse est, ut obscura Scripturarum dogmata, aut vaticiniorum ænigmata, consimili quam quo olim scripta sunt Spiritus afflatu interpretentur. Ita enim Scripturam comparavit Divini numinis Providentia, ut ipsa sibi sit interpres, & homines industrii, adjuti communi ista Spiritus gratia quæ fidelibus omnibus suppeditatur, adhibito diligenti scrutinio, & locorum inter se facta collatione, mentem illius, quantum ad salutem satis est, adsequi valeant. Passimque videas, scrutinium & collationem scripturarum commendari earum lectoribus; ad nova vaticinia, quibus priscis oraculis lux accendatur, ablegari non videas. Johannes in Apocalypsi sua, quo libro nullus abstrusior alius in omnibus Divinis voluminibus exstat, non novam illius apocalypsin pollicetur;

ſed *Beatos* prædicat *qui legunt*, *& qui audiunt*, *verba hujus prophetiæ*, *& obſervant ea quæ in ea ſcripta ſunt*: Cap. 1. 3. innuens lectione & auditione ſenſum illius cognoſci poſſe.

XXII. *Quam qui præ ſe tulerunt, plerumque nihil præſtiterunt quod non proficiſci poſſit a communi induſtria.*

XXII. Et ſane qui ſuas ſe interpretationes ex Divina aliqua inſpiratione habere jactant, eos oportet non ſolum inſigni veritatis evidentia eas probare, ſed & admirabilitate aliqua quæ mentes hominum extra ordinem commoveat. Nam ſi nihil eſt in loci alicujus ſcripturæ interpretatione, quod ab homine docto, & pio, & acuto, & in ſcripturæ ſacræ lectione innutrito, proficiſci non poſſit, illam non adflatui Prophetico, ſed communi Spiritus Sancti gratiæ adſignari æquum eſt. Ad quid ad miracula recurremus, ubi ſatisfacit animis noſtris quotidiana Dei Providentia? Porro, ſi eorum inſpiciamus commentaria, qui adflatum ſibi Divinum attribuerunt, aut dictamen Angelorum, non ſolum nihil in iis adeo admirabile invenimus, quod communem vere Theologorum ſortem ſuperet; ſed plerumque comperimus, quod judicio, accuratione, ſoliditate longe infra aliorum commentationes ſubſideant, qui, implorata Dei ope, ſuam duntaxat adhibuerunt induſtriam.

XXIII. *In prætenſis iſtis revelationibus magis elucere ſolet genius ſcribentis, quam character Divini Spiritus. Ut patet in formula Thaumaturgi.*

XXIII. Præterquam quod in iſtis, ut præ ſe ferunt, ſpiritus dictatis, longe clarius eluceat ſcribentis genius atque indoles, quam Divini Spiritus character. Pro exemplo ſumamus expoſitionem adorandæ Trinitatis, quam Johannem Apoſtolum, juſſu beatæ Virginis, *Gregorio Thaumaturgo*, dictaſſe ferunt: nonne in univerſa illius dictione plus *Gregorii*, aut alterius alicujus iſthoc ævo Theologi, quam *Johannis* eſt? Nimirum in eam fere formam tunc loquebantur Orthodoxi, philoſophiæ ſtudiis imbuti: non ita locutus eſt Johannes; cujus ſtilus multo ſimplicior, & venerabili myſterio dignior eſt.

XXIV. *Et revelatione Paniatoviæ, de Adoranda Trinitate.*

XXIV. In Hiſtoria Revelationum *Chriſtinæ Paniatoviæ*, *Revelatione* XIX. narratur Sacro-Sanctæ Trinitatis mirabilis adumbratio; iis expoſita emblematis & locutionibus quæ hujus ævi ſunt. Sic enim illa: *Venit ad me* DOMINUS, *veſte ſupra modum fulgida tectus*, *ut oculi vix ferre poſſent. Et mox etiam adventabat* ANTIQUUS, *candida item veſte. Quos præcedebat perſona tertia*, *ſtatura illis ſimilis*, *ignita tamen tota, flammæ inſtar*, *quam nunquam tali imagine videram. Et dixit ad me Dominus Ecce advenimus tibi hodie nos quos præ oculis habes, ut tibi commonſtremus diſtinctionem noſtram*, *& tamen unicam eſſentiam*, *æqualitatemque & potentiam Divinitatis noſtræ. Hujus nomen eſt*, *(ſenem commonſtrans)* ANTIQUUS DIERUM: *Hæc (ſe ipſum monſtrans) nominatur* VERBUM PATRIS

ÆTER-

ÆTERNUM: *Hæc autem (flammeam illam personam ostendens) dicitur* IGNIS COELESTIS, *&* SPIRITUS *ab utroque procedens. Vides igitur tres personas distinctas: tamen unicum, verum, indivisum, unius essentiæ, immortalem Deum. Nam Filius habitat in Patre, & Pater in Filio, Spiritus vero Sanctus in Patre & Filio: atque ita unus ille Deus habitat in se ipso, prouti se in Sacro-Sancto suo verbo vobis mortalibus revelavit. Tibi vero ad faciliorem Divini hujus mysterii intellectionem exhibentur hæ tres personæ, ut quum tres personas vides, videas unum solum Deum, à quo, per quem, & in quo sunt omnia. Rursumque quum vides personam unam, ut videas omnes tres personas, quia illæ indivisæ sunt, & in se invicem habitant.* Hæc quidem stilum & characterem Catecheticæ institutionis habent: sed an istis de se verbis locutus sit ipse Deus, nescio an persuaderi iis possit qui Scripturæ sunt adsueti locutionibus.

XXV. In Revelationibus *Christophori Cotteri Cap.* XL. exstat *Concio Angelica de excellenti Trino Christi titulo*, quem exposuerunt ipsi Angeli. Tituli autem hi sunt, VIR SAPIENTIÆ, (quo nomine tamen Christum in Sacris Literis dictum esse non memini) LEO DE TRIBU JUDÆ, & STANS IN MEDIO SEPTEM ECCLESIARUM. Postea adjungitur *Paraphrasis Orationis Dominicæ, ab Angelis Cottero dictata.* In qua tamen sive concione, sive paraphrasi, Cotterum quivis deprehendat, id est, hominem mediocri Theologiæ peritia præditum, & vehementibus circa certa quædam objecta cogitationibus occupatum: sed sublime illud ac Divinum, cujus gratia Angelos de cœlo mitti oportuerit, & quod piorum virorum meditationes, Prophetica revelatione destitutas, tanto intervallo superet, non deprehendet. Quæ eo a me dicuntur, ut exemplorum inductione pateat, ab iis qui seriorum temporum Prophetæ habiti fuerunt, nihil admodum profectum esse ad explicationem scripturæ & mysteriorum fidei, quod non sine extraordinaria revelatione melius ab aliis animadversum sit.

XXV. Et Cotteri Concione Angelica, & Paraphrasi Orationis Dominicæ.

XXVI. Prudenter itaque *Lutherus*, verbo Dei scripto, & communi spiritus adjutorio contentus, somnia, visiones, apparitiones Angelorum, neque ipse desideravit, neque ab aliis jactatas curavit. Digna sunt verba ejus ex *commentariis in Genesin* excerpta, quæ hic quoque legantur. Sic ergo ille in Gen. XXXVII. *Quia non sum idoneus ad habenda, aut interpretanda somnia; neque eam facultatem aut scientiam mihi expeto, & pactum feci cum Domino Deo meo, ne vel visiones, vel somnia, vel etiam Angelos mihi mittat. Contentus enim sum hoc dono, habeo scripturam sanctam, quæ abunde docet, & suppeditat omnia*

XXVI. Prudenter Lutherus, verbo scripto contentus, à visionibus & apparitionibus desiderandis abstinuit.

quæ sunt necessaria cum ad hanc, tum ad futuram vitam. Huic credo & acquiesco, ac certus sum, me non posse falli. Neque tamen aliorum donis derogo, si cui forte præter scripturam aliquid revelaret Deus per somnia, per visiones, per Angelos. Sint sane dona: sed quæ ego nec curo, nec desidero. Moveor enim infinita illa multitudine illusionum, præstigiarum, imposturarum, quibus mundus horribiliter sub Papatu longo tempore deceptus est per Sathanam: deinde sufficientia scripturæ sanctæ, cui si non adhibuero fidem, profecto nec Angelo, nec visioni, nec somnio facile credam. Sed ut dixi, hæc ratio mihi peculiaris est, qua nihil aliis præscribere ausim. Satis enim superque revelationum habeo, cum sciam quid credendum, quid sperandum, quid consulendum aliis, qua ratione pie & honeste hæc vita transigenda sit. Idque pro mea tenuitate libens cum aliis communico, ut & ipsi norint & intelligant Decalogum, Symbolum, Orationem Dominicam &c. Ibid. ad cap. XL. fol. 61. *Sæpe autem dixi me ab initio causæ meæ semper rogasse Dominum, ne mihi vel somnia, vel visiones, vel angelos mitteret. Multi enim fanatici spiritus me adorti sunt, quorum alius somnia, alius visiones, alius revelationes jactabat, quibus nitebantur me erudire. Sed respondi, me non expetere ejusmodi revelationes, & si quæ offerrentur, me iis non habiturum fidem. Idque ardentibus votis precatus sum, ut daret mihi Deus certum sensum & intellectum scripturæ sanctæ. Si enim verbum habeo, scio me recta via ingredi, nec facile falli aut errare posse. Ac malo sane Davidicum intellectum, quam propheticas visiones, quas nec Davidem magnopere desiderasse arbitror. Sed vide quam certum sensum habeat scriptura. Fanatici cum suis somniis alii alio me impellere conabantur, ac si quoslibet audivissem, profecto tricies aut quadragies genus doctrinæ mutandum fuisset. Cum vero repudiarem omnes, clamabant me esse pertinacem & capitosum, ac missum me faciebant. Ideo nihil moror visiones & somnia, & quanquam videntur significantia, tamen contemno, & sum contentus certo sensu & fide scripturæ sanctæ. Quod si verbum habeo, certus sum, Deum & Angelos mihi adesse; si non visibiliter, tamen instillare suos radios, meque in via veritatis dirigere. Hæc mea sententia est, quam non muto.*

XXVII. De Zovinglii somnio quid judicandum.

XXVII. Quæ tamen non obstant quo minus statuamus Deum singulari sua providentia, hominibus piis, sive vigilantibus, sive dormientibus, cogitationes quasdam suggerere, in quas absque illa Divina virgula nunquam fortassis incidissent. Memorabile, quamvis aliorum cavillis vexatum, ZWINGLII somnium est, quod ipse sibi accidisse memorat in Libro cui titulus est *Coronis de Eucharistia, Oper. part.* II. *fol.* 249. Narrat igitur, sibi, cum Tiguri ageret decimo Aprilis, ut mis-

ut missa prorsus aboleretur, fuisse a quodam scriba objectum, omnia exempla quæ adtulerat antea, ut probaret, *est* pro *significat* accipi, fuisse parabolica, nullum autem fuisse adductum, in quo simplex tantum inesset tropus, qualem in verbis Cœnæ Domini fingebat; respondisse quidem quod res erat, in explicatione parabolæ, cum Christus dixit, *semen est Verbum Dei*, inesse simplicem tropum, in quo *est*, manifeste pro *significat* acciperetur, & huic responso ita omnes acquievisse, ut secutum fuerit decretum de abroganda missa: addit nihilominus; *Restabat adhuc haut minimus conatus, quo scilicet exempla produceremus, quæ nulla cum parabola conjuncta forent: cœpimus ergo cogitare omnia, omnia revolvere, attamen nihil aliud exemplorum occurrebat, quam quod in commentario proditum est, aut quod occurrebat, erat eorum simile. Cum vero tredecima dies adpeteret; vera narro, adeoque vera, ut, celare volentem, conscientia cogat effundere quod Dominus impertiit, non ignorans quantis me contumeliis risibusque exponam. Cum, inquam, tredecima lux Aprilis adpeteret, visus sum mihi in somno, multo cum tædio denuo contendere cum adversario (scriba) sicque obmutuisse, ut quod verum scirem, negante lingua beneficium suum, proloqui non possem: qui me angor, ut solent nonnunquam somnia fallaci ludere nocte, (nihil enim aliud quam somnium narramus, quod ad nos attinet: tametsi leve non sit, quod per somnium didicimus, gratia Deo, in cujus solius gloriam ista prodimus) vehementer turbare videbatur. Ibi ἀπὸ μηχανῆς visus est monitor adesse (ater fuerit an albus nihil memini, somnium enim narro) qui diceret, quin ignave respondes ei, quod Exod. cap.* XII. *scribitur*, est enim Phase, hoc est, transitus Domini? *protinus ut hoc phasma visum est, simul expergefio, & e lecto exilio, locum apud Septuaginta primum undique circumspicio, ac de eo coram tota concione pro virili dissero, &c. Fridericus Spanhemius Pater*, in *Disputatione de Enthusiasmo, Thes.* XVI. somnium istud *Zvvinglii* θεόπεμπτον fuisse colligit, & ex occasione, & ex materia suggesta, & ex sancta ejus applicatione ad dogma verissimum adstruendum. Quidquid sit, pie ab *Zvvinglio* factum est, quod Divinam quandam manuductionem in hoc negotio agnoverit.

XXVIII. *Periculosum est, revelationis opinione, ardua & communem vocationem excedentia moliri.*

XXVIII. At periculosæ plenum opus aleæ est, revelationis opinione & specie vel se ipsos, vel alios, excitare, ad ardua quædam molimina, quæ cum insigni Reipublicæ mutatione conjuncta sunt, & terminos vocationis nostræ excedunt. In Theocratia Israelitarum, ubi summum non civilis solum rei, sed & bellicæ, imperium penes DEUM, ut illius populi Regem, erat; nonnullos

suscitavit Deus, Judicum nomine ac potestate, qui mandatis extraordinariis instructi, insolita opera patraverunt. Quandoque etiam Reges, quos suos veluti vicarios & legatos considerabat, per prophetas monuit quid facto opus esset. Sed quum nulla nunc ejusmodi Theocratia in mundo sit, regna vero & Respublicæ a supremis suis potestatibus, quamvis sub ductu Divinæ providentiæ, regantur; Deus singulis ex æqui justique primum, tum & prudentiæ regulis, dijudicandum reliquit, quid ex usu sit. Et falluntur qui exspectant, ut Deus per Prophetas mentem suam de singularibus eventibus, aut agendi modo, extraordinario oraculo exponat. Ut pacem publicam turbare, & ea quæ Deum auctorem habent quisquam convellere aggrediatur, illi opus est vocatione plane extraordinaria, & quæ tot argumentis sese probet, ut de voluntate Dei, in incepto usque adeo periculoso, &, absque tali vocatione foret, prorsus nefario, animus planissime securus sit. Quam securitatem ingenerare non possunt vates novitii, quantavis confidentia, vel antiquas prophetias interpretationibus suis ad res præsentes flectant, vel nova obtendant oracula.

XXIX. *Munceri Prophetiæ, sibi multisque aliis exitio fuere.*

XXIX. Quantam innoxiis, at suo malo credulis hominibus, perniciem vani vates superiori seculo procuraverint, notissima res est. Omnium instar sit *Thomas Muncerus*, qui ex Evangelii præcone propheta factus, primum ex scripturis edoctum se jactavit, futurum aliquando esse, ut sublatis impiis principibus & magistratibus novi & pii substituerentur: dein, a Deo se monitum prædicavit, jam illud tempus esse quo tanta res perfici deberet; denique eam sibi provinciam Divinitus impositam, ut maximi illius operis dux atque auspex esset. Collecta igitur ingenti, rusticanorum præcipue hominum, multitudine, quando cum principum copiis confligendum sibi cernebat, Prophetæ in morem hoc eos sermone ad prælium animasse fertur: *Certissime autem vobis confirmo, Deum nobis affuturum, nostramque fore victoriam: nam ipsemet coram mihi promisit: ipsemet, inquam, qui fallere non potest aut mentiri, jussit ad hunc modum ut rem aggrediar, multato magistratu. Nimirum in hoc maxime fit illustris Dei potentia, quum hostium ingens multitudo parva manu cæditur. Ut alia multa prætermittam, notum est vobis quid Gedeon cum paucis quibusdam, quid Jonathas, uno tantum servulo comitatus, quid David, quum solus ipse contra vasti corporis monstrum Goliath, sua mole & aspectu solo terribilem, pugnaret, perfecerit. Dubium vero nullum est, quin hodiernus etiam dies, consimili spectaculo sit futurus insignis, & ad posteritatem omnem memorabilis. Nam etsi non satis instructi videmur*

videmur armis, ac rebus necessariis muniti, tamen superabimus hostem: & hac cœli terraque machina potius immutetur, quam ut a Deo destituamur. Sic olim natura maris immutata fuit, ut Israëlitæ, persequente Pharaone, periculum evaderent. Nihil autem vos moveat rationis vestræ judicium, nihil perturbet objecta quadam periculi species & umbra: sed fortiter in hostem impium & conscelceratum invadite: neque vos perterrefaciant illorum machinæ bellicæ: pilas enim omneis quas illi tormentis in nos ejicient, veste mea sum excepturus. Ecce, videtisne quam habemus propitium Deum? Aspicite, quæso, signum ac testimonium illius erga nos perpetuæ benevolentiæ. Tollite oculos, & Arcum cœlestem mihi cernite. Quum enim vexillo nostro sit idem depictus arcus, clare significat Deus hoc simulacro, quod in sublimi nobis ostentat, affuturum se nobis in prælio: tyrannis autem nostris interitum & excidium hoc ipso denuntiat. Magnis igitur animis irruite, certissima cum spe Divini auxilii: nec enim vult Deus pacem ullam vobis intercedere cum impiis adversariis. Potuitne quidquam dici, quod Propheticæ auctoritatis majorem præ se ferret speciem? Res ipsa tamen docuit, non nisi insanientis animi furores, aut mali dæmonis ludibria fuisse, quod specioso Prophetiæ nomine venditabatur. Nam omnes istæ Muncerianæ turmæ cæsæ ac profligatæ sunt; ipse captus insaniæ suæ pœnas capite dedit. Uti prolixe refert *Sleidanus* Lib. v.

XXX. Sed nihil est in Mose, Elia, Jesaia, cæterisque antiquis prophetis quod ad confidentiam & grandiloquentiam Nicolai Drabicii accedat: volumen propheticarum suarum revelationem hoc præloquio inchoantis. *Omnes terræ nationes audite! Omnes habitatores orbis attendite, parvi & magni, divites & pauperes. Ego Nicolaus Drabicius, &c. — in territorio Illustrissimi Domini, D. Georgii Racocii Transsylvaniæ Principis, hujus nominis primi, sub arce Ledvitz oppidulo consedi, ibique cum aliis aliquot piorum coëxulum familiis, inter extremas a paupertate ærumnas & lacrymas, per annos quindecim Christo meo servivi. Hic autem (anno inquam 1643. feria 4. post Dominicam Invocavit) placuit Deo & Patri Domini nostri Jesu Christi per virtutem Spiritus sui Sancti, me vermiculum suum, juxta beneplacitum consilii sui electum, eo adhibere, ut postremi hujus seculi diebus per me, tanquam ultimam suam tubam, Nationibus & Populis, linguisque totius terræ, nota redderetur ultima voluntas Dei. Qua Divina ejus majestas vult & mandat, ut Reges, Principes, Comites, omnesque Potentes terrarum Orientalium & Occidentalium, Borealiumque & Australium, faciant Papæ Romano tanquam Meretrici Babylonicæ, ut adhærentes ei Idololatræ, hæretici, athei, pseudo-Christiani,*

XXX. *Nicolai Drabicii incredibilis confidentia, & grandiloquentia.*

Christiani, pereant: Turcisque, Tartaris, Judæis, & Gentibus aliis sub sole habitantibus, lux effulgeat. Aliquammultis interjectis sic pergit. *Scitote igitur, scitote, omnes Nationes & Linguæ Orbis universi, summi & imi, divites & egeni, docti & simplices, quibuscunque Dei metus, saneque rationis usus est: Sermones a me scriptos, sæpeque lachrymis (jam metu, jam gaudio) rigatos, non fuisse, nec esse, sermones meos, a voluntate mea, vel ingenio & judicio meo, (quod mihi simplex & ad hæc talia & tanta nimis hebes est) profectos: sed ab ore Dei Creatoris, Dei Redemptoris, Deique Sanctificatoris, prolatos, & mihi intelligenter, mentique ac memoriæ meæ ut hominis perceptibiliter, præsentatos. Quibus ego fidem habui, & habeo, prorsus habeo, multis jam & variis experimentis indubitanter factus certus atque securus, sanctam & beatam Trinitatem eos pro suis agnituram, reque ipsa illorum veritatem demonstraturam. Non tum, aut sic, quando & quomodo ego, aut tu, quicunque es, velim, aut velis: sed tum, cum tempus & hora judicii, voluntate majestatis ejus determinati, venerit. Quoniam verum necesse sit maneat illud semel pronunciatum, mille annos apud Dominum esse ut diem unum, & diem unum ut annos mille. Ego igitur re undiquaque pensitata, unicuique in his mihi contradicentium, & hæc ob aliquid eventu nondum comprobatum condemnantium, denuntio, me illum citare hodie, & citaturum cras, & quamdiu mihi aut tibi vita erit, & in articulo mortis meæ & tuæ, & in die ultimi illius tremendi judicii, in illustri adventu Domini nostri Jesu Christi. Cito, inquam, in conspectum claritatis altissimi veracissimique Dei, apud quem nulla personarum acceptio est, qui solus vivorum & mortuorum judex, non secundum oculorum visionem judicans, neque secundum auditum aurium arguens, sed in justitia judicans pauperes, & in æquitate arguens mansuetos terræ.* (Jes. XI. vers. 4.) *Et cito in conspectum Seraphinorum & Cherubinorum, totiusque Hierarchiæ cœlestis. Cito in conspectum Patriarcharum Apostolorumque. Cito in conspectum Sanctorum Ecclesiæ Doctorum, Cypriani, Ambrosii, Augustini, Bernardi, &c. Martyrumque, Wiklefi, Hussi, Hieronymi, &c. Et in conspectum Sanctorum Ecclesiæ Reformatorum, Lutheri, Melanchtonis, Calvini, eorumque successorum fidelium Ecclesiæ Luminum &c. Spei ac fiduciæ erga Deum & Patrem Domini Jesu plenus, si me omnium minimum Jesu Christi servum, cum hac mea sancto ejus nomini obsequiose, tametsi laboriose, præstita opera, quisquam vestrum, o homines, quisquis ille futurus, condemnabit, me tamen & hos sermones meos non condemnatum iri a Deo meo, nec ab Angelis ejus, præsentibus mihi semper, testibus meis, nec a propria conscientia mea, qua post Deum & Sacro-Sanctum ejus Verbum,*

num, datamque mihi erga illud fidem, nihil hac in vita charius habeo. Genua flectens coram Deo & Patre Domini nostri Jesu Christi, ut opus in nobis captum non deserat, sed me & te, quisquis radici Christo insertus es, inculpatos servet, ac me & te per mortem non in judicium venire, sed transire in vitam, faciat: ubi non cadet super nos sol, vel alius æstus, & ubi Dominus ab oculis nostris absterget lachrymas &c. Ita mihi, tibique qui hæc legis, propitius esto Cœli, Terræ, Marisque Dominator, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, benedictus in secula seculorum. Amen.

XXXI. Eccui, hæc cum tam magnifico verborum apparatu dicta legenti, non terror aliquis horrorque incutiatur? Eventus tamen, & historia rerum ab anno XLIII. in Europæo orbe gestarum, prophetis illis non usquequaque respondens, validum contra illam confidentiam testimonium perhibet, imo, uti ego arbitror, irrefutabili eas argumento refellit. Ex multis quæ proferre possem speciminibus, excerpere nunc lubet paucula. *Revelatione* XXX. his Videntem mandatis instruxisse dicitur Deus: *Suscipe iter ad Principem* (Transsylvaniæ, Racocium) *dicitoque ei, te a Me, tuo illiusque Creatore, mitti, ut eum coram toto exercitu, quem ad ipsum collegi, ungas & proclames Regem terræ hujus. Sed præmittes concionem super verba Psalmi secundi, Ego unxi Regem meum, &c. Quam concionem statim meditare: peractaque illa, effundes oleum unctionis, olei Balsamini (quod reperies in aula Principis) in conspectu totius populi, super caput Principis. Mox autem advocet Princeps Proceres terræ, jubeatque Coronam parari, & diem constitui Coronationis suæ, peragendæ Posonii, in præsentia habitatorum terræ: cui tu quoque intereris. Hoc ubi erit factum, exercitum hostilem ingenti afficiam clade, sicut tibi ante dixi, me amoliturum eos, ut lapides, & ligna solent de via.* Enimverò perspicua hæc sunt, & nulla verborum ambiguitate involuta. Eventus autem quis? Eum ipse exponit Videns *Revelatione* XXXII. Proficiscitur ad Principem: ne ad conspectum quidem illius admittitur: Ecclesiastes aulicus refert, Principem dixisse, inter se nunc & Cæsarem pacem esse factam, eamque rescindi non posse: redire si domum vellet, commodam nunc esse occasionem. Sic nulla re peracta discedit. Princeps post pauca moritur. Nonne hinc evidenter patet, mandatum hoc de Unctione & Coronatione Principis Transsylvaniæ, meram fuisse illusionem, non cœleste oraculum? Itane Deus cum Prophetis suis agere solet, quos ad ungendos unquam suo nomine Reges misit? Nonne per sua efficit Providentia, ut quæ jussi erant exsequerentur? Dignumne Deo fuit, mandatis his Drabicium instruere, quo tempore Transsylvanus cum devota, ut ait, internecioni domo Austriaca pacem fecerat,

XXXI. Cujus tamen vaticiniis eventus non respondit.

quum totum hoc unctionis & coronationis negotium ad destructionem Domus Austriacæ pertineret?

XXXII. Audio, excipi: non nisi sub conditione hæc omnia Principi Transsylvaniæ offerri, ea lege si promtum se alacremque Divinis mandatis præstet, & sine tergiversatione expeditionem in hostes Dei suscipiat. Atqui jam ante Videnti dictum erat Revel. XV. *Sciat igitur Princeps, horam partus sui jam venisse*: MEQUE ILLUM ELEGISSE, NON ALIUM, UT IN NOMIME MEO AUXILIETUR EXCITATIS A ME GENTIBUS AD EVERTENDAM DOMUM AUSTRIACAM *& abolendum Idololatras, cum omnibus abominationibus suis. Possent quidem id hæ gentes citra illum exsequi*: EGO TAMEN HONORIS ILLIUS PARTICIPEM IPSUM REDDERE DECREVI HAC IN GENTE, NON ALIUM. Non autem decernit Deus aliquid sub incerta conditione. Quem eligit ad tanti operis patrationem, ejus etiam voluntatem animumque ita disponit, ut consilio suo inserviat. Non eligit quemquam Deus ea conditione si velit, sed electione sua facit ut velit. Pro exemplo Cyrus sit, quem elegerat Deus ad destructionem Monarchiæ Babylonicæ, & liberationem populi Israelitici: sed cui eum etiam animum indidit, ut omnem delectationem suam perficeret, cujus dextram roboravit ad sternendum coram eo gentes, quem accinxit quamvis ignotus ipsi. Jes. XLIV. 28. XLV. 1. 5. Et quo tandem crimine se obstrinxit Racocius, quo promissa sibi suisque Hungariæ corona exciderit? An quod prudentiam Politicam in consilium adhibere maluerit, quam dictata Drabicii? Hoc enim passim ipsi exprobrari video. At non video, quid in eo mali sit. Sane Divina oracula omnibus semper humanis consiliis antiquiora nobis esse par est. Sed ante omnia constare oportet, ea quæ pro oraculis venditantur, revera id quod dicuntur esse. Eam reverentiam debemus dictatis Dei, ne temere quidquam ut a Deo dictatum admittamus, quod non evidenti se argumento demonstret. Quo autem miraculo? (quod merito in isthoc rerum statu exigi potest) qua ulla alia idonea ratione, probaverat Principi Drabicius, homo ignotus, se a Deo missum esse ad tantarum rerum annunciationem?

XXXIII. Addamus & aliud. *Revelatione* XLVII. prædicitur, finem regni Bestiæ & idololatrarum eopse anno fore. *Viriliter agite: nam Ego Jehova loquor*, QUOD JAM HOC ANNO *expleta sit mensura crudelitatis Idololatrarum adversus cultores meos sub sole.* Paulo post: *Ego Alpha & Omega fundamenta posui regnantis illius Meretricis: Ego* JAM QUOQUE *illi finem imposui in consilio cordis mei.* Facta autem est hæc revelatio A. 1650. 19. Novembris. Sequenti die nova dicitur ei revelatio obtigisse, in

in qua hæc leguntur. *Orientales illi servi mei comparent se, & invitent Septentrionales, hi autem Occidentales, hi Meridionales. Omnes autem incipiant se parare ad prodeundum* TEMPORE VERNO, MENSE QUE MAJO: *ut quasi una hora incipiant celeriter, Orientalis assumat Turcarum quotquot vult millia.* MULTI ENIM TURCARUM *agnoscent caussam belli hujus esse cultum meum ab idololatris per hæc regna contaminatum*, SUSCIPIENTQUE DOCTRINAM EVANGELII, ET FRONTIBUS SUIS ADMITTENT SIGNUM MEUM HOC: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. *Judæi autem quanquam interibunt multi gladio, reliqui tamen videntes opera mea, cum plausu redibunt ad me: eruntque vobiscum cor unum.* POST ANNOS TRES ORDINEM ECCLESIÆ VESTRÆ SUSCIPIENT HABITATORES TERRÆ. Quorum quum nihil hactenus acciderit, prædictiones illæ ab eventu palam refutatæ sunt.

XXXIV. Sed & tertium nunc occurrit aperte falsum. *Revel.* CXII. *Anno* 1652. 19. *Mart.* EJULATUS ET LAMENTA DOMUI AUSTRIACÆ VENERUNT HODIE. *Nam* HODIE *est dies decima, de qua dixi tibi, visitaturum me illam. Ecce enim sagittæ furoris mei irruerunt in Pharaonem, quibus trajectus effudit scelerata viscera sua, sicut effusa fuerunt viscera Judæ. Unde fletus, clamor, lamenta & ejulatus invaserunt Jesuitas, maledictamque illam Meretricis Babylonicæ colluviem. Nam ecce decidit de capite Bestiæ cornu decimum, super quod illa stabat:* NEC AMPLIUS ERIT ULLUS ROMANUS IMPERATOR DE DOMO AUSTRIACA. Non arbitror necessum esse, ut ostendam quantum hæc a vero devient. Caput domus Austriacæ eo tempore erat Ferdinandus III. qui, ut cæteri mortales solent, fato suo functus est Anno demum 1657. Cui successit filius Leopoldus, etiamnum rerum potiens, & apud quem Jesuitæ possunt omnia.

XXXV. Neque dissimulo valde mihi suspecta esse encomia ista, quibus Drabicius ipse, & revelationes ei factæ, Apostolicis æquiparantur, aut præferuntur. Sic enim ipsi dixisse fertur Deus. *Revel.* CXV. *Adscendisti tu per me in altum; ut videatur in Nationibus opera tua, cui similem nec vidit, nec audivit ulla gens ab Apostolorum tempore, de tam evidentibus præsentiæ meæ signis, tantisque voluntatis meæ indicationibus, qualiter tibi factum.* Et impressius *Revel.* CI. AB APOSTOLORUM MEORUM EXCESSU CUM NEMINE TAM DELICIATUS SUM, NEC ITA LOCUTUS CUIQUAM, UT TIBI DILECTE MI. PAULO MEO PAUCA DETEXI ARCANA, NEC ILLA ALITER QUAM SUB PARABOLIS: TIBI APERTE OMNIA. *Mirantur, & mirabuntur filii hominum sapientiam meam, & ea quæ revelo per te: modo ne cunctemini hæc nota facere orbi universo.* Ignoscant mihi quotquot

XXXV. *Quamvis se Apostolis anteponat.*

sunt recentiorum revelationum patroni, si aperte dixero, unum mihi Paulum centum Drabiciis potiorem certioremque esse. Cui protestationi & hanc addo: modestiam illam Pauli, & circumspectionem, & prudentem sanctamque tergiversationem, qua, revelationes sibi factas narraturus, præfatur, longe mihi spiritu Prophetico digniorem videri, quam hanc Drabicii gloriationem & jactantiam.

XXXVI. *Jurii de eo similibusque benignum judicium.*

XXXVI. Enimvero nollem Reverendum & Doctissimum Virum *Petrum Jurium* tanti novitias hasce prophetias fecisse: quando, in Præfatione sui in Apocalypsin commentarii, animi sui sententiam his verbis exposuit. *Invenio*, inquit, *in Prophetiis Cotteri, Christinæ Paniatoviæ, & Drabicii, a Commenio publicatis, grande aliquid & mirificum. Cotterus qui in tribus hisce principem locum obtinet, grandis est & magnificus: imagines visionum ejus tanta nobilitate ac majestate conspicua sunt, ut eæ quæ antiquis Prophetis obtigerunt vix quidquam habuerint excellentius. Admirabili quoque modo sunt coagmentatæ, ut altera alteram sustineat, nullâ usquam repugnantiâ. Captum meum superat, quomodo manuarius opifex tot tantasque res imaginatione sua sine Divino auxilio complexus sit. Biennium illud prophetiæ Christinæ, meo quidem judicio, series est miraculorum quanta ab Apostolorum ætate non sunt conspecta. Imo ne in ipsis quidem maximorum prophetarum vitis admirabilius quidquam invenio, quam quod huic contigit virgini. Drabicius sua etiam granditate memorabilis est: at multa laborat obscuritate. Tres hi prophetæ in eo conveniunt, ut instantem regni Antichristiani interitum prædicant. Ab alia tamen parte tot se ac tanta produnt offendicula, ut securo iis animo inniti vix ausis.* Ita quidem Clarissimus *Jurius.* Cujus judicium, in Drabicii caussa, a judicio Dei valde deflectit, si vera sint quæ Drabicium de revelationum suarum claritate & evidentia narrantem modo audivimus.

XXXVII. *Mea ἐπίκρισις.*

XXXVII. Ego sic statuo: personas istas committendas esse Deo, neque mihi necessitatem esse impositam determinandi, utrum improbe hæc omnia finxerint, quod tamen suspicari vetat charitas, an illusiones fuerint phantasiæ, sive ex melancholia, sive alia quacunque caussa; an vero Divini aliquid adfuerit, quamvis non sine mixtura illusionum, quibus melancholica ingenia facile sunt obnoxia. Non tamen mihi crimini a Deo meo versum iri confido, si scripturarum revelationibus contentus, prophetias omnes recentiores suo relinquam loco, ab eventu comprobandas, aut refutandas: nulloque me tali vaticinio impelli patiar ad aliquid vehementer vel metuendum, vel sperandum; nedum ut vocationis terminos prætergressus periculoso operi manum admoveam.

XXXVIII.

XXXVIII. Neque tamen idcirco negare velim, frequenter accidere, ut homines pii, & singulari ratione Divino cultui devoti, atque ad propiorem arctioremque numinis amicitiam admissi, ab ipso de rebus futuris, & arcanis edoceantur; quarum cognitio ad excitationem pietatis, ad consolationem animi, ad corroborationem in fide ac spe, & exercitium prudentiæ, perquam utilis est. Plena eorum exemplorum omnis ævi historia est. Nec rationem ullam video, cur hominibus probis, piis, fideque dignissimis, talia quandoque de se, ad Dei gloriam, narrantibus, negetur fides. Uti nec temere recipienda, quæ narrantur, omnia. Fieri enim in his talibus facile potest, ut vel phantasmatibus ludificentur homines, vel ex cerebri affectione & humorum crasi miri affectus proficiscantur, vel denique ficta venditentur pro factis. In quem ex hisce censum referendæ sint nuperæ narratiunculæ de PUERIS ET PUELLIS GALLICIS, non puto nefas esse dubitare. Si quæ tamen revelationes aliquibus obtingant, eæ magis ad privatam eorum informationem faciunt, quam ut aliis, nedum Ecclesiæ, pro fidei actionumve norma sint. Ipsi fortasse ex interna illa luce, qua collustrantur a Spiritu, dignoscere possunt, Divinitus hæc sibi contingere; at destituuntur argumentis quibus eam revelationum sibi factarum Divinitatem aliorum conscientiæ probent.

XXXIX. Atque hæc quidem nos, pro gratia nobis concessa, de gravissima hac materia disputavimus. In quibus tantum abest ut aliis me satisfecisse sperem, ut ne mihi quidem satisfecerim ipsi, Plurima hic occurrunt, quæ accuratam, diuturnam, & fixam admodum meditationem, ac sollicitam rerum collationem, exigunt. Ad quam rem non esse mihi satis ingenii, neque fuisse in laboriosissimo hoc vitæ genere satis otii, ingenue confiteor. Nonnulla etiam sunt, quorum justam ideam vix mente formes, nisi experiundo didiceris. Non dissimulo autem, nihil mihi unquam prophetici contigisse. Præter diligens sacrarum literarum scrutinium, quo nihil suavius jucundiusque est, sufficit mihi unctio a Sancto illo profecta, quæ docet omnia, & cujus portionem aliquam singulis sui reverentibus impertit Divini numinis benignitas. Si in aliorum Doctorum virorum sententiam aliquando liberius inquisiverim, & quod verius arbitror fortiter dixerim, id non contendendi studio factum est, nedum animi impotentia, omnium minime ex ærugine aut rancore; sed solo amore veritatis, & ad tuendam Divinorum oraculorum auctoritatem. Præter intentionem accidit, ut in tantam molem commentarius hic noster excreverit. Quam si rerum ubertas & varietas Lectori non probet aut excuset,

XXXIX Epilogus.

Add: his Præf. §. XIX. XX. XXI.

prolixitatis veniam rogo. Neque verbum addo, præter votum: Deus ille Veritatis, Pater luminum, qui luce se veluti amictu tegit, lucem habitans inaccessam, jubeat lucem e tenebris splendescere, splendeatque in cordibus nostris, ad lucem notitiæ gloriæ Dei, in facie Jesu Christi. *AMEN.*

LIB. II. DISSERTATIO I.

DE TABERNACULI LEVITICI MYSTERIIS.

BREVIARIUM.

I, *Structura Tabernaculi haut pauciora de Divinis virtutibus docet, quam structura Universi.* II. *Non omnia illius mysteria ita a Paulo exposita sunt, ut non alia adhuc anquirenda restent.* III. *Apostolorum explicatio allegorica exemplar nostræ est.* IV. *Præter Tabernaculum Leviticum, fuit etiam Privatum Mosis, & Publicum Davidis Tabernaculum.* V. *Tabernaculi Levitici fata.* VI. *Res in eo notandæ.* VII. *Materia Tabernaculi collecta est ex voluntaria oblatione Israëlitarum.* VIII. *Cui accessit indictum tributum dimidii sicli a singulis pendendi.* IX. *Quæ juncta vægrandem summam conferunt.* V. *Unde Israëlitis tanta fuerit in deserto opulentia.* XI. XII. *Quid hic arcanioris significationis subsit.* XIII. *Forma Tabernaculi.* XIV. *Atrium.* XV. *Unum, an plura?* XVI. *Altare æneum holocaustorum.* XVII. *Labrum.* XVIII. *Tentorium cum suis tegminibus.* XIX. *Sanctum, cum suis utensilibus.* XX. *Sanctum Sanctorum, cum suis.* XXI. *Mysteria.* XXII. *A Judæis explicata, nimis naturaliter.* XXIII. XXIV. *Aliquando melius, Politice.* XXV. *Atrii significatio mystica.* XXVI. *Altaris ænei.* XXVII. *Ritus illius expiandi.* XXVIII. *Labri mysterium* XXIX. XXX. XXXI. XXXII. *Ipsiusque Tabernaculi* XXXIII. *Et Sancti.* XXXIV. *Mensa aurea.* XXXV. XXXVI. *Illius mysterium.* XXXVII. *Et panum propositionis.* XXXVIII. *Candelabrum aureum.*



um. XXXIX. XL. XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV. Illius mysterium. XLVI. Altare suffitus. XLVII. XLVIII. XLIX. L. LI. Hujus mysterium. LII. LIII. LIV. Mysterium Aulæi interioris. LV. Sancti Sanctorum. LVI. Arca Fœderis. LVII. Tabulæ Testimonii in ea condita. LVIII. Operculum Propitiatorium cum Cherubinis. LIX. Locus Arcæ. LX. Quid Arca factum sit post destructionem Templi. LXI. Secundum Epiphanium. LXII. Ex rei veritate. LXIII. Spencerus Arcæ religionem ex sacris Ægyptiorum cistis unice derivat. LXIV. Ut & Cherubinos ab eorum simulacris tauriformibus. LXV. Eorumque significatorum mysticam ex Theologia symbolica Ægyptiorum. LXVI. LXVII. LXVIII. Seria sententiæ illius refutatio. LXIX. LXX. LXXI. Argumenta Spenceri expenduntur. LXXII. Injustum illius odium adversus Allegorias. LXXIII. LXXIV. Probatur totum Ministerium Mosaicum ad Messiam respexisse. LXXV. Nominatim, Tabernaculum. LXXVI. LXXVII. LXXVIII. Specialissime, Arcam Fœderis. LXXIX. Mysterium Arcæ. LXXX. Et operculi propitiatorii. LXXXI. Et Cherubinorum. LXXXII. Urna aurea. LXXXIII. LXXXIV. LXXXV. An intra, an juxta Arcam collocata. LXXXVI. Mysterium Mannæ reconditæ. LXXXVII. LXXXVIII. Virga Aaronis an fuerit Baculus Mosis. LXXXIX. Romæ, & alibi inter sacras reliquias conservari dicitur, cum Urna Mannæ. XC. Illius mysterium. XCI. Volumen Legis.



Igna consideratione nostra Divini Tabernaculi structura est: quippe in quo Ceremoniarum omnium veluti meditullium ac centrum habemus; quum omnes vel in eo, vel cum adspectu ad illud, celebrari debuerint. Deus, qui non nisi sex dies creationi totius Universi dedit, quadraginta dies impendit, ut Tabernaculi instar Mosen condocefaceret: quippe in quo conspicienda foret ea Mundi Gratiæ, operis longe admirabilioris. Unum solum alterumve caput impendit Moses describendæ structuræ mundi adspectabilis: sextuplo plura explicandæ structuræ Tabernaculi: ut moneatur, non minus saltem ad hanc quam ad illam attendendum esse; quippe ex cujus consideratione virtutes Dei in Christo nobis illucescunt. Et certe plurimi semper fecerunt homines pii in Tabernaculo hoc versari. Ps. xxiii. 6. xxvii. 4. xlii. 2. lxxxiv. qui tamen tantum in eo mysteriorum videre non potuerunt, quantum per Dei gratiam nos Christiani, quibus ænigmatum clavis data, illiusque genuinus

I. Structura Tabernaculi haut pauciora de Divinis virtutibus docet, quam structura Universi.

nuinus usus a Paulo præmonstratus est. Is sane de multis dixit; non vero, uti ipse protestatur, de singulis; Heb. IX. 5. innuens de iis quæ silentio transmisit, similia dici posse, atque ita nostræ quoque solertiæ suum relinquens exercitium.

II. Non omnia illius mysteria ita a Paulo exposita sunt, ut non alia adhuc anquirenda restent.

II. Neque enim fas est existimare, vel ea solum arcanos significatus habuisse quæ a Paulo memorata sunt, vel in cæteris inquirendis frustra nostram consumtum iri operam. Illud ne crederemus, magnis argumentis ipse Paulus effecit, quando de Mosaicis institutis universim testatur, *umbram* iis contineri, cujus *corpus in* Christo inveniatur. Col. II. 17. Heb. X. I. De toto autem hoc Tabernaculo conceptis verbis asserit, fuisse *exemplar majoris & perfectioris, quod non manu factum, neque hujus conditionis sit*: deque iis quæ in tabernaculo peragebantur, fuisse *exemplaria eorum quæ in cœlis sunt.* Heb. IX. 9. II. 23. 24. Neque quisquam, qui Divinæ sapientiæ justum suum pretium statuit, animum facile inducet ut credat, paucula quædam instituta, quæ Novi Testamenti tabulis exposita cernuntur, ita universam priscorum mysteriorum doctrinam absolvere, ut cætera frustra data sint. Frustra autem data fuissent, si nullas abstrusiores significationes haberent. Imo & tum frustra forent, si illæ significationes, ex quo Apostolorum & Prophetarum voce erudiri desiimus, a nullo deinceps mortalium investigari, & ex collatione artificiosissimarum picturarum cum suo prototypo demonstrari possent. Immortales Divinæ Bonitati debemus gratias, quod in hac ænigmatum enucleatione viam ipsa nobis præiverit; iis etiam aliquando selectis, de quorum mysterio nemo fortassis unquam cogitasset. Nostrum est ex tam præclara institutione proficere ad sagacitatem & prudentiam justorum, nec hos solum thesauros stupere quos reseratos nunc præ oculis habemus; sed aurea ista clave prospicienter uti, ad illos quoque eruendos, quos in aliis ejusdem arcæ loculis latere certi sumus. Et quamvis singula ita explicare non valeamus, ut seorsim sumta evidenti demonstratione comprobentur; quum tamen generatim constet, omnibus ceremoniis Mosaicis, veluti unius magnæ tabulæ diversis iconibus, Christum cum sua Ecclesia depingi, quo diligentius similitudines illas animadvertimus & assignamus, eo sapientiam Dei in clariori collocamus luce. Neque fieri potest, ut præter intentionem magni artificis, & nescio quo casu, inter picturam & inter suum exemplar ingens analogiarum numerus deprehendatur. Præclare hac in parte de juniorum studiis meriti sunt Viri seculo nostro eruditissimi, quorum nos industria plurimum adjutos esse, ad Dei primum gloriam, tum & ipsorum laudem, ingenue profitemur.

III. Cæ-

III. Cæterum ne necesse sit, ut in hanc de allegorica Mosaicorum institutorum interpretatione disputationem iterum excurramus, lubet animi nostri sententiam dilucide exponere. Non possum autem illud elegantius facere quam verbis Mosis Amyraldi, in Præfatione quam præfixit commentariis suis ad Psalmos Davidis. Ibi postquam egisset de Divina illa arte qua Apostoli Veteris Testamenti typos mirifice prorsus exposuerunt, ita pergit: *Quod in eo genere Apostoli præstiterunt, est tanquam exemplar ad cujus normam omnes alii Theologi cogitationes & meditationes suas in eo studio conformare debent. Quam ad rem cautionem istam adhibere necesse est, ut, quemadmodum Apostoli fuerunt in eo studio parci, nimietatem in eo evitemus. Uti summa rerum veluti capita secuti sunt, & λεπτολογίαν aspernati quia non ingenii sui subtilitatem ostendere, sed ædificationi Ecclesiæ, & confirmationi veritatis inservire voluerunt, sic nos omittamus ea quæ nimis tenuia sunt, & rerum momentosarum veluti corpori adhærescamus. Denique uti veritatem suarum interpretationum non aliter demonstrarunt, quam ex ipsa evidentia similitudinis quæ inter ipsas & res ex quibus allegoriæ ducuntur intercedit; sic nos indidem explicationum nostrarum probationes eliciamus. Alioquin typorum materia lubrica est, & ambigua, & in qua quum ingenium humanum sibi præter modum indulget, in varios meteorismos exspatiatur & excurrit, in quibus ludere potius, quam serio & religiose agere videtur.* Verum e diverticulo in viam.

III. Apostolorum explicatio allegorica exemplar nostra est.

IV. Ad rem igitur accedamus. Præcognoscendum est, TRIA nobis sacra TABERNACULA memorari. I. PRIVATUM MOSIS, *extra castra*, post μοσχοποίαν, erectum: quod quidem *Tabernaculum conventus* vocatur, quia ibi Deus cum Mose congressus est, & gloriam suam conspiciendam Israëlitis præbuit. Exod. XXXIII. 7. diversum tamen est ab eo quod publicis sacris destinaverat Deus, quodque Moses non *sibi* tetendit, sed *Deo*. Exod. XL. 34. 35. neque mox post scelus confecti vituli, sed mense primo anni secundi, primo die mensis. ibid. vers. 2. 17. II. PUBLICUM DAVIDIS: in quod ex domo Obed-Edom transtulit Arcam fœderis, erectum *Zione*. 2. Sam. VI. 17. 1. Chron. XVI. 1. III. LEVITICUM hoc, de quo agendum nunc nobis est: & cujus instar Mosi monstratum in monte.

IV. Præter Tabernaculum Leviticum, fuit etiam Privatum Mosis, & Publicum Davidis Tabernaculum.

V. *Varia* illius *fata* unico veluti obtutu oculis exponere lubet. Postquam cum omnibus suis instrumentis rite confectum esset, erexit illud & initiavit Moses. Exod. XL. Dein aliquoties solutum, sua cum Israëlitis communia in *deserto* itinera habuit, portatum a Levitis, ministerio ipsius consecratis. Num. IV. Post introitum in *Canaan*, primo depositum est *Gilgale*. Jos. IV. 18. 19. inde deportatum *Siluntem*.

V. Taber[illegible]uli Levitici fata.

Jos. XVIII. 1. 1. Sam. IV. 3. 4. ubi mansit annos 328. aut ut alii volunt 350. Capta a Philistinis Arca, rejecit sprevitque Deus Siluntem Jer. VII. 12. Ps. LXXVIII. 60. & Tabernaculum deportatum est in *Nob*; uti colligere est ex 1. Sam. XXI. 1. Davidis autem & Salomonis tempore fuit *Gibeone*. 2. Chron. I. 3. donec cum omnibus utensilibus suis transferretur in *Templum*. 2. Chron. V. 5.

VI. *Res in notanda.*

VI. At accuratius singula consideremus ad Leviticum hoc Tabernaculum pertinentia, & distincte quidem. I. MATERIAM. II. FORMAM, sive Ideam e cœlo monstratam. III. PARTES. IV. SIGNIFICATIONEM MYSTICAM.

VII. *Materia Tabernaculi collecta est ex voluntaria oblatione Israëlitarum.*

VII. MATERIAM Tabernaculi colligi sibi Deus voluit ex *voluntaria oblatione* Israëlitarum, a quibus exegit aurum, argentum, æs, & hyacinthina, & purpurea, & coccinea dibapha; & lignum xylinum, & lanam caprarum; pelles etiam arietum rubefactas, & pelles melium, & ligna cedrorum lectissimarum, & oleum ad luminare, & odoramenta ad oleum unctionis, & aromata ad suffitum, & lapides sardoniches, & lapides insitivos. Exod. XXV. 2. – 7. Id ubi audiverant Israëlitæ, quisque quem extulit animus ejus, & quemcunque spiritus ejus sponte movit, attulerunt oblationem Jehovæ, ad opus tentorii conventus, veneruntque viri cum mulieribus, afferentes fibulas, & monilia, & annulos, cingulasque pendulas, omnia instrumenta aurea; alii argentum, æs, & ligna cedrorum lectissimarum, alii hyacinthinum; & purpureum, quæque id genus plura erant: principes vero, lapides pretiosos, tanta lubentia ac liberalitate, ut quum plus satis offerretur, populus jussu Mosis cohibitus sit. Exod. XXXV. 21. & seq. XXXVI. 3. & seq. Non lubet nunc Critica diligentia singula fere verba vexare, quæ a diversis redduntur diversimode. Nam ubi multo te labore fatigaveris, & singulos pro se dicentes audiveris, incertior eris quam olim. Nos majora sectamur.

VIII *Cui accessit indictum tributum dimidii sicli a singulis pendendum.*

VIII. Præter hanc oblationem voluntariam indictum fuit populo *tributum*, persolvendum ab omnibus, ad expiationem, & reponendum ad ministerium tentorii conventus. Exod. XXX. 11 – 16. *Censendi*, erant Israëlitæ omnes à nato viginti annos & supra: sine exceptione, Sacerdotes, Levitæ, proselyti, liberti. Non autem mulieres, infantes, servi. *Census*, dimidium sicli, prout est siclus sanctuarii. *Siclum Sanctuarii* plerique Hebræorum Magistri, & ex iis Christianorum multi, duplo majorem esse voluerunt eo qui in communi erat usu. At recentiores, re, uti videtur, melius perpensa, eum hoc nomine siclum designari docent, qui & valore & pondere justus est, respondetque

que exemplari quod asservabatur in sanctuario: uti & *Justinianus* in sacratissima cujusque civitatis Ecclesia mensuras & pondera servari jussit. Et suffragatur ratio. Nam siclus Sanctuarii definitur *viginti obolis*. Lev, xxvii. 25. Neque usquam aliud ei pretium statuitur; aut ut statueretur necesse est: quænam enim subest ratio, cur diversi esse debuerint? Imo vero Ezechiel Cap. xlv. 12. hortans principes ut jus justitiamque exerceant, & justis utantur ponderibus atque mensuris, in communi quoque usu non alium quam *viginti obolorum* siclum pro justo habet. Accedit quod numismata antiquissima siclorum quæ etiamnum exstant, ejusdem admodum omnes ponderis sint: & dimidium fere Imperialem valeant. *Definitum* illud pretium nec *augendum*, nec *minuendum*: tantundem solvendum diviti ac pauperi; licet, inquiunt Hebræi, mendicando, vel vestes vendendo, id debuisset acquirere. *Usus*, ad ministerium quotidianum, ad expiandum animas. *Necessitas*; ne plaga in ipsos grassaretur. Uti factum ajunt Hebræi, quando neglecta hujus tributi solutione Davidis tempore pestis in populum sæviit. Utrum annuus hic census fuerit: an semel tantum collatus in prima Tabernaculi erectione, alibi commodius disquiretur.

IX. Satius erit nunc animadvertere quantam hic census summam confecerit. Id docet Moses Num. 1. 46. *Fuerunt omnes numerati sexcenties ter mille cum quingentis quinquaginta.* Totidem ergo dimidii sicli soluti sunt: integri autem sicli 301775. Qui conficiunt centum talenta, & 1775. siclos Exod. xxxviii. 25. His adde aurum ex voluntariis collationibus collectum, *talenta viginti novem, & siclos septingentos triginta.* vers. 24. Quæ melius intelligentur, si ad nostram reducta fuerint computationem. Ea autem diversimode instituitur. Summam *auri* ita subducunt *Tremellius* & *Junius*, ut superet pretium *quinquies centies sexagies mille quadringentorum quinquaginta Imperialium Dalerorum. Argenti* autem ut superet pretium *centies nonagies bis mille trecentorum octoginta septem Imperialium, cum dimidio.* Alii sic: Auri talenta 29. efficiunt florenos Ungaricos 664912. Addantur sicli aurei 730, qui respondent florenis Ungaricis 5579. Tota auri summa integre collecta erit 670491 aureorum Ungaricorum: ex supputatione *Georgii Agricolæ*, in *Lib. de pretio metallorum.* Argenti vero talenta centum reducunt ad 203600 florenos Ungaricos. Addantur æris talenta septuaginta Exod. xxxviii. 29. conficientia 2036 Ungaricos. Aliam supputandi rationem sequitur *Goeree*, cujus laudanda est in talibus diligentia. Is putat tributum census Israëlitici, centum talentorum, & 1575 siclorum argenteorum, valuisse 60355 Libras Flandricas, sive

IX. Quæ juncta vagrandem summam confecerunt.

362130 florenos. Aurum autem oblationis voluntariæ, 29 & 730 ſiclos aureos valuiſſe 219325 Libras Flandricas. Sive 130 nas auri, & circiter 5950 florenos.

X. Unde Iſraelitis tanta fuerit in deſerto opulentia.

X. Hæc quum fidem propemodum ſuperent, non im quæritur, unde Iſraëlitis, dura ſervitute extremaque pauperie in Ægypto, nunc autem in deſerto palantibus, tanta hujuſmo teriæ omniſque opulentiæ ſuppetierit copia. Et primo quidem bile eſt, aliquos ſaltem ex Iſraële non pauca ſibi reſervaſſe ex priſc lentia avorum; quod in primis locum habere potuit in nepotibu phi. Præterea certum eſt, aliquammulta eos extuliſſe ex Ægypto bus ab hoſpitibus & vicinis ſuis donati erant. Exod. XII. 35. 36. eſt incredibile, aliquid ipſis acceſſiſſe ex ſpoliis Ægyptiorum, qu cadavera cum ſuis veſtibus, quæque iis inerant rebus pretioſis, lit alluerunt undæ maris Erythræi. Sed & deſertum ipſum nonnulla taſſis ſuppeditavit, ligna nimirum, quibus indigebant. Nec de qui affirment, ſylvam fuiſſe prope Sinai, unde arbores exciderint. *Abarbenel* conjicit, vicinas quoque gentes merces venales intuliſſe in caſtra Iſraëlitarum. At hoc præter ſcripturam eſt: nemo enim ad Iſraëlitas in deſertum veniſſe memoratur, præter Jethronem cum ſuis; aliis omnibus propter cladem Ægyptiorum & Amalecitarum accedere metuentibus. Et ſane prædicanda hic eſt Dei in populum ſuum clementia, qui eos, antequam in Ægypto ſervirent, benedictionibus ſuis locupletavit, & exeuntes ex ergaſtulis Ægyptiorum opibus ditavit; uti & populi rurſus adverſus Deum liberalitas, qui nihil tam carum habuit, quod non lubentiſſime numini ejus ſacraverit.

XI. Quid hic arcanioris ſignificationis ſubſit.

XI. Multa hic concurrunt digna memoratu. I. Quod *materiam omne genus*, & *diverſi* admodum *ordinis* atque *pretii*, ad Tabernaculi ſui confectionem colligi voluerit Deus, non aurum modo & argentum & æs, ſed & ligna, & neta ex lana vel pilis, & pelles animantium: quæ tamen juncta in iſthac ſua diverſitate non modo ad integritatem, ſed & ornatum atque pulcritudinem Tabernaculi faciebant plurimum. Ita profecto cum iis comparatum eſt in quibus per ſpiritum ſuum habitat Deus, quos ipſe diſpari collocatos loco, diſparibus inſtructos donis, diſparibus adhibitos muneribus & miniſteriis, partes ſpiritualis domicilii ſui facit; quod, ex tam diverſis compactum, non ordinatius modo, ſed & ornatius exſurgit. II. Quod oblationem hanc *voluntariam* atque ſpontaneam eſſe voluerit; nemini fixa lege præſcribens, quid quantumve offerre deberet. Ita delectatur *populi ſui oblationibus voluntariis* -

voluntariis in die copiarum suarum, cum decoribus sanctitatis. Ps. cx. 3. Omniaque parata esse vult, *ita ut beneficentiam, non ut extortum aliquid; non ex tristitia aut necessitate: nam hilarem datorem diligit.* 2. Cor. ix. 5. 7. III. Quod oblatio illa dicatur תרומה, *exaltatio*, separatum quid quod exaltatur, munus sacrum quod devovetur *Altissimo*, & ejusmodi adhibetur usibus, quibus nulli possunt esse eminentiores. Enimvero in eo summum eorum quæ possidemus decus situm est, quod liberaliter donentur Deo, ejus impendenda ministerio. Abutimur bonis nostris, quoties aut avaritiæ, aut superbiæ, aut voluptatibus ea famulari cogimus. Sed extollimus ea ad maximam usus sui sublimitatem quæ consecramus numini. IV Neque illud omittendum, quod non materiam solum contulerint, singuli pro sua copia, sed quod *artem* quisque suam & industriam omnem adhibuerit, ad ea quæ offerebat concinnanda; ne *mulieribus* quidem exceptis, quarum quæ industriæ erant neverunt manibus suis, attuleruntque neta hyacinthina & purpurea. Exod. xxxv. 25. Ita non facultates solum opesque nostras Deo sacrare par est, sed & ingenium, & industriam, artemque omnem: ut quod in nobis præstantissimum est Ecclesiæ Dei exornandæ omni alacritate impendatur. Neque quisquam est eorum qui ad populum Dei pertinent, quin suo loco & ordine aliquid præstare valeat.

XII. Cæterum quamvis Deus *voluntaria oblatione* plurimum delectetur, *tributum* tamen sibi ut *Domino* & *Regi* ex *debito* pendi jussit: ut agnoscerent Israëlitæ se non solum possessiones suas, sed & vitam debere Deo, & hac veluti *homagii* præstatione ejusdem usum redimerent. Profiterentur præterea neminem sui capitis & vitæ Dominum esse; sed omnes ex æquo unum Dominum agnoscere, Deum, qui singulari beneficio eos sibi in populum asseruerat. Sed & majora subesse videntur. I. Quum tributum hoc *ad expiationem animarum* datur, figura est veri illius λύτρου, non auro neque argento constantis, sed pretioso sanguine filii Dei, quo ab ira & maledictione Dei redemti sumus. II. Et quum tam *vile* fuerit, & vix quartam Imperialis partem valuerit; eo ipso comprobatum est, non nisi figuram esse. Aliàs infinito pretiosiorem esse æstimationem animæ, & Scriptura & ratio docet. Psal. xlix. 8. 9. III. Quum *æquale* pendendum fuerit ab omnibus, tantundem a pauperibus atque a divitibus; docemur apud Deum non esse acceptionem personarum, æque caras sibi esse omnium animas; unum & æquale λύτρον pro omnibus electis a Christo esse solutum; omnibus profitendam esse eandem indigentiam, idemque jus respectu expiationis quotidianæ, omnibus denique contingere

ἰσότιμον πίστιν 2. Pet. I. I. qua redemtionem Christi amplectantur.

XIII. *Forma Tabernaculi.*

XIII. A consideratione *materiæ*, ad FORMAM Tabernaculi transeamus. Eam Mosi ipse ostendit Deus, *ideam* e cœlo monstrans, juxta quam singula exactissime conformari jussit. Exod. xxv. 9. 40. xxvi. 30. Falluntur enim & fallunt, quicunque disputant, Mosen ad exemplum eorum quæ in Ægypto viderat, & ut crasso se Israëlitarum suorum ingenio accommodaret, portatile hoc Dei domicilium in deserto struxisse. Fidem certe a me non impetrat Doctissimus *Spencerus*, quantumvis prolixa oratione contendens, quod *seculi ruditas, & religio longo gentium usu confirmata, Tabernaculo* huic Divino *originem dederit. Quum enim*, inquit, *Ægyptiis, aliisque gentibus, in more fuerit, Deorum imagines, aut eorum symbola, in thensis,* ναίσκοις, *aut tentoriis, collocata, circumferre; vel ut eos honore singulari colerent, vel ut eos haberent individuos viarum & periculorum suorum comites: quumque morem illum tollere non ita promtum esset, hinc Deo visum fuit ad seculi morem & modulum se demittere, in Tabernaculo habitare, Tabernaculum etiam ministris suis circumferendum tradere. Præcipue vero* TABERNACULUM MOLECHI, & CHYUN, occasionem huic rei dedisse opinatur: & copiosus est in ea similitudine & affinitate enarranda, quæ inter *Tabernaculum testimonii & Tabernaculum Molechi* intercessit. Unde concludit, *Deum Israëlitis tabernaculum circumgestandum concessisse, ut ritibus, antiqui moris imaginem præferentibus, eos ad cultum suum alliceret, & arcte devinciret. Diss. de Tabern. Orig.* Cæterum hæc, quantacunque dicantur fiducia, abducunt animum a simplicitate narrationis Mosaicæ, nihil tale memorantis; à castitate Divini cultus, cui cum Molechi portentosis superstitionibus nihil affine est; ab intentione Dei, qui populi sui mores moribus vicinarum gentium non quodammodo similes, sed ab iis sejunctissimos esse voluit; denique a meditatione sublimiorum longeque præstantiorum rerum, quibus significandis Tabernaculum destinatum fuisse, tota hæc dissertatio nostra invictè docebit. Certe nihil hic Ægyptiacæ sapientiæ, imo ne humanæ quidem cujuscunque, intercedere voluit Deus, nisi quatenus inserviret iis quæ mandata sunt accuratissime exsequendis. Exod. xxxi. 6. *Animo cujusque industrii indidi peritiam, ut faciant quæcunque præcepi tibi.* Ita docemur: I. Nihil nobis in re religiosa ex commentis rationis nostræ audendum esse; sed ad Domini præscriptum exigenda omnia. Col. II. 22. 23. II. Omnem rationis nostræ sagacitatem ita submittendam esse Deo, ut quod ipse præscripsit optimum judicantes, non jussa pro nostro unquam arbitrio corrigere, sed ita ut jussa sunt exactissime

Pag:326



ctissime præstare nitamur. *Observabitis ergo atque facietis: nam hæc sapientia & prudentia vestra.* Deut. IV. 6. III. Quum e cœlo des-derit idea, in terris efformanda, eo ipso docetur terrestria illa esse, ουρανίων ὑποδείγματα, EXEMPLARIA COELESTIUM. Heb. IX. 23.

XIV. Nunc PARTES Tabernaculi lustremus, singulas cum suo paratu, ab *exterioribus* orsi, ut paullatim ad *secretiora* perveniamus. primo quidem occurit ATRIUM; cujus delineatio exstat Exod. XXVII. 19. XXXVIII. 9. & seq. Erat locus amplus, subdialis, cingens Ta-rnaculum, (non tamen ita ut Tabernaculum præcise medium occu-ret) formatumque erat ex tapetibus ocellatis e xylino internexo, quidem ut pellucidi essent, plenique foraminibus; quo Israëlitæ, quivis alii foris stantes, cernere possent ea quæ intus agebantur. petes hi appensi erant columnis, quæ stylobatas habebant æreos, instructæ erant uncis & fasciis argenteis. In porta atrii tegumentum at viginti cubitorum ex hyacinthino, & purpureo, & coccineo bapho, & xylino internexo, opere phrygiano. Unde apparet, tima quoque sacri Tabernaculi materia & arte splendida fuisse. XIV. *Atrium.*

XV. Atrium an *unum* numero fuerit, an *plura*, disputatur in-r eruditos. Moses unius quidem meminit, sed illud vix fuit ntæ amplitudinis, ut omnem Levitarum turbam cum suis mini-riis, nedum innumerabilem Israëlitici populi multitudinem, ca-re potuerit: & David de *atriis* Domini aliquoties in plurali lo-itur. Psal. LXV. 5. LXXXIV. 3. XCVI. 8. Cæterum, si hoc in-lligendum non est ex genio linguæ Hebrææ, plurali numero u-ntis ad indicandam rei præstantiam; probabile est, in deserto pri-isque Reipublicæ Israëliticæ temporibus unum duntaxat atrium isse, ubi sacris operabantur sacerdotes cum selectis Levitarum; adstiterint Israëlitæ qui volebant & poterant, video à viris eru-is, harumque antiquitatum sedulis ruspatoribus, in dubium vo-ri. At quum pacatiores in Canaane sedes nacti essent Israëlitæ, Tabernaculum Silunte fixum, ubi non tapetibus solum suis, sed muro cinctum fuisse Hebræorum Magistri tradunt; non est in-dibile *Atrio* illi *Sacerdotum* alterum etiam *populi atrium* junctum sse. Saltem Davidis ætate, conventum populi fuisse in Atrio, dati modo Psalmi evidenter satis probant. In *templo geminum* ad aimum *Atrium* agnoscunt omnes. 2. Chron. XXXIII. 5. 1. Reg. 36. VII. 12. Alterum *Sacerdotum* 2. Chron. IV. 9. alterum *populi*, accessit & *tertium*, certe in templo Herodis, nimirum *Atrium* tium. XV. *Unum an plura.*

XVI.

XVI. *Altare aeneum Holocaustorum*

XVI. Ad *Apparatum Atrii* pertinent ALTARE AENEUM HOLOCAUSTORUM, & LABRUM. Sciagraphiam Altaris habemus Exod. XXVII. 1. 2. & seq. *Materia* erat ex ligno Sittim, sive cedrorum optimarum, quod obduci jubetur aere. *Forma, quadrata*, longitudine & latitudine quinque cubitorum: altitudinem autem trium cubitorum habebat. *Cornua* habebat in quatuor angulis, ut & instrumenta aerea, item cribrum & ratem ex aere, & vectes aere obductos, inserendos annulis aereis, ut portatile esset. Ponendum autem erat sub *dio*, in Atrio, *ante portam tentorii conventus*. Exod. XL. 6. Inserviebat omnibus sacrificiis, quae vel tota vel ex parte in eo comburenda erant: idque non nisi igne sacro, id est, qui e coelo descendit Lev. IX. 24. tanta sedulitate quotidie alendo, ut aeternus videri posset. Levit. VI. 9. 12. In qua tamen re insignis occurrit difficultas. Nimirum, jussit Deus ut Levitae, Altare in itineribus Israëlitarum portaturi, cineres averrerent, expanderentque super illud vestem purpuream, impositis ei omnibus instrumentis ejus, obnubendis tegumento è pellibus melium. Num. IV. 13. 14. Quo pacto autem servari potuit ignis sub duplici tegumento? aut quomodo servato igne combusta non sunt tegmina? Crescit difficultas, si expendatur, iter ejusmodi aliquando plurium dierum continuatione fuisse productum. Judaei hic suo more ad miracula confugiunt, narrantque Divina factum esse omnipotentia, ut & ignis viveret sine alimento & spiramento, sub veste purpurea; & vestis haut secus illaesa maneret, ac si nullum ignem tegeret. Sed uti religio nobis, vel minima haesitatione dubitare de miraculis, quae in sacris memorata invenimus voluminibus; ita nec faciles admodum sumus in iis admittendis, quae non nisi humana, maxime Judaica, id est, sublesta admodum fide, traduntur. Dictu longe credibilius est, tali in casu ignem ab altari remotum & cum cineribus suis lebetibus esse inditum, ibique necessario alimento fotum, donec altari reimponeretur. Conf. Exod. XXVII. 3. Fabulam de igne sacro in specu servato, post excidium templi per Babylonios, & restituto per Jeremiam, erudite refutavit *Reinold. de Lib. Apoc. Prael.* CXXXIII. Erat hoc Altare *locus Refugii*, pro eo qui per errorem peccaverat: quod Hebraei colligunt ex Exod. XXI. 14. sed plurimis restrictionibus limitant, quas qui vult videre poterit apud *Seldenum. De Jur. Nat. & Gent. Lib.* IV. *Cap.* II.

XVII. *Labrum.*

XVII. LABRI sciagraphia exstat Exod. XXX. 18.—21. *Materia* illius pariter uti Altaris erat ex aere. At hoc habebat eximium, quod aes illud collectum esset *e speculis mulierum turmatim convenientium ad portam tentorii conventus*. Exod. XXXVIII. 8. Nimirum

piae

piæ aliquot mulieres singulari pietatis ductu erant צובאות *excubantes*, militiam quandam sacram exercentes circa tentorium: non *Leviticum* hoc, quod nondum structum erat; sed *Mosis*, ubi Deus cum Mose convenire & colloqui solebat. Exod. XXXIII. 7. Uti dein ad Leviticum Tabernaculum statis temporibus turmatim conveniebant ad preces, cæteraque religionis exercitia. Conf. 1. Sam. II. 22. Illæ ergo mulieres pro more seculi habuerunt sua specula ex fuso nitidoque ære, quæ quid decorum aut indecorum in facie esset indicabant, & ad quæ crines, vittas, & si quem præterea habebant capitis ornatum, solebant componere. Specula ista, quæ solius corporis munditiei promovendæ, & fortasse vanitati muliebri inservierant olim, lubenti animo nunc conferebant ad sanctiorem usum, ut sacrum inde conficeretur labrum ad munditiem ministrorum Dei. *Formam* Labri non describit Moses. Sed plus quam probabile est, ita fuisse comparatum, ut in inferioribus partibus epistomia quædam sive fistulas haberet; unde munda aqua identidem quoties opus esset emitteretur. Indecens enim est, ut plurium immundities eadem aqua eluatur; quippe quæ prima lotione jam impurata fuisset. Aqua recens mane semper infundebatur, sive fontana, sive putealis, nihil refert, modo munda & integri coloris esset. *Usus* Labri hic erat, ut Aaron & filii ejus, id est, sacerdotes omnes sacra facturi, manus pedesque lavarent: quod negligendum non erat, nisi capite luere vellent. *Situs* Labri erat inter Altare, & tentorium conventus, ut ad necessarios usus præsto esset.

XVIII. Ex Atrio ipsum attente consideremus Tentorium. Ubi I. se oculis objicit *extimum* Tentorii tegmen, quod מִכְסֶה dicitur, factum ex pellibus arietum rubefactis, & *operimentum* e pellibus melium superne. Exod. XXVI. 14. quod serviebat tegendo tecto, non lateribus. II. Sub his operimentis erat Tentorium, אֹהֶל, constans cortinis undecim factis ex lana caprina, vel ut alii malunt pilis caprarum, & connectendis per ansulas æreas. ibid. vers. 7–13. III. Tunc sequebatur Tabernaculum stricte dictum, מִשְׁכָּן, in quo habitabat Dominus: constans aulæis decem pretiosissimis, e xylino internexo, & hyacinthino, & purpureo, & coccineo dibapho, quæ Cherubinis erant referta, opere artificiosissimo: alligata asseribus arrectariis e lignis cedrorum præstantissimarum, per sua loramenta hyacinthina, & ansulas aureas. ib. v. 1-6. *XVIII. Tentorium cum suis tegminibus.*

XIX. *Partes* τȣ משכן sive *Tabernaculi* stricte dicti iterum duæ sunt. I. Sanctum. II. Sanctum Sanctorum. *Porta* illius loci, qui Sanctum vocatur, oppansum erat *velum*, sive tegumentum, מסך, ex hiacinthino, & purpureo & coccineo dibapho, & xylino in- *XIX. Sanctum, cum suis utensilibus.*

ternexo, opere phrygiano. Sustinebatur hoc tegumentum columnis quinque e cedris lectissimis, obductis auro, cum uncis aureis, at stylobatis æneis. Exod. XXVI. 36. 37. In loco Sancto hæc collocata utensilia. I. MENSA AUREA, cum panibus quos vocant Propositionis, ad Aquilonem. II. CANDELABRUM AUREUM, e regione Mensæ ad Meridiem. III. ALTARE AUREUM SUFFITUS, proxime Sanctum Sanctorum. Exod. XL. 22–26.

XX. *Sanctum Sanctorum, cum suis.*

XX. SANGTUM SANCTORUM erat intima & sacratissima Tabernaculi pars, discreta a *Sancto* per *aulæum* quoddam artificiosissimum, dictum פרוכת, ab Apostolo, *τὸ δεύτερον καταπέτασμα* Heb. IX. 3. impediens ne qui in *Sancto* erant inspicerent in *Sanctum Sanctorum*. Factum ex eadem materia, eademque arte qua exterius illud, & refertum *Cherubinis*, & appensum quatuor columnis è cedris lectissimis, obductis auro, cum uncis aureis, & stylobatis argenteis. Exod. XXVI. 31. 32. Intra velum, erat ARCA, cum OPERCULO PROPITIATORIO, & CHERUBINIS. Exod XXVI. 33. 34. Etiam TABULÆ FOEDERIS, in ipsa Arcæ cavitate Exod. XXV. 16. 1. Reg. VIII. 9. Itemque URNA AUREA cum MANNA. Exod. XVI. 33 & VIRGA AARONIS quæ fronduerat. Num. XVII. 10. Totum denique LEGIS MOSAICÆ VOLUMEN, repositum ad latus Arcæ. Deut. XXXI. 26.

XXI. *Mysteria.*

XXI. Quin sub hisce omnibus insignia lateant MYSTERIA, dubitare non sinunt; I. Natura atque indoles Dei, qui non habitat in domibus manu factis. Jes. LXVI. 1. Act. XVII. 24. 25. II. Sapientia Numinis: qua indignum foret, tam descripte & minute singula præcipere, nisi subessent majora. III. Pauli auctoritas, initio nobis laudata. Heb. VIII. 5. IV. Egregia rerum significatarum cum typo analogia: quæ ex singularum partium industria collatione fiet manifesta.

XXII. *A Judæis explicata, nimis naturaliter.*

XXII. Ne Judæi quidem, quamvis, spiritu soporis perfusi, obstipatos mentis oculos habeant, & Mosis Prophetarumque sacra ænigmata veluti obsignatæ ipsis literæ sint, quas legere atque intelligere nesciant, Jes. XXIX. 10. 11. 12. ipsi, inquam, illi Judæi, cæci, proh dolor! atque amentes, non ignorant sublimiorem quandam sapientiam toto hoc Tabernaculi apparatu doceri. Pro omnibus audiatur *Abarbenel* ספר חכמה עליונה ועְנין נכבד אשר אליו ית שרו, *Libro sapientiæ sublimioris, & rei gloriosæ ad quam ista referantur.* Verum ubi explicanda sublimis illa sapientia est, dici vix potest in quam futiles nænias pleræque illorum commentationes exeant. Multum sibi sapere videntur, quum *Tabernaculum* considerant, uti *Mundi & Naturæ* delineationem. *Sanctum Sanctorum* volunt significare *Mundum Angelicum*, *Sancta*, mun-

Adde Præf. § XXII.

dum



ru Sacro.

terne
quinq
lobati
filiæ.
Aquil
diem.
rum.

XX. *Sanctum Sanctorum, cum suis.*
naculi
dictu
impe
ctum
Cher
ctis a
Intra
RUBI
Arcæ
REA C
Num
situm

XXI. *Mysteria.*
tare n
bus n
nis :
nisi su
VIII
ex sin

XXII. *A Judæis explicata, nimis naturaliter.*
stipat
mata
ciant
lor!
toto

Adde Præf. § XXII.
שרי
ris,
limis
illoru
Tabern
ctum S

XXIII *Aliquanto melius, Politice.*

Calorum visibilium. Atrium, orbem *terrarum. Mensam* cum *Panibus*, XII *signa Zodiaci. Candelabrum* cum VII *Lampadibus*, *Planetas. Quatuor* cortinarum *colores*, *quatuor* Mundi *Elementa.* *osephus* quoque existimavit, dictans τὴν διαμέτρησιν τῆς σκηνῆς μίμησιν τῆς τῶν ὅλων φύσεως γεγονέναι. *Commensurationem ta-culi ad imitationem Universitatis naturæ comparatam esse. Antiq. Jud.* III. *Cap.* v. Profecto qui tam frigide de Tabernaculo philosophan-nihilque hic de Messia, illiusque in populo suo habitatione per :um, cogitant; ii vertunt *Tabernaculum* Dei in *Tabernaculum* *:bi*: neque fidem de Deo multo meliorem habent iis, qui Molo-ι adorant.

XXIII. Paullo probabilior, neque temnenda prorsus, eorum ob-tio est, qui Deum, ut Regem populi Israëlitici, in Tabernaculo veluti in Regio aliquo palatio, habitare voluisse animadvertunt. ιcum dixit Deus, *& facient mihi* מקדש, *Sanctuarium*, *& habitabo dio ipsorum*. Exod. xxv. 8. In quæ Legis verba haut inscite commen-est *Moses Nachmanides*: יעשו בית וכלים כמקדש מלך ובית מלכה ושכנתי בתוכם בבית ובכסא הכבוד אשר יעשו ל *Faciunt domum sa, quasi Sanctuarium Regis, & domum regiam. Et ego in medio ip-ι habitabo, veluti in domo & solio gloriæ, quod facient mihi ibi.* Ve-ιac de re alibi a nobis dictum est copiosius: ubi *Theocratiam* populi itici exposuimus. Nunc Judæos differentes audire juvat: & præ-:eum quem modo laudavi *Abarbenelem*, cujus ad Lev. xxv. 8. hæc it verba. *Sacrarii Dei varia sunt nomina. Tentorium conventus*, *taculum Domini*, *Habitaculum Testimonii*, *& Sanctuarium Domini.* *catur utique* Tentorium conventus, *quia in deserto speciem habuit rii aulæis & asseribus conditi. Vocatur* Habitaculum, מפני שכנת שם הָשם *quia in eo habitabat Majestas Dei. Vocatur* Habitacu-Testimonii, *quia in eo condebantur Liber Legum & Tabula, quæ qui-stimonio fuere inter Israëlitas & Patrem ipsorum cælestem. Vocatur ιe* Sanctuarium, *quia præputiatis atque immundis eo penetrare nefas* Et post pauca. *In Palatio hoc fuere Mensa, & Candelabrum, & ffitus, tanquam res ad ministerium Regis mundi idoneæ. Non quod ιi omnis laus, harum rerum ulla opus sit: Absit ut ita arbitremur. populi animo penitus insideret, in mediis Israëlitarum castris versa-se Dominum Deum ipsorum.* — XXIII *Aliquanto melius, Politice.*

XXIV. At omnium quos vidi Hebræorum plenissime hæc exsecu-est R. Schem Tob ad Mor. Nevoch. Part. III. Cap. XLV. Cujus

 verba

...um. *Atrium*, orbem *terrarum*. *Mensam* cum ...gna *Zodiaci*. *Candelabrum* cum VII *Lampadibus*, ...ior cortinarum *colores*, *quatuor* Mundi *Elementa*. ... existimavit, dictans τὴν διαμέτρησιν τῆς σκηνῆς ... ὅλων φύσεως γεγονέναι. *Commensurationem ta-* ...m *Universitatis natura comparatam esse*. *Antiq. Jud.* ...fecto qui tam frigide de Tabernaculo philosophan... Messia, illiusque in populo suo habitatione per ... ii vertunt *Tabernaculum* Dei in *Tabernaculum* ...n de Deo multo meliorem habent iis, qui Molo-

... probabilior, neque temnenda prorsus, eorum ob... ...m, ut Regem populi Israelitici, in Tabernaculo ...liquo palatio, habitare voluisse animadvertunt. ..., *& facient mihi* מקדש, *Sanctuarium*, *& habitabo* ...l. xxv. 8. In quæ Legis verba haut inscite commen... ...*mides*: יעשו בית וכלים כמקדש מלך ובית ממלכה ושכנתי בתוכם בבית ובכסא הכב... *Facient domum* ...*rium Regis*, *& domum regiam*. *Et ego in medio ip-* ...*in domo & solio gloriæ, quod facient mihi ibi*. Ve... ...obis dictum est copiosius: ubi *Theocratiam* populi ... Nunc Judæos differentes audire juvat: & præ... ...lo laudavi *Abarbenelem*, cujus ad Lev. xxv. 8. hæc ... *Dei varia sunt nomina*. *Tentorium conventus*, ... *Habitaculum Testimonii*, *& Sanctuarium Domini*. ...torium conventus, *quia in deserto speciem habuit* ...*bus conditi*. *Vocatur* Habitaculum, מפני שכנה שם, ... *eo habitabat Majestas Dei*. *Vocatur* Habitacu... ...*quo condebantur Liber Legum & Tabula, quæ qui-* ... *Israelitas & Patrem ipsorum cælestem*. *Vocatur* ... *quia præparatis atque immundis eo penetrare nefas* ... *In Palatio hoc fuere Mensa, & Candelabrum, &* ... *res ad ministerium Regis mundi idonea*. *Non quod* ... *rerum ulla opus sit*: *Absit ut ita arbitremur*. ... *sideret, in mediis Israelitarum castris versa-* ... *rum*.


... quos vidi Hebræorum plenissime hæc exsecu... ... *Nevoch. Part. III. Cap. XLV*. Cujus ... vel

XXIII *Aliquanto melius, Politice*.

verba non pigebit appingere. *Deus*, inquit, *cui laus*, *talem sibi domum condi jussit*, *qualis esse solet domus Regia. In domo regia hac reperiuntur. Alii qui custodiant palatium ejus. Alii qui fungantur officiis ad Regiam dignitatem pertinentibus; qui epulas instruant, aliaque Regi necessaria præstent. Alii denique qui voce quotidie fidibusque canant. Est etiam in domo regia locus ad cibos apparandos constitutus. Item locus ubi odoramenta ei adolentur. Est etiam mensa, itemque conclave ipsi proprium, quo nemo pedem penetrat nisi qui ei secundus est, aut quem in charissimis habet. Eundem ad modum voluit Deus hac omnia ut domo sua inessent: ne qua in re terrarum Regibus concederet. Est enim ille Rex Magnus, ut his quidem rebus non indigeat: verum hinc facile elucet ratio victus familiaris, Sacerdotibus & Levitis dati, utpote quem Rex quisque ministris suis suppeditare solet.* ATQUE HÆC OMNIA EO SPECTABANT, UT INTELLIGERET VULGUS, REGEM, NEMPE DOMINUM EXERCITUUM, INTER NOS VERSATUM ESSE. *Est enim ille Rex Magnus*, *omnibusque gentibus metuendus.* Hactenus Hebræus ille.

XXV. Atrii significatio mystica.

XXV. Fateor non incommode hæc esse annotata. Longe tamen minimam eorum partem absolvunt, quæ occasione Tabernaculi meditanda piis pectoribus sunt. Nos, uti Christianos decet, sublimius aliquanto enitamur: & primo quidem loco ATRII, eorumque quæ Atrio continebantur, significationem mysticam anquiramus. I. ATRIUM figura est *Ecclesia*, secundum *œconomiam* suam *externam*, & *formam visibilem*: qua omnes illi comprehenduntur qui professionem fidei edunt, cultumque externum servant, sive sincere id faciant, sive hypocriticè. Conferri meretur Apoc. XI. 1. 2. Ubi Atrium distinctum a Templo, non metiendum Johanni, sed ejiciendum foras, notare videtur, maximam hominum multitudinem, cujus ambitu Ecclesia comprehendenda esset, quæque sibi ipsi Ecclesiæ esset attributura nomen, dignitatem atque privilegia. II. *Amplitudo Atrii* significare potest futuram dilatationem atque amplificationem Ecclesiæ visibilis. Neque incredibile est huc allusisse Jesaiam Cap. LIV. 2. *Dilata locum tentorii tui*, *& aulaa habitaculorum tuorum extendantur*, *ne cohibeto*: *prolonga funes tuos*, *& clavos tuos confirma.* III. *Asseres* cum appensis sibi *cortinis*, separantes atrium ab illis omnibus terræ partibus quæ exclusæ manebant, notant separationem populi Dei, ab omnibus extraneis, a veri Dei cognitione, cultu, & confœderatione alienis. Num. XXIII. 9. Deut. XXXIII. 28. IV. *Velum* ostio oppansum monuit, non omnibus patere aditum ad Ecclesiam, nisi fidem & resipiscentiam profitentibus; & opus esse reverentia accessuris ad Deum, & sobrietate





Altare holocaustorum, et Lavacrum.

tate in scrutandis mysteriis ejus. V. *Aulæa ocellata*, aut reticulata, arcentia quidem ingressum, at non prohibentia inspectionem, significare possunt, aliqualem rerum Divinarum cognitionem iis quoque concessi, quibus tamen propius Deum adire non est datum: omnibusque ulterius nitendum esse, fidei spei sanctarumque meditationum oculis, quam nunc datur frui. Denique digna sunt quæ appingantur Celeberrimi Interpretis verba: *Atrium ita inclusum, & habens suos aditus, in quo debebat stare Israëlitis significat separationem Israëlitarum a reliquis gentibus, qui in domo Dei versarentur cum spe meliorum, quæ tamen necdum viderant. Nullus enim Israëlitarum unquam vidit ea, quæ vel in primo, vel in secundo tabernaculo fuerunt: Tamen in libris Mosis legebant, quid tabernaculo contineretur. Ita Israëlitæ non ignorabant, quid visuri essent aliquando in terra, & quæ spes ipsis esset reposita in cælis.*

XXVI. Altare æneum holocaustorum, quod in *Atrio* collocatum fuisse memoravimus, omnis fere Scholæ Orthodoxæ consentientibus suffragiis, *Christum* notat, quatenus oblationem sui ipsius pro peccatis electorum sanctificat gratamque facit Deo. Nimirum omnis gratia ac salutis plenitudo in Christo, veluti in caussa sua, abundantissime continetur. Neque in omnibus Ceremoniis Mosaicis ulla fuit, quæ isti plenitudini adumbrandæ sufficeret: imo ne multæ quidem simul sumtæ id valuerunt. Idcirco omnes jungi oportet, ut singulæ conferant quod conferre idoneæ sunt. Idem Christus, & *Sacerdos* est, secundum vim indissolubilis vitæ; & *sacrificium*, secundum humanam naturam, quam obtulit; & *altare*, secundum vim sanctificantem. Matth. XXIII. 19. Atque huc pertinere creditur Apostoli illud Heb. XIII. 10. *Habemus Altare, ex quo non habent jus edendi qui Tabernaculo deserviunt.* Altare hoc quod ex *ligno* esset, atque obductum, non auro, ut Altare suffituum, sed viliore metallo, *ære*, notare potest statum Christi humilem, quando corporis sui oblatione peccata nostra expiavit. *Cornua altaris* quidni notent omnipotentiam ejus, in quo est reconciliatio? qui & ipse eo nomine *cornu salutis dicitur*. 2. Sam. XXII. 3. Luc. I. 69. Ea cornua refugium erant criminosorum. I. Reg. I. 50. Atque ad hunc morem alludere videtur Dei apud Jesaiam oratio. Cap. XXVII. 5. *Sin prehendet robur meum, facturus pacem mecum, pacem fecerit mecum.* Saltem ostendunt hæc cornua, Christum paratum esse qui ab animo anxio, & vindictam Dei serio fugiente, apprehendatur, idque ob solam suam χρηστότητα, benignitatem ac gratiam. Ideo *cornua ex ipso altari* erant. Jes XLVIII. 9. 11. *Situs* Altaris, in Atrio,

XXVI. *Altaris antitypus.* *Adde Præfat.* §. XXIII.

in Atrio, extra Tabernaculum, collocati, ante ostium tentorii conventus, non solum ad decus atque munditiem spectabat, ne sanctuarium quotidie cruore, fumo, cineribus turparetur: sed & figura erat oblationis Christi, publicè, in omnium conspectu, peragendæ. *Ignis sacer*, e cœlo descendens, jugiterque asservandus, est emblema *Spiritus æterni*, quo Christus *semet ipsum obtulit inculpatum Deo.* Heb. IX. 14. Hic est ille spiritus, qui victimas omnes sanctificat & acceptas facit Deo. Rom. XV. 16. *Ut oblatio gentium fiat accepta, sanctificata per Spiritum Sanctum.* Sine eo quidquid offertur, quantacunque id fiat zeli specie, profanum est, & abominabile. Jes. L. 11. *En vos omnes accendentes ignem, circumcingentes malleolis: ite in focum ignis vestri, & in malleolis quos succendistis. E manu mea est hoc vobis, in dolore jacebitis.*

XXVII. *Ritus illius expiandi.*

XXVII. Dignus etiam consideratu est ritus *expiandi Altaris*, præscriptus Exod. XXIX. 37. 38. Expiandum fuit I. Mactatione juvenci. II. Aspersione sanguinis. III. Unctione olei sacri. Sic factum est *res Sancta Sanctorum*, adeo ut quidquid tetigerit sanctum fieret. Expiatio supponit peccatum: at quo peccato laborabat Altare, cujus nullus hactenus fuerat usus? Certe confectum erat ab hominibus, quorum neque manus neque mens satis erant puræ. Idcirco illud expiari primum voluit Deus, antequam sacris adhiberetur. Ut eo convincerentur Israëlitarum animi, non posse id veram expiationem præstare, quod a prima sui origine pollutum expiari necesse habebat: sed ad eum esse recurrendum qui virtute Altissimi satus, & Spiritu Dei conceptus, Sanctum illud est κατ' ἐξοχήν, nullius expiationis indigus. Atque ita Altare hoc in se consideratum pertinebat ad *egena mundi elementa*; neque hac parte figurabat Christum, sed opponitur Christo. In eo tamen figura est, quod contactu suo sanctificaret ea quæ ipsi admovebantur. Id enim ad Christum pertinet, non aliqua ceremoniali unctione id adeptum, ut oblationes nostras & vota, imo nosmet ipsos sanctificaret, sed ex plenitudine illa Spiritus, qua perfusus est, ut & nos inde acciperemus quantum ad sanctificationem nostram sufficit.

XXVIII. *Labri mysterium.*

XXVIII. LABRUM etiam pertinuisse ad eam animarum purificationem quam ex spiritu Christi habemus, ecquis dubitet? Christus est *fons* ille *apertus domui Davidis, & habitatoribus Hierosolymæ, pro peccato, & pro separatione ex immunditia.* Zach. XIII. 1. *Pedes* & *manus* symbola actionum nostrarum sunt; eos quum tam sollicite ab omnibus lavari voluerit Deus, ut mortis pœnam secus facientibus comminatus sit; docemur, in cultu Dei requiri actionum omnium, tam externarum, quam internarum, puritatem. Jes. I. 16. Ps. XXVI. 6. 2. Cor. VII.

vii. 1. Neque contemnenda est *Gregorii allegoria*, *Homil.* xvii. *in Evang.* observantis; Labrum æneum ex *speculis mulierum* esse factum, quo pœnitentiam significari vult. Ut per *speculum Lex* intelligatur, quæ maculas detegit. Jac. 1. 23. 25. per *labrum* autem & *aquam* eo contentam, *compunctio* & *lacrumæ*. *Situs* labri prope *Altare Holocaustorum*, in mentem nobis revocat conjunctionem sanguinis & Spiritus Christi, illius ad justificationem, hujus ad sanctificationem: quarum illi significandæ inserviebat Altare cum sanguine victimarum; huic, Labrum cum sua aqua.

XXIX. Ex Atrio pedem penetremus in Tabernaculum: sed non nisi ea reverentia, quæ sacratissimis illis sacris debetur. Ita hæc mysteria lustrantes, ut a generalioribus orsi ad specialiora paullatim descendamus. *Generalissimum* omnium, quod significare *tabernaculum* potuit, est gratiosa *inhabitatio*, & præsentia Dei *in Israële*. Exod. xxix. 45. 46. Cui accessura & altera *habitatio Dei in Christo*, & per *Christum* in *populo*. De qua Jes. viii. 14. Dominus, qui utrique domui Israëlis offendiculum est, fiet לְמִקְדָּשׁ *in Sanctuarium*. Zach. ii. 14. Joh. 1. 14. Apoc. xxi. 3. XXIX. *Ipsiusque Tabernaculi.*

XXX. *Specialius notat* I. Humanam naturam Christi, quæ & Templum vocatur. Analogia est; I. Uti in tabernaculo *umbratice*, ita in Christo *habitat tota plenitudo Deitatis corporaliter*. Col. ii. 9. II. Uti tabernaculum *extra vile*, *intus pretiosum* erat: ita externa Christi forma contemtibilis oculis carnis videbatur. Jes. liii. 2. 3. Phil. ii. 7. Rom. viii. 3. Ps. xxii. 7. Interna autem, oculis fidei cernenda gloriosissima est. Joh. 1. 14. 2. Pet. 1. 17. Heb. 1. 3. III. Uti in tabernaculo erat *Divinum alloquium*: ita per Filium nos compellat Deus. Heb. 1. 1. Qui ideo *Verbum* dicitur, quia Patrem nobis ἐξηγήσατο. Joh. 1. 18. IV. Uti tabernaculum *solutum* iterum *erigebatur*, tandemque inferebatur in *templum*, ibi quieturum: ita Christi corpus, solutum morte, tertio die resuscitatum, Joh. ii. 19. & postea ad æternam requiem in cœlum susceptum est.

XXXI. II. Ecclesiam electorum. Nam I. Ea quoque *Domus Dei est*. 1. Tim. iii. 15. 1. Pet. ii. 5. 1. Cor. iii. 16. In qua se Deus habitaturum promisit. 2. Cor. vi. 16. Matth. xxviii. 20. II. Uti tabernaculum *variis* constabat *partibus*, *inæqualis* admodum *dignitatis*, attamen affabre junctis, per sua loramenta, & annulos: ita Ecclesia collecta est ex hominibus omnis ætatis, sexus, nationis, linguæ, conditionis, disparibus admodum in officiis & donis, attamen eodem Spiritu, fide, caritate junctis; & concinno ordine dispositis. Psal. cxxii. 3.


III.


III. Uti in Tabernaculo, ita in Ecclesia etiam est *revelatio Dei.* Rom. XVI. 25. 26. I. Cor. II. 9. Eph. III. 10. *IV.* Uti tabernaculum, ita & Ecclesia, *extra*, quoad conditionem in seculo & persecutiones, *vilis.* I. Cor. I. 26. *intus decora* est. Ps. XLV. 14. Cant. I. 5. 6. *V.* Uti tabernaculum, ita Ecclesia in mundo *incertis* vagatur *sedibus*, donec inferatur sacrario cœlesti. *VI.* Uti tabernaculum *solutum*, iterum *tendebatur*: ita & corpora fidelium morte soluta, resuscitabuntur ad gloriam. I. Cor. XV.

XXXII. MATERIA Tabernaculi, a Deo selecta, sine dubio etiam utilis est, ad aliquid de veritate docendum. Sed nos singula nondum assecuti sumus. Proxime ad verisimilitudinem hæ Doctissimi Interpretis cogitationes accedere videntur. *Byssus*, sive linum cortinarum, & *cedrini asseres* notare videntur humanitatem Christi, juxta quam est *fructus terræ.* Jes. IV. 2. Colori cortinarum *hyacinthino* respondet gratia Christi, qua nihil suavius menti: ut colore cœli nihil oculis, ob temperatam lucem, jucundius. *Purpureo*, qui non fulget, externa & apparens humilitas. *Coccineo*, sanguis Christi. *Tegmina ex animalibus* sumta, notant tabernaculi hujus conservationem per mortem, & quidem ejus qui se victimam offert, & in oblatione animalibus istis adsimilatur. *Bases* argenteæ, quæ tabulas tabernaculi erectas sustinent, significant τὸ δικαίωμα Christi, in quo omne Dei inter peccatores habitaculum fundatur.

XXXIII. *Et Sancti.* XXXIII. Nunc ad interiora Tabernaculi pergamus, ubi primo occurrit locus ille qui SANCTUM nuncupatur. Id fuit figura *Ecclesiæ militantis* in terra. Analogia est. I. In nomine, Nam & Ecclesia Dei *Sancta* est. I. Cor. III. 17. 2. Cor. VI. 14. — I. Pet. II. 5. Eph. V. 27. Ita tamen ut illius sanctitas inferioris ordinis sit quam Christi & Ecclesiæ triumphantis: uti *Sanctum* minus erat *Sancto Sanctorum.* Phil. III. 12. II. Sanctum *velo* suo, eoque ex *præscripto Dei* facto, *opere artificiosissimo*, *sejunctum* erat ab *Atrio.* Ecclesia *sejuncta* est a *mundo.* Rom. XII. Cant. IV. 12. Non futilibus quibusdam gesticulationibus, aut ἐθελοθρησκείαις; sed *præceptis Dei*, & *pietate inimitabli.* III. In Sanctum intrandi jus habebant omnes suo ordine *Sacerdotes*, modo legaliter *impuri* non essent. Ad Ecclesiæ privilegia jus habent omnes sine discrimine fideles, qui *cordis manuumque puritati* student. Ps. XXIV. 4. Hos enim omnes Christus Deo *Sacerdotes* fecit. Apoc. IV. 10. I. Pet. II. 5. juxta Jes. LXI. 6. IV. In Sancto Sacerdotes *ministrabant Deo.* Heb. IX. 6. In cœtu fratrum cultus ipsi gratus offertur. Ps. XLII. 5. Heb. X. 25. V. In Sancto & *lux erat* & *panis.* Utrumque

Dei





Candelabrum, et Altare Aureum, Mensa aurea, cum Panibus.

Dei gratia praestat Ecclesiae, lucem, ad quam videat, ambulet, operetur: panem, ad satietatem. VI. Nulla *via* ad *Sanctum Sanctorum* erat nisi per *Sanctum*. Nulla est ad *statum gloriae* nisi per *statum gratiae*. Heb. XII. 14.

XXXIV. In Sancto erat MENSA AUREA cum DUODECIM PANIBUS. Ea describitur Exod. XXV. 23. — *Materia* erat partim ex cedro optima, partim ex auro cedrum incrustante. Ad *formam* pertinet, quod coronam & limbum aureum haberet: & vectes ex ligno cedrino, auro obductos, inserendos quatuor annulis, quibus portari poterat. Omnia etiam mensae istius *utensilia* ex *auro* facienda erant puro. Imponendi ei *panes duodecim*. Lev. XXIV. 6. singulis *Sabbatis disponendi*, dein *edendi* ab *Aarone* & *filiis ejus*, ut Sanctitas Sanctitatum, idque *in loco Sancto*. ib. vers. 8. 9. XXXIV. *Mensa aurea.*

XXXV. Et haec quoque *Messiam* significant, qui suis & *panis vitae* est. Joh. VI 48. 51. & insimul *Mensa*, quippe in quo omnis Divinae gratiae suavitas confertur nobis atque proponitur. Joh. I. 16. 17. XXXV. *Illius mysterium.*

XXXVI. Sed specialius MENSA figura est *verbi Evangelici* & *Sacramentorum*, in quibus Christus exhibetur fidelibus. 1. Cor. X. 21. *Aurea* ea fuit, cum omni suo apparatu; quia Christus ipse & verbum ejus atque sacramenta, utut hominibus hujus mundi vilia videantur, omnibus tamen mundi gazis infinities pretiosiora sunt. Matth. XIII. 44. 45. Phil. III. 8. Magnus olim Romanorum circa mensas fastus, circa cibos luxus fuit. De illo *vid. Plin. Lib.* XIII. *Cap.* XV De hoc *Lipsi. de Magnit. Rom. Lib.* IV. *Cap.* VII. Sed incredibilis illa protervitas merae nugae sunt, ad spiritualem hunc & coelestem apparatum: cujus vel minima mica nullis Persarum gazis redimenda. Memorabilis est sacra illa Mensa quam ad Coenae Dominicae celebrationem *Justinianus* Imperator fecit, & in Ecclesia S. Sophiae, quae apud Constantinopolim est, dedicavit. Eam *Cedrenus* his describit verbis: *Tunc fecit & sacram mensam, ἔργον ἀμίμητον, opus inimitabile. Ex auro enim & argento & lapide omnis generis, & ligno & metallo, & aliis speciebus, quaecunque fert terra & mare & universus orbis. Quum ex omnibus collegisset, quae quidem optima sunt & pretiosissima, largius, quae vero minoris pretii, parcius; fusilibus fusis arida in hac injecit. Atque eam in typum infusam perfecit, unde tam varia apparuit, ut intuentes in stuporem conjiceret.* Circa mensam legebatur haec inscriptio. ΤΑ ΣΑ ΕΚ ΤΩΝ ΣΩΝ ΣΟΙ ΠΡΟΣΦΕΡΟΜΕΝ ΟΙ ΔΟΥΛΟΙ ΣΟΥ, ΧΡΙΣΤΕ, ΙΟΥΣΤΙΝΙΑΝΟΣ ΚΑΙ ΘΕΟΔΩΡΑ, Α ΕΥΜΕΝΩΣ ΠΡΟΣΔΕΞΑΙ ΥΙΕ ΚΑΙ ΛΟΓΕ ΤΟΥ ΘΕΟΥ. TUA EX TUIS TIBI OFFERIMUS SERVI TUI, CHRISTE,

JUSTINIANUS ET THEODORA: QUÆ BENEVOLE ACCIPE, FILI ET VERBUM DEI. Non improbo hanc grati animi testificationem, & affectum pietatis. Dubito tamen an tam pretiosa mensa satis consultum fuerit simplicitati rei Christianæ. Cujus pretium non in externo aliquo apparatu statuendum est, sed in rerum spiritualium & arcanarum, quæ non nisi mente ac fide conspiciuntur, inæstimabili præstantia. Sed redeo ad Mosaicam mensam, quæ *Coronâ* etiam cincta erat *aurea*. Quia apparatus prorsus Regius. *Panis potentum*. Psl. LXXVIII. 25. *Instructa omni apparatu necessario*, quia per Christum nobis non Divinæ solum gratiæ dulcedo offertur, sed & ea quibus hanc gratiam acceptare, & in usum nostrum convertere queamus. Et gratiam suam nobis offert, & fidem confert qua recipimus gratiam. Prædita erat *annulis* & *vectibus* ad portandum. Christus enim in Evangelio e loco in locum transit, ut omnes ditionis suæ partes invisat.

XXXVII. *Et panum propositionis.* XXXVII. PANES XII ERANT, pro numero tribuum Israëlis. Christus enim toti Ecclesiæ suæ ad cibum abunde sufficit. Omnia in omnibus. Col. III. 11. Hi, uti *sacrificium ignitum*. Lev. XXIV. 7. repositi erant *coram facie Dei*. Quia virtus sacrificii Christi continuo coram Deo est, Heb. IX. 24. *Singulis Sabbatis* a Sacerdotibus reponi debebant recentes. Christus frequenter nobis per Evangelii præconium rememorandus est: nunc hoc, nunc illo modo proponendus, modo nude, aliquando, uti olim, involutus cerimoniis, ut semper velut recens cibus palato nostro gratissimus sit. Conf. Matth. XIII. 53. Imprimis id fieri oportet singulis diebus dominicis: qui ut ab ipso denominantur, ita & ipsi, inque illius memoriam, nobis sacri esse debent. Nam & ipse se eo die Johanni videndum luculenter exhibuit. Apoc. I. 10. Quod nemini his panibus vesci fas erat, præter quam *Sacerdotibus* solis, notat, neminem cum Christo communionem habere, nisi qui Deo ministrant, se a mundo segregant, & corpora sua numini offerunt. 1. Cor. X. 21. Quod non nisi in *Sancto loco* erant comedendi, docet, omnia quæ ad Christum pertinent sancte habenda esse. 1. Cor. XI. 27. 28. 29.

XXXVIII. *Candelabrum aureum.* XXXVIII. Mensæ e regione ad partem Borealem oppositum erat CANDELABRUM. Cujus sciagraphia est Exod. XXV. 31. *Materia* erat aurum solidum, talenti integri, quod sexaginta librarum est. *Forma* talis, ut sex rami ex ipso lychnuchi scapo prodirent, singuli cum tribus lancibus, amygdalæ speciem referentibus, uno malo, & flore. In toto candelabro *septem* erant *Lampades*, ardentes oleo olivæ puro,

paro, de quo Cap. xxvii. 20. 21. Accedebant *forcipes* & *trulla* ex *auro*, ad auferendum excrementa lychni. Sacerdotum erat, singulis eum *vesperis accendere*. Lev. xxiv. 2. 3. & *mane extinguere*. 1. Sam. iii. 3.

XXXIX. Ad *mysterium generatim* pertinet hæc observatio: quod Deus passim in administratione fœderum suorum symbola *lucis*, ad cognitionem, & *cibi* ad nutritionem conjunxerit. In primo; Arbor Scientiæ & Vitæ. In deserto; columna ignis & Manna. Hic, Candelabrum & Mensa. In T. N. Baptismus, φωτισμὸς dictus Veteribus, & Sacra Cœna. Utraque re quam maxime indigemus. Alimento ad vivendum, Lumine, ad sapienter operandum. XXXIX. *Illius mysterium*.

XL. *Specialius*: Candelabrum est figura *Ecclesiæ*, quæ Christi lumine illustrata, idem etiam aliis præfert. Apoc. i. 20. ii. 5. Zach. iv. 2. Fideles non solum illuminati sunt, sed & Lux. Eph. v. 8. Lucentes tam lumine *sapientiæ* Dei, quæ per Ecclesiam ipsis Angelis patefit. Eph. iii. 20. quam splendore *Sanctitatis*. Matth. v. 16. Utrumque jungitur Phil. ii. 15. 16. Sed sciendum est, lucem hanc Ecclesiæ mutuatitiam esse, quam a se non habeat. Joh. i. 8. 9. Est *candelabrum*, non *Sol*. Apoc. xii. 1. Vestita Sole, coronata corona xii. stellarum. Lux ei omnis a Christo, *qui est Oriens ex alto*, Luc. i. 78. communicata per Apostolos.

XLI. *Materia*, quæ est *aurum*, notat I. *Participationem naturæ Divinæ*. 2. Pet. i. 4. Nam aurum in his sacris emblema Deitatis & æternitatis Christi est. II. *Præstantiam* Fidelium. Thr. iv. 2. nominatim præstantiam *Sapientiæ*. Job. xxviii. 15. Prov. iii. 14. *Fidei*. 1. Pet. i. 7. *Sanctimoniæ*. 1. Pet. iii. 3. 4. Earum enim rerum respectu Candelabrum est.

XLII. Oleum est Spiritus Sanctus 1. Joh. ii. 27. Fatuæ quoque Virgines habebant lampades; sed sine oleo. Homines irregeniti, Christum profitentes, cognitionem quidem aliquam mysteriorum Dei habent, sed non vividam eam quæ est a Spiritu Sancto, ideoque nec veram. Manent enim fatui. Matth. xxv. 3. Nulla humana solertia lumen hoc acquiritur. 1. Cor. ii. 14. Qui sui se ignis scintillis cingunt, cubabunt in dolore Jes. l. 11. Est quidem omnis illuminatio a Spiritu Sancto ut Deo. Job. xxxv. 10. 11. singulari aliquando modo etiam in operante. Heb. vi. 4. Attamen id demum pro pretioso & sacro æstimandum est oleo, quod a Spiritu Sancto, ut Spiritu Christi, est: neque illuminat solum, sed & sanctificat. Id Zach. iv. 12. *aurum* vocatur.

XLIII. *Sex rami, ex uno scapo* prodeuntes, & VII. *Lampades*, sunt particulares Ecclesiæ, sua singulæ luce conspicuæ: ejusdem universalis Ecclesiæ membra, cum qua, uno Spiritu junctæ, unum & individuum totum constituunt. *Lances*, autem, & *mala*, & *flores*, & *forcipes* &c, varia Ecclesiæ ministeria notant, quibus decora reddatur. I. Cor. XII. 28. Eph. IV. II. 12. Rom. XII. 6. – 8. Ea autem, licet *vilia* videantur mundo; *aurea* tamen sunt, & pretiosa apud Deum. Ps. LXXXIV. II.

XLIV. Candelabrum *sub vesperam accendebatur*. Sub vesperam mundi lux oritura erat lucidior. Jer. XXX. 24. Dan. XII. 4. *Noctu* solum lucebat, *mane* extinguebatur. Quo significari videtur. I. Quamdiu typici istius candelabri usus obtinebat, noctem adhuc esse, nondum advenisse diem promissum. Usque ad Christum nox erat: non gentilibus solum, sed & Judæis. Ea cum adventu Christi præteriit. Rom. XIII. 12. Exorta luce, extinguendum illud candelabrum erat: omnisque Leviticus cultus debebat cessare. II. Omnem Ecclesiæ illuminationem per ministerium verbi, adstrictam esse hujus vitæ statui, cessaturam cum exortu luminis gloriæ. Utroque modo intelligi potest Petri illud 2 Pet. I. 19.

XLV. *Sacerdotum* erat, quotidie *lampades accendere*. Id partim ad summum Pontificem nostrum, Christum, spectat, continuo luminis influxu in suos radiantem: Jes. XLIX. 6. Luc. II. 32. partim ad Ministros, quibus incumbit, & doctrinæ Sacræ perspicuitate, & vitæ exemplari Sanctitate, lucem Ecclesiæ promovere, itemque disciplinæ legitimo usu, omne illud removere, quod splendorem istum offuscat. Zach. IV. 3. 13. per duas olivas, duo Filii olei, i. e. duplex ordo unctorum, Prophetæ & Apostoli, intelligi videntur.

XLVI. *Altare suffitus.* XLVI. Sequitur nunc ALTARE SUFFITUS, cujus Sciagraphia exstat Exod. XXX. I. – IO. In qua nota I. *Materiam*, quæ erat cedrus optima, obtecta auro. vers. I. 3. II. *Formam*. Quadratum esse debebat. vers. 2. cum cornibus ex eo prodeuntibus, annulis aureis, vectibus &c. 2. 3. 4. 5. III. *Situm*. Collocari debebat ante velum intimum, ante propitiatorium. vers. 6. IV. *Usum*. Qui proponitur θετικῶς, *I*. Quoad *rem*. Aaron succendet in eo *odoramenta*. vers. 7. *II*. Quoad *tempus*. *Mane*, præparatis, i. e. mundatis, lampadibus. *Vesperi*, quum accendendæ essent. Idque *quotidie*. vers. 7. 8. Ἀρνητικῶς, non *odoramentum peregrinum*, neque *holocaustum*, aut *munus*, aut *libamen*. vers. 9. Duntaxat semel quotannis aspergenda erant cornua sanguine sacrificii pro peccato, die expiationis.

XLVII

XLVII. Hoc quoque Altare *generatim* significat *Christum*. Heb. xiii. 10. qui uti semet ipsum obtulit Deo εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Eph. v. 2. ita jugiter suavissimis suis precibus pro nobis intercedit. 1. Joh. ii. 1. nostrasque preces gratas facit Deo. Joh. xvi. 24. Uti hoc altare distinctum est ab *altari holocausti*, quod erat in atrio, extra velum exterius, Exod. xxvii. 1.—ita eundem quidem Christum notabat, attamen diverso adspectu. Illud Christum spectabat, ut se pro peccatis nostris in cruce *offerentem*. Hoc, ut pro nobis *intercedentem*. XLVII. *Hujus mysterium.*

XLVIII. *Lignum* hujus altaris, humanitatem Christi, *aurum*, æternitatem & Divinam præstantiam significare idoneum est. Altare holocausti erat tectum *ære*. Quia Christus, dum se pro peccatis nostris offerebat prorsus in statu humiliationis erat. Heb. ix. 26.—28. Hoc obductum est *auro*; quia intercessio ejus plena Majestatis est, maximeque peragitur in statu gloriæ. Rom. viii. 34. Heb. 1. 3.

XLIX. *Forma*, *quadrata*, & ubique similis, notat, Christum *eundem esse heri & hodie, & in secula Heb.* xiii. 8. & ex quatuor mundi partibus ad eum accedentibus æque obvium. Jes. xlv. 22. *Vectes*, quibus de loco in locum portari poterat, significant, Christum Ecclesiæ suæ omni loco adesse. Matth. xviii. 20. xxviii. 20. etiam in insulis. Apoc. 1. 9. in fornace. Dan. iii. 25. 28. in fovea. Dan. vi. 23. in carcere, Act. xvi. 25.

L. *Situs* hujus Altaris in intima parte *Sancti* est, ubi nefas erat populum introspicere, sed soli versabantur Sacerdotes. Quum e contra *altare holocausti* in *atrio* omnium oculis esset expositum. Christus, in cruce se offerens festo Paschatis, a toto videbatur populo, sed preces pro suis fundens, etiam in hac vita, in locum secretum secedebat, in montem, Matth. xiv. 23. Luc. xxi. 37. Et post oblationem suam non debebat cerni a populo qui ipsum crucifixerat, esse tamen in medio illorum quos expiaverat. Act. x. 41.

LI. *Odoramenta* significant. I. *Intercessionem Christi*. Quæ oblatione ejus nixa gratissima Deo Patri est: & continua ac jugis. II. *Preces & gratiarum actiones Sanctorum*. Apoc. v. 8. Ps. cxli. 2. De quibus docemur. *I.* Eas debere *quotidianas* esse, mane & vesperi. Ps. lv. 18. Dan. vi. 11. Col. iv. 2. *II.* Non nisi *juxta voluntatem Dei*. 1. Joh. v. 14. *III.* Accensas quidem *igne zeli*. Rom. xii. 11. sed non *peregrino*. Jes. l. 11. *IV.* Sine præsumptione propriorum *meritorum*, nixas sola Christi dignitate ac merito. In hoc enim altari propitiatoria offerre nefas erat. Christus solus preces nostras gratas facit Deo, tam *merito* suo (id significabat sanguis aspersus altari quotannis) quam *intercessione*, conf. Apoc. viii. 3.

LII. *Myſterium Aulæi interioris.*

LII. Accedamus nunc ad AULÆUM INTERIUS, quod Sanctum Sanctorum a Sancto diſcriminabat. De cujus ſignificatione magna poſſumus cum fiducia differere, quum præiverit hic nobis Paulus. Tria ergo ſignificabat. I. *Cœlum viſibile*, per quod tranſiit Dominus Jeſus. Heb. IV. 14. quodque ſpes fidelium, Jeſum inſecuta, penetrat. Heb. VI. 19. 20. Nam *I.* Sicut velum hoc ea quæ intus erant occultabat; ita viſibiles cœli, viſionis noſtræ terminus, occultant ea quæ intus ſunt, ne ὀφθαλμοφανῶς cernere valeamus. Gloriam ſuam Deus ſupra cœlos poſuit. Pſ. VIII. 2. Vita noſtra adhuc occulta eſt cum Chriſto in Deo. Col. III. 3. Ut cœleſtia cernamus, aperiri & diduci cœlum neceſſe eſt. Apoc. IV. 1. *II.* Præterea, velum, quod materia & arte eximium erat, ſuſpicandum dabat intuentibus, interiora multo præſtantiora eſſe. Cœlum hoc viſibile plurima fabrefactum arte Pſ. VIII. 4. XIX. 2. cogitationes nobis injicere debet de præſtantia ſuperioris palatii, cujus hoc extimum & infimum ſolum eſt. *III.* Denique, uti aulæum, in deportatione tabernaculi, ſæpiuſcule complicatum, tandem exſtructo templo ſine uſu fuit, & cum templo prorſus periit; ita etiam viſibiles hi cœli aliquando velut veſtis complicabuntur. Pſ. CII. 27. & cum ſtridore præteribunt. 2. Pet. III. 10. 12. Quando Deus totum univerſum ad auguſtius gloriæ ſuæ templum reformabit.

LIII. II. *Ceremonias legis*, quibus myſteria Evangelii plurimum tegebantur. Nam uti exterius velum plebem, ita interius hoc Sacerdotes ipſos ab intuitu arcanorum & familiari acceſſu ad Thronum gratiæ arcebat. Eodem faciebat velum faciei Moſis impoſitum. 2. Cor. III. 13. Duplex erat cerimoniarum uſus. I. *Adumbrare* & præfigurare Chriſtum. Col. II. 17. & hactenus erant magnum privilegium Eccleſiæ Iſraëliticæ præ gentilibus. Jeſ. XLII. 21. Hoſ. VIII. 12. Rom. IX. 4. II. *Involvere* obſcuritate ſua promiſſa gratiæ. Nam plerique in cortice hærentes ad nucleum non penetrabant: fideles nil niſi obſcure cernebant, & per nebulam. Et hactenus cerimoniæ erant ἥττημα Antiquæ Eccleſiæ præ nova.

LIV. III. *Carnem Chriſti.* Heb. X. 19. 20. A. Uti velum tegebat gloriam Jehovæ intus latentem; ita aſſumta forma ſervi, gloriam Divinitatis Chriſti. Phil. II. 6. 7. Tanta enim hæc erat humilitas, ut Judæis ſcandalum, gentibus ſtultitia eſſet. 1. Cor. I. 23. B. Uti velum pretio tamen ſuo & arte nequaquam carebat; ita etiam caro Chriſti ſancta fuit & ἀμίαντος. Heb. VII. 26. Non Cherubinorum ſolum, id eſt, Angelicæ Sanctitatis, ſed & Divinæ imagine picta. Examuſſitatum omnis ſanctimoniæ exemplar. C. Uti in velo Cherubini, ita circa

Chriſtum



cum Cherubinis, Urna Mannæ Lege et Virga Aaronis.



Christum hominem frequenter volitaverunt Angeli. In nativitate. Luc. II. 13. Post tentationem, Matth. IV. II. In Agone. Luc. XXII. 43. In sepulcro. Matth. XXVIII. 2. D. Uti non nisi per velum, & id quidem diductum, aditus erat ad sanctuarium; ita non nisi per carnem Christi, eamque morte frangendam, aditus in coelum datur. Non quod ante mortem Christi nulli sint servati, sed quod non nisi per & propter eam. Heb. II.9. 10. IX. 15. Unde etiam Christo moriente τὸ καταπέτασμα ruptum, Matth. XXVII. 51. impedimenta omnia sublata, coelum ipsum omni genti apertum est.

LV. *Sancti Sanctorum*

LV. SANCTUM SANCTORUM typus *supremi coeli* fuit. Heb. IX. 24. Ibi enim I. perfectissima sanctitas. Jes. LXIII. 15. II. Dei Thronus. Jes. LXVI. 1. III. Incredibilis gloria. Ps. VIII. 1. cui nullum hujus loci aurum aequiparari potest. IV. Res per *arcam*, *propitiatorium*, & *Cherubim*, caeteraque quae iis aderant, significata. Heb. XII. 22. 23. 24.

LVI. *Arca Foederis.*

LVI. Sed & haec aliquanto propius lustremus. ARCÆ structura describitur Exod. XXV. 10. *Materia* erat ex ligno *Sittim*, sive Cedrorum praestantissimarum. Lignum illud in *cistae formam* adaptatum, extrinsecus & intrinsecus purissimo erat obductum auro. *Longitudo* erat duorum cubitorum cum dimidio, *latitudo* sesquicubiti. Cincta erat limbo aureo. Impagibus inditi *quatuor annuli aurei*. Iis inserebantur *duo vectes*, facti quidem ex ligno Cedrino, sed obducti auro: quibus quo necessitas exigebat ferri posset. *Humero* enim ferri debebat: *currui* imponere non licuit. 1. Chron. XIII. 7. & seq. coll. cum XV. 12. 15. Ita autem a Levitis portatam fuisse Hebraei asserunt, ut qui portabant faciem utrimque versus arcam haberent, nulli dorsum.

LVII. *Tabula Testimonii in ea condita.*

LVII. *Usus* arcae erat, recondendo *testimonio*. Quo intelliguntur *Tabulae Foederis*, quae & *Tabulae Testimonii* dicuntur. Exod. XXXI. 18. Quia nimirum testimonium erant Foederis, Deum inter & Israëlem initi: quo Deus suam testabatur voluntatem, cui Israëlitas morem gerere jubebat; Israëlitae autem suam alacritatem, qua obedientiam fuerant polliciti. Hinc & ipsa arca, *arca Testimonii* dicitur. Exod. XXX. 6. Et universum adeo Tabernaculum inde nomen habet. Erant autem non illae Tabulae, quas prae sancta ob violatum foedus indignatione fregerat Moses, Dei olim manu factae: sed quas prioribus similes ex Dei mandato edolaverat Moses, inscriptae ab ipso Deo iisdem quibus priores verbis. Nam quod nonnulli pugnant, fragmenta priorum tabularum, aut sola, aut cum posterioribus juncta, in Arca reposita fuisse; id non solum praeter, sed & contra scripturam est,

Sec

Sic enim verba Mosis habent Deut. x. 12. *Tempore illo edixerat Jehova mihi, dola tibi duas tabulas lapideas sicut illæ priores erant, & adscende ad me in montem, faciesque tibi arcam ligneam: ut inscribam istis tabulis eadem verba quæ fuerant in tabulis illis prioribus quas fregisti:* DEINDE PONAS EAS IN ARCA ILLA. Nisi fortassis illud intelligendum sit, quod & Viros Doctissimos velle video, de alia arca, mere lignea, citra ullum auri tegumentum, in qua repositæ fuerint tabulæ secundæ scripturæ, donec altera, auro undique tegenda, a Basaleële confecta fuit. Porro nihil in arca erat, saltem tempore Salomonis, præter duas tabulas lapideas quas collocaverat ibi Moses apud Horebum. 1. Reg. VIII. 9. Prioribus quid factum sit, scriptura tacente, haut inviti ignoramus.

LVIII. O- *perculum Propitiatorium cum Cherubinis*

LVIII. Præterea *operculum propitiatorium* ex puro auro impositum erat Arcæ. Et duo *Cherubini aurei*, ex ipso operculo continenti opere facti, obtegebant illud alis suis, ita faciebus sibimet invicem obversis, ut proni simul spectarent propitiatorium. De forma Cherubinorum magna inter interpretes lis est. Si cui lubeat, is videre potest quæ de ea re non indiligenter disserui, *Ægyptiacorum Lib.* II. *Cap.* XIII. Id unum constat, fuisse animantia volucria: at cujus speciei, quot alis, quot faciebus prædita, & quæ reliqui corporis forma fuerit, altum est apud Mosen silentium. Ideoque fortassis omnium erit optimum, modestam hic profiteri inscitiam. Prudenter *Josephus* eos ita definivit, *Antiq. Lib.* III. *Cap.* VI. Ζῶα πετεινὰ, μορφῆ οὐδενὶ τῶν ὑφ' ἀνθρώπων ἑωραμένων παραπλήσια. *Animantia volucria, nulli eorum quæ ab hominibus visa sunt similia, quæ Moses in solio Dei viderat figurata.* Atque alibi, *Lib.* VIII. *Cap.* II. Τὰς δὲ χερουβεὶς οὐδεὶς ὁποῖαι τινες εἰπεῖν οὐδὲ εἰκάσαι δύναται. *Cherubos quod attinet quali figura essent, nemo dicere vel concipere potest.* In operculo propitiatorio, in medio duorum Cherubinorum, erat *Thronus Divinæ Majestatis*, unde oracula consulentibus dabat. Num. VII. 89.

LIX. *Locus Arcæ.*

LIX. *Locus* arcæ ordinarius erat intra velum, in Sancto Sanctorum. Exod. XXVI. 33. Stante Tabernaculo arca inde eximebatur, quando proficiscendum Israëlitis erat, ut exploraret ipsis locum quietis Num. x. 33. ipsisque, uti præsentiæ Divinæ symbolum, solatio, hostibus terrori esset. vers. 31. Postquam in templum introducta fuit, nunquam inde nisi cum excidio templi exemta est. Ps. CXXXII. 13. 14. 2. Chron. v. 9. 1. Reg. VIII. 8. Unde templum appellatur *requies Jehovæ & Arcæ roboris illius.* 2. Chron. VI. 41. & *locus quietis pro Arca fœderis Jehovæ.* 1. Chron. XXVIII. 2. Adeo ut onere eam portandi Levitæ levati fuerint. 2. Chron. XXXV. 3.

LX.

LX. Quid post templi excidium factum sit Arca quum sacra monumenta taceant; hinc uberrima fabulandi materia nata fuit, tam Judæorum quam Christianorum curiosis nimis interpretibus. Judæi fingunt, Salomonem Regem, quum ex vatum responsis didicisset futurum esse uti templum a Babyloniis olim solo æquaretur, sub solo templi obscuros atque intricatos fornices fecisse, quibus imminente periculo arca tuto recondi posset. Id observatum a Josia fuisse, qui Mosaicæ legis lectione, & Huldæ prophetissæ vaticinio, instantem Hierosolymæ cladem edoctus, in specu eo tempestive condidit Arcam, & Aaronis baculum, tum Urim & Tummim, cum residuo Mannæ in Urna Aurea. In hanc mentem exponunt, 2. Chron. xxxv. 3. *Josias Levitis dixit; ponite Sanctam arcam in loco quem Salomon, filius Davidis ædificavit.* Quæ quam a sensu sacræ historiæ aliena sint, nemo non videt, nisi quem pituita & stupor hebetavit,

LX. Quid Arca factum sit post destructionem Templi.

LXI. Longius a verisimilitudine *Epiphanius*, si modo *Epiphanius*, abit, cujus fabula, in *Libro de vitis Prophetarum*, Cap. VIII. ad hunc fere modum habet. Jeremias, inquit, ante excidium templi Arcam & quæ in ea continebantur eripuit, atque in saxum absorpta condidit. Tunc adstantibus populi senioribus, ac sacerdotibus, dixit: *Dominus e Sina in cœlum abiit; indeque cum sancta virtute revertetur. Atque hoc signum advenientis illius erit, quum videlicet gentes omnes adorabunt lignum.* Dehinc adjecit: *Arcam istam sacerdotum aut Prophetarum nemo reserabit præter electum Dei Moysen: tabulas vero quæ in illa sunt unus Aaron expandet. Porro in resurrectione, prima omnium exsurget Arca, & ex illo saxo prorumpet, atque in monte Sinai collocabitur. Tum ad eam sancti omnes confluent, ubique Dominum exspectantes, hostem qui necem ipsis molitur effugient.* His dictis digito suo Dei nomen imprimens lapidem obsignat, eaque figura perinde ac si cœlata ferro esset inhæsit. Mox nubes saxum illud obduxit. Neque quisquam aut illum locum novit, aut ad hanc diem nomen legerè potuit; neque ad mundi finem unquam poterit. Est illud saxum in ea solitudine situm, ubi Arca primum exstitit: inter illos montes in quibus Aaron ac Moses jacent. Noctu vero nubes loco illi velut ignis incumbit: ad eorum similitudinem quæ priscis temporibus acciderunt: ut significetur, Dei gloriam nunquam a lege sua recessuram. Hactenus *Epiphanius*.

LXI. Secundum Epiphanium.

LXII. Cæterum Apocrypha sunt omnia, atque omni verisimilitudinis specie destituta. Probabilius est quod alii credunt, Arcam una cum Templo conflagrasse. Etiamsi illud quoque mirum videre posset, cur, quum cætera Templi utensilia Babylonem trans-

LXII. Ex rei veritate.

ferri Nebucadnetzar curaverit, neglexerit Arcam, quæ cætera omnia pretio, arte, & sanctitatis æstimatione superabat. Nisi fortassis hæc ipsa sanctitatis æstimatio, & memoria eorum quæ Palæstinis olim acciderunt, Babyloniorum animos ab Arcæ violatione absterruerint: hactenus saltem ut eam communi Templi fato relinquere, quam, magno suo periculo, secum asportare maluerint. Videri de hoc negotio merentur eruditissimæ prælectiones *Rainoldi de Libris Apocryphis. Præl.* CXXXVI. *& sequentibus.* Quidquid sit, certum est defuisse Arcam in Templo secundo: quamvis enim aliam ei similem fabricaverint Judæi, caruit tamen prisca sanctitate, & visibili Divinæ præsentiæ symbolo. At hæc fortassis aliquanto quam necesse fuit prolixius exsecuti sumus.

LXIII. *Spencerus Arcæ religionem ex sacris Ægyptiorum cistis unice derivat.*

LXIII. Nunc in significationem mysticam inquiramus. Si Doctissimo SPENCERO credimus, ARCA, quatenus sacra fabrica erat ad cistæ formam composita, a sacris gentium cistis, quarum apud antiquos obvia frequensque memoria est, originem suam derivavit. *Quum enim Gentiles Arcas, Deorum suorum mysteriis consecratas, e cedro conficere, & auro vel ebore conspicuas & venerabiles reddere, soliti fuerint: creditu pronum est*, inquit, *Deum Israëlitis aureos Cherubinos, Arcam etiam cedro & auro plurimo illustrem concessisse, ne prava æmulatio pungeret eorum animos, quum viderent, Ethnicorum imagines, cistas, & sacra alia ubique splendescere; & pueriles eorum animi cultu simplici, & infra superstitionis Ethnicæ pompam subsidente, offenderentur.* Atque hæc sola ratio tanti ipsi esse videtur, ut impetrare a miti animo suo non possit, quin graviter irascatur iis, qui *Arcæ splendore perstricti ad Allegoriam* (USITATUM, inquit, ILLUD IGNORANTIÆ ASYLUM, *quum urget textus Mosaici difficultas*) *confugere solent.* Vide sodes impetuosi sermonis nimbum quem in eos effundit, qui ejus generis instituta *ea solum ratione a Deo prodiisse putant, ut Eum pura mente colendum, per modum mysterii alicujus reconditioris, significarent.* De *Legib. Hebr. Libr.* III. *Cap.* I. *Dissert.* V. *Sect.* IV. Et quasi satis non foret semel hoc tanto serio monuisse, majori vehementia eandem incudem tundit. *Sect.* VIII. Ubi quum eam sibi formasset objectionem, *quod singularis Arcæ Sanctitas & ornatus opinari suadeant, eam rei alicujus sacratissimæ typum fuisse, & ab exemplari aliquo cœlesti, magis quam Cista gentium mystica, originem traxisse*: responsurus isti argumento, sic ora resolvit. *A telo tam hebeti*, inquit, *non est quod multum metuamus. Quis enim ingenio tam felici est*, UT REM ULLAM COELESTEM ARCÆ TYPO ADUMBRATAM ASSIGNARE VALEAT, ET SENTENTIAM SUAM PROBABILI ALIQUO ARGUMENTO, AUT SCRIPTURÆ TESTIMONIO,

STA-

STABILIRE? *Multi quidem μυςικώτερον aliquid Arcæ subesse asserunt, & in bilem toti vertuntur, nisi dictatis eorum, tenui solummodo similitudine suffultis, fidem supinam tribuamus. Sed (ut aperte loquar) odi profanum illud Interpretum genus & arceo, qui cum Dei sacris ludunt, & legis instituta, tanquam imagines cereas, in omnium rerum formas & ideas pro arbitrio fingunt. Arcam quod attinet, lectori consulto judicandum relinquo, an non verisimilior sit eorum opinio,* QUI ARCAM OB SECULI MOREM INSTITUTAM SENTIUNT, *& sententiam suam argumentis bene multis instructam proferunt; quam eorum* QUI ARCAM AD MYSTERIA QUÆDAM EUANGELICA ADUMBRANDA DATAM ASSERUNT, EAM AUTEM SENTENTIAM NE VEL UMBRA RATIONIS CONFIRMARE POSSUNT?

LXIV. Mirum quoque dictu est, quomodo de CHERUBINIS philosophetur. Quorum speciem ad formam vitulinam proxime accessisse, hac inter cæteras ratione probat: quia *simulacra quædam, boum aut vitulorum formam præferentia, ipsum illum locum & usum apud gentes antiquiores habuerunt, quem Cherubini apud Israëlitas. Nam notum est omnibus, quibus scripturæ notæ sunt, Cherubinos duplici usui inserviisse; nempe ut Deo pro sede & throno essent, & ut populus ille rudis & sensu ductus Dei præsentis symbolum haberet, Eumque Cherubinis insidentem circumferret. Et apud Ethnicos antiquiores, simulacra, in belluarum, sæpius taurorum, similitudinem facta, & in adytis collocata, Deorum sedes erant, unde eorum responsa reddebantur.* Ex quibus hanc format conclusionem: *Quum itaque Gentium simulacra, Cherubinorum locum & usum habentia, formam præcipue vitulinam gesserint, est cur opinemur, Hebræorum etiam Cherubinos ad formam eandem propius accessisse. Nam rationi consonum est, ut imagines sacræ, eidem pene fini & usui inservientes, formis haut multum discrepasse censeantur. ibid. Cap.* IV. Talem interim Cherubinorum formam fuisse vult, ut illius Josephum puduerit, qui idcirco veram eorum figuram, quam Ethnicos in convitii materiem conversuros norat, sensus incerti vocabulo dissimulaverit; ab eaque verbis apertis describenda, scandali vitandi caussa, prudens abstinuerit: gnarus, Gentiles eam non minus quam Caput Asininum risui & ludibrio habituros. *ibid. Cap.* IV. *Dissert.* V. *Sect.* II. Unde tum porro conficit, Ægypti præcipue symbola & simulacra, jam dictis Cherubinorum formis instituendis occasionem præbuisse. Id autem ita exponit: *Israëlitæ Ægyptiorum simulacris assueti, ea impensius amarunt, eorumque cultui tenacius adhæserunt, quæ in vitulorum speciem erant formata. Quandoquidem ergo populus ille formæ vitulinæ simulacra tam cæco & præcipite zelo prosequebatur; probabile videtur, Deum simulacra, in vitu-*

LXIV. Ut & Cherubinos ab eorum simulacris tauriformibus.

vitulorum præcipue formas efficta, iis concedere voluisse; quum tot leges eorum moribus accommodatas instituerit, & sacra quædam apud Ægyptios usitata in cultum suum derivarit. Et ne nescii essemus quorsum hæc tendant, ita prosequitur: *Imagines in omnium templorum Ægyptiorum adytis collocatæ in caussa fuisse videntur, quod Deus etiam sacras illas imagines in Tabernaculi Templique sui recessibus poni jußerit. Tabernaculum Molochi, & Deorum suorum imagines in humeros tollere solebant Ægyptii, & Israëlitæ moribus eorum addictissimi: Deus etiam tabernaculum suum, Arcam itidem cum Cherubim, in Levitarum & Sacerdotum humeros tolli voluit, & circumferri. Porro: Ægyptii, quum iter facerent, Dei alicujus imaginem secum ferebant, cui rem Divinam facerent. Quum etiam Israëlitæ iter in terram promissam adornarent, &, more Ægyptio, Dei secum profecturi signum visibile postularent; Deus Arcam iis & Cherubinos concessit, cum iis quasi circumferri, & coram iis sacra omnia præstari voluit. Ibid. Sect.* IV.

LXV. Eorumque significationem mysticam ex Theologia symbolica Ægyptiorum.

LXV. Non diffitetur equidem Vir Doctissimus, *Cherubinos* figuras *mysticas* ac *symbolicas* fuisse, & *veritatum quarundam reconditiorum monumenta;* sed & eo respectu a multiformibus Ægyptiorum symbolis & hieroglyphicis originem suam mutuatos esse contendit. *Quum enim seculis antiquioribus, symbola, ænigmata, parabolæ, figuræ, cumprimis autem Hieroglyphica, in præcipua scientiæ parte ponerentur, æquum est credere, Deum, seculi studiis obsequentem, Cherubinos tanquam rerum secretiorum emblemata, & hieroglyphica in Tabernaculo posuisse; ut sacra sua iis, qui literaturæ secretioris gustum aliquem habebant, gratiora redderentur, nec sacris Ægyptiacis vel sapientiæ specie cedere viderentur.* Tandem concludit generatim: *Ægypti symbola, & notæ rerum obscuriores occasionem dedisse videntur typicis Judæorum ritibus, & multis Mosis legibus, præter sensus literalis corticem mysterii alicujus nucleum continentibus. Sect.* V.

LXVI. Seria sententia illius refutatio.

LXVI. Hæc Vir longe Doctissimus magna cum fiducia dictat; moleste, uti ipse fatetur, obloquentes ferens. Cæterum tanti nobis non est cujuscunque mortalis sive gratia sive ira, ut ob eam rem timide pro veritate, & pietate, & honore sacratissimæ religionis nostræ loquamur. Audiat ergo, si forte hæc scripta ad oculos ipsius unquam pervenient, audiat, inquam, Vir plurimum Reverendus, non quæ bilis, vel ærugo, vel superstitioni mancipata mens, sed quæ Batavus candor, & aperti pectoris Libertas, non destituta zelo religionis, ingenuo calamo dictavit. Etiam sapientissimis mortalium id aliquando usu venisse multis experimentis didici, ut, quum vel singulari mentis inclinatione, vel forte etiam aut casu, in opinionem aliquam inciderunt quæ præ cæteris animo ipsorum allubesceret, eam veluti sacrum

crum quoddam idolum mente, oculis, ore, calamo circumferant: eam ubique fere sibi obviam esse existiment: eam in omnibus propemodum objectis cernere opinentur: &, si objecta dissimilia sint, talem iis formam circumponant qua ad amatæ sibi ideæ speciem proxime accedere videantur. Non desunt exempla, quibus observationem hanc comprobatam dare possem: sed parco invidiæ atque labori. Exemplum in sese ipse nobis Clarissimus *Spencerus* exhibet: qui postquam semel animum suum induxit, Deum nonnulla ex Ægyptiorum sacris in suam transtulisse religionem, ut populi Israëlitici, talibus assueti, crasso se accommodaret ingenio; eumque, veluti crepundiis quibusdam allectum occupatumque, retineret in officio, & abstineret ab horrida vicinorum populorum idololatria: eam suam opinionem tam efflictim mox deperire cœpit, ut prolixius explicuerit, latius extenderit, acrius tuitus sit, quam quisquam ante eum mortalium. Non subsistitur hic in pauculis quibusdam & minutis: ubique Ægyptiaca cernit Vir Doctus, neque Israëlitica aliter nisi per ea, & ad eorum speciem composita. Quantumvis absurda, imo & pudenda, Ægyptiaca sint; digna tamen habentur, quæ occasionem atque originem Mosaicis institutis dederint. Quantumvis sacra sint instituta Mosaica, imo ipsa *Sanctitas Sanctitatum*, uti Scriptura loquitur, non tamen id impedit quo minus, veluti *tolerabiles quædam ineptiæ*, cum Ægyptiorum γελοίοις & αἰδοίοις conferantur, quæ pudor vetat apertis verbis enunciare. Atque hac ratione censetur melius sapientiæ Dei Legislatoris consuli, & reconditior doctrina doceri, quam si quis ea, veluti typos, figuras & umbras, cum veritate cœlesti, quæ Evangelio exposita est, prudenter contendat.

LXVII. Dissimulare non possum, neque est cur dissimulem, ægre animo meo esse, quod videam viros eruditos ita literis suis & otio abuti. Quid? an carendum Israëlitis fuisset præcipua religionis suæ parte, nisi Ægyptiis libuisset primum insanire? Hoccine egit institutis suis Deus, ut populus Israëliticus, si idololatriam demas, religione sua quamproxime ad Ægyptios accedere videretur? Nonne passim Israëlitis inculcavit, non esse ipsis in religionis negotio agendum secundum instituta gentium, a quibus vel ad quas venirent, vel quas cæteroquin vicinas sibi aut circumjacentes haberent? Nonne infinitis præceptis diremit eos ab earum gentium ritibus; etiam in iis rebus, quæ, in se consideratæ, neque bonæ neque malæ sunt, & quarum omnis bonitas aut malitia a solo Legislatoris pendet arbitrio? Nonne tota Lex Mosaica *septum parietis intergerini est*, & *inimicitia*, sejungens Israëlem a Gen-

a Gentibus? Nonne ingens Israëlitarum vitium fuit, quod profanis Ægyptiorum sacris nimia stupentis animi inclinatione adhærerent? Nonne a Mose, & serioribus Prophetis, acriter ob eam rem increpiti sunt? Et tulerit in iis id vitium Deus, & foverit, (non enim certe hac via curari poterat) indulgendo ut omnia fere sacra similia cum Ægyptiis haberent, hoc solum discrimine, ut, mutatis quibusdam minutiis, illi in honorem Unius Dei facerent, quæ hi in honorem Isidis aut Osiridis, Apidis aut Serapidis?

LXVIII. Vide quo prolabamur. Habebant Gentiles sacram cistam, *ἐν ᾗ τοῦ Διονύσου αἰδοῖον ἀπέκειτο*, *in qua Dionysi pudendum repositum erat.* Habebant & aliam in Cereris initiis usurpatam, *plures nugas & tricas quam puerorum loculi sunt intus continentem.* Habebant & Bacchi Orgia cistas & angues ingentes ex hedera proreptantes. Habebant denique Ægyptii cistam, quæ *secretorum capax, penitus celabat operta magnifica religionis.* His & similibus quum valde delectarentur Israëlitæ, concessit iis numinis indulgentia, ut & ipsi sacram cistam haberent, at sanctioribus monumentis instruendam. Hoccine est insanientis popelli pestilenti morbo medicinam facere? Simulacra taurorum, apud antiquiores Ethnicos Deorum sedes erant. Id impense placebat Israëlitis ex Ægypto recentibus. Quid Deus? Indulsit iis Cherubinos, forma ad taurinam proxime accedente, cujus deinceps ita puduerit Josephum, ut veritus infamiam adorati capitis asinini, Cherubinorum figuras prudenter dissimulaverit. Id si verum sit, o prudentiorem Mose (non enim audeo Deum dicere) prudentiorem, inquam, Mose Josephum! Nam quod Moses olim Israëlitis dedit ad similitudinem Gentilium sacrorum; id pro sua prospicientia, a *Spencero* laudata, scandali vitandi caussa, & ut religionem suam à ludibrio tueretur, dissimulavit Josephus. Prosequebatur populus ille simulacra figuræ vitulinæ præcipiti zelo, & Dei secum profecturi signum visibile in deserto postulabat. Age, inquit Deus, & hoc quoque populo concedatur: habeant sibi in eam rem Cherubinos. At cur, *Spencere*, tam ægre ferebat Deus, idem nuper ad populi vota ab Aarone accuratum esse? An in eo solum discrimen est, quod Aaron sua sponte populi votis obsecundaret, inque eo occuparet Mosen, idem mox facturum ex mandato Divino? Tabernaculum Molochi, & Deorum imagines in humeros tollere solebant Ægyptii; magna cum voluptate id spectaverant Israëlitæ. Ecce iterum Dei indulgentiam: non patitur iis deesse Tabernaculum portatile, & Arcam cum Cherubinis a Levitis gestandam. At quid est Dei Tabernaculum in Tabernaculum Molochi vertere, vel illi saltem

geminum

geminum facere, si hoc non sit? Quantulum enim interest, si mysteria demantur, an Tabernaculum aliquod *Solis* an *vituli* imaginem præferat? Indignaris, *Spencere*, *Diabolum Dei simiam* vocitari: at qualem tu nobis fingis Deum, cujus, si tibi credimus, pleraque, etiam sacratissima instituta, vix aliud nisi Ægyptiacæ, id est, Diabolicæ, superstitionis imitamenta sunt? Ferri fortasse possent hi ingenii tui lusus, nisi circa res sacras versarentur; nisi ad dedecus Religionis Mosaicæ comparati, nisi denique sanctissimi numinis gloriæ adversi forent. Non soleo equidem tanta sermonis vehementia disputare: verum ea hujus rei indoles est, ut non patiatur se mollibus articulis tractari. Vererer que ne teporem mihi exprobraret Deus, nisi ad tam aliena plus solito incalesceret animus.

LXIX. At nihil sibi ab his omnibus metuendum *Spencerus* opinatur, quum tam solidis rationibus sententiam suam comprobarit. Solidis rationibus? Videamus, quibus. Primo quidem aliquam-multis exemplis confirmat, sacrarum Cistarum usum fuisse, apud *Ægyptios*, *Trojanos*, *Hetruscos*, *Phœnices*, *Græcos*, *Romanos*, & quascunque fere gentes. Quod nemo negat, & ad hanc rem nihil facit. Pergit: *suadet ratio, ut hujusmodi religionis instrumenta Legem Mosaicam antiquitate superasse censeantur.* Imo vero, inquam ego, suadet ratio, ut illius antiquitatis probatio prius exigatur, antequam credatur. Nam neque *Plutarchus*, neque *Eusebius*, neque *Suidas*, quorum testimonia laudat *Spencerus*, de tanta Sacrarum Arcarum Antiquitate quidquam dicunt, neque, si dicerent, idonei satis auctores forent. Ponamus, in Osiridis aut Liberi Patris Sacris, Arcæ alicujus fuisse usum; addamus & hoc, cultum Osiridis & Liberi Patris antiquiorem, si velis, esse Lege Mosaica: non tamen exinde conficitur, eum Arcæ usum primo cultui Osiridis aut Liberi Patris coævum esse. Nam, uti in talibus fieri amat, superstitiones superstitionibus paullatim cumulantur. Neque quisquam est qui initia Sacrarum Cistarum assignare valeat, si ab hac Mosaica discesseris.

LXIX. *Argumenta Spenceri expenduntur.*

LXX. *At quis*, ait *Spencerus*, *paullo sanior dixerit*, *gentes illas Arcarum suarum exemplar ab obscura diu & contemta Judæorum natione didicisse*? Verum neque necesse est ut id dicam, neque, si dixero, idcirco me minus sanum a prudentibus habitum iri confido. Pervulgata res est superstitio, & facile se animis hominum, sponte in eam propendentibus, insinuat. Nec tam remota res ab usibus hominum cista est, ut non multarum gentium Hierophantis ac demagogis in mentem venire potuerit, ut eam sacris quoque suis adhiberent; etiam si alter de altero vel nihil, vel non nisi confuso rumore, aliquid au-

audiverit. Et profecto *Israëlitarum arca* tam stupendis miraculis inclutа apud vicinas gentes fuit, ut mirum non sit, si Arcæ alicujus religio, ad eas primum, dein ab iis ad remotiores dimanaverit. Id certum est, Cistas religiosas plerasque omnes, saltem eas *Græcorum Romanorumque*, *Mosaica* posteriores esse, quæ idcirco nulla hic specie allegantur.

LXXI. Denique, si vel probatissimum foret, quod probatum nondum est, Sacras Ægyptiorum Cistas Mosaicam ætate antecellere, easque Israëlitis non fuisse incognitas, necdum confecta res esset. Quia probandum remanet, Deum, ut Israëlitis Ægyptiaca sacra adamantibus gratificaretur, cum respectu ad ea Arcam iis dedisse. Id autem, uti existimo, probari non poterit in æternum. Imo contrarium a nobis probatum est. Voluit enim Deus populum suum in negotio religionis a vicinis gentibus, cum maxime ab Ægyptiis, sejunctissimum esse. Aliam ergo rationem fuisse oportet, cur Arcam cum Cherubinis, si simile quid olim Ægyptii habuerint, populo concesserit Israëlitico. Et quæ fingi potest probabilis ratio, nisi ut per ea symbola de maximis mysteriis suos condocefaceret?

LXXII. Injustum illius odium adversus Allegorias.

LXXII. Hic supra modum excandescit *Spencerus*. *Allegorias*, uti usitatum *ignorantiæ asylum*, horribili sectatur flagello; protestatus, *se profanum illud interpretum genus odisse.* Quod si de audacibus, ineptis, & frigidis allegoriis intelligat, quibus res historicæ, naturales, aut morales, præter intentionem Dei, a simplicitate veritatis abductæ, in nescio quos arcanarum rerum typos vertuntur; non habebit sane me sibi obloquentem. Sed si neget, *Arcam, similesque Mosaicæ Legis cerimonias, umbras esse mysteriorum Evangelii*, si statuat, *sententiam illam ne vel umbra rationis probari posse*; profiteor, omnia me potius experturum esse, quam ut eam sapientiam divinis institutis demi patiar.

LXXIII. *Probatur totum Ministerium Mosaicum ad Messiam respexisse.*

LXXIII. Quid? Nonne totum Mosis ministerium eò comparatum est, ut ad Messiam, illiusque justitiam & gratiam, fide apprehendendam, veluti manu ducat? Cur ergo Paulus dicit: Rom. x. 4. FINIS LEGIS EST CHRISTUS, AD JUSTITIAM CUIVIS CREDENTI? Nonne *Lex* universam *doctrinam Mosaicam* notat? uti Joh. I. 17. Illius autem *Finis* est Christus. Omni modo: & ratione *termini*, quia in illius ἐπιφανείᾳ cessare cœpit Oeconomia Mosis. Luc. XVI. 16. Et ratione *intentionis*, quia ænigmatibus suis monstrat veritatem quæ in Christo est. *Lex* UMBRAM HABUIT FUTURORUM BONORUM, *non ipsum corpus rerum*. Heb. x. I. Et ratione *consummationis*: tam quia Christus perfecte præstitit quidquid in lege aut jussum aut præfiguratum fuit:

fuit: quam quia legis veluti summa atque anima, &, uti loquuntur, quinta essentia est. Estque hoc enimvero multo gloriosius Mosi, ænigmatis suis ad Christum ducere, quam si accommodans se rudi ac præfracto populi Israëlitici genio id solum egisset, ut velut protervi pueri Ægyptiacis crepundiis, paululum flexis & correctis, detinerentur.

LXXIV. Illustris in hanc rem Pauli locus exstat 2. Cor. III. 13. Ubi narrat, Mosen faciei suæ velamen imposuisse, πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου. *ne intuerentur filii Israëlis*, vel ut alii malunt, *quoniam non tendebant contra oculos, ad finem ejus quod nunc ut inutile tollitur*. Quid est illud τὸ καταργούμενον? Est *gloria faciei Mosis*. vers. 7. Ea autem erat symbolum ministerii illius, quod non debebat sua destitui gloria. vers. 9. Cessare tamen debebat, ut locum faceret ministerio gloriosiori, quod est *ministerium Spiritus*. vers. 9. 10. 11. Quid est *finis illius quod aboletur*? Consentientibus fere omnibus interpretibus, Christus, Dominus ille ad quem se convertet Israël, sublato velamine. vers. 16. Quid est *velamen faciei Mosis impositum*? Obscura illa & perplexa docendi ratio, qua usus est Moses, per quam factum est, ut stupidi & occæcati Israëlitæ, in externis hærentes, non penetrarent ad penitiora mysteria. Laudari meretur *Maimonidis* observatio *Mor. Nevo. Lib.* III. *Cap.* IX. *Grotio* quoque laudata. *Lex data est die nubilo, ad significandum velum, quod oculis nostris adimit prospectum veri*. Denique huc tendunt omnia, ut doceamur, scopum quidem doctrinæ Mosaicæ fuisse, ut ad Messiæ contemplationem Israëlitæ ducerentur: sed tantum fuisse eorum stuporem, ut quum impares essent ferendæ gloriosæ isti luci, debuerit velum aliquod obscurioris informationis adhiberi, quo factum est, ut minus de Messia cernerent. Totam typi atque mysterii rationem judiciose exsecutus est *Camero*. Res huc redit: Mosis facies splenduit, qua obversa fuerat Deo; hoc est, Ministerium Mosis, quatenus ad Dei mentem & consilium refertur, omnino splendidum est atque illustre, & perspicue satis ad Christum ducit, qui vera lux est. At populus carnalis istum splendorem ferre non potest; itaque velatur populo carnali lex, donec accedat Spiritus qui velamen auferat. Tum etiam ipse Moses splendoris sibi sui conscius non est: non enim pertinet ad Mosen, quatenus literæ minister est, exponere mysteria Evangelii, quorum cognitio est ex spiritu gratiæ, qui facit ut plura ex doctrina Mosis intelligantur, quam verborum sonus tinnit. Moses, quum ad Deum rediret, deposuit velamen; sic & populus Israëliticus, quando se convertet ad Dominum, deponet cordis sui velamen, & videbit gloriam

Christi, atque intelliget quo modo illius præfiguratio fuerit gloria Oeconomiæ Mosaicæ. Paullo prolixior in hoc argumento fui: quia non modo ad institutum nostrum valde facit, sed & insigne exemplum est illarum *Allegoriarum*, quas ita aversari videtur *Spencerus*.

LXXV. *Nominatim, Tabernaculum.*

LXXV. At pressius urgeamus: Quod de *Universa Oeconomia Mosaica* probatum est, eam ad Christum duxisse, id specialiter verum est de *Tabernaculo*, cultuque ibi peragendo. Sic enim de Sacerdotibus Paulus Heb. VIII. 5. *Ut qui* EXEMPLARI ET UMBRÆ *deserviant* RERUM COELESTIUM, *sicut Divinitus dictum est Mosi, quum esset absoluturus Tabernaculum, Vide enim, inquit, ut facias omnia ad Exemplar quod ostensum est tibi in monte.* O quanto satius sanctiusque est de *rebus* illis *cœlestibus* cogitare, quarum exemplar fuit Sanctuarium illud terrenum, & quas nos copiosiori nuper sermone exposuimus quam de *Molochi tabernaculo* portatili, ad cujus imitationem aliquam, ex desiderio carnalium Israëlitarum, *Mosaicum* hoc exstructum sit!

LXXVI. *Specialissime, Arcam Fœderis.*

LXXVI. Quando vero *Tabernaculum* umbra rerum cœlestium est, ecquis dubitet idem asserere de *Arca fœderis*? quippe quæ Sanctissimum fuit totius Tabernaculi Κειμήλιον: quæque veluti cor totius religionis Israëliticæ primum omnium formata est: Exod. XXV. 10. & cui ne deesset habitationis locus, ipsum Tabernaculum, dein & superbum illud Templum, conditum fuit. Exod. XXVI. 33. & XL. 21. I. Chron. XXVIII. 2. Cujus etiam tanta fuit sanctitas, ut cætera omnia illius caussa sancta esse crederentur. *Nam sancta sunt ista*, ait Salomon, *in quæ ingressa est Arca Jehovæ*. 2. Chron. VIII. 11. Unde etiam tam accurate illius prospectum est venerationi, ut omnium oculi aspectu illius arcerentur, & propter illam, sola oculorum curiositate temeratam, ingens atque incredibilis propemodum strages apud Betsemes edita sit. I. Sam. VI. 19. & Usa imprudentem contactum, quamvis ex veneratione profectum, morte luerit. 2. Sam. VI. 6. 7. Cætera typica fuerint in Tabernaculo, suaque habuerint mysteria; hoccine credibile est, mysterio caruisse quod omnium erat Sanctissimum, & cujus sanctitate sanctificabantur reliqua? hoccine credibile est, in ipso Tabernaculi adyto tam solicite fuisse collocatum, eam solum ob rationem ut Israëlitæ æque cistam in sacris suis haberent, ac *Ægyptii*, & *Phœnices*, & *Hetrusci*, & *Bacchi cultores*, propudia sua cistâ condere sueti?

LXXVII. Sed quid moramur? Paulus ubi ex professo hanc rem agit, ut Tabernaculi Mosaici mysteria exponat, inter ea quæ fig-

significationes rerum arcaniorum habuerunt, diserte memorat *Arcam pacti undique circumtectam auro, & Cherubim gloriosos obumbrantes propitiatorium* Hebr. IX. 4. 5. Nihil quidem se de iis singulatim ibi dictu-rum esse monet: at eo ipso innuit, non deesse quæ dici possent. Et alibi dixit, quod hic memorari meretur. Heb. IV. 14–16. *Habentes igitur* PONTIFICEM MAGNUM, *qui transivit cœlos; Accedamus cum loquendi libertate ad* THRONUM GRATIÆ. In omnibus hisce ad instituta Mosaica allusionem esse, nemo, opinor, negaverit. *Jesus* noster respondet *Pontifici* Hebræorum; *transitus Jesu per cœlos* respondet *introitui Pontificis per velum. Accessus fidelium*, implorantium atque exspectantium opem Dei, respondet *accessui Israëlitarum* ad Tabernaculum, quo tempore Pontifex intrabat in adytum. At cui rei respondet *thronus gratiæ?* Cui, nisi *Arcæ fœderis* collocatæ in intimo Sacrario? Certe *Sacrarium, thronum Dei habitum* esse, docet Jeremias. Cap. XVII. 12. *Solium gloriæ, solium Excelsi inde a principio, est locus sanctuarii nostri.* Adde Ezech. XLIII. 7. At in *Sacrario* nomen id maxime debebatur *Arcæ*, illiusque *operculo propitiatorio*, cui insidebant Cherubini, &, superne incumbebat Nubes, in qua Deus suam manifestabat præsentiam. Levit. XVI. 2. Exod. XXV. 22. Quamobrem & Deus *Cherubinis inequitare dicitur.* Ps. XVIII. 14. & *inter Cherubinos habitare*, aut *sedere.* Ps. LXXX. 2. & ipsi *sustinere thronum Dei.* Ezech. X. 1. Unde conficitur, quod sicut *Pontifex* erat Typicus, & illius *introitus per velum* erat typicus, & *Sanctum Sanctorum* erat typicum; ita & *Arcam* fuisse typicam, eamque in Sancto Sanctorum collocatam significasse *Thronum* illum *gratiæ* de quo Paulus loquitur, id est amorem & gratiam Dei in Christo nobis reconciliati, quam gloriose ostendit in cœlo, unde preces supplicum audit, & opem iis benigne confert.

LXXVIII. Sed & validum argumentum Johannes suppeditat, Apoc. XI. 19. Ubi *apertum in cœlo templum* narrat, *visamque in templo Arcam fœderis.* Quid *templum* hic notat? Certe Ecclesiam, in qua Deus habitat, manifestatione gratiæ & gloriæ. Non disputo nunc, an Ecclesiam militantem, an triumphantem. Hoc altioris est indaginis, nec facit ad hanc caussam. Verum si *templum Ecclesiam* notet, & *Arcam* aliquid notare oportet, quod ad Ecclesiæ illius gloriam & felicitatem pertineat. Enimvero in spirituali & Cœlesti illa Ecclesia non est aliquid quod respondeat imitamento aut *monumento Ægyptiacæ superstitionis*; sed res longe augustissimæ; quibus significandis Arca divinitus destinata est. Nimirum *visa in Templo Arca*, quod nunquam fuit dum stationem adhuc suam obtinebat priscum tabernaculum, ele-

ganter significat claram distinctamque cognitionem mysteriorum Dei in Christo, & præsentiam Dei Christique adeo conspicabilem, factisque illustribus comprobatam, ut nemo dubitare queat quin communicatione felicitatis suæ in Ecclesia habitent. Hæc omnia si defæcato animo, sepositisque affectibus ac præjudiciis, uti par est, considerentur, conscientiam apello tuam, *Spencere*, an illi, qui Arcam ad mysteria quædam Euangelica adumbranda datam asserunt, sententiam suam ne *vel umbra rationis confirmare* queant?

LXXIX. *Mysterium Arcæ.* LXXIX. Generali hac disputatione defuncti, placidiore gressu atque inoffenso pede pergemus in specialiori disquisitione eorum, quæ per Arcam figurata sunt: iis nixi fundamentis, quæ initio hujus dissertationis Paragrapho III. jecimus. ARCA ergo *Christum* significat, qui omnium umbrarum corpus est. I. *Materia* illius, partim *lignea*, partim *aurea*, utramque naturam figurare idonea est. Lignum, *humanam*, juxta quam est *fructus terræ* Jes. IV. 2. Sed tamen ἄσηπτος, nulli putrefactioni obnoxius; ne tum quidem, quando mortuus & sepulcro conditus erat. Ps. XVI. 10. quemadmodum *Cedris æternitatem* adscribit Plinius. *Lib.* XIII. *Cap.* V. Aurum *Deitatis* symbolum esse potest: respectu soliditatis, puritatis, fulgoris, & pretii, denotans æternitatem, sanctitatem, & gloriam Christi, simulque docens quo loco nobis esse debeat, eo nimirum ut omnia præ ipso damnum & stercora reputemus. Quod *aurum solum videretur*, *lignum* intrinsecus & extrinsecus *auro obductum* non videretur, in eo aliqui hoc se mysterium deprehendere opinantur, quod Christus tunc nondum *conspicuus factus* esset *in carne*, sed illius ἐπιφάνεια pretiosis Dei promissis hactenus involuta maneret. II. *Forma Arcæ*, per quam thesauro custodiendo idonea erat, in mentem nobis revocare potest, Christum illum esse, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ & omnigenæ felicitatis reconditi sint: ex cujus abundantia gratiam pro gratia sumere electis liceat. III. *Limbus Aureus* Arcam cingens, typus *Coronæ* & *Regni Christi* esse videtur. IV. *Tabulæ fœderis*, Arcæ impositæ, significabant Christum Dei legem in medio viscerum suorum habiturum, atque omne illius δικαίωμα pro electis suis impleturum esse. V. *Vectes*, *quatuor annulis aureis inserti*, ad portandam Arcam, commodissime significare possunt, Christum, præconio Euangelii, cum omni sua gratia & gloria portatum iri ad quatuor mundi plagas. VI. *Quies Arcæ* in Sancto Sanctorum erat, maxime postquam illata fuit in Templum, Quies Christi est in Sanctuario sine manibus facto, postquam ingressus est in ea quæ sunt intra velum. Heb. VI. 19. 20. æternum ibi mansurus. Act. III. 21.

LXXX. Uti tota Arca, ita imprimis OPERCULUM PROPITIATORIUM *Christum* designabat, quatenus *peccata nostra tegit*, & in *gratiam* nos *cum Deo* reducit. Nam *Deus est in Christo mundum reconcilians sibi.* 2. Cor. v. 19. Quod propitiatorium ex *mero auro* confectum, at *arcæ ligneæ* impositum, docet quid illud sit quod satisfactioni Christi pretium addidit & valorem: videlicet infinita Deitatis dignitas. Propitiatorio *tectæ* erant *legis tabulæ*, quas ubi remoto vel tantillum operculo nudas contuebantur Betsemitæ, horrendam sibi accersebant stragem. 1. Sam. vi. 19. Christi propitiatione omnes iniquitates nostræ, quibus utramque legis tabulam violavimus, teguntur, ne unquam in conspectum Dei, nos damnaturæ, veniant: at si citra Christi satisfactionem Legem intueri sustineamus, nihil in ea inveniemus nisi terribilem æternæ maledictionis sententiam. In Propitiatorio *Majestatis* suæ *præsentiam* ostendebat Deus, indeque gratiosa populo responsa dabat. In Christi meritis *thronus gratiæ* est constitutus, ad quem cuivis Divinam opem rite imploranti, cum fiducia, ac spe certæ exauditionis accedere fas est. Habitabat ibi Deus in *nube*. Lev. xvi. 2. in cujus caligine Divini splendoris radii intermicabant. Hæc est illa inhabitatio quam celebri שכינה *Schechinæ* vocabulo Hebræorum Magistri expresserunt. Quæ quid aliud significavit, nisi plenitudinem Deitatis in Christo homine corporaliter habitantis? Operculum olim in Tabernaculi adyto, pone velum, locatum, secretum ab omnium oculis erat; quippe expiatione tunc nondum facta: nunc autem Deus προέθετο, *exposuit* omnium oculis Christum, ut ἱλαστήριον *in sanguine suo*. Rom. iii. 25. quandoquidem quidquid ad expiationem requirebatur consummate nunc præstitum est.

LXXX. *Et operculi propitiatorii.*

LXXXI. CHERUBINOS *Angelorum* emblemata fuisse, alibi a nobis prolixius expositum probatumque est. Nunc eos solummodo considerabimus, quatenus in *Propitiatorio* suum habuerunt locum. Illi quum *affixi* fuerint, quumque propitiatorium Christum notet, quidni ea occasione cogitemus, Angelos Christi ministerio constanti lege, perpetuaque & immutabili voluntate, addictos esse? Joh. i. 52. Equidem ipsi propitiatione haud indigent, quum omnis sceleris labisque puri sint; attamen eos, a parte Dei semper stantes, nobis, nos iis, reconciliavit Christus; fecitque ut in unam cum Angelis cœlestem rempublicam coalesceremus. Hebr. xii. 22. Pronis faciebus *propitiatorium intuebantur*; ita demonstrantes desiderium suum, quo gestiunt in mysteria redemtionis nostræ παρακύψαι. 2. Pet. i. 12. *Bini* erant, *facie sibi invicem obversa*, ita tamen ut singuli *prospectarent arcæ operculum*. Ista sua constituti-

LXXXI. *Et Cherubinorum.*

one pulcre docentes (nam Angelorum πολιτεία pro exemplo nobis est) quo modo oporteat *Fideles*, tam *Veteris* quam *Novi Testamenti*, fidei ἰσοτίμου mutuæque charitatis oculis se invicem quidem, at junctim Christum adspicere.

LXXXII. *Urna aurea.*

LXXXII Considerationem quoque suam meretur URNA AUREA in qua recondita fuit MANNA, de qua mandatum exstat. Exod. XVI. 32. Jussit Deus mensuram aliquam, quam Hebræi Homer dicunt, ejus cibi, quo miraculose sustentati fuerunt Israëlitæ per XL. annos in deserto, scutellæ sive urnæ inditam, in custodiam reponi, ut secuturæ generationes monumentum portentosi illius cibi haberent, quo majores ipsorum vixerunt in deserto, & stuperent potentem bonamque Dei erga ipsos providentiam. De *Materia* Urnæ nihil trad dit Moses. Hinc alii alia conjectant. *R. Bechai* censet ex nomine צנצנת conjecturamr esse faciendam, cujus etymologia doceat quod fuerit vas צינן *frigidum*, & מצנן *frigefaciens*, id nimirum quod eo asservabatur ac consequente idoneum ad custodiam diuturnam: tale autem dici vas *testaceum*. Jer. XXXII. 14. Alii hic laudant æs, ferrum, aut plumbum. *Aberbenel* divinat fuisse vas *vitreum*, ut extrinsecus videri posset. quod intus asservabatur. Græci vocarunt στάμνον χρυσοῦν. Id secutus est Apostolus: & merito. Quandoquidem omnia exterioris sanctuarii vasa ex auro confecta erant: quanto magis id de iis est credendum quæ intimo consecrata sunt adyto? Etymologia a frigore desumta an alicujus valoris sit, merito dubitatur. At dato esse; non minus auro convenit, quam testæ aut vitro. Magnum certe hac in re miraculum Israëlitarum animos percellere debuit; quod manna, quæ alioquin in crastinum servata putrescebat ac scatebat vermibus, per novem propemodum secula, usque ad templi incendium, incorrupta manserit.

LXXXIII. *An intra, an juxta Arcam collocata.*

LXXXIII. Ubi in Sanctuario collocata fuerit hæc urna, non admodum liquido constat: nisi quod Aaron jussus fuerit eam collocare *coram facie Domini* לפני העדות *coram testimonio*. Exod. XVI. 33. An autem per *testimonium* ibi intelligendæ sint *tabulæ testimonii*, quæ *testimonium* etiam vocantur absolute Exod. XXX. 6. XL. 18. an *Arca*, tabulas illas custodiens, quæ & ipsa *testimonium* dici videtur Exod. XXX. 36. in incerto remanet. Difficultatem auget collatio duorum dictorum, in speciem sibi invicem repugnantium. I. Reg. VIII. 9. testatur sacra Historia. *nihil fuisse in Arca præter tabulas legis.* At Paulus Heb. IX. 4. scribit, præter illas tabulas in Arca fuisse *urnam auream cum manna*, & *virgam Aaronis quæ fronduit.* Valde hic sudant Interpretes: sed duæ potissimum conciliationis viæ sunt, quarum utra alteri præferenda sit, vix habeo dicere.

LXXXIV.

LXXXIV. Aliqui existimant, urnam cum virga, initio tabernaculi, revera inclusas fuisse in cavitate Arcæ. Quam sententiam erudite, pro more suo, explicuit, & probabilem reddere conatus est *Jacobus Altingius*. Existimat ergo, *in Arca*, vivente adhuc Mose depositas fuisse, quo ordine videbantur remoto operculo, primo *urnam mannæ*, quæ ad latus tabularum locata, quum altitudinem haberet majorem, ratione figuræ supra cæteras exstabat, & in oculos incurrebat: deinde *virgam Aaronis* extensam supra tabulas, quarum latitudo spatium præbebat ejus ramis, floribus & fructibus, debuitque in summitate locari; nam si quid impositum fuisset, id premendo violasset virgæ decus: denique infimo loco *tabulas fœderis lapideas*, quæ primum inditæ fundum maximam partem tegebant, neque vitium accipere poterant ab imposita virga florida. Ex qua observatione ordo recensionis Apostolicæ lucem accipit. Neque sine auctoritate videtur Apostolus omnia hæc Arcæ cavitate includere; quoniam jussus est Aaron urnam deponere, non *coram arca testimonii*, sed *coram testimonio*: quod & de *virga Aaronis jubetur*. Num. XVII. 10. Testimonium autem ordinarie tabulas pacti significat. Quod vero Salomonis tempore de quo agitur 1. Reg. VIII. 9. hæc paullo aliter constituta fuerint, illius rei non in obscuro ratio est. Quum circumferretur Arca, minus commode hæc omnia in illius cavitate relicta fuissent: imprimis quando, Israëlitis contra Philistinos pugnantibus, in castra delata fuit. Tunc in hostium potestatem venit: & Israëlitis reddita, mansit tamen extra tabernaculum, in quo urna & virga custoditæ fuerunt, loco satis dissito, donec ædificato templo arca in illud deportata, atque in adyto locata fuit: quando jam a longo tempore nil præter tabulas in ea servabatur, quum olim in Schilo cætera quoque eâ continerentur. Atque hæc quidem non improbabiliter dicuntur. Certe præferenda mihi videntur *Grotii* annotatis: qui Mosis quidem ætate Urnam cum Manna, & virgam Aaronis in Arca fuisse credit: sed lapsu temporis, *quum metus esset, ne virga cariem, manna autem mucorem pateretur, ablata ea esse ex arca, & custodita loco carente ventis & solibus. Et quum templum Salomonis conderetur eadem de caussa non reposita esse in Arca, sed in crypta subterranea, ut Rabbini Veteres scribunt.* Cæterum hoc est citra ullam necessitatem, imo absque omni caussa probabili, elevare magnitudinem miraculi in conservatione Mannæ. Nam qua facilitate ea incorrupta a Deo servata fuit ad aliquot annos, eadem facilitate omnis ab ea mucor arceri potuit ad aliquammulta secula.

LXXXV. Aliis tamen alia conciliationis ratio magis arridet. Obser-

Observavit *Drusius* ad Exod. XVI. 34. particulam *IN* Hebræis & Hebraizantibus nonnunquam valere *ad*, *prope*, *juxta*: cui probando adducit Jos. X. 11. & Jud. XVIII. 12. Alius Vir Doctus appositissime addit Jos. V. 13. 1. Reg. XVII. 3. Jer. XIII. 5. Coll. III. 1. Ergo IN QUA, hic etiam sit *ad* vel *juxta quam Arcam*. Movet tamen ipse Drusius difficultatem cui tollendæ se fatetur esse imparem. *Omnia placerent*, inquit, *nisi sequeretur*, TABULÆ FOEDERIS. *Nam illa erant* INTRA *Arcam*. IN *autem duo significare uno loco, non est admodum probabile*. Addit Drusius, animum despondens, *Cave igitur hoc sequaris*. At *Jacobus Cappellus* tam exiguam illam difficultatem existimat, ut nodum in scirpo a Drusio quæsitum opinetur. *Quid enim vetat*, inquit, *quo minus uno eodemque versu dicantur* IN *Arca esse, tam quæ juxta, quam quæ intra erant: quomodo Romæ dicimus habitare tam qui juxta, quam qui in ipsa degunt urbe?* Addit alius: non minus Paulo ita dicere licuisse, quam nobis verbi gratia, *in corpore humano esse cutem & carnem & ossa & intestina: ubi* IN *eodem significatu, sed quadam tamen latitudine usurpatur*.

LXXXVI. *Mysterium Mannæ reconditæ.*

LXXXVI. MANNÆ mysterium aliquod subfuisse Paulus docet 1. Cor. X. 3. ubi *spiritualem escam* vocat, id est, uti bene interpretatur *Augustinus*, *spirituale aliquid significantem*. Et Christus se esse *verum illum panem, qui e cælo venit*, & per Mannam præfiguratus est, prolixo sermone exponit Joh. VI. 32. Analogias quæ inter utrumque sunt copiose alibi exsecuti sumus, quas hic repetere non lubet. Id nunc præprimis attendendum est, quid *conservatio Mannæ in Urna aurea*, illiusque *sepositio coram facie Jehovæ*, significaverint. Non difficile id inventu esse videtur. Nimirum Christus, qui è cœlo descenderat, ut panis vitæ homini peccatori esset, iterum in cœlum assumtus, immortalitate donatus, in Sanctuario sine manibus facto, præsentia Dei fruitur, vitaque gaudet gloriosa & æterna. Unde & communio cum Christo in gloria, *manducatio Mannæ absconditæ* vocatur Apoc. II. 17. allusione manifesta ad hanc ipsam, de qua nunc agimus. Sed & allusione elegantissima, plenaque mysteriorum. Nam I. Id quod præcipuum est in ista dulcedinis Christi participatione *reservatur cum Christo in cælis*. Col. III. 3. 2. Tim. I. 12. II. Mundanorum hominum nemo dulcedinem hujus novit. Joh. XIV. 17. Imo ne ipsi quidem fideles, antequam experiantur. 1. Joh. III. 2. III. Denique communio ista non in diem est, uti manna quotidiana, sed perpetua; uti illa quæ seposita coram Domino, a putrefactione, mucore, vermibus erat immunis.

LXXXVII. *Virga Aaronis an fuerit Baculus Mosis.*

LXXXVII. *Urna Aurea* appositam Virgam Aaronis quæ germinaverat, aliquoties jam audivimus. Illius historia narratur. Num. xvii. & nota est omnibus. Voluit Deus adversus Korachi & sociorum seditiosas murmurationes auctoritatem Sacerdotii Aaronici confirmare hoc miraculo, ut aridus baculus excisus ex Amygdalo, & inscriptum habens nomen Aaronis, repente, una nocte, flores fructusque germinaret. Jussitque scipionem istum, in perpetuam illiusce rei memoriam, coram testimonio asservari, ut Aaroni certus esset sacerdotii honor, nulli amplius controversiæ obnoxius. Non desunt qui opinentur, scipionem hunc eundem fuisse cum eo quem Moses aliquamdiu gestaverat, tot miraculorum instrumentum: de quo Hebræorum aliqui magistri mira & incredibilia nugantur. Fingunt, baculum hunc amputatum fuisse ab ea arbore, quam monstravit Mosi Deus in deserto, ut amaras *Maræ* aquas potabiles redderet. Hanc autem esse ex surculo quodam *arboris vitæ*, quem Angeli Setho tradiderint, a Patre suo in Paradisum misso, ut peccatorum a Deo veniam posceret. Angelos eodem tempore Sethum docuisse, simulac surculus iste germinarat, futurum esse ut Dei in ipsum misericordia descenderet, clausæque cœli portæ panderentur. Sethum itaque surculum hunc plantasse in deserto, unde suum baculum decerpserit Moses. Ex eadem hac arbore suspensum fuisse serpentem æneum, quem destinaverit Deus ad totius mundi salutem, tempore Messiæ procurandam. Si suspicari non licet, mysterium aliquod huic fabulæ subesse, quod ex vetusta catechesi haustum parabolico sermone expositum sit; fatendum est, commenta ejusmodi, ut indigna hominibus ratione sua utentibus, ita digna esse gente quam a Deo desertam, suoque traditam stupori cum commiseratione cernimus. Verum, ut ad institutum revertar, comperio viros graves hactenus ab Hebræis non dissentire, ut velint Aaronis germinantem virgam esse Mosis miraculosum baculum: eâ potissimum inducti ratione, quod Num. xx. 8. & seq. ex mandato Divino *virgam a conspectu Jehovæ sumserit*, id est, repositam in sanctuario, quæ versu 11. *virga Mosis* dicitur. Quum igitur virga in conspectu Jehovæ seposita, virga Mosis dicatur, hinc inferunt, Virgæ Mosis Aaronis nomen fuisse inscriptum, eandemque esse quæ post tot miracula non minus miraculose germinaverit. Sententiam hanc, ex *R. Chaskouni* aliisque Hebræorum Magistris haustam, amplectitur Celeberrimus & judiciosissimus Theologus *Johannes Ouvvenus*, eruditis suis in Epistolam Pauli ad Hebræos commentariis; eique multa superædificat mysteria.

LXXXVIII. At dubitare liceat, an admodum solidè. Etenim ex Num. XVII. palam est, singulos duces singularum tribuum attulisse virgas suas; tribum etiam Levi attulisse virgam suam, inscribendam non nomine Levi, sed nomine Aaronis; nullumque in ea historia argumentum est, quod vel minimam suspicionem præbeat, illam virgam fuisse baculum Mosis: quippe quæ non a Mose, sed a principe tribus Leviticæ Mosi data sit, deponenda in tentorio conventus. Sic enim verba habent com. 6. *Quæ quum elocutus esset Mose filiis Israëlis, dederunt ei omnes duces eorum virgas singulas in duces singulos domus paternæ suæ, duodecim virgas; eratque virga Aaronis inter virgas illorum.* Adde, non tam idoneum futurum fuisse argumentum convincendæ querulorum Israëlitarum pervicaciæ, si virga illa Aaronis alterius generis fuisset, atque cæterarum tribuum virgæ. Tunc enim id quod accidisse memoratur, singulari istius virgæ indoli attributum potius fuisset, quam portento, ad hanc controversiam dirimendam valido. Deinde, quamvis certum sit, virgam illam Aaronis repositam fuisse coram testimonio; an satis certum est, Mosis baculum, tot miraculorum monumentum, ibidem quoque ad tempus collocatum non fuisse, ut eum inde jussu Dei nunc resumeret? Fateor scripturam nihil diserte ea de re testari; sed verba sacræ historiæ Num. XX. 9. tale aliquid subinnuere videntur. Et sane baculus ille quo Moses petram percussit in Horebo Exod. XVII. 5. 6. qui scipio pastoritius & viatorius erat, aptior videtur ad id officium, quam virga frondibus, floribus, fructibusque germinans, quæ percutiendo petram facile lædi poterant. Potuisset igitur *Mosis baculus* esse, quem Num. XX. a conspectu Jehovæ sumsisse dicitur, etiamsi non fuerit *virga Aaronis*. Quidquid sit, maneat ea res in incerto potius; quam ut tam debili fundamento grandia superstruantur mysteria.

LXXXIX. *Romæ, & alibi inter sacras reliquias conservari dicitur, cum Urna Mannæ.*

LXXXIX. Virgam Aaronis, una cum Urna Mannæ, adhuc extare *Romæ in Ecclesia Sancti Salvatoris*, testatur *Onuphrius*, in *Libro de* VII. *Urbis Ecclesiis*. Neque Onuphrius solus hoc adserit, verum etiam *Sixtus* V. *Pontifex*, in Libro qui inscribitur *Mirabilia Romæ*, suo privilegio rem communivit, ut veram certamque: ibi enim traditur, *Romæ in Ecclesia Lateranensi esse inter alias reliquias Urnam Mannæ & Virgam Aaronis.* Sed & eandem ostentant *Galli*, *Lutetiæ ad S. Sacelli*, *Hispani ad Divi Salvatoris*, *denique & Burdegalenses ad Severini*: auctore *Calvino in libro de Reliquiis.* Quæ quam improbe fraudes sint, res ipsa loquitur.

XC. *Illius Mysterium.*

XC. Nos id quod solidum est sectemur. VIRGA AARONIS, uti perti-

pertinuit ad confirmandam Sacerdotii auctoritatem, ita, non minus quam ipse cum Sacerdotio suo Aaron, typum gessit *Sacerdotis* & *Sacerdotii Christi*. Christus est *virga*, non modo *e trunco succiso Isai* orta; Jes. XI. 1. sed & ipsa *succisa e terra viventium*: Jes. LIII. 8. & tamen a morte mox refronduit, & factus est arbor vitæ, simul gemmas, flores, fructus habens: singulis quippe mensibus novos fructus proferens. Apoc. XXII. 2. Et sacerdotii ipsius, uti amœnissimus, ita etiam perpetuus, viror, vigor atque efficacia est: quum sacerdos sit *secundum vim indissolubilis vitæ*. Heb. VII. 16.

XCI. Denique juxta Arcam in adyto ex mandato Dei collocatum est VOLUMEN LEGIS, ipsius Mosis manu conscriptum, ut esset ibi loco testis; inde tamen depromendum singulis septenniis, stato tempore, anno intermissionis, in festo Tabernaculorum, ut prælegeretur toti Israëli comparenti ante faciem Jehovæ. Deut. XXXI. 24. 25. 26. & 10. 11. Credibile tamen est, antequam deponeretur Liber in loco sacro, plura ejus facta esse apographa, cum autographo diligenter collata, quæ versarentur in manibus sacerdotum, & inservirebant quotidiano usui. Uti & illud est credibile, per *Librum Legis* hic intelligi; non solum *Deuteronomium*, sed universum Legum Mosaicarum complexum, quæ & in Exodo, Levitico, & Numerorum Libro inveniuntur: & quidni credamus, intelligi universum *Pentateuchum*, cujus historiæ etiam, tot miraculis plenæ, valde faciebant ad Israëlitarum ædificationem & convictionem; &, haut multo minus quam ipsæ Leges, loco *testis* contra ipsos esse poterant. Ex his liquet, quanta reverentia sacra sua dictata in loco sanctissimo asservari Deus voluerit: ut quisque Israëlitarum disceret, Divinæ Legis oracula, puro corde, quod gratissimum Deo Sanctuarium est, sibi atque religiose condere. Sic præcepit Deus Deut. VI. 6. ET ERUNT VERBA QUÆ EGO PRÆCIPIO TIBI HODIE, IN CORDE TUO. Sic præstitit David Ps. CXIX. 11. IN ANIMO MEO RECONDO SERMONEM TUUM, UT NON PECCEM IN TE.

XCI. *Volumen Legis.*

DISSERTATIO II.

COLLATIO

SACERDOTII AARONICI

CUM

SACERDOTIO CHRISTI.

BREVIARIUM.

I. An sacrificia humanæ inventionis, an Divinæ jussionis sint. II. Mosis historia nihil ea de re exserte memorat. III. Attamen nullus cultus Deo gratus esse potest quem non ipse jusserit. IV. V. VI. Ἐθελοθρησκεία *Paulo damnata. VII. Fides qua Abel gratum Deo sacrificium obtulit Dei jussione & promissione nixa fuit. VIII. Plurimumque distat a tam inscita persuasione qualem priscis attribuit Spencerus. IX. Fuit autem fides de Sacrificio Messiæ. X. Sacrificia per se Deo non placere, Ethnici paullo humaniores agnoverunt. XI. Patriarchæ itaque aliud in iis considerarunt: & quid potius, quam sacrificium Messiæ? XII. Probabile est Tunicas Adami pelliceas exuvias fuisse oblatorum Deo animantium. XIII. Ejus rei mysterium. XIV. XV. Discrimen animalium mundorum & immundorum ante diluvium ex Deo est, & ad sacrificia pertinet. XVI. Hebræorum nugæ de bove quem Adamus obtulerit. XVII. Lightfooti ingeniosa commentatio in Gen.* IV. 7. *XVIII. Sacrificandi jus initio nulli ordini adstrictum fuit. XIX. Neque pertinuit ad prærogativas Primogenitorum. XX. Libertas hæc est figura latioris libertatis sub T. N. XXI. Promissa per Jesaiam. XXII. Et Jeremiam. XXIII. Initio Reipublicæ Israëliticæ Moses, extra ordinem Pontificatu functus, jus Sacerdotii adstrinxit ad familiam Aaronis. XXIV. Certisque definivit legibus. XXV. In Personis Sacerdotum quid fuerit requisitum. XXVI. Natales Sacerdotum. XXVII. Samuel, non Aaronides, extra ordinem Sacerdotum. XXVIII. Quo exemplo liquet, legem de linea Sacerdotali juris arbitrarii esse. XXIX. Sacerdotem nasci oportuit ex matre honesta. XXX. Tabulæ Genealogicæ Sacerdotum diligenter adservatæ. XXXI. Ex quibus Senatus Magnus de familia judicabat. XXXII. Omnia hæc ad Christum transferuntur. XXXIII. Corporis integritas* in

in Sacerdote requisita. XXXIV. *Vitio laborantes de sacris tamen epulabantur.* XXXV. *Christus tam corpore quam animo integer.* XXXVI. *Sanctitas animi, in Sacerdotibus.* XXXVII. *Qui cum maxime cavere sibi debebant ab idololatria, & cultu in loco vetito.* XXXVIII. XXXIX. *Cuncta hac in Christo eximia sunt.* XL. *Leges Matrimoniales Sacerdotibus lata.* XLI. *Et Pontifici Maximo.* XLII. *Qua castos Christi & Ecclesia amores docent.* XLIII. *Summum Sacerdotem quinque in rebus fratres suos antecellere oportuit.* XLIV. *Qua in Christo sunt pra omnibus insignes.* XLV. *Consecrationis quatuor carimonia.* XLVI. *Quarum prima est Lotio, non e gentilium sacris desumta, sed a Deo jussa.* XLVII. *Qua Christus quidem non indiguit, attamen usus est.* XLVIII. *Sacra vestes tam Sacerdotum, quam Pontificis.* XLIX. *Ordo eas induendi.* L. *Non erant gestanda nisi in sacro ministerio.* LI. LII. *Veritas harum rerum in Christo.* LIII. LIV. *An Johannes, Jacobus, caterique Apostoli ornatum Pontificalem gestaverint.* LV. *Unctio Sacerdotalis.* LVI. *Oleum unctionis.* LVII. LVIII. *An semel, ab ipso Mose confectum, ad Josia usque tempora duraverit.* LIX. *Modus unctionis ad figuram* X *Gracorum.* LX. LXI. *Persona ungenda.* LXII. LXIII. *An gregarii Sacerdotes etiam uncti fuerint.* LXIV. *Mysterium hujus unctionis.* LXV. *Oblatio triplicis Sacrificii pro Aarone & filiis ejus.* LXVI. *Sanguine arietis imbuta dextra aures, dextrique pollices Sacerdotum.* LXVII. *Catera ejus arietis partim Deo cedebant, partim Mosi.* LXVIII. *Harum rerum mysterium.* LXIX. *Sacerdotum est ad Deum appropinquare.* LXX כהן *Ministrum Regis notat.* LXXI. *Christus Deo proximus solus facultatem habet pro omnibus accedendi.* LXXII. *Tres functionis Sacerdotalis partes.* LXXIII. *Rerum offerendarum tres species. Dona, Victima, Incensum.* LXXIV. *Modus offerendi dona,* LXXV. *Oblatio Victimarum partim ad Dominos.* LXXVI. *Partim ad Sacerdotes pertinet* תרומה & תנופה *quid.* LXXXVII. *Oblatio Incensi quotidiana, & Annua.* LXXVIII. *Tria solemnium precum carmina, a Pontifice die Expiationis recitanda.* LXXIX. LXXX. LXXXI. LXXXII. *Multa observatu digna, circa Benedictionem Sacerdotalem.* LXXXIII. *Omnes muneris Sacerdotalis partes explet Jesus.* LXXXIV. *In ipsius oblatione est aliquid quod respondeat Mincha aut Muneri.* LXXXV. *Quo & fideles designantur per ipsum sanctificati.* LXXXVI. *Et officia pietatis, ab ipsis prastanda.* LXXXVII. *In oblatione sacrificii Christi tres sunt articuli.* LXXXVIII. *Altare hujus oblationis an Divinitas Christi, an crux.* LXXXIX. *Erudita Cloppenburgii observatio.* XC. *Tertius articulus oblationis*

Christi est illatio sanguinis ipsius in cœlum. XCI. *Effectus oblationis est plena peccati expiatio.* XCII. *Eph.* v. 2. *exponitur ex intimis Mosaicorum rituum arcanis.* XCIII. *Argumentum peractæ expiationis in laceratione veli est.* XCIV. *Christus etiam suffimenta adolet in Altari aureo.* XCV. *Intercessio Christi plena auctoritatis est.* XCVI. *Multaque habet respondentia precibus Pontificis Hebræorum.* XCVII. *Nec quisquam eo modo alteri benedicere potest quo Christus.* XCVIII. XCIX. C. CI. *Mysteria omnia benedictionis Sacerdotalis implentur in Benedictione Christi.*

I. *An sacrificia humana inventionis, an Divinæ jussionis sint.*



Homines pios mox ab ineunte mundi ætate sacra DEO fecisse, earum rerum oblatione quas pro cibo iis Divini numinis bonitas concesserat, ignarum esse non potest ei qui sacra Mosis volumina vel fugitivis oculis inspexit. Sed non æque inter eruditos constat, utrum ea sacra faciendi ratio HUMANÆ INVENTIONI, an DIVINÆ JUSSIONI accepta ferenda sit. Non desunt, qui opinentur ita primævos homines naturæ lumine institutos fuisse, ut cultum & honorem conspicuum Deo adhibendum viderent, idque optime fieri potuisse, si quod quisque optimum habuit id ritu sacro Deo redderet. Atque hanc fuisse eorum sacrificiorum originem, quæ, quia pro acceptis beneficiis redduntur Deo, EUCHARISTICA dici solent. Accessisse & hanc opinionem pro prisci ævi ruditate, Deum omnia muneribus concessurum, quasi more humano donis permulceri posset, aut largitione quavis ut paria cum iis faceret obstringeretur. Hinc vero initium sumsisse *sacrificia*, quæ vocantur 'ΕΥΚΤΙΚΑ', sive PRECATORIA. Scilicet nundinationem quandam cum Deo exercebant veteres, itaque cum illo agebant, quasi fœnerator esset, daretque tantum ut acciperet. Præterea & hanc sententiam incessisse priscorum mortalium animos, sacrificiis non minus Deum placari posse, quam homines donis. Hoc autem occasionem dedisse sacrificiis HILASTICIS, sive PROPITIATORIIS. Nam sicuti Regem aut magnatem aliquem munere plerumque donant homines, qui iram ejus emollire student; Prov. XXI. 14. ita & Veteres muneribus sacris eadem fini utebantur, existimantes ea non minus ad Deum quam hominem placandum valere. Quamvis autem hæc omnia rudia satis & crassa forent, Deum tamen tantum indulsisse simplicitati primorum seculorum, ut adspectu habito ad bonam intentionem unde proficiscebantur, pro grato sibi cultu admiserit.

Outram. de Sacrif. Lib. I. Cap. I. §. V.

Spenc. de Orig. Sacrif. Cap. III. Sect. II.

II. *Mosis historia nihil ea de re exserte memorat.*

II. Cæterum quantumvis magnos sententia hæc auctores habet, & quantocunque se eruditionis apparatu tueatur, ab animo tamen

meo impetrare non potui, ut ei adstipularer. Fateor equidem, nullam de sacrificando expressum Dei mandatum in antiquissima Mosis historia exstare: ne ibi quidem ubi primam sacrificiorum mentionem injicit. Sed non arbitror, in isthoc silentio validum pro iis argumentum esse, qui sacrificiorum originem hominibus quam Deo imputare malunt. Quamdiu enim neutrum affirmat Moses, hactenus ea res in ancipiti relinquatur. Et sane magna ac multa primis mundi ætatibus gesta sunt, quorum ille, summæ brevitati studens, ne verbo quidem meminit. Nusquam Enochi vaticinium, nusquam quotidianas Lothi molestias e pravis Sodomæorum moribus ortas, nusquam pia Noæ monita (quæ tamen ab aliis sacris scriptoribus laudantur) in historia sua memoriæ prodidit. Neque vero (quod multo magis refert) Caini & Abelis sacrificia eo fine memoravit, ut summam doctrinæ de sacrificiis exponeret; sed ut inde natum Caini in Abelem odium, nefariumque parricidium, deduceret: quo minus mirum, si, quæ non nisi in transitu attigit, eorum originem docere prætermiserit.

Outram. Lib. 1. Cap. 1. §. v.

III. Quandoquidem ergo per Mosis historiam controversia hæc hactenus indecisa manet; videamus quænam aliunde suppetant argumenta. Atque id quidem ab omnibus mihi concessum iri existimo; sacrificiorum religionem a piis pie præstitam, gratam acceptamque supremo numini fuisse: quippe quod multoties testatur Moses, ipsoque facto demonstravit Deus. Addo, præcipuam cultus externi partem in sacrificiis, &, quæ iis adjunctæ erant, supplicationibus ac gratiarum actionibus, constitisse. Vix enim quidquam aliud, quod huc pertineat, ex primæva antiquitate ostendi potest. Jam vero Sapientiæ, Sanctitati ac Majestati Dei consentaneum est, ut nihil sibi pro magna religionis parte imputari patiatur quod non ipse jusserit. Quis hominum mentem Domini novit, aut fuit ei a consiliis, ut ex suo ingenio determinet, quid pro accepto habere Deus debeat? Quis, suæ omnimodæ à Deo dependentiæ conscius, partem sanctæ ac religiosæ θρησκείας facere præsumat, quod sanctum esse ac ad religionem pertinere a Deo non didicit? quasi in hominis peccatoris & stulti arbitrio positum sit, sanctitudinem rei aut actioni alicui conferre quam ei non contulit Deus, cujus exemplar & voluntas unica omnis sanctitudinis norma est. Denique suprema Imperantis Dei Majestas exigit, ut sicuti ipse solus religiose colendus est, penes ipsum solum sit præscribere quo modo coli velit. Hinc omni tempore damnatus est cultus, quem ex suo sibi corde mortales finxerunt. Nimirum hoc erat Jeroboami crimen, aliquid in religionem introducere אשר בדא מלבו *quod commentus erat*

III. Attamen nullus cultus Deo gratus esse potest quem non ipse jusserit.

corde suo. I. Reg. XII. 33. De talibus cum indignatione dicit Deus, *quis ea requisivit a manibus vestris?* Jes. I. 12. improbatque reverentiam omnem, *quam quis praecepto hominum edoctus est.* Jes. XXIX. 15. Proclamans, *frustra se ab iis coli qui docent doctrinas quae sunt mandata hominum.* Matth. XV. 9. Sicuti & Paulus damnat ea, quae *praescripta sunt ex praeceptis & doctrinis hominum, quamvis rationem habeant sapientiae ἐν ἐθελοθρησκείᾳ in cultu voluntario.* Col. II. 22. 23.

IV. Ἐθελοθρησκεία Paulo damnata.

IV. Non nescio, Clarissimum SPENCERUM ratiocinationem hanc *ut hebetem macharam* contemnere, *quae caussam ipsius non alte vulnerat. Quandoquidem cuivis animum advertenti facile pateat, Apostolum sensu non malo vocem ἐθελοθρησκείας intellexisse, quod ab* Hammondo *&* Grotio *probatum sit: neque quisquam omnem cultum ex humano tantum ingenio & instituto profluentem superstitionis arguere queat, quin ipsam generationem filiorum Dei damnet Ecclesiam, inquam, tam Judaicam quam Christianam, quam multis exemplis manifestum sit, ritibus humano tantum ingenio excogitatis cultum Deo gratum exhibuisse.*

V. Caeterum ut a postremo illo ordiar, equidem strenuè negare ausim, Ecclesiam, sive Judaicam, sive Christianam, unquam Deo aliquid pro magna religionis parte obtrusisse, quod ipse non jusserit, & acceptum tamen habuerit: velimque illud, non *multis exemplis*, quod oppido confidenter dicitur, sed vel unico demonstrari. Non loquor de exigua & indifferenti *cultus circumstantia*, sed de *notabili cultus parte.* Aeternae veritatis est hoc Domini praeceptum, quod Moses populo Israëlitico tradidit Deut. XII. 22. *Unamquamque rem quam ego praecipio vobis eam observantes facite: ne addito ei, neque detrahito ex ea.*

VI. Nunc Pauli mentem expendamus. Certum est, argui a Paulo eos qui sequuntur ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας ἀνθρώπων, quidquid iis commendandis praetexant male feriati superstitionis doctores. Praetexere autem solent, quod iis insit λόγος σοφίας *ratio sapientiae*, arcanae significationes, religionis decus & concinnitas, & manuductio ad majora ac sublimiora: itemque quod in iis sit ἐθελοθρησκεία, quam vocem *Beza* & *Grotius* non male exponunt per נדבות, *cultum sponte susceptum*, & usurpatur hic eo sensu qui ad defensionem & commendationem talium institutorum faciat. Dicebant religionem fervidam non esse contentam iis quae necessaria sunt, exiguae virtutis esse eam probitatem quae regulis circumscripta est, ultra aliquid & ultro tentandum esse sublimioris pietatis studioso, Deum grata habuisse נדבות *sponte oblata*; atque ita commendabant sua instituta de quibus nulla

nulla Dei lex exstat. Sic illi quidem. Sed Apostolus prætextus illos & colores futiles esse docet, & mera Satanæ sophismata, quibus humanæ inventiones in rebus Divinis palliantur: adversus quas diligenter admodum Christianos commonefacit. Breviter docet omnem ἐθελοθρησκείαν, quocunque etiam prætextu coloratam, in iis omnibus quæ humanæ inventionis sunt, displicere Deo.

VII. Cæterum ad sacrificia redeamus. Validum pro eorum institutione Divina argumentum suppeditat Paulus Heb. XI. 4. Fide potius sacrificium Abel præ Caino obtulit Deo. Ubi ante omnia inquirendum est, quid hic per fidem Apostolus intelligat. Id autem non aliunde certius discamus, quam ex ipso. Initio capitis ita describit fidem, ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. *Est autem fides illud quo subsistunt quæ sperantur, & quæ demonstrat quæ non cernuntur.* Quibus verbis docet, fide contineri spem, quæ utique promissione Dei & credendi mandato nititur: ac talem quidem spem quæ ὑποστάσεως nomen mereatur, id est, firmissimam, solidissimam, inconcussam, quæ res speratas ὑφίσταται *pollicetur sibi*, tanquam periculum omne & aleam ambiguitatis subiens, vel ὑφίστησι *sistit*, & quodammodo repræsentat, quasi jam haberet. Docet porro fidei inesse ἔλεγχον, *demonstrationem* & argumentum convincens, & *convictionem* animi ex tali argumento ortam; adeo quidem ut fidelis fidei suæ non minus certum fundamentum habeat, quam Mathematicus aliquis earum demonstrationum quæ animo ut evidentissimæ obversantur. Demonstratio tam evidens, & convictio tam valida, aliud sui fundamentum habere nequit præter infallibilem Dei de se suaque voluntate testantis veracitatem. Talis autem fides plurimum distat a qualicunque persuasione, qua quis citra ullum Divinæ voluntatis indicium sponte præsumit, se rem Deo gratam præstare. Præterea observandum est, Paulum dicere, non quod Abel tali fide *vixerit*, aut *justus fuerit*, sed tali *fide obtulerit*, ut fides oblationis principium fuerit. Quum autem fides Paulo descripta mandato & promissione Dei nitatur, consequens est ut ex mandato Dei obtulerit, exspectaveritque tale sacrificium gratum futurum esse Deo secundum promissionem. Addatur & illud, per fidem obtulisse Abelem *potius sacrificium*, sic ut ratio, cur illud acceptius Deo fuerit quam Caini oblatio, in Abelis fide collocetur. Cæterum persuasio, quæ ex mera propriæ inventionis præsumtione oritur, & cum crassa Dei ignorantia conjuncta est, neque fidei nomen meretur, neque potest officium aliquod Deo gratum facere.

VII. *Fides qua Abel gratum Deo sacrificium obtulit Dei jussione & promissione nixa fuit.*

VIII. Plurimumque distat a tam inscita persuasione qualem priscis attribuit Spencerus

VIII. Quibus rite observatis sua sponte concidunt Doctissimi *Spenceri* exceptiones. Dictat ille, *fidem illam quæ Abelis donum* πλείονα θυσίας *titulo dignum fecit, fuisse persuasionem tam firmam & alte fixam de propenso Dei in pios omnes affectu, & præmiis amplissimis in pie viventes conferendis, ut vitam suam ad pietatis regulas instituerit, & non tantum bona sua sed & se ipsum Deo dederit.* At vero Apostolus hic non de ea fide agit quatenus generatim *principium probæ vitæ*, sed quatenus speciatim *principium boni sacrificii* fuit. Quærendumque restat, quo fundamento nixa fuerit Patriarcharum persuasio de propenso Dei erga sacrificia sua animo. Quum enim, sicuti optime argumentatur Vir Doctissimus, *humanæ menti, naturæ Divinæ scientia vel leviter imbutæ, manifestum sit, sacrificio per se spectato nihil inesse, unde ullo apud Deum in pretio esse possit:* necesse est aliunde aliquid accedere quod persuasionem gignat, *victimas* ὀσμὴν εὐωδίας *Deo Spirituum præbere posse, Deumque ritus, merum sanguinem olentes, cultus & obedientiæ loco habere voluisse.* Unicum, quod Viro Doctissimo restat, hoc est: *Si sacrificium*, inquit, *tanquam animi Deo devoti & obstricti signum spectetur, novam quasi frontem & speciem induit; & Patriarchæ ex insitis bonitatis & gratiæ Divinæ notitiis, sibi facile persuadere potuerunt, Deum hujusmodi munus, grato & devoto animo oblatum, benigne accepturum.* Interim non diffitetur, *pecudis oblatæ carnem, quo minus conveniebat cum* Dei *natura, eo magis convenisse cum ruditate primorum hominum.* Additque, *si nihil incongruum, nihil insulsum, nihil temporum antiquiorum simplicitatem sapiens, in hujusmodi ritibus & religionibus percipere liceret, suspicioni locus esset, illos temporum illorum ingenium superare.* Cæterum id meum ingenium captumque superare fateor, persuasionem tanta cum ruditate ac supina Dei ignorantia conjunctam, in qua tot incongrua atque insulsa, veluti agmine facto, coëunt, fidei nomine decorari, quæ non solum ipsa veniam & gratiam mereatur, sed & alia officia inde profecta Deo grata præstet. Mihi certe non lubet, de priscorum hominum pietate ac religione tam exiliter & contemtim arbitrari.

IX. Fuit autem fides de Sacrificio Messiæ.

IX. At nondum defuncti sumus omni argumentationis nostræ valentia. *Fide potius sacrificium offerre* plura notat, & majora iis quæ hactenus adstruximus. *Fides* illa qua *testimonium justitiæ nactus est* Abel, est *fides promissionis de semine mulieris* contrituro caput serpentis, sed cujus calcaneus rursus a serpente conterendus foret. Huc enim omnis Pauli argumentatio ducit, justitiam coram Deo ex fide Messiæ esse. Abel itaque fide offerens, non existimavit sacrificium per se Deo placere, aut propter piam animi intentionem Deo gratum esse, aut quomodocunque valere ad satisfactionem pro peccato, vel impetrationem juris

juris ad vitam. Hoc enim si per fidem intelligeret Apostolus, sibi ipsi adversarerur, quum contrarium tota Epistola disputet. Sed Abel sacrificando oves, & adipes earum offerendo, testatus est, se credere, ad justitiam, hoc est, ad jus vitæ æternæ, necessarium esse sacrificium boni odoris, quod sanguine & adipe pecuino melius esset. Igitur in sua oblatione meditatus est potiorem oblationem, a semine mulieris suo tempore præstandam. Quod quum non attenderet aut flocci penderet Cain, illa fidei solertia destitutus, hinc Abelis oblatio potior fuit illa Caini. Omnia hæc inferunt revelationem Dei de sacrificiis, eorumque fine.

X. Sacrificia per se Deo non placere, Ethnici paullo humaniores agnoverunt.

X. Fricemus paululum hanc aristam. Deum ex humano ingenio æstimare, qui donis muneribusque delectetur aut placetur, vægrandis, fœdus, ac pio homine indignus error est. Nam, uti judiciose Clarissimus *Spencerus* disputat, *sacrificiorum materia (pecudum caro, sanguis fusus, & hujusmodi alia) tam vilis est, & a summa Dei Majestate tam longe dissita, ut nemo (nisi plane simplex & rerum rudis) quin sacrificia plane superflua, Deoque prorsus indigna sint, facile judicaret. Sane tantum aberat, ut Ethnici paulo humaniores sacrificia Deorum suorum naturæ consentanea crederent, ut iis non raro mirari subierit, unde ritus tam tristis, & a natura Deorum alienus, in hominum corda venerit, se tam longe propagaverit, & eorum moribus tam tenaciter adhæserit.* Quæ quum ita sint, cui probabile evadat, Sanctos Patriarchas, familiares atque necessarios Dei, tam turpi errore imbutos fuisse, a quo gentiles, omni numinis communione & commercio destituti, abhorruerunt? Quis etiam credat, sacrificia ex tam stulta opinione oblata, Deo placere potuisse? neque potius indignatum esse Deum, *ita se ex ingenio humano æstimari, ut munera non minus apud Eum quam apud homines valere judicentur?*

XI. Patriarchæ itaque aliud in iis consideraruut: & quid potius, quam sacrificium Messiæ? Adde Præf. §. XXIV.

XI. Quandoquidem ergo neque sacrificia propter se Deo placuerunt, neque tam præ gentilibus bardi fuerunt Patriarchæ, ut id existimarent; aliam rationem subesse oportuit, cur & Patriarchæ tanta sacrificiorum religione tenerentur, & Deus ea sibi grata esse testaretur. Quæ autem ratio verior excogitari potest, quam quod sacrificia rerum aliarum symbola ac figuræ fuerint, quæ magis cum natura Dei & sapienti piorum hominum meditatione convenirent? Porro quum talia quoque oblata fuerint sacrificia, quæ propitiando numini, & expiandis peccatis destinata erant; quid illa convenientius significare potuerunt, quam verum illud Messiæ sacrificium, quod unice huic fini idoneum est? Et quid dignius amicis Dei, quam occasione suarum oblationum, eo animi sui cogitationes convertere? Quid denique vetat, quo

minus hæc ita se habuisse statuamus? An prorsus ignorarunt Patriarchæ doctrinam de futura per Messiam propitiatione? An caruerunt omni Evangelio, illiusve intellectu? An sacrificia eorum, præsertim hilastica, non fuerunt idonea præfigurando sacrificio Christi? Eccur minus, quam sacrificia postmodum lege Mosaica instituta? Nonne pium fuit, offerentes de Sacrificio Christi cogitare? Nonne hoc dignius Patriarchis, quam deliria illa a quibus gentes abhorreant? Nonne ejusmodi meditatio *fidei* nomen magis meretur, quam nescio quæ persuasio, nulla probabili ratione nixa, de Deo muneribus placando? Denique, potestne quicquam fingi quod dignius vicem caussæ sustineat, ob quam victimas benigne acceptaverit Deus Spirituum?

XII. *Probabile est tunicas Adami pelliceas exuvias fuisse oblatarum Deo animantium.*

XII. At ne hic quidem subsistamus. Primum sacrificium, cujus exserta in sacris mentio exstat, est sacrificium Abelis. Non tamen illud absolute primum fuisse, multa persuadent. Et sane ita memorat Moses, ut de re eo tempore sueta loqui videatur. Ulterius ergo enitamur. Atque hic quidem nihil occurrit ita certum ut pro demonstratione obtrudi queat: at conjectura tamen tantæ probabilitatis, quanta in hoc rerum genere merito desiderari potest. Postquam Deus primævos homines consolatus esset prima Messiæ, & salutis propter ipsum donandæ, promissione, fecit Adamo & uxori ejus *tunicas pelliceas: quibus amicivit eos.* Gen. III. 21. Pelles illæ exuviæ erant animantium. At quomodo exstinctarum? An sua morte? Sed id ne speciem quidem veri habet. An mactatarum, ut carnes in superficie terræ, aut subter illam putrescerent? aut ut homini, aliisve animantibus pro cibo essent? Nihil horum ut probabile se animo commendat. Quid restat ergo, nisi ut vero consentaneum statuamus, Deum jam ab eo tempore promulgationem gratiosi fœderis non sine sanguinis effusione dedicasse, ita quidem ut adeps cum carne in suum honorem combureretur, pelles vero Adamo, uti primo Sacerdoti, cederent. Atque hæc videtur origo illius legis esse, quæ exstat Lev. VII. 8. *Sacerdos quum offert holocaustum alicujus, pellis holocausti quod obtulerit, illius Sacerdotis esto.*

XIII. *Ejus rei mysterium.*

XIII. Qui nihil in his mysterii videre vult, is nobis non invideat, ut ad honorem sapientiæ & bonitatis Divinæ videamus: credamusque hæc non sine sapientissima ratione ita a Deo facta, a Mose scripta fuisse. Quem ipse sibi homo excogitaverat amictus, ita eum tegere non poterat, ut oculos Dei sustineret. Quidquid sua industria, & falsi nominis scientia, moliatur peccator, nihil efficiet quo id sibi conciliare queat, quocum coram tribunali Dei compareat. *Tela eorum aranearum sunt; non erunt pro panno, neque operient se factis suis.* Jes. LIX. 5.6.

5. 6. Idoneæ vestes Divinæ clementiæ donum erant. *Justitia* qua peccata nostra teguntur, *ex Deo est*. Philip. III. 9. Ex spoliis mortalitatis, & exuviis mactatarum animantium, teguntur corpora protoplastorum. Vestis gratiæ, qua corpus peccati tegitur, ex ipsa morte Christi est: neque sine mortis illius interventu constare potest justitia illa, quæ acceptos nos Deo faciat. Certe Christi est suis dicere: *Consulo tibi ut emas a me vestimenta alba, quibus amiciaris, ne appareat dedecus nuditatis tuæ.* Apoc. III. 18.

XIV. Discrimen animalium mundorum & immundorum ante diluvium est, & ad sacrificia pertinet.

XIV. At nec contemnendum pro hac sententia argumentum suppeditat distinctio *animalium mundorum & immundorum*, jam ante diluvium Noacho nota: quod non obscure sacra historia innuit. Gen. VII. 2. 8. & VIII. 20. *Munda* autem animalia illa censebantur, quæ *homini* cedebant *in cibum*; & *Deo immolabantur* in altari. Hæc enim duo jungi Deus voluit, partim ut homo suam eo clarius demonstraret Deo gratitudinem, quando id offert quod sibi ad vitæ suæ sustentationem datum, atque idcirco charissimum est; partim ut eo manifestius doceretur substitutio sacrificii pro homine. Homo enim, vitæ suæ sustentacula offerens vitam ipsam offerre videtur. Porro discriminationem istam animantium, vel ab *homine* profectam esse oportet, vel a *Deo*. Si ab hominibus est excogitata, vel *naturali ratione*, vel *mera superstitione*, eo deducti sunt. At naturalis ratio non docet, ullum animal a Deo conditum per se immundum esse. Si enim natura immundum esset, semper, ubique, & omnibus immundum maneret. Et naturalis ea immundities qua in re consisteret? An quod animalia immunda omnia parum salubre corpori alimentum suppeditent? At repugnat ars medicorum, & quotidiana omnium nationum experientia. An quod animis hominum immunditiem aliquam affricent? At quis credat cervos & capros, præsertim in calidis illis regionibus, pauciora vitiorum irritamenta præbere, quam cuniculos verbi gratia aut lepores. Si ergo, quod natura non docet, mundorum atque immundorum animantium discrimen suopte homines ingenio excogitarunt, cui rei id adscribendum est, nisi vanæ alicui aut scrupulosæ superstitioni? At qui fieri potest, ut superstitio ejusmodi tam solemnem Dei approbationem mereatur, qualis, ut alia taceam, lege saltem Mosaica expressa est? Restat ergo ut discrimen hoc animantium, non ab hominibus, sed ab ipso constitutum sit Deo: ob rationes non naturales, aut morales, sed ceremoniales, & ab arbitrio supremi Legislatoris pendentes. De quibus eleganter *Cunæus: De Rep. Heb. Lib. II. Cap. XXIV. Multa illic in impurorum censu posita sunt, non natura vel rationis dictamine;*

sed incerta Numinis voluntate. Caussas itaque earum rerum exquirere anceps est; nec ideo assequare. Si ergo discrimen animantium mundarum & immundarum Noachi ævo cognitum fuerit; si discrimen illud ad sacrificia pertinuerit; si denique idem a Deo constitutum sit; consequitur, usum sacrificiorum jam ante diluvium a Deo ordinatum fuisse.

XV. Nec video quid excipi queat, nisi quis animum induxerit cum *Spencero* contendere, Mosen, quum ad eos scriberet quibus jam nota lex erat, mundorum & immundorum animalium in historia diluvii κατὰ πρόληψιν mentionem fecisse. Verum ejusmodi fictio προλήψεως, quum plerumque ex præjudiciis aliunde haustis procedat, merito suspecta esse debet; præsertim si fundamento destituta sit, & vim textui inferat. Quod utrumque hic est. Quodnam enim hic vel minimum se prodit indicium, quod suspicionem anticipationis faciat? Audio *Spencerum* dicentem *Lib.* I. *Cap.* V. *Sect.* I. *extra fidem omnem esse, Deum hujusmodi institutis, nulli usui tunc temporis futuris, Noachum & posteros ejus onerare voluisse.* At hoc ipsum est quod controvertitur, non argumentum ad controversiæ determinationem. Addo, fictam hanc anticipationem vim facere textui. Dicit Deus Noacho, *Ex omnibus pecudibus mundis accipito tibi septenas, ex immundis binas.* Paruit Noachus jussui, & venientes ad se tam mundas quam immundas, statuto numero, recepit intra arcam. Finito diluvio, ex omnibus tam pecudibus quam volucribus mundis holocausta obtulit Deo. Quis hic, nisi male consulto anticipationis amore captus, opponere sustineat, Deum nihil de discrimine animalium monuisse, aut Noachum id non intellexisse, quum disertus historiæ sermo solis radiis descriptus esse videatur? Ponamus, Deum omnes animantium species non mundarum aut immundarum titulo, quod tamen verba Historiæ habent, sed nominibus suis, distinctas, Noacho proposuisse: at hoc certe negari, aut in dubium vocari, non potest, Noachum scivisse eas animantes ex quibus septenas in Arca habuerat, ad sacrificia Deo acceptas fuisse, reliquas non fuisse. Non enim ipse fortuito, aut inconsulto, hoc discrimen usurpavit.

XVI. *Hebræorum nugæ de bove quem Adamus obtulerit.*

XVI. Atque hæc nobis de prima sacrificiorum origine disputata nunc sunto. Nam quæ de bove ab Adamo oblato, qui uno cornu fuerit instructus, & cui, quum e terra matre editus est, cornu prius emersit quam pedes, Judæorum Magistri nugantur, commemoratione nostra indigna sunt. Ex quibus si mysteria elicere coneris, mage majores nugas egeris. Cui tamen volupe est ea non ignorare, is *Bochartum* adeat, *Hierozoici Lib.* III. *Cap.* XXVI. *p.* 944.

XVII.

XVII. Lightfooti ingeniosa commentatio in Gen. IV. 7.

XVII. Aliquanto plausibilior est *Lightfooti* commentatio in orationem illam qua Cainum compellat Deus Gen. IV. 7. *Nonne, si bene egeris, futurum est ut Deo acceptus sis? si autem non egeris bene,* לפתח חטאת רבץ, *peccatum*, id est, victima ad expiandum peccatum, *ante fores cubat.* Quasi vellet Deus dicere, modo pœniteat te male consulti, non est quod despondeas animum: in promtu est victima, cujus oblatione, cum pœnitentia conjuncta, veniam consequaris. Ita Deus, quum primam fidei annuntiationem proposuisset Adamo in promissione Christi, Gen. III. 15. Caino proposuerit annunciationem pœnitentiæ, cum doctrina de sacrificiis expiatoriis. Sed & hæc explicatio multis obnoxia est exceptionibus; tantumque recedit a recepta interpretatione, ut eam pro solido argumento venditare non ausim. Suffecerint ea, quæ haut paullo firmius in superioribus adstructa sunt.

Adde Præfat. §. XXV

XVIII. Sacrificandi jus initio nulli ordini adstrictum fuit.

XVIII. Aliud nunc ordiamur caput: inquiramusque, QUIBUS OLIM SACRIFICANDI JUS FUERIT. De qua re ita existimo. *Unicuique* fas fuit ab antiquissimis temporibus, sua sibi *privatim* sacra facere: quod *Caini* atque *Abelis* historia evincit. Qui enim utrumque fratrem sacra Deo destinata ad Adamum adduxisse dictant, ab ipso rite porricienda; illi cur sic dictent, nullam idoneam caussam adferunt. Ipsaque adeo historia satis docet, sacrificiis istis patrem non interfuisse; cujus cæteroquin auctoritas litem fratrum dirimere potuisset. *Domestica* sacra ab eo facta esse credibile est, qui *caput familiæ* erat. Eoque jure *Noachus*, *Jacobus*, *Jobus* pro familia quisque sua immolarunt. Gen. VIII. 20. XXXV. 3. Job. I. 5. Postquam ex multis familiis majores cœtus in integrum *populum* coaluerunt, & pro toto populo sacrificari cœptum est, jus sacrificandi, modo vellet, penes *principem* cœtus fuit. Sic *Melchisedecus* & *Rex* simul & *Sacerdos* erat. Eodemque jure *Moses* aram eo sanguine imbuit, quo sancitum fœdus Israëliticum est. Exod. XXIV. 8. Cui in hoc sacro ministrarunt נערים *pueri*, sive *Juvenes filiorum Israëlis, qui obtulerunt holocausta, & sacrificaverunt sacrificia Eucharistica Jehovæ.* ib. vers. 5. Quales dicuntur כהנים הנגשים אל יהוה, *Sacerdotes appropinquantes ad Jehovam.* Exod. XIX. 22. Neque tamen ex his apparet, speciali Dei institutione certo alicui ordini, certisve personis, sacrificandi munus adstrictum hactenus fuisse.

XIX. Neque pertinuit ad prærogativas Primogenitorum.

XIX. Nam quod multi, etiam eruditissimi homines, Judæis crediderunt, Sacerdotalem dignitatem ad *primogenitorum prærogativas* pertinuisse, id nullo solido argumento adstrui, imo multis exemplis destrui, demonstrarunt *Outramus, De Sacrif. Lib.* I. *Cap.* IV. & *Ouvven. in Epist. ad Heb. Tom.* II. *p.* 156. *& seq.* Ego quoque pro mea

copia

copia aliquammulta ad hanc materiam pertinentia olim congesseram, sed quum eam nunc occupaverit Doctissimus Vir, *Campegius Vitringa*, copiosa atque eleganti dissertatione, quæ exstat *Observat. Sacr. Lib.* II. *Cap.* II. *&* III. eò se ablegari patiatur lector æquus atque ingenuus, ubi omnibus, quæ communis sententia ingeneravit, præjudiciis solutum sese, nisi fallor, deprehendet.

XX. *Libertas hæc est figura latioris libertatis.* XX. Nec indigna observatione nostra prisca hæc sacrificandi libertas est, quippe quæ cogitationes nostras ducit ad felicissima Novi Testamenti tempora, quibus omnibus datum est, sine discrimine, fidelibus; ut *Reges ac Sacerdotes Deo sint*; Apoc. I. 6. *ad offerendum spirituales hostias Deo per Jesum Christum.* I. Pet. II. 5.

XXI. *Promissa per Jesaiam.* XXI. De quo insigni bono præclare vaticinatus Jesaias est. Cap. LVI. 3. 4. 5. *Ne loquatur alienigena qui se adjungit Jehovæ, dicendo, omnino discrevit me Jehova a populo suo: neque dicat Eunuchus, en ego sum lignum aridum. Nam ita ait Jehova de Eunuchis qui observaverint Sabbata mea, & elegerint id quo delector, apprehenderintque fœdus meum: Etiam daturus sum eis in domo mea, & intra muros meos,* יד ושם *spatium & nomen melius quam filiorum, nomen perpetuum daturus sum eorum cuique quod non exscindetur.* Quæ ut intelligantur, observandum est, *alienigenas* quosdam, & imprimis *Eunuchos*, Lege Mosaica *exclusos* fuisse *congregatione Jehovæ*, omnibusque populi Israëlitici privilegiis. Deut. XXIII. I. 2. 3. Hinc nata ipsis insignis querelæ materia. Quam præstantissima hac promissione tollit Deus, futurum esse spondens, ut non solum *populi* privilegiis, sed & *Levitarum* ac *Sacerdotum* prærogativis gaudeant. *Israëlitis* singulis *spatium* & *nomen* erat in *terra Canaan.* Josua enim in distributione terræ *nomina* capitum, quæ in singulis familiis erant, referebat in indicem; singulisque nominibus adsignabat suum habitandi ac possidendi *spatium*. *Levitis* autem nulla certa hæreditas attributa est: *Jehova erat portio hæreditatis eorum.* Maxime *Sacerdotum*. Ipsorum *nomina* & *classes* in *templo* erant descripta, ubi & *spatium* commorandi, in conclavibus circa templum ipsiusque atria, concessum ipsis erat. Et hæc quidem ipsa, quæ *Sacerdotibus* olim privata erant, promittit Deus *Eunuchis*, id est, iis qui ab omni dignitate populi sui, & cummaxime Sacerdotii, remotissimi esse videbantur.

XXII. *Et Jeremiam* XXII. Eodem pertinet non minus præclarum Jeremiæ oraculum, alibi quoque a nobis excussum. Cap. XXXI. 12. 14. *Venientes cantabunt in Excelso Sionis, & confluent ad bonitatem Jehovæ, ad frumentum, & mustum, & oleum, ad fœtus gregis & armenti, eritque anima ipsorum similis horto irriguo, neque pergent mœrere amplius. Et irrigabo animam*

animam Sacerdotum pinguedine, & populus meus bonitate mea saturabuntur, dictum Jehovæ. In *Sione* ædificatum erat *Templum. Templum* ipsum cæteris partibus *Sionis celsius*. In Templo *Sanctuarium* celsius *Atriis*. At *Sanctum Sanctorum* omnium *celsissimum. Israëlitis* e plebe nefas erat ulterius quam in *atria* se ingerere. Solis *Sacerdotibus* licebat in *Sanctuarium*, atque uni *Pontifici* in *Sanctum Sanctorum* pedem penetrare. *Sacerdotum* etiam erant quæ in *Sionem* conferebantur, neque cedebant *Altari*: eaque, quum Domino sacrata essent, *Domini bona* nuncupabantur. At hic prædicitur futurum esse, ut soluto lytro, redemto Israële, & vindicato ex manu robustioris, cuivis aditus pateat, liceatque *omnibus* promiscue, non in *Sionem* solum, sed & in *Excelsum Sionis* venire, ibique propter partam salutem *jubilare*. Nulla celsitudine excepta, ut ibi *Sacerdotum* gaudeant præminentiis, & ubertim iis bonis fruantur, quæ ex inexhausta bonitate sua intimæ familiaritatis amicis largitur Deus: ne *pinguedine* quidem demta, quam olim *Aræ* suæ reservaverat, ibi cremandam.

XXIII. *Initio Reipublicæ Israëliticæ Moses extra ordinem Pontificatu functus, jus Sacerdotii adstrinxit ad familiam Aaronis.*

XXIII. Ex quo *Regnum* sibi in populo Israëlitico formavit *Deus*, prorsus aliam faciem *Sacerdotium* induit. Tunc enim *privatum singulis* sacrificandi jus *ademtum*, *publicumque Sacerdotium* a *Principatu* disjunctum, & ad Aaronem illiusque posteros Divino jussu translatum est. Nisi quod Moses in deserto multa ut *Sacerdos*, *jure singulari*, peregerit. Quin & ipse Aaronem filiosque ejus, jussu Sanctissimi numinis, solemnibus septem dierum ritibus, tunc primum institutis, initiavit. Lev. VIII. Neque *Sacerdos* duntaxat ille, sed & *Sacerdos summus*, seu Pontifex, censebatur. Unde *Philoni*, *de ejus vita*, non semel tam ἈΡΧΙΕΡΕΎΣ, quam *Rex*, & *Legislator*, & *Propheta* dicitur. Exstatque de eo in *Semoth Rabba*. *Sect.* XXXVII. hæc traditio, laudata *Seldeno de Success. in Pontif. Lib.* I. *Cap.* I. *Tradunt Rabbini, per cunctos annos quos in deserto transegerunt Israëlitæ*, Mosen *summi Sacerdotii, seu* PONTIFICATUS *munus tenuisse; tametsi fuerint quorum sententia est, id eum minime fecisse nisi per septem dies initiationis.* Profecto credibilius est, initiato semel Aarone, Mosen functionibus Pontificatus supersedisse.

XXIV. *Certisque definivit legibus.*

XXIV. Ab eo tempore omnia ad Sacerdotes, eorumque functionem pertinentia accuratissimis legibus definita sunt. Quæ nostræ nunc potissimum considerationis erunt: ita quidem ut ea præ cæteris attendamus, quæ illustrioribus typis MESSIÆ SACERDOTIUM præfigurarunt. Ut autem in tanta rerum docendarum ubertate ordine procedamus, distincte observabimus *tria* hæc summa Capita. I. Sacerdotum Personas. II. Consecrationem. III. Functionem.

XXV. In Personis Sacerdotum quid fuerit requisitum.

XXV. In PERSONIS Sacerdotum requirebantur quatuor. I. NATALIUM DIGNITAS. II. CORPORIS INTEGRITAS. III. ANIMI SANCTITAS. IV. MATRIMONII CASTITAS.

XXVI. Natales Sacerdotum.

XXVI. NATALES quod attinet, debebat Sacerdos esse I. *Ex fratribus suis*, gente ISRAELITA. *E medio filiorum Israëlis*. Exod. XXVIII. 1. II. *Ex tribu* LEVI. Deut. XXXIII. 8. 10. *De Levi dixit, Thummim tui & Urim tui penes virum quem beneficio prosequeris. Docent judicia tua Jacobum, & legem tuam Israëlem, apponunt suffitum ad faciem tuam, & prorsus consumendum ad altare tuum.* Hinc & *Aaron*, *Levita* indigitatur. Exod. IV. 14. Et Paulus, Mosen secutus, *Leviticum Sacerdotium* nuncupat. Hebr. VII. 11. III. *Ex familia* AARONIS. Num. III. 10. *Aaronem vero & filios ejus præficito, ut observent Sacerdotium suum: nam quicunque extraneus accesserit morte plectetur.* Ubi *extraneus* non eum modo notat qui non est *Israëlita*; sed & eum qui non est *Levita*, imo quemcunque qui non est ex familia *Aaronis*. Quod *Korachi Levitæ* cum *Mose* & *Aarone* de Sacerdotio litigantis fœdus tremendusque exitus docet. Num. XVI.

XXVII. Samuel, non Aaronides, extra ordinem Sacerdos fuit.

XXVII. Non exiguam difficultatem creat SAMUELIS historia: qui *Aaronides* non fuit, sed *Levita*, ex stirpe hujus ipsius *Korachi*, qui tam illætabili fato inclaruit. 1. Chron. VI. 22. 27. 28. Et tamen aliquoties sacrificasse legitur: etiam pro universo populo, Deo testimonium acceptationis sacrificio ejus perhibente. 1. Sam. VII. 9. 10. imo Deo jubente. 1. Sam. XVI. 2. 5. Hic in diversa abeunt tam Hebræi quam Christiani interpretes. Nonnulli volunt, Samuelem non sua manu sacrificasse, sed per Sacerdotes quibus id officii erat demandatum. At id vix videtur ferre historiæ simplicitas, in qua nullum est vestigium præsentis alicujus præter Samuelem Sacerdotis. *Kimchius* ergo existimat, in Lege Sacerdotali duas fuisse exceptiones: unam, si nullus esset certus locus, ubi sacra fierent; tum enim erat jus non solum in Excelsis, sed & a privatis hominibus, rem Divinam procurari: alteram, si Propheta aliquis a Deo esset excitatus. Ita enim *Josuæ*, ita *Eliæ*, ita etiam nunc *Samueli*, licuisse sacrificare. Nam Samuëlem constabat esse Prophetam, & Templum nondum erat ædificatum; Arca nullum habebat certum locum, in Silo omnia erant confusa atque turbata. Certe hac auctoritate Prophetica & alia fecit Samuel, quæ cæteroqui cum legis præscripto haut examussim conveniunt. Nam & agnum in Mizpa immolavit; & in Ramoth, ubi erat domus ejus, ædificavit altare; & diversas civitates obire solitus fuit, ut in iis sacrificaret. Sed facta Prophetarum sunt quodammodo privilegia. Nihil enim innovabant nisi instinctu

Spi-

Spiritus Sancti, qui legem non habet. Imo quum probabile sit, Samuelem sæpe solitum fuisse sacrificare pro salute Reipublicæ, non male hinc inferunt Viri Doctissimi hoc privilegium Samuelis, quod *dispensatione Divina*, extra lineam *Aaronis*, ex filiis *Corachi* vocatus fuerit Sacerdos, vocatione extraordinaria præfectus Sacerdotio ordinario. Vide sis *Cloppenburgii Scholam Sacrif. Spicilegii Problem.* 11.

XXVIII. Samuelis itaque Sacerdotium, quale quale fuerit, sane extraordinarium aliquid habuit. Neque videtur ea res carere mysterio. Id certe isthac sive dispensatione, sive derogatione legis communis de persona Sacerdotum, ostendit Deus, universam legem de linea Sacerdotali juris arbitrarii esse: atque idcirco nihil obstare, quo minus Deo integrum sit eam pro suo libitu immutare. Uti revera totam abrogavit, introducto meliori Sacerdotio secundum ordinem *Melchisedeci*; cujus Sacerdos non est ex iis quorum majores attenderunt altari. Attamen quamdiu Politia Mosaica obtinebat, communi lege nemo ad Sacerdotium admittebatur, nisi qui ex familia Aaronis.

XXVIII. *Quo exempli liquet, legem de linea Sacerdotali juris arbitrarii esse.*

XXIX. Cæterum neque id sufficiebat ad natalium dignitatem, nisi IV. loco accederet ut *Aaronides* ille EX HONESTA FOEMINA, non *scorto*, non *gentili*, non *serva*, natus esset. Nimirum certæ matrimonii leges præscriptæ Sacerdotibus erant, de quibus mox agemus. Unde consequitur neminem non a Sacerdotio arcendum fuisse ut profanum, qui ex concubitu Sacerdotibus interdicto natus erat. Quod & *Josephus* tradidit in *primo contra Appionem*. Δεῖ τὸν μετέχοντα τῆς ἱερωσύνης ἐξ ὁμοεθνοῦς γυναικὸς παιδοποιεῖσθαι. *Oportet eum qui Sacerdotii particeps fuerit ex ejusdem gentis muliere nasci.* Huic fundamento suam loquendi libertatem, vel proterviam potius, superstruxit *Eleazarus Pharisæus*, *Johannem Hyrcanum* hoc modo in liberali convivio compellans: *Quandoquidem ais te cupere audire veritatem, si vis justus esse, abdica te Pontificatu, & contentus esto principatu populi.* Illo vero caussam postulante, cur ita rogaret ut se Pontificatu abdicaret: *quia*, inquit, *audivimus a senioribus, matrem tuam captivam fuisse regnante Antiocho Epiphane. Joseph. Antiq. Lib.* XIII. *Cap.* XVIII. Falsus quidem erat ille rumor. Sed ex hac Pharisæi oratione facile elicitur, receptam fuisse sententiam, de *captivæ* filio ad successionem Pontificalem non admittendo, nec in ea retinendo.

XXIX. *Sacerdotem nasci oportuit ex matre honesta.*

XXX. Porro ut de hisce omnibus certo constaret, neve hujusmodi inquinamenti suspicio cuiquam fraudi foret, aut fama de familia inquinata functioni Sacerdotali adversaretur, in *tabulas genealogicas*, parentum nomina, genus, qualitatem, Sacerdotes præcipue referre solebant, unde natalium puritas, qualem sacra functio requirebat, præ-

XXX. *Tabulæ Genealogicæ Sacerdotum diligenter adservatæ.*

præsto assereretur. Qua de re Ezr. II. 62. Neh. VII. 64. Quod non modo in Judæa, sed & alibi observatum esse *Josephus Lib.* I. *contra Apion.* monet. *Atque hæc facimus,* inquit, *non solum in Judæa ipsa, verum ubicunque nostri generis cœtus reperitur, & simul cura Sacerdotibus habetur legitima conjugiorum. De iis loquor qui degunt in Ægypto & Babylone, & qui sunt alibi in terrarum orbe dispersi ex Sacerdotum genere. Nam mittunt Hierosolymas, ut descriptum habeant, nomen tum parentum, tum qui superiores erant majorum, præter rei testes.*

XXXI. *Ex quibus Senatus Magnus de familia judicabat.*

XXXI. Notabile est quod *Maimonides* docet *Biath Hammikdas. Cap.* XXVI. Senatum Magnum in Cubiculo cæsorum lapidum quotidiani id negotii habuisse, ut de Sacerdotum familiis judicet. Quisque autem Sacerdos, qui alienus deprehendebatur a familia Aaronis, aut natalium non satis purorum, *pulla veste* indutus, pulloque velo caput obnubere jussus, tristis è sanctuario *egrediebatur.* Cujus vero familia legitima censebatur, is *albis* indutus in sanctuario *manebat*, ibique cum fratribus suis ministrabat. Cogitari meretur, an huc respiciat promissio Domini Apoc. III. 5. *Qui vincit, hic amicietur vestimentis albis, & nequaquam delebo nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.*

XXXII. *Omnia hæc ad Christum transferuntur.*

XXXII. Difficile non est quæ diximus transferre ad CHRISTUM. Nam. I. Is ex FRATRIBUS SUIS HOMO est. Heb. II. II. *Nam qui sanctificat*, se ipsum offerendo in victimam, Joh. XVII. 19. & effundendo suum Spiritum, *& qui sanctificantur, ex uno sunt omnes. Quam ob caussam non erubescit eos vocare* FRATRES Iterumque vers. 17. *Unde debuit per omnia* FRATRIBUS *similis fieri, ut misericors esset & fidelis Pontifex in iis quæ apud Deum peragenda forent.* Imo & ISRAELITA est EX ISRAELITIS. Jer. XXX. 21. *Et erit Magnificus ejus* EX IPSO, *& Dominator ejus* E MEDIO IPSIUS *procedet, quem jubebo accedere ut appropinquet ad me.* Hoc Sacerdotum est. Exod. XIX. 22. Ezech. XL. 46. XLIII. 19. XLIV. 13. 15. Addit Deus: *nam quis ille est qui spondeat cum animo suo, se appropinquaturum ad me?* In Hebræo est כי מי הוא זה ערב את לבו Quod geminum potest habere sensum. Primo, quis est qui *spondeat corde suo*, vel *cor suum suave faciat*, ut denotetur actio *voluntaria*, & suscepta cum *fiducia* : fiducia, inquam, nixa dignitate personæ appropinquantis, & intaminata ejus sanctitate. Dein, *quis est qui spondeat cor suum*, ut significetur sponsionis materia & pretium. *Cor* enim idem quod *anima.* Hanc autem daturus erat Christus in *victimam pro reatu.* Jes. LIII. 12. Omnia illa antiquis Sacerdotibus defuerunt. Nemo enim ea vel dignitate vel sanctitate fuit, quin ipse expiatoriis victimis indigeret. Heb. VII. 27. Nemo se ipsum obtulit, sed omnes sanguinem peregrinum

grinum. Heb. IX. 25. Messias itaque, Magnificus ille & incomparabilis Sacerdos, ex Israële est, prodiens e medio populi sui. II. Non tamen ex tribu LEVI: ut pateret, Sacerdotium ipsius alterius ordinis esse atque Aaronicum. Heb. VII. 13. Sed ex tribu *Judæ*: quia Sacerdotium habere debebat cum Regia dignitate conjunctum, ad instar MELCHISEDECI. Ps. CX. 2. III. PURISSIMIS NATALIBUS procreatus, ex Regia Virgine, ut omnis labis expers esset. De ea Nativitate dixit Angelus Mariæ Luc. I. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi inumbrabit te; propterea id etiam quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Sed præter eam ex virgine generationem qua factus est *Filius hominis* & alia ipsi competit, Divina prorsus atque æterna, secundum quam est FILIUS DEI. De ea Paulus ad institutum nostrum appositissime locutus est. Heb. V. 5. *Christus non ipse sibi hunc honorem tribuit, ut fieret Pontifex, sed is qui dixit ei, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* IV. Purissima hæc, imo & Divina atque æterna Christi origo, locupletibus testimoniis, atque assertione cœlesti, abunde COMPROBATA est. Ipseque, dum illi testimonium perhibebat Pater, *albis* indutus fuit vestibus, quarum candor nivem lucemque ipsam superabat. Matth. XVII. 2. 5.

XXXIII. Hactenus de *Natalium Dignitate*: nunc de CORPORIS INTEGRITATE videamus; quæ in Aaronico Sacerdote debebat esse exquisita, & accurate describitur. Levit. XXI. 17.–21. *Alloquere Aaronem dicendo: in quocunque e semine tuo per generationes eorum fuerit corporis vitium, ne accedito ad offerendum cibum Dei sui.* Tunc varia corporis vitia enumerantur: addita iterata hac & seria monela: *In quocunque fuerit aliquod corporis vitium e semine Aaronis Sacerdotis, ne appropinquato ad offerendum igne absumenda Jehovæ: corporis vitium est in eo, cibum Dei sui ut offerat ne appropinquato.* Vitia vero a Mose enumerata, in exemplum sunt consimilium, quæ superstitiosa propemodum diligentia ab Hebræorum Magistris recensita, in *tres classes* dispescuntur. Alia quæ ita vitiabant tam *sacerdotes* quam *animalia bruta*, ut neque hæc rite offerri, neque illi ministerium rite præstare possent. Alia quæ vitiabant *hominem tantum*, ita ut a sacro ministerio abstinendum ei esset. Alia demum quæ non vitiabant ob aliam caussam, quam quod *deformitate* sua intuenti *displicerent*. Primi generis faciunt quinquaginta. Secundi, nonaginta. Tertii, bina duntaxat. In universum CXLII. Quæ qui suis indicata nominibus cognoscere avet, is adeat *Selden. de Success. in Pontif. Lib.* II. *Cap.* V.

XXXIII. *Corporis integritas in Sacerdote requisita.*

XXXIV. Porro Synedrii magni adsessoribus ea cura demandata erat, ut cognoscerent de vitiis morbisque queis affecti Sacerdotes, tanquam

XXXIV. *Vitio laborantes de sacris tamen epulabantur.*

tanquam mali ominis res, ex legis edicto reprobabantur. Ii damnati, deinceps in parte templi degebant, quæ לשכת העצים dicta est, quasi tu *lignile* appelles; atque illic ligna findebant, quæ in altari struerentur. Etsi autem mulctati Sacerdotio erant, tamen nihilominus iis jus fuit, cum Sacerdotibus ejus stationis, in qua ipsi fuerant, adhuc de sacris epulari. Quod ex *Josepho* & *Maimonide* observavit *Cunæus: de Republ. Hebr. Lib.* II. *Cap.* VIII.

XXXV. *Christus tam corpore quam animo integer.*

XXXV. Credibile enimvero est, corpus Christi, a Spiritu Sancto, in utero Beatissimæ virginis, formatum; & membris integrum, & omni pulcritudine decorum ac venerabile fuisse: quamvis nullam admodum fidem mereri existimemus descriptionem illam Christi, quam fabularum Pater *Nicephorus* reliquit, *Historiæ* suæ *Ecclesiasticæ Lib.* I. *Cap. ultimo.* At hoc minimum est. Præcipue significabatur hac exactitudine, verum Sacerdotem non tam corpore, quam animo futurum esse Ἀμωμον καὶ ἄσπιλον. I. Pet. I. 19. in quo nihil defectuosum aut superfluum, aut distortum inveniatur.

XXXVI. *Sanctitas animi, in Sacerdotibus.*

XXXVI. Si tantam accurationem adhiberi voluerit Deus in *corporis integritate* exploranda, conveniens est ut SANCTAM ANIMI HABITUDINEM in Sacerdotibus suis tanto magis requisiverit. Huc pertinet ea lex quæ exstat Levit. XXI. 6. *Sancti sunto Deo suo, neque profananto nomen Dei sui, quia igne absumenda Jehovæ, cibum Dei sui ipsi offerunt, ideoque sancti futuri sunt.* Adde Jes. LII. II. *Discedite, discedite, exite illinc, immundum ne attingitote: exite ex medio istius, purgate vos portantes vasa Jehovæ.* Id quum non rite observarent filii *Eli*, sed criminibus suis contemtibile facerent munus Jehovæ, ita exarsit ira Dei in ipsos, ut & tremendâ morte eos plecteret, & posteritatem omnem Eli Pontificia dignitate exueret. *Idcirco dictum Jehovæ, Dei Israëlis, dixeram quidem, domus tua, ut domus Patris tui, indesinenter ibunt coram me usque in seculum; at nunc, dictum Jehovæ, absit mihi, nam honorantes me honorabo, contemtores autem mei leves fient.* I. Sam. II. 30. Atque hac conditione, expresse stipulata, Pontificatus continuationem in familia *Josuæ* addixit Deus. Zach. III. 7. *Sic ait Jehova, si in viis meis ambulabis, & si observationem meam observabis, & tu quum jus dices domui meæ, tum etiam observabis atria mea: utique disponam tibi qui ambulent inter adstantes istos.*

XXXVII. *Quæ cum maxime cavere sibi debebant ab idololatria.*

XXXVII. Hebræorum Magistri præterea observant, *duo* nominatim fuisse crimina quæ Sacerdotem honorifico isthoc munere æternum excluderent, etiamsi pœnitentia ductus quam sollicitissime imposterum ab iis abstineret: nimirum IDOLOLATRIAM, & *cultum* vero

quidem

quidem Deo exhibitum, at LOCO VETITO. Qua de re doctissime, suo more, disserit *Selden. de Succ. in Pontif. Heb. Lib.* II. *Cap.* VI.

tria, & cultu in loco vetito.

XXXVIII. *Cuncta hac in Christo eximia sunt.*

XXXVIII. Dubium non est, quin hac in parte omnes antiquos Sacerdotes immensum quantum antecellat noster Jesus: cujus intaminatam prorsus animi sanctitatem meritis elogiis celebrat Paulus Heb. VII. 26. 27. 28. Quam alienus autem ab IDOLOLATRIA fuerit, ipse protestatur Ps. XVI. 4. Psalmum enim illum continuam Messiæ orationem esse, alibi a nobis est probatum. Verba autem Psalmi, quatenus ad nostrum institutum faciunt, ita habent. *Multiplicantur dolores eorum qui Alium dotant*, id est, qui relicto Te, vero Deo, & Me, unico Mediatore, alium eligunt cui se dedant, veluti marito suo, idque iniqua hac conditione, ut non accipiant ab eo dotem, sicut alioqui moris est; sed dotem ei dent; hoc est, ut non accipiant ab eo beneficia, sed sumtus faciant in illius cultum. *Non sum libaturus libamina ipsorum.* Ego, unus & summus Pontifex, non offeram libamina ipsorum libaminibus similia, idololatrica, aut hypocritica. *Ex sanguine*, qualia libabant Gentiles, contra legem Dei. *Neque assumturus nomina eorum in labiis meis.* Neque in juramentis, neque in sermone quotidiano, nullum denique mihi iiscum intercedet commercium.

XXXIX. Nunquam etiam Dominus Jesus LOCO VETITO cultum suum temeravit. Vigente Politia Mosaica *Templi* religionem, ut par est, observavit. Attamen quum spiritualis natura, & late didita amplitudo regni Messiæ, non patiatur cultum Dei uni loco alligatum manere, prudenter monuit Christus, *instare tempus, quo neque in monte Garizim, neque in Templo Hierosolymitano adorandus sit Deus, sed ubivis*, sine locorum discrimine, *in spiritu & veritate.* Joh. IV. 21. 23. 24. Ita sub Messia impleri oportuit, quod vaticinatus Jesaias est XIX. 19. *Altare Jehovæ futurum esse in media terra Ægypti.* Et Malachias I. 11. *Ab ortu solis usque ad occasum ejus magnum futurum esse nomen Jehovæ in gentibus, eique* IN OMNI LOCO *suffimentum ac munus purum oblatum iri.*

XL. Leges Matrimoniales Sacerdotibus lata.

XL. Denique requisita fuit MATRIMONII CASTITAS; cujus leges distincte præscribuntur, primo quoad SACERDOTES omnes, dein quoad PONTIFICEM. De illis sciscitur Levit. XXI. 7. *Mulierem meretricem, aut profanatam ne accipiunto; & mulierem repudiatam a viro suo ne accipiunto: nam sanctus est eorum quisque Deo suo.* Ubi tres fœminarum species Sacerdotibus interdici, palam est. I. אשה זונה. *Scortum*, sive Meretricem. II. חללה, Hellenistæ vertunt βεβηλωμένην, *profanatam.* III. אשה גרושה מאישה, *Mulierem repudiatam a viro suo.*

At

At non ita palam eſt, qua ratione priores duæ ſpecies a ſe invicem diſtinguantur. *Fagius* cum aliis exiſtimat, per *Meretricem* ſimpliciter eam intelligi quæ proſtituit ſe omnibus: per *Profanam*, ſive violatam, eam quæ caſu quodam violata eſt. At Hebræorum Magiſtri longe aliam harum rerum notionem habent. Ii per זונה *meretricem* intelligunt I. Omnem fœminam quæcunque non eſt *Iſraëlitis*, non genita ex *Iſraëlita*, vel ſaltem non ex *Iſraëlitide*. Quales ſunt *Proſelytæ* & *Libertinæ*. II. Iſraëlitidem quidem, ſed quacum concubuit vir, cujus nuptiæ communi lege ei interdictæ ſunt. Sive coitu inceſto ſe inquinaverit, contra interdictum Lev. XVIII. ſive rem habuerit cum eorum aliquo quorum nuptiæ Iſraelitidibus vetantur, veluti *Mamzere*, *Ammonita*, *Moabita*, etiam proſelyto facto, & id genus aliis. Deut. XXIII. III. Illam quacum concubuit *profanus*, cujus nuptiæ alioquin permiſſæ ei forent. *Profanum* autem eum vocant, qui naſcitur ex coitu Sacerdoti interdicto: lege aliqua quæ generi Sacerdotali aut Pontifici peculiaris eſt. IV. Eam denique quæ ſuſpecta fuit marito zelotypo, cujuſque ſive verum ſive fictum crimen in occulto manſit; & quæ non ſubiit examen aquæ amaræ; de qua Num. V. Vide ſis *Maimonidem* in *Iſſure Biah*, *Cap.* XVIII. *Sect.* I. VI. XII. *Profanata* vero, חללה, Hebræis non notat *vile proſtibulum*, uti *Hieronymus* reddidit: ſed, ut *Uziëlidis* paraphraſis habet, דאתילידא מן פסוליא, *qua nata eſt ex eis qua Sacerdotibus jungi rite nequeant*, ut, verbi gratia, filia viduæ quam junxit ſibi Sacerdos.

XLI. *Et Pontifici Maximo.*

XLI. Lex connubialis quæ *Pontifici* dicta eſt, his eſt concepta verbis Lev. XXI. 13. 14. 15. *Sacerdos qui maximus eſt fratrum ſuorum, uxorem in Virginitate ejus ducito: Viduam, aut repudiatam, aut profanatam meretricem ne ducito: ſed virginem e populis ſuis ducito uxorem. Neque profanato ſemen ſuum in populis ſuis: quia ego Jehova ſum Sanctificator ejus.* Quæ non ſolum Pontifici, Aaronis ſucceſſori, juſſa volunt Hebræi, ſed & illius *vicario* סגן, qui, ſi quid forte ei humanitus accideret quo pollueretur, vices ejus obeundas habebat die Expiationis; ut & *Sacerdoti uncto ad bellum* Deut. XX. 2. His ergo præter tres ſupra memoratas fœminarum ſpecies, etiam vidua interdicta eſt; neque fas fuit aliam quam *virginem* in uxorem ſibi adſciſcere. Atque eam quidem *e populis ſuis*. Id nonnulli interpretantur de proxima conſanguinitate, ſaltem de tribulibus ſuis. *Philo* certe, *Lib.* II. *de Monarch.* ſcribit Pontifici non eſſe deſpondendam niſi virginem quæ ſit *ἱέρεια ἐξ ἱερέων, ἵνα ἐκ μιᾶς οἰκίας καὶ τρόπον τινὰ τοῦ αὐτοῦ αἵματος ὦσιν νυμφίος τε καὶ νύμφη. Sacerdos ex Sacerdotibus, puella nempe ex Sacerdote nata*,

nata, adeo ut sponsus sponsaque sint ex una domo, & eodem quodammodo sanguine. At neque Lex Divina id habet, neque Josephus, aut Talmudistæ. Non fuit Pontifex ulli tribui adstrictus, modo virginem Israëlitidem duceret. Ezech. XLIV. 22. *Viduam aut repudiatam ne ducunto sibi uxores; sed virgines e semine domus Israëlis.* Notumque est *Jojadam* Pontificem pro uxore sibi habuisse *Joschabath*, filiam Regis *Jorami* ex tribu *Juda.* 2. Chron. XXII. 11. Si qui vero Sacerdotes, aut si quis Pontifex, thorum suum vetito concubitu polluissent, illi omni sacra functione arcendi fuerunt, donec, ejectis uxoribus istis, pœnitentiam suam publico approbassent. Vide Neh. XIII. 28. 29. 30. Addunt magistri, tam in Pontificem quam Sacerdotes, qui eo se crimine obstrinxerant, flagris animadversum fuisse.

XLII. Hac ratione adumbrati fuerunt sancti castique amores *Christi* cum *Ecclesia* sua: quæ passim Virginis elogio insigniri solet. 2. Cor. XI. 2. *Affecto enim vos Dei æmulatione: aptavi enim vos quos uni viro ut virginem puram sistam, nempe Christo.* Diffiteri equidem non possumus, electos ipsos multis modis a Deo, factore suo & marito suo, descivisse, atque hoc adspectu similes esse uxori, quæ relicto viro suo nupsit alteri, justeque ab ipso repudiata est. Jer. III. I. Sed hoc habet gratia, ut miracula faciat quæ superant naturam; animæ vitiatæ suam restituit integritatem; quæque scortata fuerat, eam (o prodigia Divinæ bonitatis atque potentiæ!) reddit virginem. Hoc est, tam casto sinceroque Christi amore inflammat, ut non minus ardenter ipsum diligat, quam quæ primos virginitatis suæ amores sponso sacrat, non minus ab ipso diligatur, quam si intacta, omnisque alieni amoris, ac probri inscia, in sanctissimi sponsi thalamum deduceretur. Idque nanciscitur ex sanguine & Spiritu Christi: *qui dilexit Ecclesiam, & semet ipsum exposuit pro ea, ut eam sanctificaret, ab eo purificatam lavacro aquæ per verbum: ut sisteret eam sibi gloriosam, Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut quidquam ejusmodi, sed ut sit sancta & inculpata.* Eph. V. 25. 26. 27.

XLII. Quo castos Christi & Ecclesia amores docent.

XLIII. Hactenus de iis egimus quæ in Sacerdotibus Leviticis requisita a Deo fuerunt. Id nunc porro observandum restat, quod quæ in *gregario Sacerdote* requirebantur, ea omnia singulari ratione *eximia* inesse debuerint *Sacerdotum Principi.* Imo & alia præter hæc: certe si Hebræorum Magistris hic sit habenda fides. Qui tradunt Pontificem quinque in rebus fratres suos antecellere debuisse. בחכמה במראה בנוי בכוח בעושר: Corporis elegantia, viribus, divitiis, sapientia, et coloris pulcritudine. *Maimon. in Cele Mikdas Cap.* V.

XLIII. Summum Sacerdotem quinque in rebus fratres suos antecellere oportuit.

Ita enim נוי a מראה distinguunt, ut vocem illam in *eleganti corporis fabrica* ponant, hanc in *coloris pulcritudine.* Quarum utramque in Pontifice, ut bonæ indolis signum, postulatam dicunt. At non satis sibi constat *Maimonides*, quippe qui in Sacerdote summo alias pro *coloris pulcritudine fidem summam* postulat: ad *Misnam in Joma Cap.* I. *Apud nos*, inquit, *pro fundamento ponitur, necessarium esse ut Sacerdos maximus nulli temporis sui Sacerdoti concedat* בחכמה באמונה ביופי בעשר בכוח IN SAPIENTIA, FIDE, FORMA, DIVITIIS, VIRIBUS. Quod si Sacerdotis summi hæres, in divitiis tantum, non in reliquis illis dotibus, gregario forte Sacerdoti cederet, æquum visum est ut tantus vir reliquorum Sacerdotum opibus eousque augeretur, donec omnium locupletissimus esset. *Outramus de Sacrif. Lib.* I. *Cap.* IV.

XLIV. Quæ in Christo sunt præ omnibus insignes.

XLIV. Nec hæc difficile est ad Pontificem nostræ confessionis, Christum, transferre; qui utique eximia omnia habet, *præ consortibus suis.* Ps. XLV. 8. ELEGANTIA ejus quam vivis coloribus depingitur? ibid. vers. 3. יפיפית מבני אדם, *multo pulcrior effectus es filiis hominum, gratia infusa est labiis tuis, propterea benedixit tibi Deus in seculum.* VIRIBUS adeo mortales omnes superat, ut idcirco dicatur אביר יעקב Gen. XLIX. 24. & אביר ישראל Jes. I. 24. *Heros Jacobi & Israëlis*, אדירו, *magnificus ejus* Jer. XXX. 21. Ὁ ἰσχυρότερος ἰσχυρȣ̃, *robustior robusto illo.* Luc. XI. 22. denique, quo nihil dici potuit illustrius, אל גבור *Deus fortis robustissimus.* Jes. IX. 6. DIVITIÆ, quas non ipse solum possidet, sed & cum omnibus suis communicat, prorsus incomparabiles atque inæstimabiles sunt. Quoniam *libuit Patri ut omnis plenitudo in ipso habitaret.* Col. I. 19. Quam ob rem Paulus laudat *impervestigabiles illas opes Christi.* Eph. III. 8. SAPIENTIA nemo ei par æstimari potest, cujus incredibilia exhibuit specimina puer duodecennis, & qua toties auditores suos abripuit in stuporem, mysteria eructans quæ a seculo abscondita fuerant. Imo vero *suprema illa Sapientia* est, a sapientissimo Regum Salomone, in Proverbiis suis, tam magnificis elogiis celebrata. Illius est dicere, sine ulla specie arrogantiæ inanis: *Meum est consilium, & quidquid est; mea est prudentia, meum robur. Divitiæ & bonor penes me sunt, substantia perdurans, & justitia. Efficio ut possideant amantes mei id quod est; denique thesauros eorum impleo.* Prov. VIII. 21. PULCRITUDINE etiam excellit præ millenis. *Dilectus meus candore & rubore, vexillarius est e myriade.* Cant. V. 9. Si pro coloris pulcritudine substituenda sit *fides*; ne hac quoque in parte parem quenquam habet: *Misericors & fidelis Pontifex in iis quæ apud Deum agenda sunt.* Heb. II. 17.

XLV.

XLV. A consideratione *personarum* transeamus ad CONSECRATIONEM SACERDOTUM, qua augusto suo muneri initiabantur. Ea ex præscripto Divino consistebat quatuor cærimoniis. I. LOTIONE. II. INDUTIONE SACRARUM VESTIUM. III. UNCTIONE IV. SACRIFICIIS QUIBUSDAM.

XLV. Consecrationis quatuor Cærimoniæ.

XLVI. De LOTIONE exstat mandatum Dei Exod. XXIX. 4. *Tum jubebis Aaronem & filios ejus accedere ad portam tentorii conventus, & lavabis eos aqua.* Cujus mandati executio invenitur. Levit. VIII. 6. *Jubens igitur Mose accedere Aaronem & filios ejus, lavit eos aqua.* Quæ res, uti exprobrabat ipsis impuritatem, propter quam lotione indigebant; ita insimul docebat, non nisi a bene purgatis lustratisque sancta Domini tractanda esse. Consimili ritu plerasque gentes sacrorum suorum ministros initiasse, res est notissima. Non tamen exinde consequitur, Deum lustrationem hanc instituisse ad imitationem rituum apud priscos gentiles receptorum. Quænam in eo sapientia aut laus est, quod Deum ubique fere ab idololatris religionis suæ castus ac decora mutuari arbitremur? Natura ipsa dictat, res Divinas munde & a mundis tractandas esse. Et si quæ symbola ei munditiei figurandæ adhibenda sint, multane collectione opus est, ut quis discat lotionis symbolum convenientissimum esse? Id quum, antiquis Patriarchis usurpatum, sua jussione commendaverit Deus; facile receptum ab Israëlitis est: neque mirum profecto, si & cæteræ gentes spontanea animi inclinatione eodem delatæ sint.

XLVI. Quarum prima est Lotio non e gentilium sacris desumta, sed a Deo jussa.

XLVII. Pontifex noster Jesus, quum natura, habitibus, actionibus, purissimus esset, nullaque vitii labe taminatus, nulla ipse lotione indiguit: attamen, ut hac quoque parte omnem impleret justitiam, ante publicam muneris functionem sacro se lavacro tingi curavit. Matth. III. 13. Mirum enimvero non est, Johannem provinciam illam tingendi Christum initio detrectasse, quum se famulum, eum Dominum agnosceret; se multa labe pollutum, eum nitidissime purum sciret; ideoque ab ipso potius lavari necesse haberet. Hoc magis mirum, Christum id tam vehementer ursisse, neque mox apparet evidentia additæ ab ipso rationis: *ita enim decet nos implere omnem justitiam.* In quibus verbis exponendis multum sudare interpretes deprehendo. Non displicet mihi eorum sententia, qui id quod simplicissimum est eligunt: quasi dixisset Dominus, ita oportet nos in muneris nostri functione, non tam verbis quam factis, humilitatis præbere exemplum; & me, subeundo baptismum tuum, & te, non detrectando officium quod posco, quamvis super eo ratiocinanti secus faciendum videri posset

XLVII. Qua Christus quidem non indiguit, attamen usus est.

ſet. Niſi forte magis allubeſcat illuſtris *Grotii* interpretatio: qui exiſtimat δικαιοσύνην hic latiſſime ſumi, ut notet non modo τὸ νόμιμον, *quod lege præſcriptum eſt*, ſed & quidquid æqui ac honeſti ullam habet rationem. *Nam Lex Moſis de hoc baptiſmo nihil præſcripſerat, ac cœleſte mandatum quod Baptiſta acceperat, ad peccatores pœnitentes proprie pertinebat. Attamen, quum Chriſtus perfectiſſimæ innocentiæ exemplar fuerit, ne in ipſo quidem inanis erat cærimonia quæ innocentiæ ſervandæ propoſitum ſignificabat. Neque efficacius oſtendi potuit, quantus honos inſtitutis a Deo ritibus deberetur, quam ſi Chriſtus ipſe uſum eorum ſuo exemplo commendaret.*

XLVIII. *Sacra veſtes tam Sacerdotum, quam Pontificis.*

XLVIII. Altera Cærimonia qua conſecrabantur Sacerdotes, erat INDUTIO SACRARUM VESTIUM. Exod. XXIX. 5. 6. Illæ autem in duplici fuerunt differentia: aliæ *Sacerdotibus omnibus* communes, aliæ *Principi Sacerdotum* propriæ. Illæ *quaternis* conſtabant partibus, ex eadem materia telæ ſextuplicis fili confectis, *Femoralibus*, *Tunica*, *Cidari* & *Baltheo*: hoc tamen inſuper lanea textura picto; quamobrem extra uſum miniſterii, ob lanam lino mixtam, deponendum fuiſſe teſtantur Hebræi. Hæ iterum vel *Lineæ* erant, vel *Aureæ*. *Lineæ* iiſdem conſtabant partibus, quibus illæ reliquorum Sacerdotum, ſed ex materia aliquanto pretioſiori confectæ, inſerviebant Pontifici ſacro duntaxat expiationis die. Lev. XVI. 4. *Aureæ* ita dicebantur; non quod totæ ex auro eſſent, ſed quod auro intertextæ. In iis præcipue conſiderari merentur, I. EPHOD, Amiculum, aut ſcapulare, quod creditur non toga fuiſſe, aut tunica, ſed veſtis a ſcapulis tantum dependens, velut palliolum; at cingenda cingulo pretioſo ex auro, hyacinthino, purpureo & xylino internexo. In illius humeralibus erant DUO LAPIDES, quos Moſes שהם SCHOHAM nominat, Græci & Philo σμαράγδους, Symmachus & Theodotion, Hieronymo teſte, *Onychinos*, Joſephus *Sardonichas*, ut vel colorem lapidis, vel patriam demonſtraret. Chaldæus בירלא *Beryllum* reddidit. Aberbenel *cryſtallum* eſſe opinatur. Quidquid horum ſit, certum eſt fuiſſe lapides pretioſos, magnitudine præcellentes, & ſculpturæ aptos. *Inſculpenda* enim iis fuerunt *nomina duodecim filiorum Iſraël*, ſena unicuique lapidi, ut portarentur ab Aarone in memoriale coram Domino. II. PECTORALE, חשן quod erat conjungendum amiculi extremis, in anteriore parte. Nam ſine hoc pectorali apertum fuiſſet Ephod. Inſerendæ pectorali erant DUODECIM GEMMAE, cum inſculptis tribuum nominibus, ferendis ab Aarone ſuper corde ſuo quoties intraret in Sanctum. Vocatur *pectorale judicii*; quia ſignum erat poteſtatis judicialis in Pontifice. Huic inſerti etiam erant

URIM



Pontifex amictus Vestibus Lineis et Aureis.

Thummim, de quibus, quid fuerint, tantum fere dissertatio-
quantum est muscarum quum caletur maxime. Nos qnoque
re coacti fuimus in nostris *Ægyptiacis*, quibus non habeo nunc
am. Hoc certum est, quidquid fuerint, pertinuisse ad Pontifi-
im, & significasse *Lucem* & *Perfectionem*. Passim ab Hebræis
ır, sub Templo secundo defecisse Oraculum illud quod in Pe-
at Sanctissimum: attamen, ne quidquam Pontificio ornatui
mitatione artificiosissima aliquid ei simile etiam tum fuisse ex-
, tametsi ejusdem nullus tunc esset usus. Memorabilia sunt
lis verba: *Cele Hamikdas. Cap.* x. עשו בבית שני אורים ותומים
כדי להשלים שמנה בגדים ואף על פי שלא נש. *Sub secundo*
ciebant Urim & Thummim, ut ita perfecta redderentur octo vesti-
itificia; tametsi eam Oraculi figuram nunquam tunc consulerent.
unc Pontifici deerat, id per Messiam restitutum iri sperant vo-

III. Pallium Ephodi, sive Tunica, aut stola hyacinthina,
fimbriis pendebant malogranata & tintinnabula aurea. IV.
S, מצנפת, Tiara, Mitra linea: cui annexa erat lamina aurea,
riptione קדש ליהוה Sanctitas Jehovæ, gestanda Aaroni in
t ferret iniquitatem rerum sacrarum, quas consecraverant filii
eus Sacerdotes suos operto capite ministrare sibi voluit; quia
ites Orientales caput opertum reverentiæ, apertum audaciæ
rat. Quæ ratio est, cur quos Moses Ægypto *manu elata* egres-
eos Chaldæus בריש גלי *nudo capite* exiisse dicat. Exod. xiv.
nes hæ vestes sacræ, erant Aaroni ad gloriam, & ornatum.
viii. 2. (*)

IX. *Modum* atque *ordinem induendi* vestes ita describit Moses. XLIX. Ordo eas induendi.
ix. 5. 6. *Deinde accipiens vestimenta illa, indues Aaronem tu-*
pallio amiculi, amiculoque, & pectorali sacro, qua accinges cin-

orte non ingratum erit Lectoribus, Cel. *Braunii* verba heic legere ad
locum pertinentia, & admonitionem haud inutilem complexa, quæ ex-
t: *altera* Operis eximii *de Vestitu Sacerdotum Hebræorum*: "Inficias "
on possum, quod valde miror, Clarissimum Witsium, quanquam in "
s Libro II. Dissert. II. *De Sacerdotio Aaronis & Christi* §. 48. meas ad- "
alas, tamen alibi in eodem opere exhibuisse Sacerdotes minores alio pror- "
, nulla scilicet *tunica* תשבץ *tessellata*, nullo *balteo* floribus distincto, "
are Sacerdotes a me ample atque clare demonstratum est: Immo, quod "
r, duabus eos induisse *tunicis*, altera interiori, altera exteriori, uti "
. 412. & 416. Summum quoque Pontificem exhibuisse vestibus לבן "
prorsus alio, quam eum habuisse a me probatum est."

gulo amiculi, & imposita cidari capiti ejus, aptabis coronamentum sanctum super illam cidarim. Talmudistæ addunt, primo omnium induta fuisse *femoralia:* Deus enim Sacerdotes suos, ut verecundos & modestos, ita tecto corpore esse voluit. Quo factum ut non per gradus, ne forte corporis verenda apparerent, sed per clivum quendam, ad aram adscenderent. Exod. xx. 26. Contra quam a Gentium quarundam profanarum factum est flaminibus, qui quæ occultari maxime decuit coram Pehore aperiebant. Porro ob eandem verecundiæ rationem, uti recte observavit *Aberbanel,* quum reliquæ vestes sacræ Aaroni a Mose indutæ fuerint, femoralia Aaron ipse in abdito sibi induit. Nihil enim de iis Aaroni a Mose indutis uspiam legitur. Femoralibus addita fuit *Tunica,* quæ ad pedes usque promittebatur. Tunicæ accingebatur *Balteus,* variis amplexibus corpus cingens; quo factum ut Sacerdotes & frigoris patientiores, & ad opus expeditiores essent. Post Balteum induebatur *Pallium Hyacinthinum* cum suis septuaginta duobus tintinnabulis totidemque malogranatis. Pallio additus *Ephodus* est, cujus pars anterior ab axillis ad imum pectus, posterior autem fere ad talos pertinebat. Ei adjuncta erant *Humeralia* cum suis *lapidibus pretiosis,* ut & *Pectorale* cum suis *gemmis.* Denique ita ornato Pontifici imponebatur *Tiara* cum sua *Lamina Aurea.*

L. Non erant gestanda nisi in sacro ministerio.

L. Vestes hæ sacræ, neque Sacerdotibus, neque Pontifici gestandæ erant, nisi dum Sacris operabantur: quibus peractis reponebantur in Apothecis; adeo ut extra templum vestitus cultu a plebe cætera Sacerdos non differret. Nisi fortassis res ardua & communis salus secus exigeret. Uti factum est quando Jaddos Pontifex Alexandrum Magnum Hierosolymis excipiebat, comitatus Sacerdotibus universis, ταῖς νομίμοις ϛολαῖς *habitu sacro* prodeuntibus.

LI. Veritas harum rerum in Christo.

LI. Omnium harum figurarum *veritas* in Christo est, VESTES LINEÆ, puræ quidem illæ, sed minus pompose, significant candidam Christi sinceritatem, sed omni externo apparatu destitutam, tum maxime quum sanguine suo expiatum peccata nostra iret. Cæteræ AUREÆ, consignificant gloriam ingentem Sacerdotis & Sacerdotii Christi, quæ in ipso ut in fonte residet, communicanda cum iis quos facit *ἱεράτευμα βασίλειον.* I. Pet. II. 9. conf. Ps. cx. 3. MATERIA earum VARIA, & DIVERSICOLOR, sed PRETIOSA omnis, notat varietatem & opulentiam virtutum, & multiformis gratiæ Dei in Christo. Eph. II. 7. III. 8. FORMA operis ARTIFICIOSISSIMI, respondet accuratissimæ & ordinatissimæ virtutum praxi, quæ in Christo eminuit: nam & ea quæ ad illius exemplum instituitur, laudatur ut *opus manuum artificis.* Cant.

VII.

vii. 8. Atque hæc quidem de myſterio veſtium Sacerdotalium *generatim* ſic dicta ſunto.

LII. Ad *ſpecialiora* deſcendamus. Ephod cum lapidibus Schoham, quibus inſculpta erant nomina XII Tribuum Israelis, adumbrare poteſt, Chriſtum indutum eſſe charitate erga Iſraëlem ſuum myſticum, eumque portare humeris Jeſ. lxiii. 6. ut repræſentet Deo, ſuſtentet, fulciat, atque eripiat ex omni malo: & quidem portare uti gemmam pretioſam, *περιποίησιν*, rem minime prodigendam. Jeſ. xliii. 4. Atque ita ut ſingulos ad Iſraëlem pertinentes nominatim commendet Deo: uti ipſos quoque certiores facit *nomina ipſorum ſcripta in cœlis eſſe*. Luc. x. 20. Neque ſcripta ſolum, ſed & *ſculpta*. Jeſ. xlix. 16. nulla arte, nulla vi, delenda, aut edolanda. Cingulum artificiosum Ephodi, cujus ſimile in ornatu Chriſti Johannes vidit, Apoc. i. 13. denotare poteſt promtitudinem, juſtitiam & fidem Chriſti, accingentis ſe ad populi ſui vindicias. Jer. xi. 5. *Byſſo* cinguli reſpondet promtitudinis puritas. Illiuſque *opus phrygionicum* repræſentat notas ac ſigna Divinæ in ea acquieſcentiæ. Pectorale judicii innuit Chriſto omne judicium in Eccleſiam ſuam competere. Ezech xxi. 32. Pſ. lxxii. 1. Joh. v. 27. Nomina filiorum Israel portanda in pectorali, exprimunt ſincerum ardentemque Chriſti adverſus electos amorem. Sponſa Chriſtum *faſciculo myrrhæ* comparat, *pernoctanti inter ubera ſua*. Cant. i. 13. Chriſtus fideles *gemmis*, quas in pectore geſtat. Neque de nihilo eſt, quod *Jaſpis*, *ultima* gemmarum in pectorali, Exod. xxviii. 20. *prima* eſt in fundamentis Novæ Jeruſalem. Apoc. xxi. 19. Non ſolum, quia ibi incipit Teſtamentum Novum ubi deſinit Vetus; verum etiam quia Paulus, ex tribu *Benjamin*, repræſentata per *Jaſpidem*, fuit ex principibus Novæ Hieroſolymæ ædificatoribus. Urim denotant lucem uberrimam Sapientiæ, Gloriæ, Lætitiæ. Thummim, nitorem ſinceritatis & ſanctitatis perfectiſſimæ quæ in Chriſto ſunt. Itemque nuſquam tutius certiuſque Deum conſuli quam per Chriſtum: qui revera Eccleſiæ ſuæ cœleſtia oracula reſtituit, clariora, uberiora, & de rebus majoris momenti, quam quæ unquam audita ſunt: qui ſuis etiam facultatem facit Deum fidenter adeundi, impetratque iis reſponſa Spiritus, quibus erudiantur ad ſalutem: denique non ea ſolum conciliat, quæ majoribus ſuis ſub *Phariſæorum* ac ſcribarum inſtitutione defuiſſe Judæi fatentur, quando reipſa deſtituti; ſola ſe figura ac ſpecie ſolabantur, ſed plura longe ac majora iis quæ unquam in priſco Iſraële audita ſunt. Tunica tessellata, vel ocellata, ſymbolum juſtitiæ & ſalutis eſt, qua Chriſtus ipſe indutus, ſuos induit.

Pſ.

Pſ. CXXXII. Jeſ. LXI. 10. TINTINNABULA cum MALOGRANATIS, repræſentant ſuavem ſonum Evangelii Chriſti, conjunctum cum fructibus coloris & ſaporis jucundiſſimi. Luc. XXIV. 19. Evangelium, ubicunque rite prædicatur & recipitur, fructus, ſe, Deo, ac Chriſto dignos profert. Col. I. 6. CIDARIS *ex byſſo candidiſſima*, exactiſſimam Chriſti puritatem, quam ipſe, ut electorum Caput habet, & ad gloriam Dei præ ſe fert, ſuiſque donat. Zach. III. 5. LAMINA AUREA, cum inſcriptione SANCTITATIS JEHOVÆ, Sanctitatem Chriſti glorioſiſſimam, quam ita cum ſuis communicat, ut eam vel in minutiſſimis oſtendant; & per Chriſti gratiam *tintinnabulis equorum* inſcriptum ſit quod olim *Laminæ Pontificiæ*. Zach. XIV. 20. Ea Lamina & Inſcriptione *portabat Aaron iniquitatem rerum ſanctarum*: quo docebatur, ne auri quidem oblationem Deo gratam eſſe poſſe niſi virtute Sacerdotis Maximi. Exercitia religionis, etiam quam maxime eximia, ſuis ſemper laborant imperfectionibus, indigentque expiatione, & remiſſione, per Sacerdotem impetranda. I. Pet. II. 5.

LIII. *An Johannes, Jacobus, cæterique Apoſtoli ornatum Pontificalem geſtaverint.*

LIII. Quandoquidem res ipſas, quæ veſtium Pontificalium apparatu ſignificatæ fuerunt, in Chriſto habemus, & Chriſtus eas cum iis omnibus communicat, quos Regale Sacerdotium facit, & qui in ipſum baptizati ipſum quoque induerunt: hinc merito colligimus, myſticam aliquam veſtium externarum diſtinctionem a ſimplicitate Chriſtianiſmi alienam eſſe. Umbras enim rerum futurarum corpori præſenti locum ſuum cedere, Paulus nos Apoſtolus docuit. Unde non ſine ratione mirum videri queat, quod Veteres conſenſu aliquo de *Jacobo* & *Johanne*, Domini diſcipulis, tradunt, quaſi illi, Novi Teſtamenti Sacerdotes facti, *ornatum Pontificalem* geſtaverint. De *Jacobo* narrat *Epiphanius*, *Hieronymus*, ac cæteri pene omnes Scriptores Eccleſiaſtici, *quod in capite præferre conſueverit laminam ſive Bracteam auream*. De *Johanne*, *Polycrates*, Epheſiorum Epiſcopus, in ea quam ad *Victorem Romanum* ſcripſit epiſtola, quæque exſtat apud *Euſebium*, *Hiſtor. Eccleſ. Lib.* V. *Cap.* XXIV. his verbis loquitur. Ἔτι δὲ καὶ ὁ Ιωάννης ὁ ἐπὶ τὸ ςῆθος τοῦ κυρίου ἀναπεσὼν· ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορηκώς. *Præterea Johannes qui in ſinum Domini recubuit, qui etiam Sacerdos fuit & Petalum geſtavit.* Petalum autem Hieronymus interpretatur *Laminam auream*. Ex duobus his exemplis infert *Baronius ad Ann.* XXXIV. §. CCLXXXIX. *& cæteros Apoſtolos hujuſmodi dignitatis inſignibus uti conſueviſſe. Quum enim ejuſmodi capitis ornamentum Sacerdotibus antiquæ legis olim a Deo conceſſum eſſet; credere par eſt, idem quoque a Chriſto in amplius & perfectius Chriſtianæ legis Sacerdotium eſſe translatum.*

LIV.

LIV. Cæterum omnes hæ narrationes, quantocunque consensu raditæ ab iis qui Apostolorum ætate aliquanto fuerunt recentiores, ne peciem quidem ullam verisimilitudinis habent. Quo enim jure Apostoli insignia Levitici Pontificatus gessissent, quum prisca lege per natales suos a Sacerdotio removerentur, & Christianæ legis Sacerdotium, uale illud cunque est, cum Levitico apparatu nihil commune habeat? pse Dominus noster, magnus ille indubie Pontifex secundum ordinem Melchisedechi, omni externo vestium apparatu, omnibus Pontificiæ ignitatis insignibus lubens abstinuit: credibilene est, eum, post suum terris excessum, discipulos suos iis redimitos esse voluisse? Illudne um profunda illa humilitate, humilique paupertate convenit, cujus aut sane fucatam professionem edebant Apostoli? Quanta hæc est, ninime necessaria, minime utilis, neque ad ullam ædificationem comarata metamorphosis, quod qui nuper piscatorio habitu simplices bambulabant, nunc mitra & auro splendidi omnium præstringant, & d se convertant oculos? Itane Apostoli, sine caussa, sine ulla probabiratione, tam Judæorum, quam Gentilium, adversus se concitassent dia? Tulissentne id Judæi, tanti legis & Sacerdotii sui zelotæ? an on exprobrassent id Apostolis? an non pro ingenti crimine nefandoæ sacrilegio apud omnia fora ac tribunalia ipsis impegissent? an non npetum in eos fecissent, ubicunque ita redimitos cernebant? Tulisntne Gentiles, homines Judæos in urbes suas peregre venientes tam lendida Sacerdotii insignia præ se ferre, suæque idolomaniæ Sardotes tanta pompa lacessere? Tulissentne id Christiani ipsi, veres illi, simplices ac pauperes, quibus ejusmodi apparatus non poterat on offendiculo esse, si intelligerent id quod a Christo dictum est. Luc. XII. 20. *Regnum Dei non venit μετὰ παρατηρήσεως, ita ut observari ssit?* Fabulæ ergo Milesiæ sunt, quæ de Pontificalibus Apostolorum namentis veterum nonnulli tradiderunt, avide arrepta a Papæ parasi, ut Antichristianum Pontificis sui fastum quomodocunque tuerentur.

LV. Aaron vestibus suis indutus, sacro unguento INUNGEBATUR. *LV. Unctio Sacerdotalis.* xod. XXIX. 7. XXX. 30. Lev. VIII. 12. Ad cujus cærimoniæ clariom intellectum tria explananda veniunt. I. *Oleum Unctionis.* II. *Unndi modus.* III. *Personæ Ungendæ.*

LVI. Oleum unctionis ex qua materia, & qua ratione faciendum erit, accurate exponitur. Exod. XXX. 23. & seq. Materia generatim diciir *aromatum præstantissimum*; specialius quatuor aromatum spees designantur, *Myrrhæ ingenuæ quingenta pondo*; (sic *Junius*: lerique quingentos *siclos* malunt: nomen enim ponderis a *LVI. Oleum unctionis.*

Mose

Mose expressum non est, unde a variis varie suppletur.) *Cinnamomi odorati ducenta quinquaginta, Calami odorati totidem, & Casiæ quingenta*, quibus addi debuit, *Hin olei olivæ*. Confectio facienda erat *secundum artem pigmentariam*. Cujus modum ita describunt Hebræi: *Accipit de singulis speciebus determinatam a Deo quantitatem, atque contundit singula seorsim: deinde miscet omnia, & macerat aquis puris dulcibusque, donec extrahatur universa virtus illarum. Post affundit Hin olei olivarum, sive duodecim Logos* (hoc est quantum capiunt ova septuaginta duo) *& coquit simul ad ignem usque dum exhalent aquæ, & remaneat unguentum. Id in vase adservat ad posteritatem.*

LVII. *An semel, ab ipso Mose confectum, ad Josiæ usque tempora duraverit.*

LVII. Operæ pretium est cognoscere ea quæ Hebræorum Magistri de hoc unguento tradiderunt: quorum sententiam copiose ac judiciose exposuit *Aberbanel* in suis ad hunc locum commentariis. Summa huc redit: A Mose ipso suis manibus confectum esse volunt: quia dixit Deus, Tu ACCIPE TIBI. Id est, *Tu, tu ipse accipito res has, & conficito oleum & unctorium, nec alius quispiam mortalis illud conficere audeat, quamdiu terra erit.* Quia vero a nemine simile ei faciendum erat, hinc volunt, virtute Divina, non sine insigni miraculo, conservatum illud fuisse per mille annos. Miracula enim si demas, per rerum naturam fieri non potuisset, ut duraret tam diu, & sufficeret tot usibus: fatentibus id ipsum Rabbinis. *An non*, inquiunt, *miracula plurima contigerunt oleo unctionis, a principio ad finem ejus? Initio non plus erant quam* XII. *Logi: eo tamen unctum fuit tabernaculum, atque vasa ejus, Aaron cum filiis suis totis septem diebus impletionis suæ, item Pontifices successores & Reges. Nimirum durabile fuit futurum, sicut dicitur Exod.* XXX. 31. *Oleum unctionis sanctæ esto* HOC *mihi per generationes vestras. Vocula* זה HOC *per Gematriam valet* XII. *quot erant Logi. R. Jehuda dixit: quantum defluens absumtum est? quantum radices aromatariæ absorpserunt? quantum calor dissipavit?* At Mosen, ajunt, Dei ope adjutum, perennitatem huic oleo conciliasse, sicut & Mannæ in Urna aurea custodiendæ: imo & id effecisse, *ut oleum hoc aërem ambientem in naturam suam converteret*, atque ita semet ipsum augeret. Nec defuisse huic rei mysterium. Nimirum Deus O. M. apud Israëlitas duplex constituit regimen: alterum humanum, Regum videlicet, qui supremi sunt populi moderatores; alterum Divinum, quod est Sacerdotum, Dei ministrorum. Utrumque a Mosis ore ac lege dependere voluit. Idcirco jussit ut ipse Moses oleum sacrum conficeret, asservandum in generationes Israëlitarum; utque ipse sua manu primos Sacerdotes inungeret, Reges autem oleo ab ipso confecto ungerentur: Idque plerumque per Prophetam, Mosis successorem

ſorem. Proinde *oleum iſtud quaſi annulus ac ſigillum fuit Moſis Propheta-rum principis, quo obſignandi eſſent Rex & Sacerdos, adeo ut vi illius efficerentur Moſis diſcipuli, gloriarique poſſent ſe eſſe opus manuum ejus.*

LVIII. Verum hæc non tam evidentis veritatis ſunt, quin accuratius mereantur examen. Et primum quidem, quod cæteris pro fundamento ſubſternitur, oleum ſacrum ab ipſo confectum eſſe Moſe, non modo ex ſacris literis probari non poteſt, ſed & iis adverſatur. Non enim ipſe Moſes manum admovit, illaſque aromatum ſpecies arte pigmentaria miſcuit, ſed *Bazaleëli* id operis cum cæteris commendavit. Unde oleum hoc inter Bazaleëlis opera recenſetur. Exod. xxxvii. 29. *Fecit quoque oleum ipſum unctionis ſanctæ opere pigmentarii.* Tum neque illud certum eſt, ſemel duntaxat hoc oleum confectum eſſe. Si enim rite attendantur verba textus, Exod. xxx. 31. 32. 33. non interdicitur iterata illius confectio ad uſum ſacrum cui a Deo erat deſtinatum; interdicitur ſolummodo confectio ſimilis unguenti, ad uſum privatum & profanum. Quantum etiam miraculorum fingendum eſt, ut unius illius confectionis uſus tot ſeculis ſuffecerit? *Aromatum* quidem ſatis multum erat, nempe 1500. ſicli, ſive totidem ſemunciæ, quæ ſecundum *Schichardi* calculum ad xlvii. libras noſtrates excreſcunt. At *olei* parum fuit additum, unum nimirum Hin; unguenti itaque menſura major eſſe non potuit, quia fœcibus relictis odores tantum extrahebantur. Præterea exhalare ſolent odorata, quamvis probiſſime obturentur; maxime ſi ſæpius vas, quo continentur, aperire neceſſe ſit. Adde, ad quamplurima adhibitum unguentum hoc fuiſſe: non enim homines duntaxat, ſed & multa ſanctuarii vaſa eo illinebantur: Arca Teſtimonii, Menſa, Candelabrum, Utrumque Altare, Labrum ampliſſimum, ipſum denique Tabernaculum. Exod. xxx. 27. Neque parca manu exiguæ aliquot guttulæ ei qui ungebatur aſperſæ ſunt; ſed liberaliter effuſum eſt in caput, ut deflueret per barbam, & in oras veſtium. Pſ. cxxxiii. 2. Unde mirum eſt, primæ unctioni ſuffeciſſe; nedum ut ſuffecerit continuandæ per tot ſecula. Nec conferri debet unguentum hoc, quod ex Dei quidem præſcripto, attamen humana manu arteque confectum, crebris per multa ſecula inſerviebat uſibus, cum Manna abſcondita, quæ Dei miraculoſum opus, in alterius miraculi memoriam adſervanda erat; ſed potius compoſitione ſuffimenti de quo Exod. xxx. 34. & ſeq. cui deficienti, alterum conſimile conficiendum fuiſſe nemo dubitat. Hæc faciunt, ut fabulis accenſenda exiſtimem, quæ de miraculoſa hujus olei continuatione & conſervatione Hebræorum Magiſtri tradunt. Non libet nobis, neque enimvero licet,

 mi-

miracula comminisci citra necessitatem, citra rationem. Judæis ergo relinquimus sua suaviludia, quæ ex Talmudicis excerpta scriptis cum literato orbe Christiano communicavit *Schichardus*.

LIX. *Modus unctionis ad figuram X. Graecorum*

LIX. MODUM UNCTIONIS hunc fuisse tradunt: ut fuso super caput oleo, digito ungentis in medio loco, qui interjacet inter oculos seu palpebras, facta fuerit figura *Caph Græcorum*: qua in re distincta fuit unctio *Sacerdotalis* ab unctione *Regum*, quæ fieri suevit in figuram *coronæ*. Atque hactenus fere omnes Hebræorum Magistri conveniunt. Sed non ita nota fuisse ipsis videtur figura Caph Græcanici. Nonnulli de sua Hebræa litera cogitant: indeque exsculpunt mysteria. Audiamus iterum *Aberbanelem*: *Forma*, inquit, *unctionis Sacerdotis fuit instar* כ *Caph*; *ut doceretur ipsum esse ministrum Dei, a Deo constitutum ut staret ad ministrandum ei in ipsius Sanctuario. Caph enim notat* כהן Sacerdotem, *quum prima sit vocis illius litera*. Pauculisque interjectis addit: *Fieri etiam potest, ut figura literæ Caph in ungendo Sacerdote fuerit adhibita, ad docendum, ipsius esse Deo manibus servire*, כף *Caph enim Hebræis manum sonat*. Alii disertius loquuntur de כי יוניה *Chi Græcorum*, cujus figura X similis est cruci illi quam Sanctandreanam vulgo vocant: vide sis his de rebus differentes, *Schichardum de Jur. Reg. Cap.* I. *Theor.* IV. cum observationibus *Karpzovii*. *Seldenum de succ. in Pontific. Lib.* II. *Cap.* IX. *Simeonem Muis in Variis Sacris ad Exod.* XXX. & alios bene multos qui sua plerumque ex ipsis habent.

LX. *Personæ ungendæ.*

LX. PERSONÆ UNGENDÆ fuerunt indubie. I. AARON. II. SUCCESSORES illius in PONTIFICATU. Unde quivis summus Sacerdos, dicebatur כהן משיח *Sacerdos unctus*. Lev. IV. 3. 5. 16. Hac in re notabile discrimen fuit inter unctionem Pontificum & Regum, quam Talmudistæ in *Gemara Hierosolymitana* ad *Tit. Horajoth. fol.* 47. *col.* 3. his verbis exponunt: *Rex qui primo constituitur, ungendus erat: Regis autem filius, qui in regnum succederet, ut is itidem ungeretur necesse non erat*, (nisi fortassis ob diversam factionem, & ut dissidium inter competitores componeretur) *At vero Pontifex, Pontificis Filius erat ungendus in decem generationes*. Id est, ex lege, in perpetuum. III. Ille SACERDOS CASTRENSIS, cujus partes erant ut cohortatione sua universo exercitui animos adderet, cæteros autem, qui abessendi privilegio gauderent, dimitteret solemniter: quem idcirco vocant משיח מלחמה *unctum belli*. De cujus officio multa erudite congessit *Schichardus Cap.* V. *Theor.* XVII.

LXI. Unctionem hanc observatam tradunt, quamdiu oleum a Mose confectum duravit: sub Templo autem secundo nullum ejus fuisse usum. Unde Pontificem illius temporis vocant מרובה בגדים

vesti

vestibus sacris insignem; negant fuisse מרובה משיחה *insignem unctione.* Atque, ob rei necessitatem, non minorem ita solemni ritu vestito, sine unctione, dignitatem ajunt accessisse, quam seculis anterioribus tam uncto quam vestito.

LXII. *An Gregarii Sacerdotes etiam uncti fuerint.*

Adde Praef. §. XXVI.

LXII. An gregarii quoque Sacerdotes, filii Aaronis, uncti fuerint, disquiritur inter eruditos. Non desunt viri magni harumque rerum callentissimi, qui negent; his potissimum inducti rationibus. I. Quia Pontifex solus *Sacerdos unctus* dicitur, eoque nomine a cæteris secernitur. Lev. xxi. 10. II. Quia in Pontificis consecratione jubetur unctio, quæ omittitur in consecratione Sacerdotum. Exod. xxix. 7. 8. 9. III. Quia idem observatur in exsecutione mandati. Levit. viii. 12. Celeberrimus *Coccejus* etiam mysterium in hoc unctionis defectu invenit. *Non conveniebat,* inquit, *ut carnalem unctionem haberent, quibus denegatum esset jus intrandi in Sanctum Sanctorum. Ubi est Spiritus promissionis Sanctus, ibi est Sanctum Sanctorum. Rursus hic significatio fuit τῆς ἀτελῶς, sive imperfectionis. Ubi enim, non tantum Israël, sed & ipsi Sacerdotes carent unctione, quæ tribuat jus intrandi in Sanctum Sanctorum terrestre, ibi profecto nondum est datus spiritus promissionis, sine quo nemo potest prope accedere ad Deum, & in quo accedimus prope ad Deum, ut patrem nostrum.* Alii tamen affirmant: inter quos *Seldenus* est. Qui *de Succes. in Pontifi. Lib.* ii. *Cap.* ix. ita scribit: *In ipsa Sacerdotii institutione, qua sacrati Aaron posterique ejus, non solum ipse, sed & filii ejus ungebantur, idque per septem dies continuos; quemadmodum & solemni ritu vestiebantur. Ut liquet in* Exod. xxix. 29. *Vestes autem sacræ quæ fuerint Aaronis, sunto filiorum ejus post eum, ad ungendum indutos eis: & ad consecrandum in eis ministerium eorum.* Sed, ut verum fatear, non videtur locus allegatus huc facere. Non enim hic de Sacerdotibus sociis Aaronis, sed de successoribus illius in Pontificatu agitur. Aliquanto expressius est. Exod. xxx. 30. *Aaronem quoque & filios ejus ungito; ita consecraveris eos ut Sacerdotio fungantur mihi.*

LXIII. In qua controversia decidenda, si meam mihi sententiam dicere liceat, existimo distinctione aliqua opus esse. Aliter unctus fuit Pontifex, aliter Sacerdotes. Pontifex sacro oleo in capite perfundebatur, ea quæ modo exposita est ratione. Exod. xxix. 7. Sacerdotes autem oleo, admixto victimarum sanguine, in sacra veste leviter tantum adspergebantur. Id docet Moses Exod. xxix. 21. *Tum accipiens de illo sanguine qui erit super altare, & de illo oleo unctionis, insperges Aaronem & vestimenta ejus, filiosque ejus, & vestimenta filiorum ejus cum eo: ita sanctus erit ipse vestimentaque ejus; atque filii ejus & vestimenta*

filiorum ejus cum eo. Quod & in exsecutione mandati diligenter observatum est. Levit. VIII. 30. Unde apparet, geminam fuisse unctionem Aaronis, alteram quam sibi *propriam* habebat, qua *Pontifex*, puro oleo infuso in caput; alteram quam *communem* habebat cum filiis, qua *Sacerdos*, oleo & sanguine adsperso vestimentis. Sed & in eo consentiunt Hebræi omnes: Pontifices successive semper unctos fuisse, donec sacrum oleum suppetebat; Sacerdotes autem gregarios nullos, præter proximos filios Aaronis. Eo quod posteri in majoribus suis satis uncti censerentur.

LXIV. *Mysterium unctionis.*

LXIV. Hæc quoque perfacile est ad Jesum nostrum transferre: qui est המשיח, Ὁ ΧΡΙΣΤΟ'Σ, UNCTUS ille præ cæteris omnibus. OLEUM sacrum notat plenitudinem Deitatis corporaliter in eo habitantis, & dona locupletissima Spiritus Sancti, quibus ditatus est. Jes. LXI. 1. *Fragrantia* olei repræsentat jucunditatem gratiæ, donorum & consolationum Spiritus Sancti, qua fideles ad amorem Christi alliciuntur. Eodem oleo quo ungebatur *Aaron*; ungebatur etiam *tabernaculum*, cum omnibus *vasis* suis. Unctionis Christi participes quoque illi omnes sunt, in quibus mystica commoratione habitat, eaque unctio ministeria eorum grata facit Deo. 2. Cor. I. 21. 22. 1. Joh. II. 20. 27. Nefas erat *sacrum* illud oleum *communi* alicui aut *profano* usui adhibere. Spiritum Sanctum mundus non recipit. Joh. XIV. 17. summaque impietas est, eum simulare actionibus fucatis indolem ejus externa specie mentientibus, vel prætexere desideriis aut motibus carnis. Oleum *capiti infusum* inde dimanans in *barbam*, notat plenitudinem gratiæ Christi, communicantis se cum membris corporis sui mystici. Ps. CXXXIII. 2. 3. Joh. III. 34. *Forma* Unctionis ad *figuram* X *Græcanici*, aut nihil significat, aut recta nos ducit ad crucem, ad quam pro peccatorum nostrorum expiatione sustinendam Pontifex noster destinatus est. Heb. XII. 2. Quod *Pontifex* unctus sit *modo speciali*, aliter ac *gregarii Sacerdotes*, cogitari potest, num eo doceamur, in munere Mediatorio non habere Christum socios, ne quidem proximos sibi, videlicet Apostolos, similesque. Quod tamen in Unctione quodammodo socios habuerit Sacerdotes reliquos, id docet, fideles ad spirituale & mysticum Sacerdotium inunctos esse Divino Spiritu. 1. Pet. II. 5. *Defectus olei* externi sub Templo secundo, notare potest instantem desitionem Cærimoniarum, ut locum cederent Sacerdotio ἀπαραβάτῳ, & unctioni veræ ac mysticæ, nunquam desituræ.

LXV. *Oblatio triplicis Sacrificii pro Aarone & filiis ejus.*

LXV. Denique ad consecrationem pertinebat OBLATIO *triplicis sacrificii, pro Aarone & filiis ejus.* Exod. XXIX. 10. Levit. VIII. 14.

Sacrifi-

Sacrificium *primum*, *juvenco* constans, fuit *piaculare*, ut λύτρον aliquod, quo primo omnium lustrandi erant. *Alterum* constabat *ariete*, eratque *holocaustum*, quo Deo commendarentur, toti impendendi ipsius ministerio. *Tertium* item *aries* erat, ad *sacrificium Salutare* sive *Pacificum*, cui adjunctum sacrum epulum, quo familiæ Dei insererentur, De victimis his præclare disserit *R. Levi Ben Gerson*, cujus commentarius dignissimus est qui hic appingatur. Monet, observandam esse *rationem ordinis, quo peracta sunt hæc sacrificia. Nam primum omnium in peccatorum expiationem factum est sacrificium piaculare: cujus nihil nisi aliquanta adeps Sanctissimo numini offerebatur, quia offerentes nondum digni erant a quibus Deus donum aut munus acciperet. Postquam autem jam lustrati erant, quo eos sacro ministerio devotos esse intelligeretur, holocaustum, quod totum aræ datum est, Deo immolabant. Post holocaustum autem sacrificium simile salutari (cujus pars Deo, pars offerentibus dari solet) eum in finem offerebant; ut eos jam in gratiam apud Deum eousque receptos esse constaret, ut communi cum eo mensa uterentur.* Quibus similia *Aberbanel* quoque in suis ad Exod. XXIX. commentariis habet. Vide *Outram. Lib.* I. *Cap.* V. *Sect.* V.

LXVI. Porro *Arietis* illius, qui *victima salutaris* nomine offerebatur, *sanguine* imbuendæ erant Sacerdotum omnium *aures dextræ*, & *pollices manuum pedumque dextrorum.* Exod. XXIX, 20. Quo significabatur, Sacerdotum esse, I. *Auribus* suis attendere ad præscriptum Dei. II. *Manus* promtas habere ad ministerium ejus. III. *Pedibus* velocibus ambulare in viis Domini. IV. Eaque omnia facere ex *sincera* intentione, & modo *exactissimo*. Dextra enim uti nobilissima, & ad agendum aptissima, ita & symbolum fidei ac sinceritatis est. LXVI. *Sanguine arietis imbuta dextra aures, dextrique pollices Sacerdotum.*

LXVII. Denique his præstitis, Moses arietis modo dicti adipem, caudam, omentum, fibram jecinoris, renes ambos, armumque dextrum, item panem unum, unam placentam oleo perfusam, crustulumque unum non fermentatum, Aaronis & filiorum ejus palmis imponit, manusque suas eorum manibus subjiciens, omnia illa quaquaversum agitat, Deo omnia possidenti porrigit, & porrecta mox in ara adolet. Pectus autem ejusdem arietis eodem modo agitatum sibi sumit, ut Sacerdotis partibus functus. Levit. VIII. 25. & seq. LXVII. *Cætera ejus arietis partim Deo cedebant, partim Mosi.*

LXVIII. Et hæc quoque altius spectasse credendum est. Sed, quod & alibi in typis usu venit, observanda hic est quædam personarum mutatio. Quoniam oblatio hæc per *Mosen* peragebatur, atque is nunc pro *Sacerdote* se gerebat, *Moses* in hoc negotio personam *Christi* sustinuit, oblatione sua sanctificantis eos qui ad Deum accedunt. LXVIII. *Harum rerum mysterium.*

Aaron

Aaron cum filiis suis *electos* repræsentat, qui non possunt grata Deo officia præstare, neque ad communionem familiæ & gratiæ ejus admitti, nisi postquam lustrati fuerint sanguine Christi. Porro & in *victimis oblatis*, figura *Christi* est. In *juvenco piaculari* Celeberrimus Interpres exhibitam esse credit Christi mortalitatem, patientiam, & quod in cibum destinatus esset hominibus. In *Ariete holocausti* idem considerari jubet, *sexum masculinum*, & *naturam* atque indolem istius animalis. *Masculinus sexus*, notat fortitudinem & potentiam. *Ovillum genus*, elongationem ab injuria inferenda. *Impositio manuum* in utrumque sacrificium, adumbrat peccata nostra imputata esse Christo, eique nobis per fidem esse innitendum. *Epulum Pacifici*, ad quod admittebatur Aaron, notat communionem quam omnes Sacerdotes mystici cum Christo, Altari suo, habent. Heb. XIII. 10. Quod *sanguine* oblineretur *auris dextra*, itemque *manuum* ac *pedum dextrorum pollices*, id significat, Sacerdotem illum qui per ipsos figuratus est, habere aures perforatas ad obedientiam, manus paratas ad apprehendendum eos qui sibi a Patre dati sunt, & pedes expeditos in viis Domini ad suorum auxilium: itemque nullorum hominum intellectum, voluntatem & affectus sanctificari, nisi ipsius sanguine. Heb. IX. 14. Quod *Moses* arietis ad sacrificium pacificum adhibiti adipem, caudam cæterasque partes, cum iis quæ his adjuncta erant, *palmis Aaronis* imponit; eo demonstratur imbecillitas sacerdotii Aaronici. Aaron & filii ipsius ipsi non offerunt quo sanctificentur in Sacerdotes, sed alius. Tantum habent aliquid in manibus, & agitant coram Jehova, quo Deus delectatur. Homo non potest accedere ad Deum, ut gratum ipsi sacrificium offerat, nisi id a majori Sacerdote ipsi tradatur. Cujus Sacerdotis majoris vicibus in figura nunc fungitur Moses. Confer Clarissimum *Coccejum* pluribus hæc omnia exsequentem ad Exod. XXIX. Quæ si ad singulas minutias ita præfigurata esse demonstrari non possint, pie certe hac & qualibet alia occasione cogitari posse, nemo, uti opinor, iverit inficias. Et quis fidelibus, atque amatoribus Christi invidebit, quod per Mosaica instituta, quæ generatim saltem eo destinata esse norunt, ad meditationem rerum spiritualium ac cœlestium in Christo adscendant?

LXIX. *Sacerdotum est ad Deum appropinquare.*

LXIX. Hactenus Sacerdotum *Consecrationem* vidimus, qua muneri suo initiantur: nunc ipsam muneris FUNCTIONEM expendamus. Ea vel *Generalius* considerari potest, vel *Specialius*. Generatim Functio Sacerdotalis in eo consistit, ut APPROPINQUENT AD DEUM, id est, familiariter cum Deo conversentur, proximi Deo ministri sint, in rebus Dei, quæ apud Deum ipsum agendæ sunt, occupati. Sic enim describuntur

buntur. Exod. xix. 22. כהנים הנגשים אל יהוה, *Sacerdotes appropinquantes ad Jehovam.* Imo absolute קרובי יהוה *propinqui Domini.* Lev. x. 3. Memorabilis est Mosis ad Corachum totumque cœtum murmurantem allocutio. Num. xvi. 5. *Mane plane notum faciet Jehova, eum qui ipsius est, & qui sanctus est;* והקריב אליו ואת אשר יבחר בו יקריב אליו *& quem faciet appropinquare ad se: nam eum quem elegerit faciet ad se appropinquare.*

LXX. כהן *Ministerium Regis notat.*

LXX. Ipsa vox כהן *Cohen* id innuit. Significat enim *ministrum Regi proximum.* Porro quum Reges sint in duplici differentia; alii terrestres, unus Cœlestis, qui Rex totius universi est; utrique habent suos כהנים *Cohanim*, ministros. Sic filii Davidis *Cohanim*, dicuntur. 2. Sam. viii. 28. Id est ראשנים ליד המלך *primi ad manum Regis*, uti exponitur. 1. Chron. xviii. 17. Eadem mente *Hiram Jairites*, vocatur כהן דוד *princeps minister Davidis.* 2. Sam. xx. 26. Sed & Rex cœlestis suis instructus esse ministris voluit: de quibus dixit. Exod. xxx. 30. וקדשת אתם לכהן לי. *& sanctificabis eos ut ministrent mihi.*

LXXI. *Christus Deo proximus solus facultatem habet pro omnibus accedendi.*

LXXI. Enimvero & Christus Deo proximus & גבר עמיתי, *Vir proximus ejus.* Zach. xiii. 7. qui solus παῤῥησίαν habet pro omnibus *ad Deum accedendi.* Jer. xxx. 21. Ita autem Sacerdotes ad Deum accedunt, ut *ea quæ populi sunt apud Deum agant:* uti pulcre observatum ab Apostolo Heb. v. 1. Propheta *Dei Legatus* ad populum est. Hag. 1. 13. 2. Cor. v. 20. Rex, *Dei Vicarius.* 2. Chron. xix. 6. Sacerdos, *populi apud Deum Patronus.* Sic & Christus, *Misericors & fidelis Pontifex in iis quæ apud Deum agenda sunt.* Heb. 11. 17. *ut compareat apud faciem Dei pro nobis.* Heb. ix. 24.

LXXII. *Tres functionis Sacerdotalis partes.*

LXXII. Specialius ad Sacerdotalem functionem tria pertinent. I. Dona et victimas et incensum offerre pro peccatis. Heb. v. 1. II. Intercedere pro populo. Joel. 11. 17. III. Benedicere populo. Num. vi. 23. Deut. xxi. 5. 1. Chron. xxiii. 13.

LXXIII. *Rerum offerendarum tres species. Dona, Victima, Incensum.*

LXXIII. In iis quæ offerenda Sacerdoti, distincte memoravi, Dona, Victimas, & Incensum. Nimirum ea quæ Deo dicata sacro ritu in Altari consumebantur, alia ex *inanimis*, alia ex *animantibus* lecta; omnia fere ex eis quæ in humano victu erant. Quæ ex *inanimis* sacrabantur Deo, ea Hebræis מנחות *dona* dicuntur, Latinis *ferta, dapes.* Ex animantibus lecta, si modo volatilia exceperis, Judæorum Magistris זבחים, *victima* dici solent. *Incensum*, sive *suffitus* sacer, quomodo conficiendus esset, Mosen docet Deus Exod. xxx. 34. & seq. *Item edixit Jehova Mosi, accipe tibi aromata, stacten & onychen*

& galbanum, nardi folia cum spicis, & thus purum: unumquodque solum cum altero solo esto. Et parabis ex eo suffitum, pigmentum, opus pigmentarii, salitum purum, sanctum. Contundensque ex eo minutim, pones ex eo coram ipso testimonio, in tentorio conventus, quo conventurus sum tecum: res Sancta Sanctarum est vobis. At secundum hujus suffitus quem feceris confecturam ne facitote vobis: res Sancta esto tibi, Jehovæ est. Quisquis fecerit ei similem ad odorandum eum, utique exscindetur e populis suis. Hebræi hæc aliquanto exponunt enucleatius: & pro quatuor aromatum speciebus Mosi laudatis, numerant quindecim, hac proportione. Stactes, Onyches, Galbani, Thuris, ana Libras LXX. Myrrhæ Cassiæ, Spicæ Nardi, Croci, ana Libras XVI. Costi Libras XII. Cinnamoni Lib. IX. Cassiæ Ligneæ Libras III. Quæ in unam collecta summam conficiunt Libras 368. Pro singulis anni diebus pondo unum. Sic ut integro anno remaneant tres Libræ residuæ, quæ impenduntur festo expiationis. Suffitus ille quo preces significantur, res est Deo Sanctissima. Nihil enim Sanctius Deove magis proprium quam devota precum oblatio: quas alienari, & non-Deo offerri, sub pœna exterminii nefas est.

LXXIV. *Modus offerendi dona.* LXXIV. MODUS OFFERENDI DONA, sive ferta, hic erat: omnia conficiebantur ex farina hordeacea, sive triticea; aliquibus *addebatur vinum*, aliis *non item*. Quæ vini libamine augebantur oleo subigenda erant, & sale salienda, sine fermento, sine melle. Levit. II. 11. Fermentum abesse Deus voluit, si *Aberbaneli* credimus, ne mora adferatur, dum exspectatur fermentatio: mel, ne Sacerdotes attingentes anteverterent comestionem, lingentes digitos. *Maimonides* existimat Israëlitas hoc præcepto ab Idololatris fuisse discretos, qui fertis suis fermentum & mel addere consueverant. *Baal Hatturim* ad mores refert. Fermentum, inquit, notat figmentum malum, quod omnia corrumpit: idem significatur melle, quatenus corruptio illa homini corrupto dulcis est. Sal autem est *Sal fœderis*. Num. XVIII. 19. quia est signum fœderis, & constantiæ ipsius. Porro ferta ejusmodi semper conjungenda erant cum aliquo genere victimarum, nunquam citra victimam danda: & una cum holocaustis igne absumenda in odorem gratum Jehovæ. Num. XXVIII. & XXIX. Ferta nullis vini libamentis aucta, vel *Fermentata* erant, vel *Azyma*. *Fermentata*, quales panes illi primitiarum die Pentecostes, Levit. XXIII. 17. & illi qui sacris Eucharisticis adhibebatur, Lev. VII. 3. porrigenda quidem erant Deo, & minime adolenda in Altari, sed integra cedebant Sacerdotibus. Neque enim dapes fermentatas in altari adolere fas fuit. Lev. II. 10. *Nullum munus quod offeretis Jehovæ conficito fermen-*

fermentatum: nam ex nullo fermento, & melle adolebitis, igne absumendum munus Jehovæ. Azymorum aliqua, partim Sacerdotibus data, partim Aræ. Uti verbi gratia primitiæ messis offerendæ festo Paschatis. De quibus ita tradunt Hebræorum Magistri: ex tribus fasciculis segetis tria hordei sata in Atrio excutiebantur; ex illis satis, ventilatis, molitis, tostis, unus seligebatur Omer, qui uno olei logo subactus, additoque thuris pugillo auctus, primo omnes mundi plagas versus, quasi Deo omnium conditori, porrigebatur, dein partim Aræ datus, partim Sacerdotibus. Ante quod fertum Deo redditum, far recens nemini gustare licebat. Lev. XXIII. 14.

LXXV. Oblatio Victimarum partim ad Dominos.

LXXV. Oblatio victimarum olim gemina erat: quarum altera ad *Victimarum Dominos*, altera ad *Sacerdotes* pertinuit. Illa absolvitur tribus actibus. I. Ut victima adducatur ad ostium tentorii conventus. Lev. I. 2. 3. *Alloquere filios Israëlis, & edicite eis: quisque quum offeret e vobis oblationem Jehovæ, ... ad portam tentorii conventus offerto eam.* II. Ut impositis manibus Deo sacretur, & offerenti substituatur. ib. vers. 4. *Et nitetur manu sua super caput holocausti sui, ut sit acceptum pro ipso ad expiandum ipsum.* III. Ut ab offerente mactetur vers. 5. *Maimon. in Biat Hammikdas Cap.* IX. *Sect.* VI. *Mactatio Victimarum per peregrinos* (qui non sunt Aaronidæ) *legitima est, etiam sanctissimarum; sed receptio sanguinis, & quæ eam sequuntur, pertinent ad Sacerdotium.*

LXXVI. Partim ad Sacerdotes pertinet. תרומה & תנופה quid?

LXXVI. *Oblatio Sacerdotalis* similiter tres partes habet. Quarum I. est oblatio sanguinis, prosectorum, & ablegminum, quæ a Sacerdote applicabantur altari. Lev. III. 2. 3. II. Agitatio versus omnes mundi plagas: quæ תרומה & תנופה dici solet. Exod. XXIX. 27. Levit. X. 14. 15. Hæc ab Hebræorum Magistris ita distinguuntur, ut תרומה sit *agitatio sursum*, תנופה *prorsum & retrorsum, dextrorsum & sinistrorsum facta*: quibus ritibus Deo omnia implenti, omnia tuenti & possidenti, victima rite porrecta fuit. Sic *R. Bechai* ad Lev. VIII. מוליך ומביא למי שארבע רוחות העולם שלו מעלה ומוריד למי שהשמים וארץ שלו. *Prorsum ac retrorsum illi admovet, cujus sunt quatuor mundi plagæ. Sursum ac deorsum illi porrigit, qui cœli ac terræ Dominus est.* Addit *R. Levi Ben Gerson*, agitationem eo pertinuisse, להורות על השם יתעלה השגיח בעליונים בתחתונים בכל פנות שהם · בו *ut intelligamus Dei providentiam, supremis ac infimis, ubicunque existant, interesse.* Aliter tamen hæc exponit *Cl. Coccejus*, qui videri potest in Lexico ad vocem נוף, & תנופה. III. Denique pars oblationis Sacerdotalis, est crematio per ignem sacrum in Altari.

LXXVII. *Oblatio incensi Quotidiana, & Annua.*

LXXVII. OBLATIO INCENSI, sive suffitio gemina est: altera *quotidie* mane & vesperi facienda; alia *quotannis*, die Expiationis. Ad *quotidianam* suffitionem, nisi nos fallant Judaei, tres adhibiti fuere Sacerdotes, sorte delecti. Primo id negotii datum, ut cineres arae inauratae, in aureum quoddam vas converreret. Alteri, ut candentes prunas ex Altari aeneo Holocaustorum petitas, & in batillo quodam positas, arae aureae admoveret. Quibus duobus templo egressis, tertius a Praeside foris stante monitus, suffitum e thuribulo manu sumtum in arae focum porriciebat. Quo facto & ipse Templo, id est Sancto, exibat: at postquam corpore versus Sanctum Sanctorum, summa cum reverentia, inclinato, numen ibi habitans adorasset. Quo autem tempore suffimenta a Sacerdote adolebantur, eodem & ipse populus, suo quisque loco consistens, preces suas peragebat. Luc. I. 10. clangentibus interim & concinentibus Levitis. Fiebat autem id mane & vesperi quando lampades curabantur. Exod. xxx. 7. 8. Et sane dum lucerna verbi accenditur addendae sunt preces. *Anniversariam* suffitionem non quilibet Sacerdos, sed solus faciebat Pontifex, in Sancto Sanctorum, intra velum, die solemni expiationis. Quando sinistra thuribulum suffitus, dextra batillum cum prunis candentibus gestans, in adytum intimum penetrabat. Eo ingressus, batilloque de manu posito, suffitum in prunas porriciebat: adytoque nube densa oppleto, in exterius sacrarium pedetentim ac retro gradiebatur.

LXXVIII. *Tria solemnium precum carmina, a Potnifice die. Expianis recitanda.*

LXXVIII. Oblationibus omnibus addi solebant PRECES, tam ipsorum *Offerentium* quam *Sacerdotum*. Quod potissimum fiebat DIE EXPIATIONIS, in magno illo sacrificio anniversario. Ubi Pontificis Maximi tres distinctae precum formulae a Magistris narrantur. *Primâ*, quae fiebat juxta juvencum piacularem, confitebatur *sua suorumque*, & totius *familiae Aaronicae*, peccata. *Obsecro, Domine, peccavimus, deliquimus, rebellavimus in conspectu tuo, ego, & familia mea, & filii Aaronis, populus tuus sanctus. Obsecro, Domine, remitte nunc peccata, delicta, & rebelliones, quibus peccavimus, deliquimus, & rebellavimus in conspectu tuo, ego & familia mea, & populus tuus sanctus. Sicut scriptum est in Lege Mosis servi tui, ubi dictum est; in hac die expiatio erit vestri, & mundatio ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini.* Cui pontificis Orationi Sacerdotes brevi hoc carmine respondebant: ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד *Benedictum sit nomen gloriae regni ipsius in seculum & sempiternum. Alterâ* formula, quae adhibebatur circa hircum in deserta abducendum, Pontifex pro *toto* obsecrabat *populo*. *Obsecro, Domine, peccavit, deliquit, rebellavit in conspectu tuo populus tuus Israel.*

Obsecro

Obsecro Domine, remitte nunc peccata, delicta & rebelliones, quibus peccavit, deliquit & rebellavit in conspectu tuo populus tuus, gens Israëlitica: sicut scriptum est in Lege Mosis servi tui, ubi dictum est; in hac die erit expiatio vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini. Quibus precibus populus respondebat, uti supra. Aliam precum sacrificalium formam vide 2. Macc. 1.23. Sed & tertia adhuc oratio Pontificis, die Expiationis. Quando in adytum intrabat, ut suffitum faceret, adytumque densa nube impleret, pedetentim retro ad populum gradiens, in exterius sacrarium, ita populum Deo commendabat. *Placeat tibi, Domine, ut si annus hic calidus fuerit, idem quoque sit pluviosus, ut ne discedat sceptrum a familia Judæ, nec victu careat populus tuus Israëliticus, irritaque ut sint impiorum preces.*

LXXIX. Circa Benedictionem Sacerdotalem occurrunt nonnulla observatu dignissima. Et primo quidem temporis circumstantia. Postquam Israël in fœdus Dei receptus esset, sanctuarium rite constitutum, populus circum illud ordine collocatus, & sanctificatus in hoc ordine, Lex de Benedictione lata est. Nimirum *qui introspexerit in perfectam illam legem libertatis, & permanserit in ea, quia non fuerit auditor obliviosus, sed actor operis, is, inquam, beatus erit in illo opere suo.* Jac. 1.25. Pulcra est observatio R. *Menachem Racanatensis. Ratio*, inquit, *cur benedictionis facta sit mentio post erectum Tabernaculum, hæc est: quia ex Tabernaculo superiori atque cœlesti abundantia benedictionis defluit in id quod inferius atque terrestre est.* At neque illud prætereundum, quod, secundum Magistros, Benedictio Sacerdotalis non nisi *matutino tempore* fieret, nunquam hora *Mincha*, sive *oblationis vespertinæ. Maimon. Tract. de Precib. Cap.* XIV. *Sect.* 1.

LXXIX. Multa observatu digna, circa Benedictionem Sacerdotalem.

LXXX. Plurimum etiam contineri existimant voculâ sic, quæ præceptum de benedictione ingreditur. Sic Benedicitote filiis Israel. *Sic*, elevando manus. *Sic*, lingua sancta, sive Hebræa. *Sic*, facie ad populum conversa. *Sic*, alta voce. *Sic*, expresso nomine Tetragrammato, si benedictio fiat in sanctuario. Extra sanctuarium, sanctissimum hoc nomen non pronunciabant. Imo & in ipso sanctuario pronunciari est desitum post mortem Simeonis Justi. Nefas etiam fuisse credunt, trinæ huic benedictioni quartam addere: quantumvis alibi in sacris literis inveniatur. Uti verbi gratia illa quæ exstat Deut. 1. 11. *Jehova Deus majorum vestrorum augeat vos supra quam estis millecuplo, & benedicat vobis.*

LXXXI. *Ritum* Benedictionis hunc fuisse tradunt. Sacerdotes finito Sacrificio Matutino conscendunt suggestum, manusque supra

caput extollunt, digitis expansis: excepto tamen Pontifice, cui non licuit altius elevare manus, quam usque ad laminam auream, quam in fronte gestabat. Unus autem distincte singula verba pronunciabat; quibus finitis respondebat populus: *Benedictus sit Deus Israëlis a seculo in seculum.*

LXXXII. Illud denique notabile, quod in Benedictione hac *ter* repetatur nomen *Jehova*, & uti post alios Hebræos R. Menachem Racanatensis observat, identidem cum *diverso accentu*: quod existimant non carere mysterio.

LXXXIII. *Omnes muneris Sacerdotalis partes explet Jesus.*

LXXXIII. In omnibus functionis Sacerdotalis partibus nihil est quod non exacte præstiterit Christus. Nam I. *per Spiritum æternum semet ipsum* OBTULIT *Deo inculpatum, ut sanguine suo emundaret conscientiam a mortuis operibus:* Heb. IX. 14. *Unicaque oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur.* Heb. X. 14. II. ORAVIT pro suis in terra. Joh. XVII. 10. Et etiamnum pro iis orat in cœlis. Rom. VIII. 34. comparens apud faciem Dei pro nobis, non cum alieno sanguine, sed suo, intercessionem suam fundans in dignitate ac virtute oblationis suæ. Heb. IX. 24. 25. III. Plus quam Sacerdotalem BENEDICTIONEM suis impertit. Luc. XXIV. 51.

LXXXIV. *In ipsius oblatione est aliquid quod respondet Mincha aut Muneri.*

LXXXIV. At merentur hæc paullo pressius exponi. Non solum oblatio *pecudum*, sed & MUNERUM, ad expiationem peccatorum impetrandam instituta erat. Quod colligi potest, partim ex horribili illa sententia in familiam Eli a Deo pronunciata, futurum non esse *ut iniquitas domus Eli expietur* בזבח ובמנחה *sacrificio aut munere.* I. Sam. III. 14. partim ex consilio quod Sauli suggerit David: *Si Jehova incitavit te contra me, odoretur munus,* I. Sam. XXVI. 19. id est, fac ut offeratur ei aliquid quod gratum sit, ut ipse placatus a pertinaci hac melancholia te liberet. Porro si expiatio typica etiam fertorum oblatione impetrari potuerit, necesse est ut respectum ad Christum habeat; in quo respectu omnis ceremoniarum vis & virtus fundatur. Sed & illud consequitur, esse aliquid in oblatione Christi quod respondeat *Minchæ* sive *Muneri.* Hinc remoto, tanquam invalido, non *sacrificio* solum, sed & *muneri*, suam oblationem opponit Christus Ps. XL. 7. 8. *Sacrificio & munere non delectaris: Tunc dixi, Ecce venio.* Et sane Christus semetipsum *grano tritici* confert, ex quo *Mincha* conficiebatur. Joh. XII. 24. Denique quid multis? quum expresse doceat Paulus Christum se ipsum dedisse προσφορὰν καὶ θυσίαν, id Hebraice diceretur [illegible], *munus & sacrificium.* Eph. V. 2. Quæ pericopa modo explicabitur prolixius; melius enim cuncta intelligentur postquam ea quæ ad obla-

oblationem *Sacrificii* Christi pertinent exposuerimus. Id solum nunc notetur, quod *simila* purissima, ex qua conficiebatur Munus, significare possit puritatem Christi exactissimam. *Oleum*, communicationem Spiritus Sancti. *Thus*, gratissimum muneris odorem, & acceptionem Dei id pro grato habentis. *Crematio* in altari, mortem Christi pro peccatorum expiatione. Denique quod *pars muneris Sacerdotibus* cederet, communionem fidelium cum Christo in participatione meritorum ejus.

LXXXV. Sed & alia subesse videntur mysteria: *Muneribus* illis designantur quoque *fideles*, per Christum sanctificati, Deoque offerendi, ut res ei gratissima. Huc pertinet Jesaiæ vaticinium Cap. LXVI. 29. *Et adducent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus, muneri Jehovæ, equis, & curribus, & pilentis, mulisque, ac veredariis, ad montem sanctitatis meæ, „Hierosolymam, ait Jehova: quemadmodum offerunt Israëlitæ munus instrumento mundo in domum Jehovæ.* Cujus vaticinii complementum aliquod in suo ministerio Paulus exhibet. Rom. XV. 16. *Ad hoc sum minister Dei inter gentes: operans Evangelio Dei, ut oblatio gentium fiat accepta, sanctificata per Spiritum Sanctum.*

LXXXV. *Quo & fideles designantur per ipsum sanctificati*

LXXXVI. Denique notantur etiam *officia* quædam *pietatis*, ab hominibus religiosis circa *Deum*, circa *se ipsos*, circa *proximos* peragenda. Circa *Deum*, per *preces* & *gratiarum actiones*. Hæc enim oblationi munerum conferuntur. Psf. CXLI. 2. *Statuatur oratio mea, ut suffitus coram te; & oblatio manuum mearum, ut munus vespertinum.* Apud Malachiam Cap. I. 10. 11. postquam protestatus esset Deus, non delectari se externi muneris oblatione, nisi offerentis pietate commendetur, mox subdit: *ab ortu solis usque ad occasum ejus, magnum erit nomen meum in gentibus, & in omni loco suffimentum adferetur nomini meo, & munus purum.* Cui respondet Pauli illud: I. Tim. II. I. *Volo igitur viros orare in quovis loco, puras manus attollentes, absque ira & disceptatione.* Ipsi etiam *offerentes* munus admonebantur suorum criminum, & compellebantur ad humilem reatuum suorum confessionem. Nam sicuti in mactatione animantium comprehendebatur nostræ ad mortem obligationis confessio; ita & in consumtione sacra earum rerum quæ cæteroquin nobis ad vitæ sustentationem datæ sunt. Idem notabat effusio olei & vini, & combustio similæ, salis ac thuris, quod mactatio animantis. Bene *Recanatensis* laudatus *Altingio ad* Lev. II. I. *In oblatione muneris extollitur voluntas humilis, & propinquat voluntati Excelsi, ac vicissim. Humilis ergo debet voluntatem suam offerre mediante oblatione: colligando animam suam animæ oblationis: & tum æstimat Scriptura quasi*

LXXXVI. *Et officia pietatis, ab ipsis præstanda.*

animam

animam suam obtulisset. Fundant istam observationem in phrasi Mosaica: *Anima quum offert oblationem muneris Jehovæ.* Quod tamen subtilius est. Sed & dona liberalitatis collata in egenos muneribus hisce comparantur. Heb. XIII. 16. *Beneficentiæ vero & communicationis ne obliviscimini. Talibus enim victimis delectatur Deus.* Alibi quoque Paulus ea nuncupat odorem bonæ fragrantiæ, hostiam Deo acceptam & placentem.

LXXXVII. *In oblatione sacrificii Christi tres sunt articuli.*

LXXXVII. In *Oblatione* Christi, ut SACRIFICII, sicut & in reliquis sacrificiis, *tres articuli* distincte considerandi sunt. Illa enim *viva primo* offerebantur ad ostium tentorii conventus. Levit. I. 2. 3. *dein* ad honorem Dei *mactabantur*, & imponebantur *altari*, vel in totum, vel ex parte *consumenda igne: denique sanguis* quorundam deferebatur in intimum *adytum.* Ad eundem modum Christus semet ipsum obtulit, *primo vivus valensque*, quando sua sponte eo proficiscebatur, unde se, uti victimam piacularem, ad judicium, mox ad crucem, ductum iri sciebat. Luc. XVIII. 31. atque ad mortem imminentem ultro se sistebat Deo. Hoc est quod dicit Joh. XVII. 18. ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτὸν, *pro iis ego me ut victimam Deo offero.* Nam קדש, sive ἁγιάζειν, *sanctificare*, idem quandoque quod *offerre* valet: Levit. XXII. 2. 3. Deut. XV. 9. Nec aliam commodam significationem hoc in loco recipit. Optime *Chrysostomus* hæc verba, ἁγιάζω ἐμαυτὸν, exponit, προσφέρω σοὶ θυσίαν. *Secundo, patiens, & moriens*, & sanguinem suum fundens, inque eum finem extra Hierosolymam eductus, uti extra castra & urbem cremandæ erant illæ victimæ quibus maxime adumbrabatur. Heb. XIII. 11. 12. Nam oblationem Christi in passionibus & morte consistere, invicte concluditur ex Apostoli argumentatione. Heb. IX. 26. 28. ubi probat, Christum semel duntaxat in consummatione seculorum se ad peccatum e medio tollendum immolare debuisse, ex eo quod alioquin oportuisset eum sæpius passum fuisse a jacto mundi fundamento, & ex eo quod semel duntaxat mortuus sit, sicuti hominibus statutum est semel mori.

LXXXVIII *Altare hujus oblationis an Divinitas Christi, an crux.*

LXXXVIII. ALTARE nonnulli *Divinitatem* Christi esse dicunt, alii *Crucem.* Nobis utrumque dici posse videtur, pro diverso altaris usu: qui erat I. Sustinere victimam Deo cremandam. II. Eam sanctificare. Quod non tam per se faciebat, quam per ignem sacrum, qui cœlitus delapsus Spiritus Sancti figura erat. Priori respectu cur Crux pro altari habenda non sit, nullam video rationem: quippe in quam *sursum elatus* fuit Christus Joh. XII. 32. 33. sicuti עולות victimæ illæ, quæ totæ adscendebant in altare: & *in qua peccata nostra in*

cor-

corpore suo tulit. I. Pet. II. 24. Posteriorem σχέσιν habuit ipsa Christi *Divinitas*, & Spiritus ejus æternus, per quem sese inculpatum Deo stitit. Heb. IX. 14.

LXXXIX. Interim temnenda non est erudita & subtilis *Cloppenburgii* observatio, per ipsam illam maledictionem, cujus symbolum crux fuit, sanctificatum fuisse Christum. *Enimvero in eo situm erat expiationis mysterium, quod per Exsecrationem victimæ consecrarentur: ipsas quippe necesse erat devovere maledictioni, ad impetrandam Divinitus benedictionem. Atque sic pro nobis expiationem fecit Christus, ipse factus κατάρα, quando se pro nobis sanctificavit, & a Patre per passiones sanctificatus est.* Heb. II. 10. Vid. *Cloppenb. Schol. Sacrif. in Spicilegio Probl.* VI. *Flammæ*, quibus crematus est, sunt Zelus Divinæ gloriæ, & incredibilis erga fratres charitas. Ps. LXIX. 10. quibus accessit baptismus ignis accensi ab ira Dei adversus peccata nostra. Luc. XII. 50. LXXXIX. *Erudita Cloppenburgii observatio.*

XC. *Tertio* denique se ipsum obtulit Christus, quando *sanguinem* suum, in sanctuarium sine manibus factum, hoc est, *in cœlum* ipsum *intulit*, & Patri suo stitit. Heb. IX. 12. Digna hæc res est, quæ aliquanto uberiori dissertatione claretur. *Sanguinem* pecudum pro *anima* ipsarum haberi, quia vitæ vehiculum est, eundemque substitui pro anima hominis peccatoris victimam offerentis, ac proinde datum esse super altari ut pro animabus expiationem faciat, expresso sermone docet Deus Lev. XVII. II. Quando igitur Messias consideratur ceu antitypum victimæ ad expiationem oblatæ, uti hujus sanguis pro anima est, ejus loco ac vice, ita vicissim *anima* Messiæ appellatur *sanguis*, quoties sub emblemate bruti venit, Agni nempe mactati. I. Pet. I. 19. Apoc. V. 6. VII. 14. Sicuti rursus *sanguis* ipsius aliquando vocatur *anima*, quando repræsentatur ut agens rationale, qui convenienter sponsioni suæ aliquid offert. Jes. LIII. 10. 12. Adeo ut anima & sanguis in hoc negotio sint ἰσοδυναμοῦντα. Quemadmodum itaque sanguis hircorum & vitulorum illatus est in adytum, quo tempore corpus victimæ mortuum erat; ita quoque sanguis Christi illatus fuit ab ipso ut Pontifice, Deitate ipsius Sacerdotis summi munus obeunte, in sacrarium sine manibus factum; dum corpus extrinsecus manebat, extra castra in loco mundo sepositum. Sic enim analogia typi & antitypi servanda est, in qua adsignanda utique non est hallucinatus Apostolus. Ille autem *sanguis* alius esse nequit quam *anima* Christi; quam quum emisisset, lacerato velo carnis suæ Heb. X. 20. (quando etiam velum Templi scissum est Matth. XXVII. 50.) intulit in cœlum. Postea Christus non *animam* solum, sed & ipsum *corpus victimæ cæsæ* in cœlo coram Deo XC. *Tertius articulus oblationis Christi est illatio sanguinis ipsius in cœlum.*

Deo præsens ſtitit. Non enim ſolum ut *Pontifex* in cœlo eſt; ſed etiam uti *Agnus mactatus.* Apoc. v. 6. Illa autem repræſentatio victimæ coram Deo, quidni ad ejus oblationem pertinere cenſeatur?

XCI. Effectus oblationis eſt plena peccati expiatio.

XCI. *Finis* atque *effectus* oblationis eſt plena peccati noſtri expiatio ac deletio Heb. I. 3. I. Joh. III. 2. Ita enim Deus peccata noſtra Chriſto, veluti victimæ piaculari, impoſuit; ita Chriſtus ea, voluntaria ſponſione, in ſe ſuſcepit; ita pro iis, ſibi a patre impoſitis, a ſe ſuſceptis, pleniſſime ſatisfecit, ut vere & conſummate ea *expiaverit.* Hinc inter beneficia Meſſiæ numeratur כפר עָון, *expiare peccatum* Dan. IX. 24. Apponi hic merentur verba Lexici Hebræi quod *Aruch* dicitur, in voce כר fol. 76. in fine: כל מקום שהוא אמר הריני כפרת שהוא פירושו הריני במקומו לשבול עָונותיו כלומר שעָונותיו אני מקבל עָלי להכפר. *Ubicunque dicitur, Ecce me in expiationem, ibi ſenſus eſt, ecce me in locum ejus, ut portem iniquitates ejus, quaſi diceret, peccata ejus ego ſuſcipio in me, ut ea expiem.* Adeo autem plene peccatum noſtrum expiavit Chriſtus, ut neque imputari ad pœnam fidelibus poſſit, quod & olim habebant vi oblationis ſuo tempore conſummandæ, neque chirographi exactio, aut reatus, ut nondum expiatr, in repetitione victimarum, confeſſio, locum exinde inveniant: qui fructus conſummatæ oblationis eſt. Col. II. 14. Heb. x. 2.

XCII. Eph. v. 2. exponitur ex intimis Moſaicorum rituum arcanis.

XCII. Atque ob hanc rationem Chriſtus dicitur ſemet ipſum tradiſſe pro nobis ΠΡΟΣΦΟΡΑ'Ν καὶ ΘΥΣΙ'ΑΝ τῷ Θεῷ εἰς Ο'ΣΜΗ'Ν Ε'ΥΩΔΙ'ΑΣ, OBLATIONEM & VICTIMAM *Deo in* ODOREM BONÆ FRAGRANTIÆ. Eph. v. 2. Quæ verba Pauli multo majorem emphaſin habent, quam primo intuitu videntur: & exponi non poſſunt niſi ex intimis inſtitutionum Moſaicarum arcanis. Quod egregie præſtitum eſt a *Jacobo Altingio Heptad.* IV. *Diſſert.* v. §. XIX. XX. Nimirum in Veteri Teſtamento ea demum ſacrificia *grati* apud Deum *odoris* eſſe dicebantur, quibus additum erat *oleum*, & *thus*. Lev. II. 2. 9. 16 At *ſacrificiis pro peccato* nefas erat *thus* & *oleum* addere. Lev. v. II. neque in odorem bonæ fragrantiæ fuiſſe dicuntur. Quia commemorare quidem peccatum poterant, tollere autem revera non poterant. Nimirum hoſtia pro peccato ſæpius *comburebatur*; eratque pabulum iræ Dei, quæ, peccatorem cæteroquin abſumtura, exſerebat ſuam vim in vicario ad ejus deſtructionem: aliquando *Sacerdotibus cedebat in eſcam*, qui eo pacto *incorporabant* peccatum, & recipiebant in ſe reatum populi: Lev. x. 17. ut oſtenderetur, aliquando *Sacerdotem* & *victimam unam* fore *perſonam*; quemadmodum in Chriſto conſummatum eſt. Quoniam autem iræ Divinæ objectum fuit ejuſmodi hoſtia pro peccato, non licuit ei addere *thus*, eo

Adde Præf. §. XXVII.

quod

quod non esset in *odorem bonæ fragrantiæ*, neque in ea ut satisfactoria acquiesceret Deus. Hinc neque offerenti quidquam de ea comedere licuit: sed adhibita est alia *hostia*, *pacifica* nempe, cui & *cibarium munus*, & *thus*, & *vinum oleumque* junctum fuit, quæ post expiationem reatus, Dei reconciliati gratiam, & lætam communionem testaretur. Levit. XXIII. 19. 20. Secus se res habet in sacrificio Christi, in quo omnia quam perfectissima cunctisque suis numeris absoluta esse par est. Est ibi revera SACRIFICIUM PRO PECCATO & REATU חטאת &; אשם eoque ΘΥΣΙ'Α dicitur: sed adest simul ΠΡΟΣΦΟΡΑ', qua voce Græci solent reddere Hebræum מנחה quæ est OBLATIO CIBARIA, semper sociata *oleo* & *thure*, *vino*, & *libamine*, atque idcirco Deo fuit in *odorem bonæ fragrantiæ*. Revera Christus sic fuit hostia pro peccato ut Divinæ iræ cesserit in pabulum; verum ita ut eo ipso satisfactum plenissime fuerit Divinæ justitiæ, & adfuerit *thus beneplaciti*, & consecutum sit *vinum lætitiæ*; ad cujus jucundissimam communionem fideles omnes admittuntur, mystici illius ac vere pacifici epuli consortes.

XCIII. *Argumentum peractæ expiationis in laceratione veli est.*

XCIII. Observatu quoque dignissimum est, quod idem Vir Doctissimus pulcre annotavit, insigne argumentum expiationis per Christum peractæ, in *laceratione veli* esse. Velum Sancto Sanctorum obtensum figurabat, peccata, ad instar intergerini parietis, aditum ad Deum intercludere peccatoribus. Verum solemni die Expiationis, fuso sanguine hirci piacularis, Sacerdoti summo in adytum intraturo, cedebat velum, ac pandebat introitum, ut factam expiationem repræsentaret coram Deo. Attamen, quia sic non vere, sed in figura duntaxat, expiabatur peccatum, egrediente sacerdote redibat velum in locum, & ad usum priorem, arcens ab accessu in adytum. At postquam Christus expiationem in cruce consummasset, ituro in sacrarium cœleste, ut sanguinem expiatorium ibidem exhiberet, non cessit ad tempus velum, sed scissum laceratumque fuit, manu non humana, sed Divina, tanquam nullius usus posthac futurum, æternum valitura redemtione impetrata. Hæc mihi tam pulcra, tam erudite observata, tam ad illustrandam Dei in institutis & operibus suis sapientiam facientia esse videntur, ut in meis non minus quam Clarissimi *Altingii* scriptis legi cupiam: ea tamen conditione, ut inventionis gloria, siquidem ipse invenerit, ei illibata remaneat.

XCIV. *Christus etiam suffimenta adolet in Altari aureo.*

XCIV. Cæterum non solum corporis sui sacrificium obtulit Christus, sed & INCENSUM adolet: & hac quoque parte respondet sacerdoti suffitum facienti in Altari Aureo. Quam rem non aliun-

aliunde certius aut tutius discamus, quam ex Apoc. VIII. 3. 4. *Tum alius Angelus venit, & stetit apud aram, habens thuribulum aureum: & dati sunt ei suffitus multi, ut offerret cum precibus sanctorum omnium super altare aureum quod est ante Thronum. Adscendit autem fumus suffituum cum precibus sanctorum, e manu Angeli ad conspectum Dei.* Nemini fas erat adolere nisi sacerdotibus. Num. XVI. 40. Quod quum temere sibi sumeret Uzzias Rex, lepra perpetua luit. 2. Chron. XXVI. Unde consequitur *Angelum*, thuribulum manu gestantem, & suffitum facientem, *Sacerdotem* esse. Id autem nulli Angelorum convenit, nisi Angelo Fœderis, Sacerdoti secundum ordinem Melchisedeci. Is conspectus Johanni est ut *adstans Altari*, non æneo holocaustorum, quod foris erat; sed *Aureo*, suffituum, quod est *ante Thronum Dei*, in loco sancto, e regione Arcæ, quamvis in Tabernaculo & Templo antiquo interpositum esset aulæum. At hic paulo aliter repræsentatur Johanni. Morte Christi scissum erat velum. Johannes & Altare Aureum conspicatur, & simul Thronum Dei, amoto velo. Habebat autem Angelus ille Sacerdos *Thuribulum aureum, cum suffitibus multis*. Per quos *suffitus* nonnulli intelligunt *satisfactionem* & *merita* Christi, eo quod dicatur *semet ipsum obtulisse oblationem in odorem bonæ fragrantiæ*. Eph. V. 2. Cæterum id non respicere ad *suffitum*, sed ad *Mincha*, modo a nobis est ostensum. Suffitui respondent *preces*: ipso Johanne explicante. Erant autem suffitus confecti ex *variis aromatibus*. Multiplex etiam devotarum precum argumentum est, plurimique in iis affectus grata contemperatione miscentur. Aromatum istorum *jucundissimus* erat *odor*. Nihil piis precibus acceptius numini est. Quod *contundi* aromata oportuerit, ad afflictiones pertinere videtur, quibus animus sancte humiliatus ad orationis exercitium promtior redditur. Hoc nec ipsi Christo defuit: *qui in diebus carnis suæ deprecationibus & supplicationibus oblatis cum clamore valido & lacrymis apud eum qui poterat ipsum servare a morte, & exauditis precibus, liberatus est a metu.* Heb. V. 7. *& constitutus in angore intentius orabat.* Luc. XXII. 44. Preces autem hic memorari videntur duum generum. Alteræ quæ propius sunt Angeli Sacerdotis; alteræ sanctorum, quibus suas Angelus Sacerdos addit. Priores dicuntur *suffitus multi*; in quo partim similes sunt suffitibus antiquis, quæ ex multis conficiebantur aromatibus, partim dissimiles: antiquitus enim non nisi pugillus libræ dimidiæ singulis vicibus adolebatur. Christi autem preces & frequentes sunt, & plurimas maximasque res Deo Patri commendant. Obscurius est quod dicitur, *datos ei* hos suffitus. Spectatne illud munus Pontificis ipsi a Patre impositum, cum connotatione acceptationis: ut sensus sit,

Pa-

Patrem hanc provinciam demandasse Christo Mediatori, ut postquam se ipsum obtulerat, etiam offerret pro suis preces, quas Pater, ex suo profectas mandato, non posset non habere gratissimas? An referendum est ad varia Ecclesiæ fata, quibus occasio precum suppeditatur Christo: ut suffitus ei dari dicantur, quando suffituum, sive precum intercessoriarum, per multas Ecclesiæ calamitates, datur occasio? An, quod malim, simpliciter alluditur ad morem priscum, ubi ex massa suffituum pro integro anno præparatorum, sacerdoti incensum facturo, certa mensura dabatur, sive a Præfecto Templi, sive a quovis alio, cui ista incumbebat cura? Saltem suffitus *hi dantur*, id est, ut ego arbitror, adduntur, *orationibus sanctorum omnium*, tam eorum qui in cœlo, quam qui etiamnum in terra sunt, quorum orationes omnem suam fragrantiam, gratiam, vim, ab intercessione Christi habent. Has Christus ad se delatas, suisque junctas, Patri offert, efficitque ut acceptæ ipsi sint. Cujus rei symbolum est *fumus suffituum, & orationum sanctorum, ex manu Angeli adscendens coram Deo.* Interim *silentium factum est in cælo per semihoram*, & *Angeli præparaverunt se ut clangerent.* Hoc quoque ex prisco ritu. Plebs enim, longius a porticu recedens altum silentium agitabat, quamvis fundendis precibus occupata, donec sacerdos ad aram sacra peregisset. Clangentibus interim Levitis. Sic Christo pro suis deprecante, Ecclesia in magnorum operum exspectatione suspensa, præstolatur cum spe & patientia Divini consilii patefactionem; donec tubarum sonitu Deus indicet quid facturus sit.

XCV. Intercessio Christi non est nuda pro nobis deprecatio, non absimilis ei quam fideles sibi invicem debent. Sed est gloriosa illius Christi voluntatis qua sanctificamur repræsentatio, nixa dignitate personæ, efficacia oblationis; virtute justitiæ pro nobis consummatæ, & sacro fœdere quo jus ipsi partum est, non modo gratiam aliquam pro nobis orandi, sed & *poscendi gentes in hæreditatem suam*; Ps. II. 8. poscendi, inquam, uti debitam *mercedem, & opera pretium.* Jes. XLIX. 4. Unde cum auctoritate aliqua, quæ ceteris omnibus præter Filium Dei, & tam præstantis pacti sponsorem, indecora foret. dicit, Joh. XVII. 24. *Pater, quos dedisti mihi, θέλω, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum.* Estque adeo hæc intercessio tantæ dignitatis, auctoritatis, atque efficaciæ, ut non magis in alium transcribi queat, quam ipsa peccatorum expiatio, cui innititur, & quacum individuo comitatu jungitur. I. Joh. II. I. 2. Est enim opus θεανδρικόν, ad quod concurrit non solum voluntas humana Christi, per repræsentationem juris

XCV. Intercessio Christi plena auctoritatis est.

quaesiti, & orationem ex sympathia nostrarum infirmitatum; sed & voluntas Christi Divina, audientiam & exauditionem praestans.

XCVI. *Multaque habet respondentia precibus Pontificis Hebraeorum.*

XCVI. Caeterum observanda hic est convenientia precum Christi cum illis quas Hebraeorum Pontificem, die Expiationis, fudisse memoravimus. Sicuti enim illi *trina* attribuitur oratio, ita etiam Christum in novissima parte functionis suae Sacerdotalis, *ter* praecipue orasse deprehendimus Primo quando jam in procinctu erat ut se offerret. Joh. XVII. Dein in ipsis passionibus suis, quae simul sumtae oblationem ejus constituunt: repetitis aliquoties vicibus; sed quae in unam formulam contrahuntur, Ps. XXII. Denique postquam intravit in sanctum sanctorum sine manibus factum. Ubi intercessione sua impetrat, ut Ecclesia in aestu persecutionum, rore ac pluviâ spiritualium consolationum refocillata, *similis sit horto irriguo.* Jer. XXXI. 12. ut regnum suum spirituale perpetuum sit, *quamdiu erit Sol, & durante Luna, in generationem aeternam.* Ps. LXXI. 5. ut *anima sacerdotum irrigetur pinguedine, & populus suus bonitate sua saturetur.* Jer. XXXI. 14. Denique ut cassa successu sint omnia hostium vota atque conamina. Jes. LIV. 14.-17. In illa quoque Oratione Christi quam Johannes memorat Cap. XVII. eum ordinem tenuisse Christum deprehendimus, ut primo *pro se* oraret, vers. 1.-5. dein *pro Apostolis*, qui singulari modo *sui* erant, & quasi *familiam* ipsius constituebant. vers. 6. & seq. denique *pro toto populo*, omnibusque credituris. vers. 20. & seq.

XCVII. *Nec quisquam eo modo alteri benedicere potest quo Christus.*

XCVII. Similiter BENEDICTIO Christi Sacerdotalis toto genere distat ab illa quâ vel pii, sibi invicem, vel antecessores, Ecclesiae, fausta omnia adprecantur. Haec enim nudis verbis, animique bona voventis sinceritate, consistit, & obsecratio Dei est, ut hominibus benefaciat. Illa vero ipsis factis absolvitur, ac reali communicatione spiritualium bonorum, quae non ab alio petit, sed ex iis quae sua sunt sumit, ut impertiat nobis. Ezech. XLV. 18. מאחזתו ינחיל את בניו *ex iis quae ipse possidet haereditatem dabit filiis suis.* conf. Joh. XVI. 14. 15.

XCVIII. *Mysteria omnia benedictionis sacerdotalis implentur in Benedictione Christi.*

XCVIII. Enimvero Christus ille est, quem *suscitavit & misit Deus, ut* BENEDICERET *nobis, & averteret unumquemque nostrum a pravitatibus suis.* Act. III. 26. Primordia Doctrinae suae a praestantissimis benedictionibus inchoavit. Matth. V. Consummatoque suo in terris ministerio, *sublatis manibus benedixit discipulis suis. Et factum est ut dum ipse benediceret eis, disjunctus ab eis sursum ferretur in coelum.* Luc. XXIV. 50. 51. Notabile admodum est, quod quum ipsius in mundum adventus in proximo esset, Aaronici stemmatis sacerdos, populo benedicturus, repente ac per miraculum *obmutuerit.* Luc. I.

21. 22.

21. 22. ut significaretur finem istius sacerdotii instare, exspectandumque esse sacerdotem alium, atque excellentioris ordinis, in quo benedicantur omnes nationes terræ. Atque hic usu nobis venit Rabbinorum observatio, Aaronicos Sacerdotes *mane* quidem, at tempore sacrificii *vespertini* nunquam benedixisse populo. Hoc reservabatur *ultimis hisce temporibus*, Heb. I. I. quando ipsa mundi vespera, Deus nobis cœlestes benedictiones locutus est per Filium.

XCIX. Neque de nihilo est, quod R. *Menachem* monuit, benedictionem omnem ex *cœlesti tabernaculo* in *terrestre* descendere. *Terrestre Tabernaculum* figura est *Ecclesiæ in terra* commorantis. *Cœleste* Dei in *cœlis* sedem notat. In Christo talem nos habemus Pontificem, *qui consedit ad dextram throni majestatis illius in cœlis. Sanctuarii minister, ac veri illius Tabernaculi, quod fixit Dominus, non homo.* Heb. VIII. I. 2.

C. Nec mysterio carere videtur, quod magnum illud JEHOVÆ nomen in sacerdotali benedictione expresse pronunciandum fuerit: nam in iis quæ Christus pro benevolo suo erga nos affectu egit, est clara *notificatio nominis Dei*, in omni vi significationis suæ. Joh. XVII. 6. Tunc Deus *nomine suo Jehova cognitus est* Israëli mystico. Exod. VI. 2.

CI. Maxime μνηστηριώδης est *trina* nominis *Jehovæ repetitio*; neque rejicienda *R. Menachem* nota de trina accentuum in eadem voce variatione: qua quid convenientius significari potest, quam adoranda Divinarum personarum in una Deitate Trinitas, unde, velut ex perenni fonte, omnis in nos Benedictio derivatur? Confer 2. Cor. XIII. 14. Apoc. I. 4. 5. Prima pericopa, BENEDICAT TIBI JEHOVA ET CUSTODIAT TE, percommode refertur ad PATREM: de quo Paulus scribit Eph. I. 3. *Benedictus esto Deus, &* PATER *Domini nostri Jesu Christi, qui* BENEDIXIT *nobis omni spirituali benedictione in Christo.* Et cui Christus ipse dicit: Joh. XVII. II. PATER *Sancte*, SERVA *eos per nomen tuum.* Altera pericopa, FACIAT JEHOVA UT LUCEAT FACIES SUA TIBI, ET GRATIAM FACIAT TIBI, ad CHRISTUM pertinet, qui est *lux mundi.* Joh. VIII. 12. & *cœlestis Hierosolymæ.* Apoc. XXI. 23. cujus *facies splendet uti sol.* Apoc. I. 16. *in cujus facie est lux notitiæ gloriæ Dei.* 2. Cor. IV. 6. in quo plenissime completur illa sapientissimi Regis parœmia Prov. XVI. 15. *In lucida facie Regis vita est, ejusque benevolentia est velut densa nubes pluviæ serotinæ.* In quo denique sunt *supereminentes opes gratiæ. Eph.* II. 7. quæ *regnat per justitiam ad vitam æternam.* Rom. V. 21. Ultima pericopa, ATTOLLAT JEHOVA FACIEM SUAM ERGA TE, ET APPONAT TIBI PACEM, quum notet applicationem gratiæ, & communicationem pacis ac gaudii, commode applicatur SPIRITUI SANCTO, *per quem regnum Dei* nobis *est justitia, & pax, & gaudium.* Rom. XIV. 17.

DISSERTATIO III.
DE
SYNEDRIIS HEBRÆORUM.

I. Synedria trium generum. II. Minimum tribus Judicibus constat. III. Eratque in iis urbibus, quæ pauciores quam 120. *incolas habent. IV. Constituebatur vel auctoritate publica, vel consensu litigantium. V. Requisita in Triumviris. VI. Vitia a dignitate illa excludentia. VII. Sic tamen ut admitterentur serio resipiscentes. VIII. Caussæ a Triumviris dijudicandæ. IX. Synedrium* XXIII. *virorum, mira subtilitate adsertum. X. Compendium eorum quæ huc pertinent. XI. Modus considendi. XII. Josepho cum Talmudicis male convenit, in numero Judicum. XIII. Grotii conciliatio. XIV. Non solida. XV. A minoribus collegiis ad majora non fuit provocatio. XVI. Seldenus & Leusdenus laudati. XVII. Ordo dicendorum. XVIII. Nomen* זקן. *XIX. Seniorum. XX. Qui per manuum impositionem ordinati esse dicuntur. XXI. Sophetim, sive Judicum. XXII. Unde Tyriorum & Carthaginiensium Magistratus Suffetes dicti, secundum Grotium. XXIII. Talmudici per Judicem intelligunt Synedrium M. vel illius Præsidem. XXIV. Cujus postrema sententia pro rata habetur. XXV. Suffes Carthaginiensium, potius videtur esse a* צופה *quam a* שופט. *XXVI. Sanhedrin. Etymologiæ ridiculæ. XXVII.* Συνέδριον. *XXVIII. Synagoga M. non est Synedrium. XXIX. Sed potius commentum traditionariorum. XXX. Summa rerum de Synedrio dicendarum Capita. XXXI. XXXII. Institutio Synedrii. XXXIII Quæ eodem fere tempore contigisse creditur, quo Areopagi institutio apud Athenienses. XXXIV. Tria in Synedriis observanda. XXXV. Numerus: qui erat* LXX. *cum suo principe. XXXVI. Tribus: quarum nulla prærogativam habuit præ reliquis; prævaluerunt tamen Sacerdotes. XXXVII. Pontifici qua tali nullum jus ad Synedrium. XXXVIII. Synedri tempore Davidis & Josaphati. XXXIX. An distincta fuerint Sacerdotum & Principum collegia. XL. Rex non cooptatus in Synedrium. XLI. Ad quid tamen admissi Proselyti. XLII. Qualitates in Synedris requisitæ,* ἀποφατικῶς. *XLIII.* Θετικῶς. *XLIV. Electionis modus antiquissimus.*

XLV.



DISSERTATIO III.

DE

SYNEDRIIS HEBRÆORUM.

I. Synedria trium generum. II. Minimum tribus Judicibus constat. III. Eratque in iis urbibus, quæ pauciores quam 120. incolas habent. IV. Constituebatur vel auctoritate publica, vel consensu litigantium. V. Requisita in Triumviris. VI. Vitia a dignitate illa excludentia. VII. Sic tamen ut admitterentur serio resipiscentes. VIII. Caussæ a Triumviris dijudicandæ. IX. Synedrium XXIII. *virorum, mira subtilitate adsertum. X. Compendium eorum quæ huc pertinent. XI. Modus considendi. XII. Josepho cum Talmudicis male convenit, in numero Judicum. XIII. Grotii conciliatio. XIV. Non solida. XV. A minoribus collegiis ad majora non fuit provocatio. XVI. Seldenus & Leusdenus laudati. XVII. Ordo dicendorum. XVIII. Nomen* מחוקק. *XIX. Seniorum. XX. Qui per manuum impositionem ordinati esse dicuntur. XXI. Sophetim, sive Judicum. XXII. Unde Tyriorum & Carthaginiensium Magistratus Suffetes dicti, secundum Grotium. XXIII. Talmudici per Judicem intelligunt Synedrium M. vel illius Præsidem. XXIV. Cujus postrema sententia pro rata habetur. XXV. Suffes Carthaginiensium, potius videtur esse a* ציפה *quam a* שופט. *XXVI. Sanhedrin. Etymologiæ ridiculæ. XXVII.* Συνέδριον. *XXVIII. Synagoga M. non est Synedrium. XXIX. Sed potius commentum traditionariorum. XXX. Summa rerum de Synedrio dicendarum Capita. XXXI. XXXII. Institutio Synedrii. XXXIII Quæ eodem fere tempore contigisse creditur, quo Areopagi institutio apud Athenienses. XXXIV. Tria in Synedriis observanda. XXXV. Numerus: qui erat* LXX. *cum suo principe. XXXVI. Tribus: quarum nulla prærogativam habuit præ reliquis; prævaluerunt tamen Sacerdotes. XXXVII. Pontifici qua tali nullum jus ad Synedrium. XXXVIII. Synedri tempore Davidis & Josaphati. XXXIX. An distincta fuerint Sacerdotum & Principum collegia. XL. Rex non cooptatus in Synedrium. XLI. Ad quid tamen admissi Proselyti. XLII. Qualitates in Synedris requisitæ,* Ἀρνητικῶς. *XLIII.* Θετικῶς. *XLIV. Electionis modus antiquissimus.*

XLV.



XLV. Recentior. XLVI. Initiatio facta per impositionem manuum. XLVII. Cui deinceps substitutum solemne carmen. XLVIII. Præses & Vice-Præses Synedrii. XLIX. Quibus adjunctus tertius, nomine Sapientis. L. Auctoritas Synedrii. LI. Res ibi tractandæ. LII. Persona jurisdictioni ejus subjectæ. Propheta. LIII. Pontifices. LIV. Reges. LV. Illi præcipue qui ex domo Davidis erant. LVI. Fabella circa hanc rem Talmudica. LVII. LVIII. Verberum pœna an Majestati Regiæ adversa. LIX. Sententia Synedrii sine ulla provocatione executioni mandata fuit. LX. Cujus justitia ut populo manifesta fieret, insigniter accurabant. LXI. Quod & circa Jesu supplicium observatum esse mentiuntur. LXII. Pœna contumaciæ, Flagellatio. LXIII. Aliquando & Mors. LXIV. Seni Rebelli infligenda. LXV. Locus Synedrii initio varius fuit, LXVI. Sub Templo secundo in celebratissimo Conclavi cæsi lapidis. LXVII. Unde quadraginta ante destructionem Templi annis sua sponte cessit. LXVIII. An Johannis XIX. 13. *innuatur Pilatum in hoc conclavi Tribunal suum habuiße? LXIX. Non est verisimile. LXX. Forma Consessus. LXXI. Tempus. LXXII. LXXIII. LXXIV. LXXV. Continuatio Synedrii. LXXVI. Cujus auctoritas circa tempora Herodis variis gradibus imminuta fuit. LXXVII. Duravit tamen etiam post excisam a Tito Hierosolymam. LXXVIII. Catalogus Præsidum a captivitate Babylonica usque ad finem. LXXIX. Hæ Talmudicorum de Synedriis suis historiæ, non sunt exploratæ veritatis. LXXX. Quibus credere non oportet, nisi quatenus firmantur ex sacris.* LXXXI. LXXXII. LXXXIII. LXXXIV. LXXXV. LXXXVI. *Examinantur argumenta affirmantium.* LXXXVII. *Multa sunt quæ suadeant, nullum tale Synedrium fuisse ante Captivitatem Babylonicam. LXXXVIII. Sed tum demum viguisse, quando Hebræi sub Macedonum Principum auctoritate fuerunt.*

IN Republica Hebræorum ab omni retro antiquitate trium generum CONSESSUS JUDICIALES fuisse feruntur: quorum unus MINIMUS, alter MAJOR, tertius MAXIMUS dici meretur. *I. Synedria trium generum.*

II. *Minimus* TRIBUS duntaxat judicibus constabat: quem numerum juris Hebræorum periti, e sacris literis, subtiliter suo more eliciunt. Primo observant, nomen אלהים *Elohim*, quando hominibus adtribuitur, non nisi de judicibus, in terra Israelis rite ordinatis, usurpari. Sic enim *Maimonides Tract. Sanhedr. Cap.* IV. *Parag.* IV. אין קרוי אלהים אלא בית דין. שנסמך בארץ ישראל בלב *Non tribuitur nomen* *II. Minimum tribus judicibus constat.*

nomen Elohim, nisi consessui judicum ritè ordinatorum in terra Israëlis tantum. Porro notant, numerum istius nominis pluralem pluralitatem quoque inferre; & quidem talem cui binis satisfieri nequeat. Id enim pro indubitatæ certitudinis axiomate habent; non posse consessum judicialem pari constare numero: quum in dissensu sententiarum æqualibus suffragiis nihil concludatur. Ut ergo definiri aliquid possit, ad minimum requiruntur tres. Nam si duorum unus diceret, *Reus est*, alter diceret, *Justus est*, requirebatur tertius, qui unius sententiam augeret, & lancem deprimeret. Vid. *Buxtorf. Lex. Talm. col.* 2513.

III. Eratque in iis urbibus, quæ pauciores quam 120. incolas habent.

III. Ejusmodi autem triumviralis consessus in iis locum habebat urbibus, ubi pauciores centum & viginti incolis, id est, patribus familiarum, inveniebantur. Et sufficere credebatur dirimendis litibus, quæ ad forum istud pertinebant. Sic tamen, ut, monente *Maimonide*, laudatius & honestius esset, si plures, velut caussæ ventilandæ & judicii futuri testes, & inspectores, adhiberentur: quos ad numerum undenarium, si dissensus oriretur, augeri fas erat.

IV. Constituebatur vel Auctoritate publica, vel consensu litigantium.

IV. Constituebantur autem hi Triumviri, vel *Auctoritate publica*, vel *privato litigantium consensu.* Publica auctoritate singulis oppidis & pagis de Judicibus prospiciebat Synedrium Maximum, ex præcepto numinis. Deut. XVI. 18. *Judices & Moderatores constituito tibi in singulis portis tuis, quas Jehova Deus tuus tibi dat; per tribus tuas, qui judicent populum judicio justo.* Sed & pro re nata eligebantur aliquando Triumviri; partim ex Compromisso, seu communi litigantium pactione, ad similitudinem arbitrorum, in Jurisdictione contentiosa; partim ex unici alicujus arbitrio, ubi actus Jurisdictionis voluntariæ exercendus erat. Sic enim exstat *Sanhed. Cap.* III. §. I. *Caussæ pecuniariæ a tribus judicantur. Partium quæque unum deligit sibi: & pariter adsciscunt tertium. Hæc est R. Meir sententia. At Sapientes decreverunt, ut bini judices tertium adsciscant.*

V. Requisita in Triumviris. Adde Præf. §. XXVIII.

V. Minori quidem accuratione in Triumviris constituendis utebantur, quam in superioris ordinis judicibus: attamen nonnulla requirebant, sine quibus ne Triumviris quidem accenseri fas erat. Iterum hic *Maimonidem* audiamus *Sanhed. Cap.* XI. *In judicibus triumviralium collegiorum, quanquam non usque adeo exacte omnia, quæ in superiorum Consistoriorum senioribus, requiruntur: tamen ut septem illa singulis adsint necesse est: nimirum* I. *Sapientia.* II. *Modestia.* III. *Timor.* IV. *Odium quæstus.* V. *Amor Veritatis.* VI. אהבה הבריות להם. *Ut ab hominibus amentur.* VII. *Ut bene audiant.*

VI. Vitia a dignitate illa excludentia.

VI. Aliqui ab hac etiam dignitate expresso juris Judaici canone exclusi

exclusi sunt. Exstat is *Sanhed. Cap.* III. *Parag.* III. *Isti rejectanei sunt.* I. המשחק בקוביא *Aleator.* II. *Fœneratores.* III. *Qui columbas volare docent.* IV. *Nundinatores fructuum anni septimi.* Canonis istius hæ sunt rationes. *Aleator* bona sua non acquirit modo legitimo: quoniam non dat operam publico commodo, cui incumbere mortales omnes decet: & fortunâ rem suam gerit; fors autem non acquirit legitime. Nam ubi dominii mutatio non fit ex pleno consensu, sed domino dolente, rapina est. *Fœneratores* quasi signatis tabulis Deum Israëlis abnegare, Hebræorum Jurisconsulti sciscunt. Qui *columbas ad volatus certamen edocent*, iidem præsumebantur columbas illices alere, cum injuria aliorum. Denique *fructus anni septimi*, non ad quæstum, sed ad usum concessi sunt.

VII. Hi tamen omnes, si cœptis destitissent, admitti deinceps poterant; modo resipiscentiam suam idoneis argumentis probent. Aleatorum resipiscentiam tunc probari ajunt, quando fractis fritillis ne pro nihilo quidem ludunt. Fœneratorum vero, quando concerptis codicillis ita incipiunt aversari pristinum morem, ut ne apud alienigenas quidem fœnore occupent pecuniam suam. De qua re erudite disserit *Coccejus in notis ad hanc pericopam.* *VII. Sic tamen ut admitterentur serio resipiscentes.*

VIII. Res quæ ad forum Triumvirorum pertinent, sunt generatim דיני ממונות *judicia pecuniaria*; itemque lites de læsione, de damno vel dimidio damni: id est, an damnum integrum rependendum sit, uti si homo aut bos testato noxius damnum dent; an solum dimidium damni dati, uti si bos mansues damnum dederit. Etiam de restitutione dupli, quadrupli, aut quintupli. De vi & seductione, id est de stupro per vim aut fraudem non desponsatæ illato. De diffamatione; de mensis & anni intercalatione; & si quæ de eo genere plura. Addunt denique, etiam flagellationis decernendæ jus triumviris fuisse. Cætera minutiora sunt, quam ut uberiori commentatione persequamur. *VIII. Caussæ a Triumviris dijudicandæ.*

IX. Accedimus ad Collegium Judiciale *Majus*, Viginti et Trium virorum: quem numerum, torquendo varias sacrarum literarum pericopas, hoc modo subtiliter conficiunt. Num. xxxv. 24. 25. Dicitur *& Judicabunt* עדה coetus, *& eripient* coetus. Ecce, inquiunt, duos cœtus, alterum judicantem, alterum eripientem: id est, homines vicenos. עדה enim, sive *cætus*, decem hominibus constat. Unde hoc probatur? Ex Num. xiv. 27. *Quousque cœtum istum malum eorum qui sunt murmuratores adversus me audivero*? Semove ab iis Josuam & Calebum, improbæ murmurationi non implicitos, remanent *decem*. At quæ est ratio adjungendi insuper *ternos*? Ex illo *IX. Synedrium XXIII virorum, mira subtilitate adsertum.*

 quod

quod intelligendum datur Exod. XXIII. 2. *Ne sequaris plures ad mala.* Unde infertur, omnino eos esse sequendos in bonum. Additur, *post plures inclinando.* Non enim ut in bonum, ita similiter in malum, inclinatio est facienda. In bonum vel ex unius sententia pronunciare licet; in malum non, nisi si duorum suffragia præponderent. Jam consessus judicum non est ut parili constet numero. Ergo his unus insuper addendus. Habes XXIII. Exstant hæc *Sanhed. Cap.* I. *§.* VI. At quid aliud sunt, nisi argutiæ inanes hominum ingenio, otio, &, quod omnium turpissimum est, ipso Dei verbo ad nullam rem utilem abutentium?

X. Compendium eorum quæ huc pertinent.

X. Habebant autem consessum XXIII. virorum in omnibus *oppidis majoribus*, ubi plus quam CXX patres familias erant. Quamvis *R. Nehemias* dictet, CXXX. ut numero decurionibus respondeant. *Hierosolymis* vero *duo* ejusmodi Synedria erant: quorum alterum sedem habebat ad *Montem Templi*, alterum ad *Atrium Templi.* In illud vocabantur e minoribus urbibus viri egregii; inde in hoc transferendi, veluti promtuarium, unde *Consessui Maximo* de peritissimis judicibus prospiciebatur. Uti suo loco fusius docebimus. Non adsciscebantur in hunc ordinem nisi *præstantissimi* quique Israëlitarum, iis instructi dotibus, quas *Jethro* commendabat Mosi; de quibus prolixius nobis erit dicendum, ubi Collegii omnium Maximi Synedros describemus. In consessu vigintitriumvirali *omne genus caussæ* disceptabantur, pauculis exceptis, quæ reservatæ erant Synedrio Maximo.

XI. Modus considendi.

XI. *Modus considendi* fuit talis. Repræsentabat formam dimidii circuli: cujus mediam sedem occupabat Præses. Dextræ adsidebat Vice-præses. Sinistræ, ut quidam opinantur, Sapiens aliquis præ cæteris insignis. Tunc porro ab utroque latere Collegæ reliqui. Ad utramque dimidii circuli extremitatem collocatus erat Scriba. Infra considebant tres ordines eorum qui discipuli Sapientum vocantur: sic ut singuli ordines complecterentur XXIII discipulos, totidem quot Senatores. In quolibet ordine considebant quisque secundum dignitatem suam in scientia. Si dissensus esset inter Senatores, adeo ut necesse esset quenquam ex discipulis ordinare ad augendum numerum, ordinabant ex primo ordine eum qui illic antecellebat. Et primarius ordinis secundi surgens considebat in loco infimo ordinis primi, ut ita compleretur ejus defectus. Pariter primus ordinis tertii sessum capiebat in loco infimo secundi. Dein seligebant ex populo suo reliquo unum, & collocabant eum in tertii loco infimo. Sic ipso usu discipuli jus addiscebant; idoneique reddebantur, qui surrogarentur in locum morientium aut decrepitorum.

XII.

XII. Hæc ita ex Talmudicorum scitis perdocte, ut solet, differit *Seldenus*: sed quæ immane quantum absunt ab iis quæ suæ historiæ inseruit *Josephus*. Is enim *Antiq. Lib.* IV. *Cap.* VIII. his verbis loquentem inducit Mosen. Ἀρχέτωσαν δὲ καθ᾽ ἑκάστην πόλιν ἄνδρες ἑπτὰ οἱ καὶ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν περὶ τὸ δίκαιον σπουδὴν προησκηκότες. Ἑκάστῃ δὲ ἀρχῇ δύο ἄνδρες ὑπηρέται διδόσθωσαν ἐκ τῆς τῶν Λευιτῶν φυλῆς. Quod ita vertit *Sigismundus Gelenius*: *Oppidatim præsint septem Viri probatæ virtutis, & justitiæ cultores. Singulis Magistratibus attribuantur duo ministri de tribu Levitica.* Crucem hæc eruditis figunt. Quid enim dicendum? Potuitne *Josephus* ignorare res tam manifestas, non sui solum populi, sed & suæ ætatis? Falline potuit, aut fallere voluit, circa numerum judicum, in singulis suæ nationis civitatibus? An & credibile est, *Talmudistas* in re tam liquida, tam incontestata, quamdiu reipublicæ suæ res stabant, tam constanter nil nisi somnia sua venditare, nulla mentiendi mercede? XII. *Josepho cum Talmudicis malè convenit, in numero Judicum.*

XIII. Illustris *Grotius* quandam conciliationis rationem se invenisse arbitratur; neque abs re erit verba ipsius exhibere. Sic ergo ille ad Matth. v. 21. *Quum consessum istorum jud[illegible] Hebræi omnes dicant fuisse vigintitrium, mirum multis videtur, quod Josephus, quem patrii moris nihil latuit, septem solos statuere videtur. Sed mihi ipse Josephus hunc nodum videtur solvere, quum verbis sequentibus dicit: singulis magistratibus attribuantur duo ministri de tribu Levitica. Nam* ἀρχὴν *intelligit singulos magistratum gerentes, quibus singulis bini erant additi assessores periti juris, quos Josephus* ὑπηρέτας *vocat, quod est Hebraice* שוטרים. *Septem ergo municipes loci erant judices; præterea Assessores* XIV, *qui ex Levitis maxime sumebantur. His supernumerarii accessisse videntur unus & alter.* Hactenus *Grotius*. XIII. *Grotii conciliatio.*

XIV. At, si verum fateri volumus, nodus insolutus manet. Primo enim admodum controversæ mentis est, an Josephus per τὴν ἀρχὴν intelligat singulos magistratum gerentes, an vero officium magistratus, vel collegium ipsum septemvirale. Singulis enim concessos esse ministros duos, non aliunde liquet: Collegiis autem fuisse duos ministros scribas, res est certissima. Dein, durum est Judicibus adnumerare ministros. Neque enim שוטרים aut ὑπηρέται ex numero Judicum unquam fuere. Nec inter collegas, quoad potestatem Judicialem, dignitas fuit dispar. Denique, concessis iis omnibus, quæ tamen vix concedenda esse videntur, remanet adhuc difficultas. Nam Grotii calculo non conficiuntur nisi XXI. Quæ de supernumerario uno XIV. *Non solida.*

uno aut altero addit, dicuntur gratis. Quid ergo? Non hic solum, sed & frequenter *Talmudicis* male cum *Josepho* convenit: maxime in hoc de Synedriis negotio. Quorum autem auctoritas praeponderet, non vacat nunc decernere. Sufficiat observasse, non esse damnandos indoctae pervicaciae, quibus non lubet omnibus Talmudicorum de Judicibus suis narratiunculis adsurgere.

XV. A minoribus collegiis ad majora non fuit provocatio.

XV. Nos ad MAGNI SYNEDRII considerationem properamus: cujus gratia omnia hactenus quasi in antecessum dicta sunt. At illud imprimis diligenter est observandum: non ita fuisse collegia minora majoribus subordinata, ut ab illis ad haec daretur provocatio. Suae singulis caussae demandatae fuisse creduntur; ea lege, ut quod judicassent id ratum foret: Judicia Triumvirum de rebus pecuniariis, & quae vitam non tangerent: & Vigintitrium virum, de capitalibus, & de vita quoque statuerent. De caetero coordinata fuisse dicuntur, non subordinata: quo clauderetur statim ruptura, neque per provocationem diutius ampliusve hisceret. Quinimo Synedrium Maximum non fuit ordinatum ad provocationes: quum non partes litigantes, sed Judices ipsi eo deferrent quod sibi difficile videbatur. Et hic quoque brevis controversiae decisio fuit, cui obloqui nefas. Quae ex *Maimonide* postpauca ostendentur.

XVI. Seldenus & Leusdenus laudati.

XVI. Nunc de ipso hoc Synedrio quanta possumus diligentia agamus. Non multum equidem novi habeo quo notabilem hanc Antiquitatis Judaicae partem illustrem: sed ea quae sparsim ab aliis adnotata sunt colligam, & ordine haut inconcinno disposita, Juvenibus meis compendio exhibebo. Omnium in hac materia diligentiam superavit stupendae eruditionis Vir, JOHANNES SELDENUS; spisso opere de SYNEDRIIS HEBRAEORUM: at quod non nisi hominibus doctissimis scriptum videtur; ad captum & usum studiosae Juventutis nequaquam est. Quod enim Maximi Viri pace dictum sit, adeo opus istud fartum est citationibus, adeo distentum excursionibus, doctis enimvero, quis neget? at prolixis saepe, & aliquando parum ad rem quam tractat facientibus, intricatis etiam atque obscuris: eo denique scriptum charactere ac stilo, ut animum exigat longa exercitatione ad attentionem ac patientiam subactum, stomachumque multa taedia devorare idoneum. Nostri homines cum brevitate perspicuitatem amant, cujus enimvero laus debetur Viro Clarissimo JOHANNI LEUSDENO, meo olim in Philologicis Praeceptori facillimo. Is, in PHILOLOGO suo MIXTO, *Dissertationem de Synedriis* publicavit; quam non possum quin hac occasione Lectori commendem. Non tamen me absterruit, quo

minus

minus hæc de novo commentarer. Tritum enim Hebræorum diverbium est; *qui Discipulum vetat post Magistrum sententiam dicere, is perinde agit, ac si filium familias arceret a cernenda hereditate paterna.* Neque ægre erit Viro illi humanissimo, si quædam paullo liberaliori sermone fusius exsequar; in pauculis etiam dissentiam. *Α φθονοι αἰ Μυσῶν θύραι.*

XVII. Ordo dicendorum.

XVII. Eo autem processurus sum ordine, uti primo exponam quæ *Hebræorum Magistri*, & ex iis Christianorum doctissimi de *Synedrio Magno* tradidere; dein candide *animi mei sententiam* promam, quid in universa isthac historia vero consonum aut dissonum arbitrer.

XVIII. Nomen מחוקק

XVIII. A *nominibus* ordiamur; quibus vel Senatus integer, vel Senatores singuli designati fuisse creduntur. Ubi principe loco occurrit nomen מחוקקים Mechokekim, in Jacobi vaticiniis, quibus filiorum fata canit, primitus usurpatum. Gen. xlix. 10. *Non recedet sceptrum a Juda* ומחוקק מבין רגליו, *& Legislator e medio pedum ipsius.* Pro ea voce *Onkelos* habet ספרא *scriba. Targum Hierosolymitanum:* מלפי אוריתא *Doctores Legis. Jonathan:* ספרין מאלפי אוריתא *Scribæ docentes legem.* Etymologia hæc est. Derivatur מחוקק a חקק, quæ vox notat *scribere* sive *cælo*, sive *calamo*: tum & *decernere*, *statuere*; quia statuta & decreta scribi solent. Sic Jes. x. 1. החוקקים חקקי און, *statuentes statuta vanitatis.* Prov. viii. 15. *Principes* יחוקקי *decernunt justitiam.* Sgnificare igitur potest מחוקק I. *Scribam*, qui versatur circa scripturam, sive adornandam, sive exponendam. II. *Legislatorem*, qui statuta ac decreta edit. Prius magis *Ecclesiasticum*, alterum magis *Politicum* esse videtur. At quum utraque potestas juncta fuerit in Mose, & in senioribus a Mose institutis, commode per מחוקקים intelliguntur *Seniores & Principes* populi Israëlis, qui in cathedra Mosis sedentes legem interpretabantur, populumque ad illius observantiam adigebant. Ita Moses ipse dicitur מחוקק Num. xxi. 18. & Principes populi, חוקקי ישראל. Jud. v. 9. David etiam dicit: *Juda est* מחוקקי Psal. lx. 10. quia quum Rex ipse ex tribu Judæ esset, plurimi etiam, iique peritissimi, ex eadem tribu in senatum adsciti sunt.

XIX. Seniorum.

XIX. Alias dicuntur זקני ישראל Seniores Israelis. Exod. iv. 29. xv. 3. Deut. xxxi. 9. Palam est, nomen illud per se *ætatem* notare, attamen cum connotatione *auctoritatis* & *potestatis*. Cujus antiquissimum exemplum habemus Gen. xxiv. 2. Dixit Abraham אל עבדו זקן ביתו המושל על כל אשר לו, *ad servum, Presbyterum, seu seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ illi erant. Targum Hierosolymitanum* expo-

exponit, עבדיה שליטא, *servus ejus principalis*, vel *dominans*. Nec apud Hebræos solum, sed & plerosque alios Orientis populos, nomen senioris nomen auctoritatis fuit. Sic legimus de *servis Pharaonis, senioribus domus ejus, & cunctis senioribus terræ Ægypti*. Gen. L. 6. Et de *senioribus Midian, & Moabitarum*. Num. XXII. 4. 6. Alia quam plurima huc facientia congessit *Seldenus de Syned. Lib.* I. *Cap.* XIV.

XX. *Qui per manuum impositionem ordinati esse dicuntur.*

XX. Illud vero imprimis observandum, quod post legem latam singulari ratione & ceremonia nonnulli cooptarentur in ordinem seniorum. Nimirum quibusdam ætate & sapientia venerabilibus, per *manuum impositionem*, quam סמיכה vocant, concedebatur *Potestas* sive *Licentia* caussas quaslibet Juris Hebraici cognoscendi: non ita, ut ista creatione sibi quis nancisceretur potestatem judiciariam actu mox exercendam; sed ut declararetur capax præfecturarum juridicarum, atque ex ordine seniorum, nec aliter rite, in ordinem Judicum, sive Maximi, sive Minoris Synedrii, cooptari posset. Expressus in hanc rem *Maimonides est. Sanhed. Cap.* IV. *Parile jus spectat ad Synedrium quodlibet Minus, & Forum Triumvirale, in hoc scilicet, ut oporteat quemlibet eorum qui in illa cooptantur creari per manuum impositionem ab alio qui sic ante creatus fuerit. Moses Magister noster ita creavit Jehosuam, juxta id quod scriptum est* Num. XXVII. 23. *Et manus suas imposuit ei, & præcepit ei.* Est ergo hæc סמיכת הזקנים, *impositio manuum qua quis creatur senior*. Eoque putant Paulum respexisse I. Tim. IV. 14. quando Timotheo adscribit ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν τȣ͂ Πρεσβυτερίȣ. Quidquid sit, videmus conjungi τὸ Συνέδριον καὶ πᾶσαν τὴν γερȣσίαν τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Act. IV. 21. Totumque Judicum consessum vocari Πρεσβυτέριον Act. XXII. 5. Et Πρεσβυτέριον τȣ͂ λαȣ͂. Luc. XXII. 66. Breviter, si observationi huic debeat esse locus, non omnes quidem qui manuum impositione seniores creati erant fuere Senatores; omnes tamen Senatores prius in seniorum ordinem cooptari oportuit.

XXI. *Sophetim, sive Judicum.*

XXI. Propria admodum est vox שופטים SOFETIM, *Judicum*, de quibus aliquando ut de pluribus, nonnunquam signate veluti de uno, loquuntur sacræ literæ. Sic edicit Moses Deut. XIX. 17. *Tunc sistent se duo viri, quorum fuerit controversia, coram Jehova; ante Sacerdotes & Judices, qui erunt in diebus illis.* Et 2. Chron. XIX. 5. narratur, Josaphatum constituisse *judices in ea regione per omnes civitates Judæ munitas, cuique civitati.* Id exponunt de Collegio Vigintitriumvirali. com. 8. *Atque etiam Hierosolymis constituit Josaphat e Levitis & Sacerdoti-*

cerdotibus, & Primoribus paternarum familiarum Israëlis, ad Judicia Jehovæ, & ad lites. Hoc intelligunt de Synedrio Magno. At Deut. XVII. 9. in hæc verba præcipit Dominus: *Adibis Sacerdotes Leviticos vel Judicem, qui erit diebus illis; ut consulas eos, & indicent tibi statum illius judicii.* Iterumque com. 12. *Vir autem ille qui commiserit superbe, ut non auscultet Sacerdoti, constanter ministranti Jehovæ Deo tuo, aut Judici; utique morietur vir ille.* Grotius cum aliis id interpretatur de Judice aliquo extraordinario, quem Deus cœlesti indicio populo præfecerit, qualis fuit Josua, Gedeon, Jephtes, Samson, Samuel; quibus etiam citra Senatum judicandi jus fuerit. Hæc igitur, secundum ipsum, Dei mens esset: ut a judicibus civitatum, si quid incidisset obscurius, quod aut juris subtilioris, aut etiam medicinæ peritiam desideraret, adeatur Pontifex Maximus, ut eruditione præstans, sive is qui a Deo excitus *Suffetis* dignitatem obtineret. Ad utraque enim tempora Deus sermonem accommodat. Horum responso parere omnes, tum minores judices, tum privati, jubebantur: proposita etiam mortis pœna in contumaces.

XXII. Porro de Judice illo ita ad hunc locum commentatur: *Ubi in singulari ponitur numero solet significari Interrex Divinitus constitutus, quales sunt qui nominantur in libro* שופטים. *Tales interreges & apud Tyrios fuere, eodem nomine* שופטים, *quod nomen Josephus acta Tyriorum in Græcum vertens, adversus Appionem Lib.* I. *vertit* δικαςάς. *A Tyriis idem nomen venit ad Carthaginienses, Tyriorum traduces, apud quos summi magistratus dicti* SUFFETES, *ut ex Calidio nos docet Festus. Summum Magistratum dixi cum Livio; qui & alibi eorum imperium ait fuisse veluti consulare.* SUFFETES *pro* SOPHETIM *est, aut ex molliori pronunciatione, qualis erat Ephrataeorum Jud.* XII. 6. *aut corruptum per Latinos Scriptores. Isti vero apud Hebræos* שופטים *plane similes erant Romanis Interregibus, ac postea Dictatoribus, neque a Regibus Hebræis ulla re differebant, præter quod solitam hac pompam regiam non habebant, ac propterea nec tributa nec vectigalia exigebant. Tales autem* δικαςαὶ, *quum a Deo dati essent, ac ob id donis instructi propheticis, unde & Prophetas eos vocare solet Josephus, tum ii consuli poterant: sed quia non omni tempore tales erant futuri (hoc enim vult quod adjicitur, qui erit illo tempore; id est, si quis erit) voluit Deus pro illis consuli Synedrium, compositum ex hominibus eruditissimis, totum populum referens.* Hæc *Grotius.*

XXIII. At alia longe mente interpretantur Talmudicæ doctrinæ sectatores, qui in hoc quoque Judice Synedrium suum Magnum, illiusve Præsidem deprehendunt. Putant enim Judicis nomen, singu-

XXII. Unde Tyriorum & Carthaginiensium Magistratus Suffetes dicti, secundum Grotium.

XXIII. Talmudici per Judicem intelligunt Synedrium M. vel illius Præsidem.

lari licet numero positum, consessum Judicum, vel saltem illius Principem significare. *Maimonidem* audiamus *Tractat. de Rebell. Cap.* 1. *Sect.* IV. *Si quod dubium alicui in Israële oriatur, consulit* Synedrium *quod in sua est civitate. Id si exsolvere eum difficultate queat, recte: sin, ipse qui interrogat, una cum Synedrio, illiusve delegatis adscendit Hierosolymam, rogantque Synedrium quod ad montem Templi est. Hoc si negotium expediat, bene habet; sin minus, omnes veniunt ad Synedrium quod est ad Atrium Templi; quod, si possit, difficultatem enodat. Si non possit, cunctis simul consulendum erat Synedrium Magnum: inque illius determinatione acquiescendum omnibus.*

XXIV. Cujus postrema sententia pro rata habetur.

XXIV. Quod autem dicit Deus: *Judex qui erit diebus illis*, id ita exponunt. Si Synedrium Magnum caussam aliquam judicio suo determinaverit, ex animi sui religione; aliique labentibus temporibus Judices in eodem Synedrio, eandem caussam aliter deciderint, ob rationes quæ sibi probabiliores videntur, prioremque sententiam retractarint, eam retractatam censeri: singulas vero sententias vim suam obtinere quo tempore latæ sunt. Et hanc quidem interpretationem si sequamur, præter rem est quidquid de extraordinario *Suffete*, quantumvis erudite, commentatur Grotius.

XXV. Suffes Carthaginiensium, potius videtur esse a שופט *quam a* שפט

XXV. Uti nec hoc usque quaque certum, an Tyriorum & Carthaginiensium *Suffetes* ab Hebræis *Sophetim* sic dicti sint. *Scaligeri, Drusii, Seldeni,* haut improbabilis conjectura est, etymon illius vocis esse ab Hebræo צופה, *Sufe*, quod est *speculator, Ephorus, Epoptes, Episcopus.* Nam Pœnorum summus Magistratus numero singulari dicebatur *Sufes*. *Festus*: *Sufex dictus Pœnorum Magistratus.* Et Paulus *ibid. Sufex, consul: lingua Pœnorum. Seneca* etiam *de Tranquillitate*: Cap. III. *Non vis, nisi Consul, aut Prytanes, aut Ceryx, aut Sufes, administrare rempublicam.* Idem evincunt inscriptiones æreæ Africanorum, quas exhibet Seldenus. Jam vero *Sufes* non tam commode deduciter a שופט, (insolens enim est ט mutari in S) quam a צופה; nihil enim frequentius quam verbis in E desinentibus S in fine jungi. Drusius confidenter, suo more: *Sufe*, inquit, *Sufes, ut Mamre, Mamres; Hause, Hauses; Jamre, Jamres. Græci enim nominibus in a, e, aut u desinentibus addunt σίγμα. Nihil certius.* Mihi tanta confidentia non admodum allubescit. Dixerim potius: hæc non improbabiliter. Qamvis difficultas aliqua in numero plurali sit. Nam a צופה est צופים *Sufim*: a quo multum recedit *Sufetes*. Eam tamen difficultatem expedire videtur *Seldenus*; observans, terminationem eam pluralem ex Latinæ potius quam Punicæ linguæ genio esse: Latini enim, sicut ex *magnes, Magnetes*, ita ex *Sufes* fecerunt *Sufetes*. At hæc propter viam.

XXVI

XXVI. Recentiora hujus Consessus nomina sunt בית דין הגדול XXVI.
Domus Judicii Magni, & סנהדרין Sanhedrin: cujus vocis etyma Sanhedrin.
nugatoria ex sua lingua Hebræorum aliquot Magistri arcessunt. Sunt Etymologia ridicula.
qui compositum esse ineptiant ex סן & הדרין San autem dicunt notare
legem, in Sinai datam, quasi San ex Sinai esset. Haderin vero repetentes,
quod repeterent legem, eam interpretando, & pulcre explicando atque
applicando. Alii nugantur, Senatores סנהדרין dici, quod שונאין הדרת
פנים בדין, odio habeant acceptionem personarum in judicio. Alii denique,
quod sint שונאי דורונות osores donorum. Quisquiliæ. Palam est, vocem
esse Græcam, quam post Macedonum regnum, ut alias multas, transsumserunt, ad suæ linguæ genium aliquantulum inflexam.

XXVII. Συνέδριον autem Græcis significat, vel ipsum consessum XXVII. Συνέδριον.
Judicum, ut Matth. XXVI. 59. Act. V. 21. Vel locum consessus, sive Curiam. Sic Herodianus de Pertinace. Lib. II. Cap. III. ἡμέρας οὖν καταλαβούσης, κατῆλθεν ἐπὶ τὸ συνέδριον τῆς βουλῆς. Igitur postquam diluxit, in curiam se contulit. Rursus. Lib. VII. Cap. X. συνῆλθον οὖν οὐκ εἰς τὸ σύνηθες συνέδριον, ἀλλ' εἰς τὸν τοῦ Διὸς νηὸν κατεπολίου. Convenerunt igitur, non quidem in Curiam, quo antea consueverunt, sed in templum Capitolini Jovis.

XXVIII. Doctissimus Schichardus de Jure Regio Hebræorum Lib. I. XXVIII.
Theorem. II. existimat Synedros dictos quoque fuisse אנשי כנסת הגדולה Synagoga
Viros Synagogæ Magnæ, inter quos fuerit Ezras, cum Daniele, M. non est
Haggæo, Zacharia, Malachia, aliisque eorum temporum Viris Illu- Synedrium.
stribus. Cæterum ille cœtus a Synedrio erat diversissimus. Constitisse enim dicitur non LXXI, sed CXX viris. Neque erat ordinarius; sed desiit in Simeone Justo, qui Alexandro M. factus est obviam. Quod contigisse supputatur Anno XL ab exstructo Templo secundo. Denique destinatus erat uni alicui operi, nimirum instaurandæ Scripturæ, & Ecclesiæ ex Babylone reduci. Non vacabat ordinariis judiciis; neque præsidebat regimini populi. Vid. Buxtorf. Tib. Part. I. Cap. X.

XXIX. Imo non desunt Viri harum rerum callentissimi, qui su- XXIX. Sed
[illegible] nullam unquam talem Synagogam Magnam fuisse; sed adnu- potius commentum
merandam eam esse Pharisæorum commentis. Judiciose hac de re ad Pe- traditiona-
[illegible] scripsit Jacobus Altingius Op. T. V. pag. 382. Epist. LIX. Id, in- riorum.
[illegible], animadverto, quemadmodum a Parkero De Desce. Chr. ad Inf. Lib. IV.
[illegible]servatum, Patres olim, quidquid auctoritatem habere voluerunt, atque
diuturne observatum viderunt, cujus tamen primum auctorem ignorant, sub nomine Apostolicæ traditionis commendasse; sic quoque quæ

inter Judæos vigebant incerti auctoris instituta, Viris Synagogæ Magnæ fuisse tributa, quæ tamen revera non nisi humanam originem habent, & inter Pharisæorum traditiones principem tenent locum, sub falso titulo ad Θεοπνεύςυς relata. Synagoga Magna enim nec uno tempore nec uno loco vixit, eoque Synagoga non fuit, verum commentum est Traditionariorum, qui nullum alioqui nexum παραδόσεως reperire potuerunt. Adeo lubrico fundamento historiæ Judaicæ moles nititur, etiam quoad eas sui partes, quibus, uti exploratissimæ veritatis, plurima maximaque alia superstrui solent.

XXX. *Summa rerum de Synedrio dicendarum Capita.*

XXX. Cæterum a *nominibus* ad REI ipsius considerationem progrediamur: eaque quæ imprimis sunt memorabilia ad certa capita referamus. Præcipue itaque attendi merentur hæc sequentia. I. PRIMA SYNEDRII M. INSTITUTIO. II. PERSONÆ IN ILLUD COOPTANDÆ. III. COOPTATIO IPSA. IV. AUCTORITAS HUJUS SENATUS. V. LOCUS CONSESSUS. VI. TEMPUS. VII. CONTINUATIO *ac* SUCCESSIO SYNEDRII.

XXXI. *Institutio Synedrii.*

XXXI. INSTITUTIO SYNEDRII M. secundum *Grotium* multosque alios Viros Doctissimos, tam ex Hebræis, quam ex Christianis, in hunc se modum habet. Sicuti in memoriam XII filiorum Israëlis factæ sunt Tribus XII, totidemque Phylarchæ, sive Tribuum præfecti; ita, in memoriam eorum Capitum quæ Jacobus in Ægyptum adduxit, LXX, vel LXXII præfecti sunt populo qui res eorum curarent, quantum regia imperia permittebant. Hi ab ætate ex qua legebantur *senes* sunt vocati, unde apud Græcos γερυσίας, apud Romanos *Senatus* vocabulum. Apud hos senes, ante alios, jubetur Moses mandata exponere quæ a Deo acceperat. Exod. III. 19. quod & fecit Exod. IV. 29. Ex horum numero & illi videntur fuisse, a quibus Ægyptii ἐργοδιῶκται quotidiani laboris rationem exigebant. Exod. V. 14. Postea, ex Jethronis consilio, in deserto constituti sunt judices, qui de minoribus judicarent caussis, majorum cognitione Mosi reservata. Exod. XVIII. 21. 26. Manserunt tamen antiqui illi LXX, qui universum populum Israëliticum repræsentarunt in solemni fœderis confirmatione, & quos conspectione gloriosæ majestatis suæ honoravit, mensæque admovit ipse Deus. Exod. XXIV. Attamen accisa admodum, aut nulla prorsus judicandi potestate erant præditi: cujus rei indicium est, quod Moses jussus ad montis verticem accedere, propiore numinis commercio fruiturus, edixerit Senioribus, *sedentes nos exspectate hic, usque dum revertamur ad vos. Ecce autem Aaron & Hur vobiscum, qui habebit aliquid dicendum, accedat ad eos.* Ubi aperte Moses pro absentiæ suæ

suæ tempore suas judicandi partes, non illis LXX, sed Aaroni & Huri delegat.

XXXII. Aliquanto demum post tempore, quum quereretur Moses, isti quoque supremorum judiciorum ac relationum oneri se non sufficere, ita ad eum locutus est Deus: Num. XI. 16. *Congrega mihi* LXX. *viros e senioribus Israëlis, quos nosti esse seniores populi, & moderatores ejus, & adsumtos adducito eos ad tentorium conventus ut sistant se ibi tecum.* Unde apparet, eos jam tum curam rerum populi habuisse: at nunc eos Deus Spiritu novo, judiciali scilicet, instruens, jubet partem oneris ferre, quod solus Moses hactenus sustinuerat: id autem est, ut diximus, supremorum judiciorum & relationum. Atque hæc creditur esse prima, solemnis, & Divina quidem Synedrii Magni institutio.

XXXIII. *Quæ eodem fere tempore contigisse creditur, quo Areopagi institutio apud Athenienses.*

XXXIII. Notatu minime indignum judicarunt Viri Doctissimi, quod quo tempore LXX. Hebræorum Judices constituti sunt in deserto, eodem fere tempore instituti sint apud Græcos Judices Areopagitæ, qui de caussis maximis, tum criminalibus, tum civilibus, cognoscerent. Eduxit enim Moses ex Egypto populum Dei regnante Cecrope Atheniensium Rege, ut plerique consentiunt Chronologi. Porro sub eodem Cecrope, referente in Chronicis Eusebio, ἄρειος πάγος ἐκλήθη, καὶ δικαστήριον κατέστη. *Areopagus nomen sortitum est, & Tribunal ibi constitutum.* Tanta vero Areopagiticæ illius curiæ fuit auctoritas, splendor tantus, ut πάντων εἰκότως διενεγκεῖν τῶν ἐν τοῖς Ἕλλησι Συνεδρίων, *universis totius Græciæ Synedriis merito antecelluisse, Isocrates* in *Areopagitico* auctor sit.

XXXIV. *Tria in Synedris observanda.*

XXXIV. In PERSONIS Synedrium Hebræorum constituentibus expendenda hæc tria sunt. I. NUMERUS. II. TRIBUS. III. REQUISITÆ QUALITATES.

XXXV. *Numerus: qui erat* LXX. *cum suo principe.*

XXXV. De NUMERO sic disserit *Cæsar Baronius ad Annum* XXXI. §. 10. *Erat quidem apud Judæos ex Senioribus atque Magistratibus conflatum Collegium, quod ab illis Synedrium dicebatur, constabatque ex* LXXII. *viris. Hujus originem a Deo per Moysen institutam habes in libro Numerorum. Cap.* XI. *quando Deus Mosi præcepit ut* LXX. *viros deligeret quos Senes & Magistros populi esse nosset. Hoc Seniorum collegium, junctis duobus aliis, qui Heldad & Medad personas agerent (qui licet remansissent in castris, eodem tamen adflati spiritu prophetarant) numerus* LXXII. *semper perseveravit in posteris.* Eandem sententiam ex Pontificiis multis ex Protestantibus etiam *Drusius* & *Grotius* tuentur. Hebræorum vero

vero constans traditio est, omne Synedrium Magnum constitisse Viris LXX, quibus præficiendus Princeps, quemadmodum Moses præfectus primis LXX, iiscum confecit numerum LXXI. Atque hanc opinionem uti veriorem multis argumentis confirmat *Seldenus de Synd. Lib.* II. *Cap.* IV.

XXXVI. *Tribus: quarum nulla prærogativam habuit, prævaluerunt tamen Sacerdotes.*

XXXVI. Nullo TRIBUUM Israëlis discrimine in Senatum legebantur, quos tantæ dignitati idoneos esse constabat. Et sane primos illos LXX. universum Israelem repræsentasse, modo a nobis observatum est. *Sacerdotum* tamen præcipuas hic partes fuisse, colligere est ex Deut. XVII. 8. non natalium jure, aut functionis Sacerdotalis præjudicata dignitate, sed quia cæteris censebantur esse aptiores. Et credibile est initio Reipublicæ plerosque aliarum tribuum se onerosæ isti dignitati sponte subduxisse: quæ sibi importuna, Sacerdotibus autem & Levitis longe oportunior erat. Nimirum adita ab Israelitis Cananitidos possessione, quum cuique sui agri colendi obtigissent, horum cultura ita distinebantur, ut non luberet ipsis publicis vacare judiciis, cum neglectu & detrimento rei familiaris. At tribui Levi universæ nulla terræ portio colenda obtigerat; sic ut excusatione hac uti non posset. Convenientius itaque vacabant publico, quibus otium ab agricultura erat. Atque hæc quidem prima ratio est: cui accedit & altera. Otium illud Levitis occasionem dabat meditandi legem Dei, & se illius studio exercendi, præsertim quum ordinatione Divina populi Doctores constituti essent. Deut. XXXIII. 10. Unde necessitas ipsis imposita est comparandi sibi promtam Divinarum legum & judiciorum peritiam. Sed & nec tertia caussa deest. Consessum hunc ei adstrictum fuisse loco ubi Dei erat Tabernaculum, post aliqua docebimus. Sacerdotibus autem, ut & Levitis, magno semper numero commorandum fuit circa Sanctuarium, ad ministerium ipsis impositum; adeo ut vi muneris sui istic cogerentur habitare, ubi habendus erat consessus. Quod aliis longe fuit incommodius. Denique functioni ipsi stata stipendia nulla erant, neque ulla fisci actio, ut mulctis frui possent. Hinc non ita judicis munus ambiebatur, quod sine emolumento erat, imo cum jactura rei familiaris conjunctum. Levitica vero tribus, & Sacerdotes, amplos imprimis habebant reditus, decimas nimirum de universo proventu, & oblationes alias, per quas abunde ipsis erat prospectum. Merito itaque Sacerdotibus & Levitis demandatum fuit judicandi munus, sic certe ut maximum numerum facerent. Atque hæ demum veræ hujus rei caussæ sunt.

XXXVII.

XXXVII. Alioquin Levitis & Sacerdotibus qua talibus, nullum per se jus erat ad Synedrium, præ ullo reliquorum Iſraëlitarum. Ne ipſe quidem Pontifex, virtute ſui Pontificatus, Synedrii membrum erat, niſi idoneus habitus, legitime in id adſcitus fuiſſet. Imo ſi Sacerdotes & Levitæ non reperirentur idoneis dotibus inſtructi, אפי׳ היו כלם ישראל הרי זה מותר, *etiam ſi conſtaret totus Senatus aliarum tribuum Iſraëlitis, bonum hoc & licitum erat*: ſciſcente *Maimonide Sanhed. Cap.* 1.

XXXVII. *Pontifici qua tali nullum jus ad Synedrium.*

XXXVIII. David videtur ex tribu Judæ multos in Senatum allegiſſe, quos aulæ commercium rebus gerendis pares fecerat. Atque huc pertinere creditur quod extat Pſ. LX. 10. *Juda eſt Legislator meus.* Tempore Joſaphati Senatus conſtabat tam Sacerdotibus quam aliis Viris Principibus, primoribus paternarum familiarum. Nominatim laudantur *Amarias, Sacerdos Primarius, Anteceſſor in omni negotio Jehovæ, & Zebadias filius Iſmaëlis, Anteceſſor in domo Jehudæ, in omni negotio regio.* 2. Chron. XIX. 8. 11.

XXXVIII. *Synedri tempore Davidis & Joſaphati.*

XXXIX. Alibi tamen videtur Collegium *Sacerdotum* a Collegio *Principum* diſtingui: nam Sacerdotes & Prophetæ Jeremiam ut capitis reum ad necem poſtularunt, quem tamen *Principes domus Jehudæ, conſidentes ad oſtium portæ Jehovæ recentioris*, abſolverunt. Jer. XXVI. 10. 11. Ad eam difficultatem tollendam duo reſpondet *Grotius*. I. Poſſe videri magis eſſe diſputationem collegarum inter ſe, qualis deſcribitur Joh. VII. 50. Act. v. 35. quam legitimam accuſationem, judicantibus aliis. II. Multos fuiſſe Sacerdotes extra Senatum, & ſi qui eorum accuſatoris perſonam ſuſceperint, ſibimet judicandi ademiſſe poteſtatem.

XXXIX. *An diſtincta fuerint Sacerdotum & Principum collegia.*

XL. At quamvis omnibus Viris honoratis aditus ad Synedrium pateret, *Regem* tamen excluſerunt. Sic enim *Maimonides Sanhed. Cap.* II. §. 4. *Non adſciſcitur Rex Iſraëlis in Synedrium, quoniam non permittitur ab eo diſſentire, aut contradicere verbo ejus. Sed tamen adſciſcunt Pontificem Maximum, ſi modo ſapientia ejus dignitati non ſit impar. Reges ſtirpis Davidicæ, tametſi nec ipſos in Synedrium adſciſcere ſolerent, tamen ſedebant etiam ipſi & judicabant populum.*

XL. *Rex non cooptatus in Synedrium.*

XLI. Illud denique notatu dignum, quod non ſolum omnibus, ſine tribuum diſtinctione, Iſraëlitis acceſſus in Synedrium eſſet; ſed & ipſi *Proſelyti* admitterentur. Quod Talmudiſtæ probant exemplis poſterorum *Jethronis*, & *Sanheribi*. Jethro Midianita fuit; & tamen meruerunt poſteri ejus ut ſederent in conclavi cæſi lapidis. *Semaja & Abtalion* Babylonicæ fuerunt originis, Sanheribi progenies, & tamen Rectores Academiæ & Præſides Synedrii fuere. *Sanhed. Cap.* XI. Vide & *R. Abraham in Kabbala fol.* 27. c. 4.

XLI. *Ad quod tamen admiſſi Proſelyti.*

XLII.

XLII. *Qualitates in Synedris requisita.* 'Αρνητικῶς.

XLII. QUALITATES in Judicibus requisitas dupliciter describunt Magistri. I. 'Αρνητικῶς. II. Θετικῶς. Negant legitime in Synedrium cooptari I. Senio confectum. Quod non tam ab annis æstimabant, quam a virium corporis sive animi defectu. Nam Celeberrimus ille ac longævus *Rabban Jochanan*, *Ben Zacai*, octogenarius in Synedrorum numerum cooptatus, ad cxx ætatis annum judiciis interesset, tandem etiam Synedrii M. Princeps. II. Eunuchum, sive Eviratum, quoniam crudeliores esse censentur; non ab Hebræis solum, sed & Romanis. Sic enim *Claudianus Lib.* I. *In Eutrop.*

— Eunuchus nulla pietate movetur,
Nec generi natisve cavet: clementia cunctis
In similes, animosque ligant consortia damni.

III. Eum cui proles desit, quæ ad misericordiam excitare solet. IV. Qui justam ætatem nondum attigit. In ea autem definienda discrepant Magistri. Glossa Talmudica ad *Gemar. Babyl. Sanhed. Cap.* X. *neminem rebus decernendis idoneum esse ait, antequam attigerit annum* XL. At R. Abihu, nomine R. Jochanan, ubi de judiciorum pecuniariorum & capitalium discrimine agitur, sic censet: *Etiam viginti annis minor, aut cui nondum excreverint bini pubertatis pili, rite exercet judicia pecuniaria, neutiquam vero capitalia.* An vero exacto anno vigesimo, mox per ætatem judiciis capitalibus idoneus habitus fuerit ab his qui sic sunt locuti, non admodum liquet. Probabilis est *Seldeni* conjectura: *Legem de* XL. *annis regulariter fuisse servatam, ut ubi Juris scientia insignior ætatem suppleret, etiam minores cooptarentur.* V. Eum qui non exercet artem societati humanæ utilem. Nam illicitum habetur homini omnino se exercere aliis in rebus, אלא או בתורה וגמילות חסדים או בסחורה ואומנות ומלאכה שיש בהן ישוב של עולם *præter quam vel in Lege & officiis humanitatis, aut mercatura, aut artificio, aut opere aliquo quod bono publico conducat:* uti ex Veterum scitis docet *Obadias Bartenorius*. VI. Eum qui insigni corporis deformitate laborat. Verbi gratia, si cœcus, vel monoculus esset.

XLIII. Θετικῶς.

XLIII. E contra in Adsessoribus Synedrii Magni requirebant hæc sequentia. I. Ut sint בעלי קומה. *Egregia statura.* II. בעלי חכמה. *Egregia sapientia.* III. בעלי מראה. *Egregia forma.* IV. בעלי זקנה. *Justæ ætatis ad seniem vergentis.* V. בעלי כשפים. *Magiæ non rudes.* VI. יודעים בשבעים לשון *Callentes* LXX *linguas*, ne opus sit per interpretem audire. Quod Magiæ peritiam requirant, eleganter exsibilat *Cunæus*, *de Republ. Hebr. Lib.* I. *Cap.* XII. Quæ de LXX linguarum peritia addunt, non solum prodigiosa, sed, & absurda, inepta,

prorsusque ridicula sunt. Nam LXX. præcise linguas in mundo exstare, Rabbinicum suaviludium est; unum vero tot linguarum cognitione instructum esse, humanitatis sortem superat; nedum ut tantam peritiam omnes & singuli consecuti fuerint Senatores. Neque cum Talmudico hoc scito convenit Josepho, de interdicto apud suos linguarum peregrinarum studio disserenti. *Ego*, inquit, gentis suæ more, satis jactanter: *Ego enim tribulium meorum confessione disciplinas patrias egregie calleo, Græcanicæ quoque literaturæ non sine profectu dedi operam, quamvis exquisitam pronunciandi rationem assequi per patriam consuetudinem non licuit. Nostri enim homines non suspiciunt eos qui multas perdidicerunt linguas, quod studium profanum apud ipsos habetur, & servis commune cum ingenuis. Solos autem sapientes suo suffragio pronunciant, qui Legis & sacrarum literarum tantam assecuti sunt peritiam, ut eas interpretari valeant. Antiq. Lib.* XX. *Cap.* IX. Neque dubito, quin Josephus hic præ Talmudistis mereatur fidem.

XLIV. Cooptatio Judicum in Synedrium partim *Electione* constabat, partim *Electorum initiatione*. *Electio* antiquissima hoc modo facta esse perhibetur. *Gem. Sanhed. Cap.* I. §. VI. Quum Mosi ita a Deo dictum esset: *Congrega mihi* LXX *viros e senioribus Israëlis*; cogitavit, quo modo id esset effecturus. Nam, inquit, *si senos ex quaque tribu legam, supererunt duo. Si quinos, deerunt decem. Si ex una tribu quinos, ex alia senos, invidiam inter eas conciliabo.* Quid egit? Legit senos ex singulis, deinde LXXII pittacia, quorum LXX inscripta voce SENIOR, duo pura erant, confusim in urnam indidit, & singulos singula educere jussit. Cui obvenisset SENIOR, dixit: *jam pridem te sanctificavit Deus.* Cui pura tabella, *Deus non expetit te; quid faciam tibi?* Hæc eligendi ratio omnium prima atque antiquissima est. *XLIV. Electionis modus antiquissimus.*

XLV. Labentibus ævis, ubi rebus pacatis in terra sua frui Hebræis datum est, ita in Synedrium M. adscitos Senatores ferunt: mittebantur quidam e Synedrio M. per universam terram Israëlis, inquisituri, quis sapiens esset, timens peccati, mansuetus, probatæ sagacitatis in rebus discriminandis, & apud populum gratiosus. Virum ejusmodi faciebant in urbe sua judicem. Inde evexerunt eum ad Synedrium XXIII, quod ad introitum montis Templi sedebat. Hinc cooptabatur in illud quod sedebat ad ostium Atrii: atque inde demum ad Synedrium M. Aliquando etiam extra ordinem cooptati surrogatique sunt Judices a Regibus, aliisque quibus rerum summa commissa fuit, quum collegia post deliquium aliquod instaurarentur. Ubi non suffragia tantum, sed & aliquando sors adhibebantur: si fides *Philoni*, περὶ δικαστοῦ. *XLV. Recentior.*

XLVI. Initiatio facta per impositionem manuum.

XLVI. *Initiatio* sive *Ordinatio* electorum facta est per *impositionem manuum*; quam existimo distinctam fuisse ab ea qua quis creabatur Senior. Hac enim, uti supra monui, non conferebatur dignitas Senatoria; sed solummodo declarabatur eum hominem idoneum esse qui in Senatorum ordinem adsciscí posset. Derivant autem cerimoniam istam a Mose, ea ratione Josuam muneri suo initiante. Num. XXVII. 23. Fiebatque hæc manuum impositio, sive a Triumviris, a Synedrio ipso in eam rem constitutis; sive a Synedrio integro; sive denique a Senatore unico, alios sibi duos collegas adsciscente. Ab *Hillelis* tempore obtinuit, ut nemo pro legitime ordinato haberetur sine Principis collegii auctoritate: triumvirorum tamen numero in qualibet ordinatione rite observando. Manuum impositioni hæc solebant addi verba: אני סומך אותך ויהי סמוך *Ego ordino te, & esto ordinatus.* Nefas fuisse censent ritum hunc extra terram Sanctam peragere: quippe cujus vis omnis Palæstinæ finibus inclusa foret.

XLVII. Cui deinceps substitutum solemne carmen.

XLVII. Tandem hæc manuum impositio, quæ usitata diu fuerat, cessavit. Recitatum enim duntaxat carmen quoddam conceptis verbis est; quod Maimonides fuisse ejusmodi ait: הרי אתה סמוך ויש לך רשות לדון אפלו דיני קנסות: *Ecce tu ordinatus es, daturque potestas tibi judicia exercendi, etiam Criminalia.*

XLVIII. Præses & Vice-Præses Synedrii.

Adde Præf. §. XXIX.

XLVIII. Hactenus de *Membris* Synedrii M. differui. Omitti non debet, præ cæteris omnibus eminuisse, *duos*, aut, ut aliis placet, *tres*. Quorum primus fuit PRÆSES, qui dictus est נשיא בכל מקום *Princeps omni loco*, vel נשיא *Princeps* simpliciter, aut ראש *Caput*, aut פלא *Admirabilis*. Alter ab illo, VICE-PRÆSES, dictus אב בית דין *Pater domus Judicii*. Cujus sedes erat a dextra Principis. Addunt nonnulli tertium, dictum החכם SAPIENTEM, cujus locus fuerit a sinistra Principis.

XLIX. Quibus adjunctus tertius, nomine Sapientis.

XLIX. Disertum in hanc rem testimonium ex Glossa Talmudica protulit *Coccejus*, in *Notis ad Sanhed. Cap.* IV. *Num.* XIII. *Nasi, seu Princeps is est, qui interpretandæ publice Legis auctoritatem habet. Pater domus Judicii, is Judicum Antecessor, cujus ore lites deciduntur. Sapiens is dicitur, qui inter Doctores præcellit, cum quo de agendis communicatur, peritus sensuum & rationum Legis. Is ad lævam Principis sedet. Tria hæc munera moriens R. Jehuda Sanctus ita distribuit, ut Gamalielem filium suum Principem constitueret, Sapientis personam alteri filio Simeoni legaret, Patrem autem Senatus Rabbi Chaninam faceret.* Tribus hisce, pro gradibus Dignitatis, exhibiti quoque honoris gradus sunt. *Principi* intranti omnis populus adsurgit, neque resident, priusquam ipse jubeat. *Pater Senatus* ubi intrat, duobus hinc inde ordinibus sur-

surgentibus excipitur. *Sapiens* quando intrat, unus surgit, alter sedet.

L. Auctoritas Synedrii.

L. Auctoritas hujus Synedrii longe maxima fuit, sive *res* considerentur quas tractabant, sive *personæ* circa quas versabantur, sive denique *sententiæ* pronunciatæ *valor* atque efficacia.

LI. Res ibi tractandæ.

LI. Res de quibus in Synedrio M. agebatur, omnis generis erant, Privatæ, Publicæ; Ecclesiasticæ, Politicæ. Ita enim Ecclesia immista erat Politiæ, ut utraque unum constituerent corpus; & forma Regiminis esset *Theocratica*, ubi summum Imperium penes Deum erat, reliqui Magistratus non nisi Dei Ministri. Qua de re alibi ex professo egi. Senatoribus itaque curæ fuit per omnem Judæam ire, conventus populi lustrare, in oppidis Magistratus condere: de bello gerendo, de hostibus profligandis, de proferendo imperio deliberare. Iisdem quoque Regis creandi potestatem Talmudistæ attribuunt. Sed & religionis negotium iis commissum fuisse constat. Credunt Cabbalam aliquam, sive mysteriorum doctrinam, jam inde ab initiis Reipublicæ, per manus traditam esse, cujus vis omnis auctoritasque penes ipsos erat. Tum & eorum fuit, statuta quædam de rebus sacris condere, & modos quosdam comminisci, quibus Lex exponeretur. Pleraque eorum quæ a Synedrio M. statui oportebat his verbis complexus est *Maimonides: Non constituunt Regem nisi de sententia Synedrii M.* LXXI *virorum. Non ordinant judicia minora singularum tribuum vel urbium nisi ex eorundem* LXXI *ore. Non damnant totam tribum expellendam, nec Prophetam mendacem nec Pontificem capitali supplicio, nisi in eodem Senatu Magno. At pecuniæ res a tribus judicantur. Non vero declarant senem rebellem, nec evertunt civitatem Apostaticam, nec potant adulterii suspectam aquis amaris, nec ampliant urbem aut atria, nec egrediuntur* למלחמת הרשות *in bellum potestatis*, (id est, bellum spontaneum, ultroneum, aut arbitrarium quod suscipitur כדי להרחיב גבול ישראל ולהרבות גדולתו ושמעו *ut dilatentur termini regni Israëlitici, & augeatur ejus magnitudo ac fama) aut ut metiantur situm occisi, nisi de voluntate Consistorii sæpius memorati, sicut dicitur Exod.* XVIII. 22. *Quidquid Magnum est adducant ad te. Vid. Schich. de Jure Reg. Cap.* I. *Theorem.* II. Et *Cocceji Sanh. Cap.* I. *§.* V.

LII. Personæ jurisdictioni subjectæ. Propheta.

LII. Personæ quæ jurisdictioni Synedrii M. suberant, erant cujuscunque generis ac dignitatis, ne *Prophetis* quidem aut *Pontificibus*, imo, si Rabbinis fides, nec *Regibus* exceptis. De Pseudo-Propheta sic exstat Judaici juris cautio: *Non morte mulctant Pseudo Prophetam in consessu qui est in urbe sua; nec in consessu qui est in Jabneh, sed adducunt eum ad consessum Magnum qui est Hierosolymis, & reservant eum ad*

aliquod festum. Atque interficiunt eum in festo, sicut dicitur, & omnis Israël audient, & metuent, & non pergent amplius ad eum modum facere. Atque hinc lux adfulget dicto Domini Luc. XIII. 33. *Non contingit ut Propheta pereat extra Hierusalem.*

LIII. Pontifices. LIII. *De* PONTIFICE sic tradunt: *Sacerdos Magnus judicat & judicatur; testimonium dicit, & in eum testimonium dicitur. Sanhed. Cap.* II. §. I. Sed capitaliter de eo nemo judicabat, nisi Synedrium M. Porro eo se extendebat Synedrorum in Pontificem potestas, ut ob varia delicta, & pollutiones de facili contingentes, *loris cadi* posset. Qua pœna defunctus חוזר לגדולתו, *restituebatur in Majestatem suam.* Hoc autem in ראש הישיבה *Principe Synedrii* ita temperabatur, ut ille sic verberatus אינו חוזר לשררותו *non restitueretur ad Praefecturam suam.*

LIV. Reges. LIV. REGEM denique ipsum Synedrio subjiciunt Talmudici: sic ut ab eo corrigi, & in ordinem redigi potuerit; etiam *flagellatione*: sed ob tria tantum crimina ipsi specialiter interdicta; nimirum si multiplicaverit mulieres ultra XVIII. si multiplicaverit equos, plusquam ad currum sufficit: nam vel unum ad pompam circumducere flagris dignum censent: denique si multiplicet sibi opes, quas relinquat in privatis thesauris. Quae expressissimis Talmudis verbis confirmantur a *Schichardo de Jur. Reg. Cap.* VI. *Theorem.* VII. & *Seldeno de Syned. Lib.* III. *Cap.* IX. Quamvis & alia proferantur in contrarium.

LV. Illi praecipue qui ex domo Davidis erant. LV. At distinguunt Hebraei Reges qui erant *ex domo Davidis* a Regibus *Israëlis*. In illorum honorem testantur, quod quum novissent legem, suamque obligationem, non turpem sibi existimaverint humiliationem illam, & submissionem legalem. His autem exprobrant superbiam ac fastum, ut legi se subjicere recusaverint, unde scandali vitandi caussa, eos sibi ac Deo relinquendos esse, Magistri censuerunt.

LVI. Fabella circa hanc rem Talmudica. LVI. Neque desunt narratiunculae, quibus sibi persuadent iratum numen pœnas poposcisse a Senatu, quando auctoritatem suam circa Reges non satis animose tuerentur. In *Gemara Sanhed. Cap.* II. haec legitur fabella. Servus *Jannaei* Regis (is ex *Hasmonaeis* erat, frater Aristobuli, filius Hyrcani) commiserat homicidium. *Simeon filius Satach* hortabatur sapientes ut in id animadverterent, & judicium de ipso haberent. Hi mandant Jannaeo: *servus tuus homicidium perpetravit.* Mittit illum. Mandant ei denuo: *Tu ipse quoque sistas te, & testimonium accipias: Nam de Heris lex ait: veniat possessor bovis, & consistat juxta bovem suum.* Exod. XXI. 29. Jumentis autem comparantur servi. Venit, adsedit. Tunc Simeon filius

Satach

Satach ad illum conversus: *Rex Jannai*, inquit, *surge in pedes tuos; tum testimonium de te dicetur. Neque putes te coram nobis surgere, sed coram illo quo jubente mundus exstitit. Quia dictum est, stabuntque duo isti viri quibus lis est. Deut.* XIX. 17. Tum ille: *non ex tuo jussu*, inquit, *sed pro eo quod censebunt collegæ tui.* Respexit ergo Præses dextrorsum, an haberet suffragantes; at ipsi vultus in terram defigebant præ metu: conversus sinistrorsum, ut vidit consimiliter faciem attollere non ausos, dixit, *O vos cogitabundi! Futurum est, ut cogitabundus aliquis vos ulciscatur.* Confestim Gabriel illos humi adflixit, ita ut omnes animam efflarent. Notissima etiam est *Herodis* in jus a Synedrio vocati historia, quam fuse exsequitur *Josephus Antiq. Lib.* XIV. *Cap.* XVII.

LVII. Quandoquidem vero ea quæ de *verberum pœna* ex sententia Synedrii Regi infligenda memoravimus, Majestati Regiæ diametraliter opposita esse videntur; hinc molestiam sibi natam vident viri eruditissimi, qua ratione tam vædurum adsertum emolliant. Observant igitur, non habitam olim eam pœnam apud Judæos, sicut hodie apud nos fustigatio, sed instar mulctarum, quæ a nobilissimis etiam citra infamiam exiguntur. Quod non *Schichardus* solum urget; sed & *Grotius De Jur. Belli & Pac. Lib.* I. *Cap.* III. *parag.* X. *Video*, inquit, *consentire Hebræos, Regi in eas leges quæ de officio Regis scriptæ exstabant, peccanti inflicta verbera. Sed ea apud illos infamia carebant, & a Rege, in signum pœnitentiæ, sponte suscipiebantur: ideoque non a lictore, sed ab eo quem legisset, ipse cædebatur, & suo arbitratu verberibus modum statuebat.* *LVII. Verberum pœna an Majestati Regiæ adversa.*

LVIII. At bene ab aliis notatum est, quod *Josephus Antiq. Lib.* IV. *Cap.* VIII. appellet τιμωρίαν αἰσχίστην, *pœnam illiberalem, infamem, turpissimam*, & quæ ἐλευθέρῳ *ingenuo minime conveniat.* Et profecto si quis attendat ea quæ de isthoc pœnæ genere ipse commentatus *Schichardus* est, is facile animadvertet rem indignissimam Regia Majestate esse, ex sententia Synedrii ad flagra loro bubulo infligenda, super pectus, inter mammas, in tergo, & utraque scapula, condemnari. At nos hactenus non nisi Hebræorum scita exponimus, nondum in eorum inquirentes veritatem.

LIX. Pergamus itaque ea expendere quæ ad Synedrii auctoritatem pertinent. Eorum novissimum in SENTENTIÆ a Senatu pronunciatæ indeclinabili VALORE consistit. VALOR autem iste variis comprobatur modis. Atque hac quidem primum ratione, quod si quis a Senatu damnatus esset, sine ulla provocatione noxæ daretur, adeo ut nec Regi ipsi fas esset judicio eum eximere. *LIX. Sententia Synedrii sine ulla provocatione executioni mandata fuit.*

LX. Ut autem sententiæ suæ justitiam toti populo manifestam face- *LX. Cujus justitia ut*

populo manifesta fieret, insigniter accurabant.

facerent, & verum suppliciorum finem, qui est tranquillitatis publicæ conservatio, & delictorum coercitio, adsequerentur; jusserunt, reo, quum ad supplicium duceretur, præire præconem, magna voce clamantem: *Hic vadit ad supplicium, quo subit hanc mortem: quia commisit hoc flagitium, hoc tempore, hoc loco: & N. N. sunt hujus rei testes: si quis quid sciat quod prodesse reo possit, veniat proferatque in medium.* Porro præ foribus Synedrii stabat aliquis manu sudarium aut linteum tenens, quod vibrabat, si quis rei in se susciperet patrocinium, quo viso alius, non procul inde equo insidens, effuso cursu revocabat damnatum. Quin imo si ipsi reo aliquid incideret quod ad sui defensionem nondum protulerat, licebat ipsi quater aut quinquies reverti: utque accuratius ipsius in via verba ponderarentur, adjunxerunt ei duos ex discipulis sapientum. *Sanhed. Cap.* VI. §. I.

LXI. Quod & circa Jesu supplicium observatum esse mentiuntur.

LXI. Non possum hac occasione prætermittere, quamvis mendacissimum sit, quod de Jesu nostro, a majoribus suis scelerate ad crucem postulato, narrant Talmudistæ. *Gemara Babyl. Sanhed. Cap.* VI. *Traditio est*, inquiunt, *vespera Paschatis suspensum fuisse Jesum, & præivisse præconem per quadraginta dies ita clamantem: Prodit iste lapidandus, eo quod præstigias egit, ac persuasit & seduxit Israëlem, quicunque scit pro eo defensionem, prodeat & proferat: at non est inventa defensio. Suspenderunt ergo eum vespera Paschatis.* Vide *Lightf. ad Math.* XXVII. 31.

LXII. Pœna contumaciæ, Flagellatio.

LXII. Cæterum non illæ solum sententiæ executioni mandabantur quibus quis ad pœnam damnatus fuerat, sed & quidquid præterea a Synedrio statuebatur, de quacunque re, ratum habitum fuit, & in contraeuntes, aut contradicentes, severe animadversum. Habebant enim suos שוטרים *Exactores*, qui baculis & loris instructi, subjectos cogebant ad observantiam decreti, a judicibus statuti: & executores erant pœnæ in rebelles decretæ. Eam vocant מכת מרדות *fustigationem rebellionis & contumaciæ.* Quæ longe severior erat *flagellatione legali*, ob legis alicujus Divinæ violationem. Quamvis & hæc perquam severa fuerit. Nam reus alligabatur columnæ, sic ut nec staret prorsus, nec sederet, sed incurvus penderet quasi. Tum lictor, a tergo positus, lapidique insistens, loro vitulino, in quatuor fisso, ipsum, umbilico tenus nudatum, percutiebat, alternis ante & retro, proportione sesquialtera. Judicum vero unus ferire jubebat, alter numerabat ictus, tertius justitiam pœnæ accinebat. Attamen huic flagellationi certus erat plagarum numerus præfinitus, neque licebat adscendere ultra XL. Illa quæ *contumaciæ* dicitur, eosque manet qui interdicta scribarum transgrediuntur, pendebat ab arbitrio judicum, & pro

& pro delicti ratione nunc augebatur, nunc minuebatur; poteratque procedi ad necem usque sontis: neque flagello peragebatur, sed baculo. Vid. *Buxtorf. Lex. Talm. fol.* 1252. Atque hæc fustigatio obtinebat, ubi quis in rebus minoris momenti decreto Synedrii parere renuisset.

LXIII. Sin in re aliqua majore obniteretur, *capitis pœna* contumaci erat constituta: quod arcessitur ex Deut. XVII. 12. *Vir autem ille qui commiserit superbe, ut non auscultet sacerdoti, constanter ministranti ibi Jehovæ Deo tuo, aut Judici: utique morietur vir ille, & tolles malum illud ex Israële. Ut omnis populus audiant, & timeant, neque superbiant deinceps.* *LXIII. Aliquando & Mors.*

LXIV. Atque hinc scita illa Talmudica de זקן ממרא *sene rebelli*: qui, etiamsi ipse quoque Judex esset, & Synedrii pars, si ex sui animi sententia, contra Synedrii scita, contumaciter fecisse probaretur, morte plectendus erat. Nec profuit ei rationis contumaciæ suæ obtentus qualiscunque; ne quidem tametsi invictis argumentis evinceret sententiam suam antiquitus a Synedrio fuisse comprobatam, & apud majores palam obtinuisse. Semper enim præponendum erat recentissimum Synedrii decretum. Quod quomodo ex Legis Divinæ verbis eliciant, supra a nobis est ostensum §. XXIV. Idque tam severe urgent juris Hebræorum consulti, ut ipsi Synedrio fas fuisse negent, contumaci veniam facere: כדי שלא ירבו מחלוקות בישראל, *ne scilicet multiplicaretur sententiarum diversitas in Israële*: ait *Maimonides* apud *Seldenum, de Syned. Lib.* III. *Cap.* III. Atque his quidem rationibus auctoritati Synedrii M. abunde cautum fuit. *LXIV. Seni Rebelli infligenda.*

LXV. Nunc de LOCO videamus. Is pro temporum ratione creditur fuisse varius. Ætate Mosis dicitur fuisse לפני פתח אהל מועד *ad ostium tentorii conventus*. Num. XI. 24. Post introitum Israëlitarum in terram sanctam, ajunt diversas sedes habuisse, nunc has, nunc alias, at semper ibi ubi tabernaculum erat. In *Silo*, in *Mizpa*, *Gilgal*, *Nob*, *Gibeon*, & ad domum *Obed Edomi*; demum *Hierosolymis*. Ubi consederit tempore Templi primi, non satis exploratum est. At sedes ejus Templo conjunctas fuisse, pro certo adseverant Magistri, qui per *locum elegit Jehova*, & ipsum Templum, & conjunctas ei Synedrii sedes intelligunt. Paullo ante Templi per Chaldæos vastationem, Synedrii conclave vicinum fuisse *portæ Orientali Templi*, supra *conclave Janitorum*, ita confici posse putat *Lightfootus*, *Descrip. Templ. Cap.* IX. Jeremiæ XXXV. 4. hæc occurrunt verba: *Deduxi Rechabitas ad domum Domini, in conclave filiorum Hanan, filii Jegediliæ, Viri Dei, quod erat* *LXV. Locus Synedrii initio varius fuit*

prope

prope CONCLAVE PRINCIPUM. *quod erat supra conclave Maaseja filii Sallum custodis vestibuli. Per Principes*, inquit, *hic non possumus eos intelligere qui* ad *Regiam stirpem pertinebant; quid enim hic egissent filii Jojabimi? Degebant in Regia Sionis, & via qua ad Templum veniebat tendebat ad Occidentalem portam, qua vocabatur Schallecbet & Coponii, quum hæc porta, cujus custos erat filius Sallum, esset Orientalis, ut apparet ex* I. Chron. IX. 17. 18 *Per Principes ergo intelligendi sunt Magni in Synedrio Viri*, Ἄρχοντες τοῦ λαοῦ. Act. IV. 8. *quorum judicialis sedes erat vicina Portæ Orientali, seu Susan, & quidem supra conclave Janitorum. Hic sedebant tempore Templi primi.* Sic *Lightfootus*: non dicam nunc quam solide; id solum monebo, aliam Maimonidi mentem fuisse. Is enim jam inde a prima Templi per Salomonem constructione לשכת הגזית CONCLAVE CÆSI LAPIDIS ædificatum esse vult in quo consederint Synedri, in *atrio Israëlis*, *ad partem Templi Australem*. Vid. *Seld. Lib.* II. *Cap.* XV. §. IV. At hæc omnia fluxæ fidei sunt.

LXVI. *Sub Templo secundo in celebratissimo Conclavi cæsi lapidis*

LXVI. Id certius, in Templo secundo fuisse conclave ejus nominis, eique usui destinatum. Atque ita dictum fuit, quod lapidibus pretiosis, magnaque arte edolatis, stratum esset. Forma sua speciem Basilicæ Magnæ referebat, de qua R. *Salomon Ben Virga* in *Schebet Jehuda* sic loquitur: ושם בית נקרא לשכת הגזית ומי שלא ראה בנייניה אמרו שלא ראה משלם בנין מבואר: Quæ *Gentius* in Historia Judaica p. 362. luxuriante stilo sic reddidit. *Hic famosissima, & toto terrarum orbe celebratissima fuit illa senatorum curia, quam Hebræi sua lingua* LISCAT HAGGAZITH *appellare consueverunt: cujus ædificii tantus splendor, tantaque magnificentia fuit, ut totus terrarum orbis nihil ei simile aut secundum habere videatur.* Nimis hyperbolice. Conditor hujus conclavis dicitur fuisse *Simeon Ben Setach*, qui fuit Vice-Præses Synedrii, quum *Juda Ben Thabbai* Præses esset, sexta generatione post Ezram, regnante *Jannæi Hasmonæo*. Pars hujus curiæ in fundo sacro; altera in profano fuit. Hinc & duo ostia. Alterum a sacro latere per quod intrabat Princeps cum Assessoribus suis; alterum a latere profano, per quod introducebatur reus. In parte profana erat consessus Judicum: quia nemini licebat sedere in Atrio nisi Regibus ex familia Davidis. Pars sacra, pavimenti altitudine distinguebatur a profana.

LXVII. *Unde quadraginta ante destructionem Templi annis sua sponte cessit.*

LXVII. Quadraginta annis ante destructionem Templi Synedrium loco cessisse dicitur, & decies mutasse stationes. Ejus mutationis hæc redditur ratio: existimabant quum sederent in Conclavi cæsorum lapidum, obligatos se esse ad judicium ferendum de omnibus caussis quæ ad ipsos deferebantur: omniaque sua judicia omnes obligare

pare Judæos. At quum nunc gravi dominationis Romanæ jugo premerentur, quo potestas ipsorum multis modis imminuta fuit, quumque scelera & parricidia immensum quantum crescerent, & sicarii, Præsidis favore tuti, judiciis eriperentur, sic ut compescere more patrio insolentias non possent, satius sibi esse crediderunt ut loco cederent. Quia tamen fas non erat alibi capitalem sententiam pronunciare, hinc in conclave illud redierunt, quoties urgebat necessitas. Quod & factum esse tradunt in caussa Jesu & similibus.

LXVIII. Hæc quum ex Talmude memorasset *Seldenus*, *Lib.* II. *Cap.* XV. §. IV. subjungit: *Certe & in Lithostroto latam ab eis sententiam ex Evangelio palam docemur. Unde non obscure elici videtur, sive nominis rationem spectemus, sive Hebraeorum illorum heic auctoritatem, ipsum Lithostrotum, ita Græce dictum, fuisse Synedrii Magni locum, seu Conclave a pavimento nuncupatum. Græca enim sunt de Pilato.* Joh. XIX. 13. ἐκάθισεν ἐπὶ τοῦ βήματος, εἰς τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον, *sedit super tribunal, in loco, Lithostroto dicto: perinde ac si notissimum fuisset eo in loco tribunal seu sedes forensis, ut in ipso Liskath Haggazit.* LXVIII. *An Johannis* XIX. 13. *innuatur Pilatum in hoc conclavi Tribunal suum habuisse?*

LXIX. In eandem sententiam video concedere Lightfootum; quæ tamen mihi se nequaquam adprobat. Nam sacra Evangelii Historia nihil habet, unde aliqua certitudinis specie confici queat, quod Pilatus sedem Judæorum Senatui in Atrio Templi dicatam conscenderit. Sola hic occurrit similitudo nominis Græci. At nihil obstat, quo minus credamus, plura Hierosolymis loca fuisse lapidibus constrata. Josephus sane tribunal Pilati fuisse dicit ἐν τῷ μεγάλῳ σταδίῳ. *In xysto sive stadio tecto.* Et si quæ Græci nominis similitudo est, argumentum inde petitum Hebraici nominis dissimilitudine evertitur. Quis enim unquam audivit Curiam Hebræi Senatus dictam fuisse *Gabbatha*? Et quem quæso locum habuisset Romanus Præses in Judæorum Synedrio? Nam neque una sedere poterat cum Judæorum Senatoribus, quum neque Præses, neque Vice-Præses, neque pars Senatus esset. Neque suum ibi Romanum Senatum habere. Neutrum enim aut Judæi passi fuissent, aut Romani voluissent. Longe itaque probabilius est, proprium sibi tribunal habuisse Pilatum. At e diverticulo in viam. LXIX. *Non est verisimile.*

LXX. Forma consessus hæc erat: Considebant omnes *figura semicirculari*, quemadmodum de XXIII viris observavimus. In medio collocata erat sedes *Principi*. Ad illius dexteram sedebat *Pater domus Judicii*. Ad sinistram *Sapiens*. Reliqui ab utraque parte suo ordine, sic ut digniores propius a Principe abessent. Adstabant *Scribæ*, secundum plerosque *duo*, alter a dextris, qui scribebat vota absolventium; LXX. *Forma Consessus.*

alter a sinistris, qui condemnantium. *Rabbi Jehuda* addit *tertium*; qui scriberet utraque, ut eo certius constaret de singulorum numero. *Reus* introducebatur per ostium lateris profani, coram judicibus. A parte illius *dextera* erat בעל ריב *Dominus litis*, qui vel pro ipso, vel contra ipsum verba faciebat Psal. CIX. 31. & 6. Zach. III. 1. Sententia pronunciabatur intra curiam; partibus intro vocatis. Qui natu maximus inter judices erat, partibus nomine compellatis, alteri quidem ajebat, *Tu innocens es*: alteri autem, *Tu obligaris*. Quare non licuit cuipiam judicum egresso dicere: *ego secundum te judicavi, collegæ mei te condemnarunt: at quid facerem? collegæ mei numero me vicerunt.* Hoc qui fecerit in eum competere judicabant Salomonis dicterium. Prov. XI, 13. *Qui prodit arcanum calumniator est.*

LXXI. *Tempus.* LXXI. Denique de TEMPORE CONSESSUS monendum est aliquid. Considebant quotidie (at diebus Sabbatinis in Synagoga montis, ne viderentur judicii habendi caussa consedisse) & sedebant sacrificio jugi matutino, ad juge vespertinum: sic ut eorum sessio, & tempus Divini cultus, nunquam coinciderent. Sacrificium juge matutinum mactabatur diluculo: vespertinum ordinarie mactabatur hora octava & dimidia, offerebatur media decima. Non tamen censebatur necessarium ut omnes LXXI Senatores semper præsto essent, nisi quando rei gravitas omnium præsentiam requireret. Alias cuicunque erat negotium, ei fas erat exesse, & reverti; sic tamen ne pauciores XXIII semper adsiderent.

LXXII. *Continuatio Synedrii.* LXXII. De CONTINUATIONE ac SUCCESSIONE Synedrii hæc traduntur: initium ejus, uti monui, collocant in *deserto*; ubi *Moses*, dum vixit, Principis vicem obiit. Introducto in Cananitidem populo, mortuoque *Josua*, post Mosen Synedrii Principe, Deus extra ordinem aliquando præfecit *Judices*, quibus etiam citra Senatum judicandi jus erat: at quibus temporibus nullum talem exciverat, recurrendum omnino ad Senatum fuisse, in quo ferme eminebat Pontifex Maximus, tanquam rem certam sciscit *Grotius*: eoque trahit Deut. XVII. 8. 9. *Ad Sacerdotem aut Judicem.* Interim intermissum quandoque per rerum turbas, sive hostiles, sive domesticas, judiciorum ordinariorum, adeoque Synedriorum usum, pro indubitato ipse *Seldenus* habet. Et quod *Grotius* dictat ad Herodis tempora perpetua cooptatione durasse, id temperandum esse monet intermissionibus, quæ, pro rerum statusque discrimine, aliæ fuerunt aliæque. *Lib.* II. *Cap.* V. *§.* I. *&* II. Temporibus *Eli*, *Samuelis*, *Saulis*, nulla quidem Senatus in sacris mentio est; attamen Hebræi tradunt, Samuelem legis doctrinam acce-

cepisse ab Eli & Synedrio ejus: & Davidem a Samuele & Synedrio
is. Quin ubi legitur 1. Sam. VI. 19. percussos esse e Betsemitis,
npore Samuelis, ob temeratam profana inspectione arcam in populo
שבעים איש חמשים אלף א *Septuaginta viros, quinquaginta millia*
orum; numerus septuagenarius pro Synedrio Magno a Magistris
nitur. Unde etiam *Jonathan* sic παραφράζει. וקטל בסבי עמא
שבעין גברא ובקהלא חמשין אלפי גב *Et occidit ex Senioribus populi*
tuaginta viros, atque ex plebe quinquaginta millia virorum.

LXXIII. *Saulem* etiam Synedrii *Principem* fuisse, & *Jonathanem*
um *Patrem Synedrii*, in utroque Talmude legitur. Addit *Seldenus*
b. II. *Cap.* XVI. *§.* IV. *Quamdiu atque quatenus regnum, sive Judai-*
m, sive Israëliticum, ante captivitatis infortunia, suos retinuere mo-
, Princeps Synedrii, ac Rex, idem esse, ut heic, nisi fallor, solebat, ad
sis, qui Princeps primus, exemplum. Maimonides *Davidem* partem cor-
ris Synedrii M. fuisse ait. Et quum *Benajas*, filius Jojadæ, præfectus
itur fuisse super *Pleti* & *Creti*, Rabbi *Levi Ben Gerson*, ex Magistrorum
nte, de viris Synedrii Magni interpretatur. Qui dicti sint *Creti*
שכורתים דברים, *quod præscinderent verba sua*, seu breviter jussa pro-
nciarent; & *Pleti*, שמופלאים במעשיהם *quod mirabiles essent in operi-*
suis. Sub regno *Josaphati* expressa Senatus mentio est, cujus tunc
nceps videtur fuisse *Amarias* Pontifex, & *Sabadias*, *Ben Ismaël*, Pa-
. 2. Chron. XIX. 8. Sub *Jojakimo*, Josiæ filio, Principes Judæ con-
isse narrantur ad ostium portæ Jehovæ recentioris, ut de caussa Jere-
æ judicarent. Jer. XXVI. 10. 11. Judicium autem de Propheta Syne-
o M. competiisse, constans fama est. Sub *Sedekia* venerabilis admo-
n Senatus auctoritas fuisse videtur, Rege ipso declarante, nihil se ad-
sus eam valere. Jerem. XXXVIII. 4. 5. Per *Ezechielem* etiam de Sa-
dotibus, ut in eo Senatu præcipuis, dicitur Cap. XLIV. 24. *In caussis*
noscendis jus servanto, secundum jura legesque & statuta mea judicanto.
m vero *Ezechiel* aliquanto ante, describens corruptos mores popu-
peciatim meminerat Senatus Magni, *septuaginta senes* nominans, &
um principem *Jaazaniam*. Cap. VIII. 11. Iidem creduntur intelligi
nine *Præfectorum*, quibuscum *Jojachin* Rex Judæ ad Regem Babylo-
prodiit, & qui cum ipso Babylonem deportati sunt. 2. Reg. XXIV. 12.

LXXIV. In *exsilio Babylonico* hos LXX auctoritatem suam apud Ju-
os retinuisse, non est dubitandum, ait *Grotius*. Certe habuerunt
capita paternarum familiarum. Ezr. I. 5. VIII. 16. IX. I.

LXXV. *Domum reversis* judiciaria potestas concessa est a Rege
axerxe. Ezr. VII. 25. 26. *Ezram* vero ipsum Synedrii princi-

 pem

pem fuisse, passim Magistri pugnant. *Antiochus* turbavit omnia: sed postea libertate per *Asmonaeos* reddita, summa rerum penes hunc Senatum fuit. Unde & Sceptrum Regium in Curia adservabatur.

LXXVI. *Cujus auctoritas circa tempora Herodis variis gradibus imminuta fuit.*

LXXVI. Mansit is ordo usque ad *Herodem Magnum*: auctoritate tamen illius variis modis paullatim imminuta. I. Per *Gabinium* Syriae praesidem; qui post *Pompeji* victoriam, annis LV. ante natum Christum, Senatum in quinque partes discerpsit, saltem alios quatuor consessus erexit, *Gadaris*, *Amathunte*, *Hierichunte*, *Sapboris*: quamvis non pari cum Hierosolymitano potestate. Fuerunt enim illi consessus curandae magis reipublicae, quam judiciorum caussa, instituti: sub Senatu tamen Hierosolymitano. *Joseph. Antiq. Lib.* XIV. *Cap.* X. II. Per *Herodem*; qui sub *Hyrcano* Rege de rebus in Galilaea gestis caussam dicere coactus, postea Rex factus, illos judices, & Regem quoque, sustulit, excepto uno *Samea*. Hunc enim in honore habuit, propter justitiam: & quia post, obsessa urbe ab Herode & Sosio, admittendi Herodem auctor fuit, negans propter peccata eos posse dominatum illius effugere. *Joseph. ibid. Cap.* XVII. Validis tamen ex Talmude argumentis intercedit *Lightfootus*, non omnes interemtos esse. *Ad Matth.* II. 4. III. Per varias illas transmigrationes ex Conclavi Templi; de quibus supra §. LXVI. IV. Per ademtam a *Romanis* capitalium judiciorum facultatem. Quum enim Judaea in provinciam esset redacta, constitutum esse videtur, quemadmodum in reliquis provinciis Romani Imperii, ne Senatus quenquam morte afficeret, nisi Romani Praesidis consensu, servata ei reliqua judiciaria potestate. Atque huc a plerisque refertur. Joh. XVIII. 31. Uti & Talmudicorum confessio de ablatis Senatui judiciis capitalibus, XL annis ante destructum templum. Quod tamen ita interpretantur *Seldenus* & *Lightfootus*, ut factum sit propter homicidiorum frequentiam, in quae quum rite animadvertere non posset Senatus, maluit conclave suum, extra quod de talibus judicari non poterat, deserere, ut omnino non judicaret. Et sic non exstincta esset Synedrii auctoritas a Romanis, sed sopita a suis.

LXXVII. *Duravit tamen] etiam post excisam a Tito Hierosolymam.*

LXXVII. Excisis a *Tito* Hierosolymis Senatum hunc plane interiisse, putat *Grotius*. Aliter tamen Hebraei; qui, destructo Templo, R. *Johannem* filium *Zachai*, & *Rabban Gamalielem secundum*, *Jafnae* Synedrio praesedisse tradunt. *Rabban Simeon*, filius Gamalielis, *Uscham* reversus dicitur. *Rabbi Jehuda Sanctus*, quum interea in finitimam urbem *Sephacham* migrasset Synedrium, transtulit illud ad *Beth-Schearim*. Quum in morbum incidisset, *Sephorem* urbem, a vico *Nazareth* tribus leucis dissitam, transportatus est. Denique, ut perhibent, cum *Anto-*

Antonino Pio Cæsare familiariter egit *Tiberiade*. Vid. *Coccej. Gemar. Sanhed. Cap.* I. §. XIII. *Nota* IX.

LXXVIII. Quo pleniorem lector historiæ hujus notitiam habeat, lubet attexere catalogum eorum qui post reditum ex captivitate Babylonica, usque ad Synedrii interitum, ei præsedisse narrantur. Quos hoc ordine enumerant Hebræi. I. Ezras: qui Hierosolymam ascendit VII anno Darii. Ezr. VII. 8. viginti quatuor annis post populi ex Babylone reditum. Vixit, juxta supputationem quorundam Chronologorum Hebræorum, usque ad eum annum quo *Alexander* M. venit Hierosolymam: tum obiit X die mensis *Tebeth*: atque adeo prætergressus est *Babylonicam* & *Persicam Monarchias*. II. Simeon Justus, de quo mira narrant ejus populares: quod ejus tempore lana coccinea alba evaserit in capite hirci emissitii: quod sors de hirco emissitio semper ad ejus dexteram adscenderit: quod occidentalis lucerna nunquam exstincta fuerit: quod ignis altaris semper jucunde flammaverit; ejus autem vis, ipso mortuo, plurimum fuerit imminuta. Hunc quidam cum *Jaddo*, aut *Jaddua*, eundem faciunt: at *Josephus* manifeste distinguit, collocans *Simeonem* post *Jaddum*, interjecto *Onia*. III. Antigonus Sochæus. Cujus hæc fuit doctrina: *Ne sitis tanquam servi, qui serviunt Domino propter præmium: sed sitis tanquam servi, qui serviunt sine intuitu mercedis, & sit timor cœli super vobis.* Quam *Sadoc* & *Baithos*, maligni discipuli, in impium sensum torquentes, vitam æternam & resurrectionem mortuorum negaverunt; *Sadducææ* hæreseos patriarchæ. IV. Josi vel Joseph Ben Joezer, ex *Zeredah*, (quæ fuit patria Jerobeami I. Reg. XI. 26.) & qui *Vice-Præsidem* habuit *Josi Ben Jochanan* Hierosolymitanum. Hic Talmudica monumenta incipiunt eos nominare binos, *Præsidem* nempe & *Vice-Præsidem*: non quod antea nulli fuerint Vice-Præsides, sed quod eorum nomina interciderunt; quemadmodum etiam fuerunt post Hillelem, licet nunquam a Judæis nominentur. V. Josua filius Perekia, *Præses: Nittai Harbelita, Vice-Præses*. Vixit Josua tempore Regis *Jannai*, hominis truculenti, qui quum plurimos sapientum, factioni suæ minus faventium, ultima crudelitate persequeretur, coactus fuit Josua Alexandriam fugere: unde, ad intercessionem *Simeonis Ben Setah*, revocatus tandem est. VI. Judas *Filius* Tabbai, *Præses: Simeon Ben Setah, Vice-Præses* Hic est ille Simeon, qui creditur condidisse *Conclave casi lapidis*. VII. Semajas, *Præses*, & *Abtalion, Vice-Præses*. Hi cognati erant, & ex posteritate *Sennacheribi*, sed matres eorum erant Israëlitides. VIII. Hillel, *Præses*, & *Schammai, Vice-Præses*; celeberrimi suo tempore

LXXVIII. *Catalogus Præsidum a captivitate Babylonica usque ad finem.*

legis Doctores. IX. RABBAN SIMEON *filius* HILLELIS. Quem quidam eundem fuisse opinantur, qui Christum agnovit, ulnis excepit, & praedicavit. Luc II. X. RABBAN GAMALIEL, SIMEONIS *filius*. Sub cujus disciplina educatus fuit Paulus. Hic Synedrio praefuit quum Christus damnaretur. Sed an eo tempore praesens fuerit, in incerto est. XI. RABBAN SIMEON, GAMALIELIS *filius*. Periit in excidio Templi: & interfectus etiam fuisset filius ejus, nisi *Rabban Jochanan Ben Zaccai* qui in flagranti Caesaris gratia erat, vitam ei suis precibus impetrasset. Destructo Templo, Synedrium, quamvis languens, substitit tamen; habuitque Praesides ad ultimam sui excidionem. Sequitur itaque XII. RABBAN JOCHANAN BEN ZACCAI: cujus Synedrium sedebat *Jafne*. XIII. RABBAN GAMALIEL *Jafnensis*, Filius R. *Simeonis*, quem R. *Jochanan Ben Zaccai* morti eripuit. At quum, Patre moriente, minorennis esset, non potuit mox ei succedere: ideoque locum illius occupavit *Jochanan*. Quo fatis functo, paternae dignitatis haeres factus est *Gamaliel*. XIV. RABBAN SIMEON, *filius Gamalielis*. XV. RABBI JUDA, *filius Simeonis*, cognomento SANCTUS. Hic collegit Misnam Talmudicam. XVI. RABBAN GAMALIEL, *filius R. Judae*. Hic desiit titulus *Rabban*: & exstinctum est Synedrium. *Lightf. Descript. Templi Cap.* XXII.

LXXIX. *Hae Talmudicorum de Synedriis suis historiae, non sunt exploratae veritatis.*

LXXIX. Hactenus ea exposuimus quae Talmudicae doctrinae sectatores de Synedriis suis tradiderunt. Nunc videamus quid de iis ex vero statuendum sit. Neque enim existimandum est, tantam Hebraeorum Magistris attribuendam esse auctoritatem, ut mox pro certo admittamus quae ipsis de gentis suae antiquitatibus commentari libuit. Infinitis exemplis comprobatum est, sive ex imperitia priscae historiae, sive ex fingendi atque ineptiendi stulta lubidine, plurima in ipsorum scriptis occurrere, quae doctioribus bilem moveant, aut risum. Neque desunt viri eruditissimi, & emunctae naris Critici, qui nullum unquam tale Synedrium Magnum, quale ab Hebraeis describitur, in eorum republica exstitisse credunt, nisi fortassis a temporibus *Hasmonaeorum*; nedum ut perpetua novorum Senatorum cooptatione a Mose usque ad Herodem, aut finem Reipublicae Israëliticae, continuatum sit. Tot autem, tantisque argumentis eam suam opinionem firmant, ut mihi quidem difficiles admodum esse videantur, a quibus non impetrant assensum. Ut igitur meorum operum lectores ipsi etiam arbitrari queant, quid de toto negotio statuendum sit; lubenter eam subibo molestiam, ut prius examinem rationes quae pro continuatione Synedrii proferri solent; deinde eas exponam, quae contra faciunt.

LXXX.

LXXX. *Quibus credere non oportet, nisi quatenus firmantur ex sacris.*

LXXX. Non puto quenquam in Talmudicis scriptis versatum tam procul ab æquitate repulsum fore, ut eo solum nomine aliquid credi jubeat, quia ita a Rabbinis proditum est. Præsertim si res sint antiquissimæ, longa seculorum serie ætatem, illorum magistrorum antecedentes. Ex priscis monumentis aliquid proferri par est, quo commentationibus ipsorum, si non certitudinis evidentia, certe veri species, & probabilitas aliqua concilietur. Prisca autem monumenta, si ad primordia Reipublicæ Israëliticæ adscendamus, nulla supersunt præter Sacras Literas, Anquirendum itaque ante omnia est, num illæ quidquam de Magno tali Synedrio, illiusque continuatione, doceant. Id quidem Hebræi opinantur, multique ex Christianis, etiam Maximi virorum, illis crediderunt; at debilibus admodum inducti rationibus. Quod ex earum examine liquebit.

LXXXI. *Examinantur argumenta affirmantium.*

LXXXI. Ajunt, in memoriam eorum capitum quæ Jacob in Ægyptum adduxit, LXX vel LXXII. præfectos fuisse populo, qui res ipsorum curarent, quantum regia imperia permittebant. At unde id habent, nisi ex divinatione? Moses enim ea de re οὐδὲ γρύ Is quidem Seniores Israëlis memorat, quos in Ægypto compellare jussus est: sed eos cum imperio populo præfuisse, aut LXX fuisse, idque in memoriam eorum qui cum Jacobo in Ægyptum venerunt; id enimvero non memorat. Natura ipsa gentes omnes docet, reverentiam singularem iis deberi qui ætate majores sunt: ideoque si quid incidat controversiæ, ad eos recurrendum esse, qui, rerum multarum experientia prædití, iisque affectibus, quos æstuans juventæ sanguis excitare solet, non ita obnoxii, consiliis dandis aptiores esse non immerito creduntur. Tales illos fuisse probabile est, qui Seniores Israëlis dicuntur, magis suadendi auctoritate, quam potestate jubendi. Cujus rei hoc est argumentum, quod populo in libertatem adserto, & in desertum deducto, nulla potestate præfuerint. Moses enim solus initio decidebat omnia. Qui Exod. v. 14. שוטרים *Moderatores filiorum Israëlis* vocantur, ii non fuere judices rempublicam administrantes, a populo Israëlitico lecti: sed ministri tyrannidis Pharaonis, ab exactoribus ipsius constituti, ut quotidianum laboris pensum urgerent atque accurarent. Fateor Exod. XXIV. I. 9. *Septuaginta Seniores Israëlis* laudari: at observandum est, eos dici LXX *e Senioribus*; ergo multo plures erant, quibus id nominis competebat, & ex quibus hi lecti; non ad Magistratum, sed ut Mosi in hac solemni fœderis pactione præsto essent. Magistratus enim auctoritatem ipsa Mosis verba, supra quoque laudata, iis adimunt: com. 14. *Senioribus autem illis edixit: sedentes nos exspectate hic, usque*

usque dum revertamur ad vos. Ecce autem Aaron & Hur vobiscum, qui habebit aliquid dicendum accedat ad eos. Hactenus ergo nihil, quod speciem, vel rudimenta aliqua Synedrii M. habeat.

LXXXII. Ad nullum etiam Synedrium referri possunt quos ex *Jethronis* consilio judices constituit Moses. Hi enim neque *triumviri* fuere, neque *vigintitriumviri*, neque LXX: sed *viri strenui ex toto Israële, primores in populo, praefecti millenis, & centenis, & quinquagenis, & decuriones.* Exod. XVIII. 21. 25.

LXXXIII. Propius accedunt ea quae narrantur Num. XI. 16. ubi palam est Deo jubente institui consessum LXX virorum, qui una cum Mose onus populi portaturi essent Caeterum id inquirendum restat, an huic consessui conveniant omnia quae de suo Synedrio praedicant Talmudistae: an ea fine institutus, ut perpetuus esset: an reapse per tot secula continuatus, nova identidem Senatorum successione: an ea fuerit auctoritate praeditus in Pontifices, in Reges: an istae ei quas narrant caussae reservatae: & quae id genus plura sunt. De quibus sane historia Mosaica nihil habet: nec Rabbinis, de suo quod volunt addentibus, in rebus sibi aeque ac nobis ignotis, credere par est. Imo occurrunt nonnulla in Mosaica narratione, quae suspicionem injiciant non ita sese rem habere, uti Magistri tradunt. Occasio instituti hujus Senatus fuit populi adversus Mosen murmuratio: hinc Mosis ad Deum querelae, se non concepisse, neque peperisse eum populum, neque ei ferundo sufficere: denique nec parem esse invidiae quam imperium hoc sibi conciliet. Deus, Mosi gratificaturus, adjungit illi LXX e Senioribus Israëlis, eodem quo Moses Spiritu imbuendos, qui onus populi secum portarent. Nonne hoc commodissime ita intelligitur; ut Mosen liberarent magna invidiae parte, suaque illa pluralitate, uti propiores actionum Mosis testes, illiusmodi murmurationes populi impedirent, aut compescerent? Nam ordinariis judiciis sic satis prospectum fuisse videtur anterioribus constitutionibus. Ipsaque haec historia testatur, non defuisse populo Seniores & Moderatores; ex quorum numero hi desumti sunt. Cessante autem caussa instituti hujus consessus, per mortem Mosis, & introductionem populi in Canaan, quid obstat quo minus & ipsum consessum cessasse suspicomur? Sane de continuatione illius nihil legimus in sacris voluminibus.

LXXXIV. Nam quod Deut. XVII. 9. dicit Deus באת אל הכהנים הלוים ואל השפט אשר יהיה בימים ההם *Tunc adibis Sacerdotes Leviticos, & Judicem qui erit in diebus illis, ut consulas eos &c.* id nullam Synedrii M. & perpetui ideam animo ingenerare idoneum est. Ibi

Sacer-

Sacerdotes laudantur, ut legis consultores, & Judex aliquis, sive ordinarius, sive extra ordinem a Deo excitatus, ad quos recurrendum sit. De numero autem perpetui & uniformis Senatus, & caussarum quæ ad eum pertinent determinatione, prorsus nihil. Imo quæ hic memorantur controversiæ, *inter eadem & eadem*, *inter litem & litem*, *inter plagam & plagam*, non fuerunt caussæ Synedrio reservatæ, sed quæ ab aliis quibuscunque judicibus decidi potuerunt.

LXXXV. *Josua* quidem ætate gravis congregasse narratur omneis tribus Israëlis in agrum Sichemitarum, postquam convocasset *Seniores Israëlis*, *& Primores ejus*, *& Judices ejus*, *& Moderatores ejus*, *ut sisterent se coram Deo*. Cap. XXIV. 1. At nec hic quidquam est, quod de Synedrio cogitare subigat. Eo potius verba aurigantur, ut Seniores hi, & Primores, & Judices, ex suis singuli tribubus, & civitatibus, ad extraordinarium hoc negotium a Josua acciti sint Sichemum, dein dimissi quisque in possessionem suam: com. 28. quam ut unum constituerint corpus Senatus, quod præsto fuerit Josuæ.

LXXXVI. Quæ de Synedriis, quibus Eli, Samuel, Saul cum Jonathane, David, aliique Reges præfuerint, Hebræi fabulantur, ea suis se produnt ineptiis, quæque ad ea firmanda ex sacris proferuntur, mera sunt ludibria, & indigna quibus seria refutatione decus aliquod concilietur. Qua veri specie, Saulem sacri consessus Præsidem, & Jonathanem Patrem faciunt? Eadem, qua *Chreti* & *Pleti*, prætorianos milites; in Synedros transformant. Quomodo Princeps Synedrii & Rex, longo temporis tractu, idem nunc fuisse statuitur: quum alias Regi locum in Synedrio negent, ne suffragii sui auctoritate alios Senatores in partes traheret? *David* canere potuit, *Judam Legislatorem suum* esse, Ps. LX. 10. etiamsi de Synedrio nec cogitaret. Nam ex ea tribu prudentes & sapientes viros, partim cognationis, partim necessitudinis vinculo sibi junctos, invenire & seligere potuit, per quos jura Majestatis & Regni tueretur, quamvis Synedrio adscripti non forent. *Josaphatus* 2. Chron. XIX. in civitatibus Judæ, ac nominatim Hierosolymis, judices quidem instituit; at nihil hic de XXIII, & LXX. Ipsaque illa institutio ostendit, non fuisse tunc in regno Synedrium. Adde quod Hebræi Synedrio ipsi eam potestatem attribuant, ut pro suo sibi arbitrio successores legat: hic autem quidquid illud est auctoritatis Rex sibi vindicat. Jerem. XXVI. 10. & XXXV. 4. atque alibi memorantur שרים *Principes:* at quidni eo nomine intelligamus Primores populi, & purpuratos, sive aulicos? Quis ex voce tam generali certa collectione tale inferat Synedrium?

Qui Ezechieli monstrantur LXX viri Cap. VIII. II. hi certe non fuerunt præditi Spiritu Dei, neque idonei ad ea officia quæ Synedris adscribunt Rabbini. Adeone prolapsas res esse, ut quibus idololatriam exstirpandi ante omnia commendatum est officium, eorum non pauci solum, non pars major, sed omnes, conspiratione facta, ad fœdissimam & sceleratissimam idololatriam populo duces sint? O præclaros paternarum traditionum custodes, Mosaicarum legum vindices, ac Divinæ Kabbalæ depositarios! *Capita familiarum* apud Ezram, non notant Synedros, sed præcipuos in quaque familia: ut res ipsa loquitur. Sic itaque ex examine omnium eorum testimoniorum, quæ ad probandum tale Synedrium quale nobis Talmudici delineant, proferri solent, palam esse existimo, neque singula seorsim, neque universa junctim, ad solidam illius rei demonstrationem sufficere.

LXXXVII. *Multa sunt quæ suadeant, nullum tale Synedrium fuisse ante Captivitatem Babylonicam.*

LXXXVII. Ex adverso rationes multæ sunt, quæ probabile admodum faciant, nullum fuisse in Veteri Israëlitarum Republica tale Synedrium. Non tempore JOSUÆ; qui sua Rempublicam auctoritate gubernabat, non consulto, sive in belli, sive pacis negotiis, ullo Synedrio. Non tempore JUDICUM, qui Dei jussu atque imperio res administrarunt, nulla unquam Synedrii mentione. Si deesset Judex a Deo excitatus, nulla erat regiminis auctoritas. Quisque sibi licere existimabat, quod liberet. Jud. XXI. 25. Ubi tunc tantæ potestatis Synedrium? Non tempore SAMUELIS. Is enim solus, suprema potestate, judicabat Israëlem, nunc huc proficiscens, nunc illuc, prout rei exigebat necessitas. Nec Synedros aliquos, sed *filios* constituebat Judices. Quibus officio suo haut uti par est fungentibus, questum ad Samuelem veniunt *Seniores*, id est, honoratiores ex populo, Regem petentes. I. Sam. VI. I. Eam petitionem, non cum Synedrio communicat Samuel, sed cum Deo solum. Nec in toto hoc Regem eligendi negotio, quod, si quid aliud, ad Synedrium pertinebat, ulla Synedrii vota interveniunt: sed ex Dei voluntate, per solum Samuelem, cuncta peraguntur. Non sub REGIBUS. Quis enim unquam Regum a Synedrio, vel constitutus. vel destitutus, vel correptus est? Prout Reges erant, talis plerumque populus; nullum unquam momentum Synedrium attulisse legitur. Jus Regis a Samuele descriptum est. I. Sam. VIII. II. & seq. Quodnam hic Synedrio cum Rege negotii? Etiamsi nihil aliud foret, vel hinc patet, mera esse figmenta, quæ de Synedrii in Reges potestate, etiam ad flagellationem usque, delirant Magistri. Bene *Petitus*; *Judæi, istam* πολιτείαν *animo tantum conceperunt; nulli Principes eo jure regnarunt. Vide quæ in Sacris Bibliis habentur;*

De Jure Principum

quæ

quæ apud Josephum, vernaculum rerum Judaicarum Scriptorem, leguntur: dabo pignus in omnes meas fortunas, si vel verbo jus illud adseratur. Sed contrarium plane illis quæsitum est, Deo auctore, in Saulis inauguratione, apud Samuelem. Pergo: Nullum etiam Synedrium fuit, tempore ZOROBABELIS, EZRÆ & NEHEMIÆ, qui a Regibus Persiæ cum auctoritate missi, multa quidem constituerunt in populo, nusquam tamen consuluisse leguntur Synedrium. Imprimis memorabile in hanc rem est quod narratur Nehem. IX. & X. Ad reformationem reducis Ecclesiæ, solemni ratione pangitur fœdus, quo se reduces ad omnia pietatis & virtutis officia obstringunt. Fœdus illud sua subscriptione obsignant, ex *Principibus*, *Levitis*, *Sacerdotibus*, *plus* LXXX, qui suis laudantur nominibus. Iis se adjungunt, quotquot notitia præditi erant & intelligentia. Ubi hic Synedri nostri; quos omnium primos esse oportuit? Edictis, Ecclesiæ quæsito Cap. II. p. 16.

LXXXVIII. Ex his omnibus probabile mihi est, Synedrium Hebræorum, quale in Talmude describitur, tunc demum viguisse, quando Hebræi sub Macedonum Principum, Alexandri M. successorum, potestate erant. Atque hinc ipsum esse *Synedrii* nomen. Macedones enim *Senatores*, *quorum consilio Respublica administrabatur*, *Synedros vocant:* auctore *Livio. Lib.* XLV. *Cap.* XXXII. Consule sodes auctorem Gallicarum Epistolarum quibus exponitur judicium Theologorum quorundam Batavorum super *Richardi Simonii Critica Sacra Veteris Testamenti*, *Epistola* X. earumque *Apologistam*, *Epist.* VI. Confer *Conringium*, *Exercitatione de Republica Ebræorum.* §. XXI. Maxime vero, qui postquam hæc scripta erant demum mihi visus est, *Johannem Vorstium de Synedriis Ebræorum*: cujus Exercitatio hoc titulo exstat *Fasciculo* IV. *Opusculorum quæ ad Historiam & Philologiam pertinent.* LXXXVIII. *Sed tum demum viguisse, quando Hebræi sub Macedonum Principum auctoritate fuerunt.*

DISSERTATIO IV.

Qua anquiritur, ecquid

DANIELIS VII. 6.

SUB

PARDI Emblemate de origine & progressibus MUSLIMICI Imperii præsignificatum sit.

I. II. Dissertationis hujus occasio, & argumentum. III. Pardo Turcicum Imperium repræsentari, Celeberrimus Interpres existimat. IV. Extrahens nexum hujus visionis. V. VI. Illiusque habitudinem ad somnium Nebucadnetzaris. VII. Et designationem temporis, quatuor Belluis attributi. VIII. Denique emblema maris magni procellis agitati. IX. Cateræ, ut censet, Belluæ antiquis Monarchiis designandis non sunt idoneæ. X. Non Leo, Monarchiæ Babylonicæ. XI. Non Ursus, Persicæ. XII. Nec quartum animal, Romanæ. XIII. Sed Leo notare videtur Imperium Christianorum primum. XIV. Ursus, regum Gothorum, Vandalorum, Longobardorum. XV. Quartum animal, Imperium Caroli M. & successorum, in Germania & Gallia. XVI. Pardus, Imperium Musulmannicum. XVII. Cujus indoles eleganter repræsentatur per Pardi maculas. XVIII. Sævitiem. XIX. Levitatem. XX. Quid quatuor illius Alæ notent. XXI. Et quatuor Capita. XXII. Historia Calipharum Bagdadi & Damasci. XXIII. Et in Ægypto. XXIV. Quorum finis originem dedit Regno Mamlucorum. XXV. Caliphatus Iconiensis. XXVI. Dynastia Othmanica. XXVII. Sub qua Pardus accepit dominatum. XXVIII. Qui Soltan dicitur. XXIX. Expositioni huic, quantumvis eruditæ, prisca & recepta præferenda esse videtur. XXX. XXXI. XXXII. Una eademque res variis emblematibus eidem sæpe Prophetæ repræsentatur. XXXIII. Quid ni igitur credere licet, idem, nec tamen prorsus idem, Danieli repræsentari, quod Nebucadnetzari? XXXIV. Non enim obstat, quod nulla hic lapidis e monte excisi mentio. XXXV. Aut quod tempestivum non esse videatur Babylonici imperii ortum ac progressum depingi, sub regno Balthazaris. XXXVI. Solet enim prophetia præterita repræsentare propter nexum cum futuris. XXXVII. Ipso observante Coccejo. XXXVIII. Quæ plurimi

plurimis sui partibus futura sunt, ea absolute futura dicuntur. XXXIX. *Et hoc quoque a Coccejo notatum.* XL. *Exemplum consimile Dan.* 11. 29. XLI. *Ex Maris emblemate non recte colligitur ante ortum horum Imperiorum populum Judaicum dispersum esse inter gentes.* XLII. *Mare hic significat collectionem populorum.* XLIII. *Venti, grandes exercitus.* XLIV. *Cur eadem Imperia Nebucadnetzari sub forma Statuæ Humanæ, Danieli sub forma Belluarum repræsentata sint.* XLV. *Leoni Scriptura Assyriorum & Babyloniorum regnum confert.* XLVI. *Eidem ob pernicitatem attribuuntur Alæ Aquilinæ.* XLVII. *Earum evulsio significat imminutionem ornamenti & pernicitatis.* XLVIII. *Pedes & cor hominis, tarditatem & imbelliam.* XLIX. *Quam in victis Babyloniis notat Xenophon.* L. *Ursus emblema est imperii Medo-Persici.* LI. LII. LIII. LIV. *Cui omnia quæ de Urso prædicantur optime conveniunt.* LV. *Quarta Bellua Romanum respondet Imperium.* LVI. *Simile ei, Robore.* LVII. *Sævitia.* LVIII. *Rapacitate.* LIX. *Et quæ in usum suum convertere non poterat, pedibus conculcans.* LX. *Quæ hujus fuerit Bellua a cæteris abludens figura.* LXI. *Romanum Imperium qua in re a cæteris diversum.* LXII. *Pardi & Alexandri analogia.* LXIII. *Alæ quatuor celeritatis maximæ symbolum sunt.* LXIV. *Quatuor capita, totidem regna.* LXV. *Potestatem sibi a Deo datam Alexander agnovit.* LXVI. *Soltan quodvis Imperium notat.* LXVII. LXVIII. *Novæ expositionis incommoda.* LXIX. *Bestiæ Apocalypticæ definitiones.* LXX. *Partem illius facere non possunt neque Arriana Hæresis, neque Muhammedismus.* LXXI. *Bestiæ Apocalypticæ sola Quarta Danielis aliqua sui parte respondet.* LXXII. *Nova expositio alas Pardi a capitibus non satis bene distinguit.* LXXIII. *Quatuor solum Caliphatus numerat, quum plures sint.* LXXIV. *Conclusio.*


IN iis Dei operibus quæ totum nuper Orbem suspensum tenuerunt, atque etiamnum tenent, partem haut exiguam TURCICÆ gentis arma faciunt, quibus *Romanum*, ut vocatur, in Germania, *Imperium* ita nuper quassum fuit, ut de summa rei periclitari videretur: quæ tamen, Deo annuente, tam strenue postea repulsa fuerunt, ut magnam consternationem Barbarorum animos occupasse ferant; quanquam redintegratis mox viribus fortiter se Christianis opposuerint. Excitatus ea re multorum stupor est, ut scrutarentur, ecquid oracula de SARACENIS & TURCIS, eorumque ad Ecclesiam Christianam habitudine præcinuerint; & quid ex iis sperandum metuendumve habeamus. Est profecto semper laudabile, atque

I. Dissertationis hujus occasio, & argumentum.

hoc quidem tempore singulariter opportunum, priscorum vaticiniorum scrutinium; modo modeste sobrieque institutum ad legitimum suum finem referatur; absitque profana sciscitandi curiositas, & procax temeritas definiendi, in iis potissimum, quae quum adhuc futura, & in arcanis fatorum reposita sint, eventu magistro optime edocebuntur. Quum itaque alios satagentes viderem, mihi quoque prolubium factum est ea examinandi quae ad *Turcas* a Celebribus scripturarum Interpretibus referri deprehendebam. Neque ingratum meis fore existimabam Auditoribus, si ea certo quodam ordine disposita iiscum communicarem.

II. Id autem ita instituere visum est, ut *primo* Doctissimorum hominum expositiones summa fide atque integritate referrem; *tum* rationes eas subjungerem, quibus expositiones illae ab Auctoribus suis firmatae sunt, vel firmari mihi posse videbantur: *porro* quae ad eorum vaticiniorum implementum pertinere creduntur, ea ex historiarum monumentis fusiori plerumque commentatio edissererem, ad quae interpretes, pro instituti sui ratione, digitum solummodo intenderunt; *denique* mea libertate utens, quid in singulis interpretationibus probem aut desiderem, candide ac modeste, pro meo more, sine cujusquam fraude, dijudicarem atque aperirem. Quae publicis praelectionibus ante annos aliquot non perfunctorie exsecutus sum. Quum autem opus illud multa diligentia ad sui expolitionem indigeat, quem meae nunc mihi occupationes non concedunt; placet unum modo commentationis nostrae *Specimen* hac *Exercitatione* exhibere; qua anquiremus, ECQUID DE IMPERII MUSLIMICI ORIGINE ATQUE PROGRESSIBUS DANIELIS VII CAPITE PRAESIGNIFICATUM SIT.

III. *Pardo Turcicum Imperium repraesentari, Celeberrimus Interpres existimat.*

III. Eam enim se in PARDI emblemate prophetiam invenisse quae huc referri debeat, celeberrimus aevi nostri interpres autumat. Verba Danielis ita habent commate 6. POSTEA VIDI, ET ECCE ALIUD ET PARDUS, ET ID HABEBAT ALAS QUATUOR VOLUCRIS IN DORSO SUO: ET QUATUOR CAPITA HABEBAT ID ANIMAL, ET DOMINATIO DATA EST IPSI. Quae ad TURCICUM Imperium pertinere, non una rationum classe colligitur. I. Quia eò nos ducit visionis hujus series, & cum antecedentibus nexus. II. Quia nulli alteri imperio applicari haec descriptio potest. III. Quia omnia examussim Turcico Imperio conveniunt. Singula curatius explanemus.

IV. *Eo trahens nexum hujus visionis.*

IV. Series & nexus hujus visionis ex mente Celeberrimi Interpretis ita sese habent: scopus Spiritus Sancti est hoc capite docere, quatuor regna praecessura esse Regnum, quod Christus cum Ecclesia

sua

ſua habebit in omnibus terris. Illud nimirum regnum gloriofum, quod conſiſtet in multorum magnorumque populorum ad Eccleſiam Chriſtianam confluxu; in ſubjugatione aut deletione hoſtium veritatem Evangelii perſequentium; in amplificatione cœleſtis ſapientiæ, ſanctitatis, lætitiæ, omniumque donorum Spiritus; in ubertate omnium benedictionum, etiam ad hanc vitam pertinentium, qualis Dei filiis benigne a Patre ſuo habitis digna atque decora eſt; denique in ea Divinæ gloriæ ac majeſtatis ſuper fidelibus manifeſtatione, quæ mundo quantumvis ringenti hanc confeſſionem extorqueat, regnare in Eccleſia Chriſtum, & in Chriſto Eccleſiam. Hoc eſt illud regnum quod deſcribitur verſ. 27. *Et regnum, & dominatus, & majeſtas regnorum ſub omni cœlo data eſt populo Sanctorum.* Quatuor autem illa regna, hoc Chriſti regnum proxime anteceſſura, pertinent ad tempora *Quarti* illius *Imperii*, quod *Nebucadnetzari* per *tibias* & *pedes* repræſentatum fuit. Idcirco bene obſervandum, quomodo hæc *Danielis* viſio conveniat aut differat ab ea revelatione quæ *Nebucadnetzari* in ſomnis contigit.

V. In ſtatua *Nebucadnetzaris* exhibetur σύνοψις omnium temporum in quatuor notabilibus Imperiis. Quæ hoc ordine ſequuntur: Imperium *Babylonicum*, *Perſicum*, *Græcum*, *Romanum*. Notabatur etiam ſub *quarto* Imperio oriturum eſſe Chriſtum, & eum, poſtquam exciſus ſit ex populo ſuo, habiturum eſſe regnum magnum, ac tandem confracturum eſſe regna omnia adverſaria. Quia autem ſtante illa imagine, ſive parte ultima Imperii per eam denotati, magnæ mutationes in mundo futuræ erant, ne deeſſet fidelibus inſtructio de illis mutationibus, & ut ſuo tempore *Judæi* etiam potentius de regno Chriſti convinci poſſent, exhibita in hoc VII capite *alia quatuor regna* ſunt, quæ exſtitura erant in mundo antequam populus Chriſti regnum adipiſceretur. Et ſic multa exponuntur ad *quartum Imperium* pertinentia, quorum aut nulla, aut perobſcura, repræſentatio in illa imagine erat.

V. Illiuſque habitudinem ad ſomnium Nebucadnetzaris.

VI. Quod ſi putamus idem plane eſſe ſubjectum hujus ænigmatis, quare nulla hic eſt mentio *lapidis de monte exciſi*, quemadmodum Cap. II. ſed tantum memoratur judicium Chriſti exercitum ſub quarta beſtia? Hoc ſane magnum argumentum eſt, omnia hæc regna ſequi apparitionem Chriſti; nec poſſe *Perſicum* aut *Græcorum* Imperium per ullum horum animalium intelligi. Multo minus intelligi poſſe videtur *Babylonicum*: exhibitum enim hoc ſomnium eſt *Danieli*, *primo anno Belthazaris*, qui ultimus fuit Rex *Monarchiæ Babylonicæ*.

Non

Non erat autem tempestivum ut tunc demum in visione depingeretur *Babylonicum Imperium*.

VII. *Et designationem temporis, quatuor Belluis attributi.*

VII. Præterea peremtorium propemodum dixeris id quod vers. 17. exstat: *Hæc animalia magna, quæ sunt quatuor, sunt quatuor Reges, qui SURGENT ex terra.* Quum autem surrecturi isti reges dicantur, palam est eorum nullum tempore *Balthazaris* exstitisse. Si cui adversus hanc observationem excipere lubeat, etiam *Nebucadnetzari* de rebus futuris cogitanti exhibitam *Babylonici* imperii desigurationem esse in *Capite aureo*: is sciat, longe alia hic, alia ibi dici. Non dicitur ibi de qnatuor imperiis, ea exstitura esse in terra, & quidem præcedente tempestate ventorum flantium in mare, uti hic. Sed de primo Imperio ibi dicitur: Cap. II. 38. *Tu es caput illud aureum;* de secundo autem vers. 39. *Et post te surget regnum aliud.* Unde concluditur, ea nunc à *Daniele* describi regna, quorum nullum regnante *Balthazare* exstabat.

VIII. *Denique emblema maris magni procellis agitati.*

VIII. Adde quod Danieli hic offeratur mundus ut *Mare*, & quidem *a ventis agitatum*. *Mare* in emblemate significat *mundum sine pacifico cultu per Evangelium*, ubi nulla sementis verbi gratiæ, nulla messis fructuum Spiritus est. *Terra*, mari opposita, eam mundi partem notat, *ubi Evangelium pacifice prædicatur*. Significatur ergo, per tempus nullam fore *terram* sive *locum habitationis* pro Ecclesia, ubi sementis fieret, ubi fructus colligerentur. Oportet igitur, Judaicum populum maledictum, qui est *magnus ille mons igne ardens*, Apoc. VIII. 8. (a quo lapis decisus est, qui in magnum montem crescit Dan. II. 34. 35. 45.) *in mare conjectum esse*, antequam hæc Regna exoriantur. Porro *Ventorum impetus* in mari isthoc magno, notat omnes *commotiones* in mundo per quas *Babylonicum*, *Medicum* & *Persicum*, *Græcorum* item Imperia eversa sunt: ut & eam, per quam *Mons magnus conjectus est in Mare*, sive *Bellum Judaicum*: den que omnia bella quæ *Romani* gesserunt, antequam nomen Christi susciperent. Sed & illos præterea motus per quos quatuor illa regna exstiterunt. Ita mens ænigmatis hæc erit: magnis motibus concutietur mundus infrugiferus; & multa regna evertentur. Tum deinde exorietur regnum, quod quasi è mari egredietur, & in terra consistet, quum mundus habebit speciem תבל sive *terræ frugiferæ*, & sementem verbi accipiet. Erunt deinde adhuc tria alia Regna. Et tum demum suum dabitur *Ecclesiæ* Regnum. Prolixius hæc inculcanda fuerunt, ut ex *temporis notatione* conficeretur, de iis hic Imperiis agi, quæ revelationem Christi, & excidium populi Judaici consequuntur, propiusque antecedunt Regnum Christi gloriosum in terra. In quibus Imperiis vix potest esse dubium quin suus quoque *Turcico* locus sit.

IX.

IX. *Cætera, ut censet, Belluæ antiquis Monarchiis designandis non sunt idonea.*

IX. Neque vero sola *temporis notatio* est quæ huc ducat: sed ipsa Spiritus Sancti *emblemata* talia sunt, ut antiquis illis Monarchiis sese applicari vix, aut ne vix quidem, patiantur. Quumque omnia hæc regna ita ad se invicem comparata sint, ut alterum sine altero intelligi non possit; ipsa nos cogit necessitas de singulis aliquid monere, ut, quem in illis locum *Turcicum* Imperium habere debeat, liquidius constet. Et primo quidem probandum, cætera quæ hic memorantur Imperia ita supponi non posse, ut in ea incidant tempora, quæ a *Turcarum* rebus longe sunt remota. Remota autem ab iis essent, si quod multi volunt, per Leonem, *Babylonicum*, per Ursum, *Persicum*, per Pardum, *Græcum*, intelligeretur Imperium. Ideoque ista opinio ante omnia confutanda est. Confutatur autem hoc modo.

X. *Non Leo, Monarchia Babylonica.*

X. Quod de Leone dicitur, & *duabus illius alis*; & earum *deplumatione*, & ejus *erectione in pedes*, & quod *hominis cor datum sit ei*, vers. 4. non apparet quomodo in *Babylonicum* Imperium conveniat. Quæ enim, tum a Judæis, tum ab aliis, hoc fine dicuntur, ut videantur hæc de *Babylonico* dicta esse Imperio, ea violenta sunt. Neque *Babylonicum* Imperium *bifidum fuit*. Neque ulla ejus *deplumatio*, id est, lenta decoris ac virium imminutio, facta est, sed subito corruit. Neque post deplumationem in *pedes tanquam homo* constitutum fuit, id est, in eam parvitatem redactum, ut stet tanquam in vestigio humano. Spatium enim quod corpus *hominis* erecti tegit exiguum est in comparatione spatii quod *Leo* tegit cum duabus alis expansis. De Imperio autem *Babylonico* dici non potest illud fuisse imminutum, & tamen ad tempus relictum. Totum enim simul aversione translatum est a *Babyloniis* ad *Medos*, & eorum socios *Persas*. Estque hæc observatio maximi ad caussam quam agimus momenti. Quippe ex primi hujus emblematis recta cognitione cæterorum quoque intelligentia pendet.

XI. *Non Ursus, Persica.*

XI. Et profecto Ursus, turpe animal, & minime amabile aut honorabile, opulentam illam & magnificam *Persarum* Monarchiam haut commode satis exprimere videtur. Et, quod sufficere hic posset, si *Leo* non significet *Babylonios*, uti probatum est modo, *Ursus* non significat *Persas*. At neque Pardus, *Græcos*. Ea enim designantur Imperia, quorum unum alterum proxima successione consecutum est.

XII. *Nec quartum animal, Romana.*

XII. Sed nec Quartum illud animal *metuendum & terribile ac robustum admodum*, totum Imperium *Romanum* notare potest, quod sane *Turcico* fuit prius. Animadvertendum enim est, quod Apocalypsis Cap. XIII. ad hanc Prophetiam alludat. Hic est *Leo*, *Ursus*, *Pardus*, & *aliud mirabile*... Apocalypsis tribuit suæ *Bestiæ* aliquid

Leonis, *Ursi*, *Pardi*, & præterea *decem cornua*. Unde verisimile est, hæc animalia replicari in *Bestia Apocalyptica*, quæ ex hisce quatuor quasi conflata est. Quod si autem verum est, Apocalypsin suum θηρίον componere ex his quatuor, non potest quarta bestia totum Imperium *Romanum* notare. Constat enim apud omnes, *Bestiam Apocalypticam* eam significare hominum multitudinem, id regnum, quod Christi revelatione, populi Judaici eversione, posterius, & cum imminutione antiqui Imperii *Romani* conjunctum est. Certe in Apocalypsi *Bestia* a *Dracone septemcipiti*, id est *Romano Imperio Gentili*, distinguitur. *Bestia* thronum *Draconis* tandem occupat. Atque ita illas expositiones sede movimus, quæ nullum *Turcico* Imperio relinquebant locum.

XIII. *Sed Leo notare videtur Imperium Christianorum primum.*

XIII. Nunc eas porro memoremus, quibus positis fieri non potest quin omnino partem aliquam hujus ænigmatis faciat: quandoquidem antecedentia cum sequentibus jungi non possunt nisi hoc intermedio. Non autem opus erit multa congerere: quum aperta, simplex, & nusquam hians explicatio, quæ & rebus gestis & verbis ænigmatis exacte respondet, ipsa se per se ipsam satis probet. Ea, ex mente Celeberrimi Interpretis, in hunc se modum habet. LEO, cujus magna fortitudo, & vis, & generositas est, notat *Imperium Christianorum primum*, *Constantini* nimirum & successorum ejus. Neque enim putandum est, tum Christum Ecclesiæ præstitisse promissum illud regnum; quum contra evenerit, ut tum quidem gentes cœperint nutrire Ecclesiam, sed & intrare in civitatem sanctam, mentientes Christo, eamque calcare: unde ortum Ecclesiæ periculosissimum certamen est. Multitudo tunc imperans *Bestia* fuit, non *Ecclesia*: quia non habuit fidem Christi, sed tantum voluntatem loquendi quod Principes loquebantur, & id patiendi dici. Illa *Bestia* se venditabat pro *Ecclesia*, & pro *Ecclesia* habita est, & adorata. Fuit tamen illa Bestia melior & generosior sequentibus, ideoque figurata per *Leonem*. Habebat *Alas Aquilæ*. *Aquila* insigne est *Romani* exercitus. *Alæ* notant duas magnas partes, quibus illud Imperium constabat, *Orientem* & *Occidentem*. Evenit enim ut duo simul Imperatores essent, unus *Orientis*, alter *Occidentis*, apud *Romam Veterem* & *Novam*. Confer Apoc. XII. 14 *Datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ*, hoc est duo regna ex multis regnis Imperii *Romani*. Per *deplumationem alarum*, clarum est significari imminutionem Imperii in utraque parte, Oriente & Occidente. Fuit autem imminutio hæc Imperii Christiani facta per duo sequentia animalia, cum quibus ad tempus stat, sed imminutum. Atque hoc est

est quod dicitur, *& sublatum est ex terra, & in pedes tanquam homo constitutum.* Parum spatii retinuit: quemadmodum spatium *vestigii humani* exiguum est, si cum eo componatur spatio quod *Leo cum expansis alis* occupat. *Et cor hominis datum est ei.* Ille populus desiit regnare, & bella gerere, & convertit se ad disputationes, ad artes Rhetoricas, ad Philosophiam, & alia quæ homines tractant, qui non assimilantur belluis. Ita *Græci* & *Latini*, decrescente Imperio, se dediderunt hominum speculationibus & sermonibus. Atque hoc modo optime conveniunt omnia Imperio *Constantini* & successorum ejus.

XIV. Sequitur in visione animal aliud secundum, simile Urso, *quod in latus unum constitutum est.* Intelligitur regnum *Gothorum, Arriana* hæresi addictorum, ut & *Vandalorum*, & *Longobardorum*. Quod ignobilius primo fuit, & sævius. Ideoque non fulvo comparatur *Leoni*, sed fusco *Urso*, quippe quod minime amabile aut honorabile fuit. Constituti autem sunt illi *ad latus* Leonis, nempe ad *Occidentem*. Non enim totum *Leonis* regnum ab *Urso* statim tolli debuit. *Tres costæ erant in ore ejus, inter dentes ejus.* Hoc est, tres terras præcipue devoravit, *Italiam*, *Galliam*, *Hispaniam*. Et sic dicebatur ei, *surge, comede carnem multam.* Hic limes, hic terminus illius est a Deo descriptus. Quum multam carnem voraverit, desinit esse. Nam, si quæ reliquiæ sunt regni *Gothorum*, comprehenduntur in alia Bestia.

XIV. *Ursus, regnum Gothorum, Vandalorum, Longobardorum.*

XV. Non potest homini in historiis versato obscurum esse, ad quæ nunc devenerimus tempora, quibus regnum suum obtinere Pardus debuerit. Antequam tamen de eo agamus, de quo potissimus nobis instituendus est sermo, agedum, quarti animalis consideremus Imperium; inter quod & duo antecedentia, medium intervenire necesse est, saltem quoad sui initia, *Pardi* regnum. Quartum illud animal, *metuendum ac terribile*, est *Caroli Magni* Imperium, ac successorum ejus, tam in *Germania*, quam in *Gallia*. Sic tamen ut simul intelligantur cæteri Reges, quos cum eo conjungit Apocalypsis Cap. XVII. 12. qui acceperunt potestatem cum bestia, eodem tempore. *Dentes ferrei* significare possunt omnes eos qui potestatem habent cum illa bestia; quæ terribilis fuit non solum aliis regnis, sed & imprimis sanctis. *Comedebat & comminuebat.* Notum est *Germanos* & *Francos*, & iis confœderatos populos, aut quocunque modo conjunctos, passim res magnas gessisse in *Europa*, *Asia*, atque *Africa*. *Reliquum pedibus suis conculcabat.* Bestia hæc gentibus, quas redegit in potestatem magnum jugum imposuit, nempe ferendi erroris, & legis injustitiæ. Atque id *diversum erat ab omnibus animalibus.* Quia nempe sub hoc regno demum manife-

XV. *Quartum animal Imperium Caroli M. & successorum, in Germania & Gallia.*

) ex tigris macularum varietate prope sola bestiarum spe- *tur per Pardi maculas.*
medicum Regnum *miscellam religionem* introduxit,
Judaismo, *Christianismo*, imperite conflatam. No-
Deum Abrahami, & vult videri bene de Christo sen-
dissentit a veritate Christiana, quam alia regna.
Catholicum est quod professionem, & cor *Leonis* vi-
in fidei fortitudine. *Secundum* fuscum *Arrianum* est.
adhuc a Catholica Ecclesia discordat. Post *Arrianos*
i longe aliam faciem religioni induxerunt. Id com-
tholicis habent, quod Christum agnoscant esse Ver-
tute Spiritus Sancti conceptum, e Beata Virgine, si-
vixisse, multis miraculis claruisse, in cœlum denique
e. Sed quemadmodum meritum Christi, passionem
Muhammed sustulit; ita cum *Arrianis*, & omnibus
Trinitatis adversariis, veteri huic Christianismi cha-
oco etiam a *Maimonide* habetur in *More Nevochim*) bel-
indixit, Deitatemque Filii aperte negavit. Multa
tonem suum conficiendum ex veterum inter Christia-
charum mutuavit officina: quæ peti possunt ex *Biblian-*
in Alcoranum, & *Forbesii Instruct. Histor. Theol. Lib.* IV.
plurima & dogmata, & ritus, & fabulas habet; de
sis Hottingerum Hist. Eccl. Tom. I. *pag.* 4c3. Sic ut,
, ex omnibus propemodum religionibus desumtæ do-
tatem, eleganter *Muhammedismus* per *Pardum* repræ-
rit.

Præterea magna quoque *Pardi crudelitas*, & effrenata XVIII. *Sævitiem.*
devorandi aviditas est. Hinc Deus severissima exse-
ia, non *Leoni* se solum, sed & *Pardo* comparat.
7. *Et fui eis tanquam vetus Leo, tanquam Pardus in*
autem regni crudelitas, & insana atque insatiabilis ra-
, notior omnibus est, quam ut probari debeat.
initio ostendit *Muhammed*, jactans gladium sibi a
um, ut reluctantes compesceret, atque in ordi-
Neque *Ahmed Ibn Edris* dissimulat, *Muhammedum*,
in tradenda nova doctrina glaciem fregisset, armis
gare in mandatis habuisse. Unde *Doctores Muhamme-*
docentes, ad terrorem incutiendum, *strictum manu te-*
eumve in eminentiori quodam loco conspicuum col-
a sunt quæ memorat apud *Hottingerum Richardus Minor.*

ſtatur Antichriſtus, inque hoc regno longe alia conſtitutio tandem exſtitit, quam antea. Habebat *decem cornua*: decem familias regnantes. Eæ hæ ſunt: prima *Carolina*, ſecunda *Saxonica*, tertia *Salica*, quarta *Suevica*, quinta *Hollandica*, ſexta *Anglica*, ſeptima *Auſtriaca*, octava *Naſſovia*, nona *Lucelburgica*, decima *Bavarica*. *Cornu aliud parvum adſcendebat inter illa*: ergo ut regnaret eodem tempore cum iſtis. Id cornu *Antichriſtum* notat, ſive *Papam*, qui plurimum debet *Carolo Magno*, & filiis ejus, maxime *Ludovico Pio*: qui & multas Papæ terras dederunt, & multos inſtituerunt Epiſcopatus, eoſque non mediocriter ditarunt; unde factum eſt ut *Epiſcopi* deinceps ſeſe pro *Principibus* geſſerint. Et *tria de cornibus prioribus eradicata ſunt coram ea*. Intellige familiam *Saxonicam*, vel, ſi mavis, *Carolinam*, cui *Papæ* objecerunt *Italos Imperatores*, *Salicam*, & *Suevicam*: quæ, excommunicationis Papalis fulmine tactæ, interierunt. Erant autem *in cornu iſto oculi*, id eſt, ἐπισκοπὴ & ἐξουσία, *ut oculi hominum*, quibus ſignificatur aſtutia, & ſolertia, ac prudentia, ſuperior omni Regum aliorum prudentia. Et *os loquens magna*. Loquitur enim Antichriſtus, quaſi Deus & Chriſtus eſſet.

XVI. *Pardus, Imperium Muſulmannicum.*

XVI. Quum itaque *Gothicum*, *Vandalicum*, *Longobardicum* regnum in *Urſo*, *Caroli Magni* & ſucceſſorum, una cum *Antichriſtiano*, in *Quarto animali* invenerimus; nihil reſtat, ut per PARDUM, inter hæc duo medium, intelligamus, niſi *Muſulmannicum* regnum, cujus initia in *Gothica* tempora incidunt, & *Carolinum* Imperium proxime antecedunt. *Muhammed* ſe CALIPHAM, id eſt ſummum Pontificem, & Regem, a ſuis inaugurari curavit, Anno *Hegiræ* ſive fugæ ſuæ VI. Æræ Chriſtianæ, ut nonnulli ſupputant, IↃCXXVIII. *Gothici* Imperii, cui trecentos fere annos attribuunt, mutatio atque ruina incidit in annum IↃCCXIV. quando *Rodericus*, *Gothicus* in *Hiſpania* Rex, cæſus a *Mauris* eſt. Procurante *Maurorum* in *Hiſpaniam* irruptionem *Juliano Comite*, in vindictam ſtupri a *Roderico* filiæ ſuæ nequiter illati. *Carolini* Imperii initia ſupputantur ab anno IↃCCLVIII. At præter hanc concinnam temporis convenientiam, notandum accurate eſt, quod ea quæ de *Pardo* dicuntur, *Muſulmannico* Imperio optime conveniant. Quod ex ſingulorum explanatione patebit.

XVII. *Cujus indoles eleganter repræſentatur.*

XVII. *Pardus* cutem habet variis *maculis* interſtinctam, quam Jeremias חברברות nuncupat Cap. XIII. 23. Græci ποικίλματα, Hieronymus *varietates*. *Plinius Lib.* VIII. *Cap.* XVI. *Panthera* (id eſt

est Pardi fœmina) *ex tigris macularum varietate prope solæ bestiarum spe-* *tur per*
ctantur. *Muhammedicum* Regnum *miscellam religionem* introduxit, *Pardi ma-*
ex *Gentilismo*, *Judaismo*, *Christianismo*, imperite conflatam. Nominat quidem Deum Abrahami, & vult videri bene de Christo sentire, sed magis dissentit a veritate Christiana, quam alia regna. *culas.*
Primum animal *Catholicum* est quod professionem, & cor *Leonis* videtur spondere in fidei fortitudine. *Secundum* fuscum *Arrianum* est. *Tertium* magis adhuc a Catholica Ecclesia discordat. Post *Arrianos* populos *Saraceni* longe aliam faciem religioni induxerunt. Id commune cum *Catholicis* habent, quod Christum agnoscant esse Verbum Dei, Virtute Spiritus Sancti conceptum, e Beata Virgine, sine peccati labe vixisse, multis miraculis claruisse, in cœlum denique susceptum fuisse. Sed quemadmodum meritum Christi, passionem ejus negando, *Muhammed* sustulit; ita cum *Arrianis*, & omnibus Sacro-Sanctæ Trinitatis adversariis, veteri huic Christianismi charactéri (quo loco etiam a *Maimonide* habetur in *More Nevochim*) bellum ἄσπονδον indixit, Deitatemque Filii aperte negavit. Multa etiam ad centonem suum conficiendum ex veterum inter Christianos Hæresiarcharum mutuavit officina: quæ peti possunt ex *Bibliandri præfatione in Alcoranum*, & *Forbesii Instruct. Histor. Theol. Lib.* IV. Ex *Judaismo* plurima & dogmata, & ritus, & fabulas habet; de quibus vide sis *Hottingerum Hist. Eccl. Tom.* I. *pag.* 403. Sic ut, propter istam, ex omnibus propemodum religionibus desumtæ doctrinæ, varietatem, eleganter *Muhammedismus* per *Pardum* repræsentari potuerit.

XVIII. Præterea magna quoque *Pardi crudelitas*, & effrenata rapiendi ac devorandi aviditas est. Hinc Deus severissima exsecuturus judicia, non *Leoni* se solum, sed & *Pardo* comparat. Hos. XIII. 7. *Et fui eis tanquam vetus Leo, tanquam Pardus in via.* Turcici autem regni crudelitas, & insana atque insatiabilis rapiendi aviditas, notior omnibus est, quam ut probari debeat. Jam inde ab initio ostendit *Muhammed*, jactans gladium sibi a Deo concessum, ut reluctantes compesceret, atque in ordinem redigeret. Neque *Ahmed Ibn Edris* dissimulat, *Muhammedum*, quum primam in tradenda nova doctrina glaciem fregisset, armis tandem propagare in mandatis habuisse. Unde *Doctores Muhammedici*, publice docentes, ad terrorem incutiendum, *strictum manu tenent gladium*, eumve in eminentiori quodam loco conspicuum collocant; si vera sunt quæ memorat apud *Hottingerum Richardus Minor.* *XVIII. Sævitiem.*

in Confut. Legis Saracenicæ. Hist. Sac. Tom. 1. *pag.* 370. Et quod dictu propemodum incredibile est, latrocinale hoc præceptum sectatoribus suis dedit Muhammed: *Usque quo*, inquit, *vos meliores, & elatiores efficiamini, prædatores & expugnatores estote. Alcor. Cap.* XII. citante *Forbesio Instr. Lib.* IV. *Cap.* IX. §. 3. Alibi mandat, ut omnes a doctrina sua alienos, quos incredulos vocat, ubicunque repertos, si fieri possit, capiant, & interficiant, nisi sponte se iis subjiciant. Initiis ejusmodi quam bene respondeant cætera, magna pars orbis habitabilis, maximo suo malo, experta est. Pro specimine, ex *Wolphangi Drechsleri Historia Arabum*, hæc habeto. Anno 638. *Hierosolyma* post biennalem obsidionem a Saracenis devastata. 639. Tota *Syria* a Saracenis clade affecta. 641. *Antiochia* ab iisdem eversa, *Damascus* capta, *Phœnicia* oppugnata, subacta *Ægyptus*. 648. Maximam partem *Africæ* suo imperio subjecerunt. 655. *Rhodum* oppugnarunt, ex qua plurimum avexerunt auri, & *Colossum* solis nobilem, altum 110 pedes, ex cujus ære Judæis vendito nongentos camelos onerasse dicuntur. 656. *Ægeum* mare pyratica infestarunt, & *Cycladibus* insulis multa damna intulerunt. 663. *Olympium Italiæ Exarchum* in *Sicilia* cum toto exercitu fuderunt. 672. Irrupere in *Siciliam*, & *Syracusis* captis, omnique terra devastata, *Alexandriam* rediere. 686. *Africam* & *Libyam* invaserunt, multis spoliis ditati. Taceo cætera. Nam quis esset finis? Tanta quævis deglutiendi aviditas, nonne omnem omnium Pardorum rabiem superat?

XIX. Levitatem.

XIX. Quid ni & illud liceat addere? *Levitate* sua & velocitate Pardos esse celebres. Hab. 1. 8. *Leviores sunt Pardis equi ejus.* Adde *Oppianum Lib.* III. *Cynegeticorum.*

Ὠκύτατον θείει, καὶ τ' ἄλκιμον ἰθὺς ὀρούει,
Φαίης ὅπποτ' ἴδοιο διηερίην φορέεσθαι.

Celerrime currit, & fortiter recta irruit. Diceres quum videres, um aëream ferri. Sic & mira velocitate regnum hujus bestiæ quaquaversum se diffudit. *Muhammed*, inquit *Erpenius* in *Oratione de Lingua Arabica, decennii spatio, totius Arabiæ Urbes, Provincias, & Respublicas, quæ fortissime se armis ei opposuerunt, subjugarat.* Et quæ modo ex *Drechslero* allegavimus non minus rapiditatem quam rapiendi effrenatam libidinem in hoc Pardo arguunt. Confer. *Hottinger. Hist. Sac. Tom.* 1. *p.* 413.

XX. Quid quatuor illius Alæ notent.

XX. Porro habuit Pardus iste *alas quatuor volucris.* In Imperio *corpus* & *alas* distinguere possumus, ut per *alas* intelligamus quatuor magnas partes Imperii Romani, quæ per Musulmannos avulsæ sunt, *Syriam, Africam, Asiam, Græciam.* Cæteras hujus Imperii partes, quæ

quæ longe extra Romanum extenduntur, haut absurde ad *corpus* referas.

XXI. Sed & *quatuor Capita* habebat id animal. Ea notant quatuor præcipuas Dynastias. Tot enim in hoc observantur Imperio. Primo *Calipha Bagdadenses*, in *Syria*. Secundo *Sultani Ægyptii* cum *Mamlucis*, in *Africa*. Tertio in *Asia*, *Sultani Iconienses*. Quarto in *Græcia*, *Turci Othmanidæ*. XXI. *Et quatuor Capita.*

XXII. Quorum *Caliphatuum* historia breviter hæc est. Initio regni *Musulmannici* unus duntaxat *Calipha* fuit. Significat ea vox *Successorem*, & κατ' ἐξοχὴν *Successorem in regno*, unde factum ut Imperatores Muselmannici absolute *Calipha* dicantur. Iidem summi quoque erant *sacrorum Antistites*, idque apud Muhammedanos quod apud Christianos *Papa*: uti a *Benjamine* in *Itinerario* suo observatum est p. 64. Ad quam pericopam annotavit *l'Empereur*, *Caliphas* ita se in *Politicis* & *Ecclesiasticis* gessisse, ut in utroque genere per se quoque quæ agenda erant exsequerentur; adeo ut etiam conciones sacras haberent, quod variis ex *Elmacino* exemplis confirmari posset. Primi *Calipha*, uti ipse *Muhammed*, Imperii sedem habuere in urbe Bagdad, e ruinis *Seleuciæ* & *Babyloniæ*: ad *Euphratis* & *Tigridis* confluentem, exstructa. Postea *Damascum* se contulerunt. Imperante autem *Marvano* II, qui a *Muhammede* undevigesimus est, in *Perside* aliquis, ex posteris & factione *Abantis*, ab *Abubecro Muhammedis* socero descendentibus, nomine SAPHA vel ABUL ABAS, numinis se plenum jactitans, servis contra dominos concitatis, ducem primo *Calipha Marvani*, deinde ipsum *Marvanum* profligavit, & Caliphatum, sive sacrum imperium, in familiam suam transtulit, anno IↃCCLI. Ex hoc dissidio regnum *Musulmannicum* pedetentim factum est bipartitum, & duo sibi nomen *Calipha* vindicarunt. Unus eorum sedem Caliphatus ex *Damasco Bagdadum* reduxit: indeque *Saracenorum* res per *Syriam*, *Persiam* & *Arabiam* administravit, hic nimirum noster *Sapha* sive *Abul Abas* cum sua posteritate. XXII. *Historia Calipharum Bagdadi & Damasci.*

XXIII. Alter postea ex posteritate *Halys*, qui *Muhammedis* gener fuit, sedem *Caliphatus* in Ægypto & Africa fixit. Nam ABDALLA, genus ducens ex *Haly*, circa annum, ut *Archiepiscopus Tyri* numerat, IↃCCCVIII, in *Africam* transivit, illisque regionibus occupatis vocavit se primo *Mehedim*, quasi *Complanatorem*, invictaque classe *Siciliam* occupavit, deinde *Calipha* nomine assumto, non voluit videri *Muhammedis*, quem execrabatur, sed *Halys* successor. Hujus nepos *Abuthaminus*, quem alii *Elcainum* vocant, subjugata *Ægypto*, *Alkairum* juxta *Menalum* condidit, ita dictam quasi *victricem*, alio nomi- XXIII. *In Ægypto.*

nomine *Babylonem Ægyptiam*, ibique novam Caliphæ sedem & aulam collocavit. Perstitit hic Caliphatus *Alcairensis* usque ad *Sarraconem* & *Saladinum*, qui ultimum *Calipham* in *Ægypto* anno CIↃCLXXIII sustulerunt. Id hoc modo gestum. Ultimus *Calipharum Ægypti* ab *Almerico Hierosolymorum* rege sexto, bello lacessitus, auxilia a *Sultano Syriæ Noradino*, impetravit; qui, exercitu sub duce *Sarracone* misso, Christianos tota expulit *Ægypto*. Hic *Sarraco* regionis opulentia inductus, *Calipham* subito adortus regno exuit, & solis præfecit sacris: *Ægyptique Rex* & *Sultanus* dictus, *Alcairi* sedem fixit regiam. Cujus ex fratre nepos *Saladinus*, sublato *Alcairano Caliphatu*, qui jam CCXXX annos duraverat, in Caliphæ *Bagdadensis*, tanquam legitimi Pontificis, clientelam se dedit. *Saladinum* dicunt Romani, qui Arabibus est *Zelacheddinus*. Significat autem ea vox *restauratorem religionis*.

XXIV. *Quorum finis originem dedit Regno Mamlucorum.*

XXIV. Ad hujus regnum refertur origo MAMLUCORUM, quorum deinceps notabile in *Ægypto* fuit Imperium. *Mamluc*, *Arabibus* notat *mancipium*, acquisitum, ministrum, sive sit ἀργυρώνητος, sive αἰχμάλωτος, ut monet *Scindlerus* in *Lexico Pentaglotto*, & *Josephus Scaliger Libro* III. *Canonum Isagogicorum*, *in notis ad Dynastiam Calipharum*. *Mamluci* ergo venalitii stipatores & servi erant. Quum enim *Saladinus Ægyptiorum* videret mollitiem, detestatus eam est. Ut vero haberet milites quos *Europæis* in *Syria* habitantibus opponere posset, miserat hactenus quotannis ad *Circassos*, prope *Moeotidem* paludem habitantes, & cum *Tartaris* perpetuo decertantes, emitque captivos adolescentes selectiores non paucos, quos armis instructos ad belli exercitia assuefecit, ita tamen ut simul *Muhammedicam* religionem addiscerent. Hisce militibus anno CIↃCLXXXVII *Christianos* ex *Palæstina* ejecit. Mortuo *Saladino*, octo ejus filii, excepto *Norradino*, qui *Aleppi* dominium sibi vindicavit, a *Caphedino*, ejusdem fratre, comprehensi necabantur. Cujus ex filio *Melahadino* nepos, *Melechsala*, quintus ex hac stirpe *Ægypti Sultanus* est, qui ingentibus præliis a Christianis victus, & *Ægyptiis* diffisus, ex *Mamlucis* potissimum præsidia sibi quæsivit, & a *Tartaris*, *Turcomannis* ac *Circassis*, qui sub id tempus *Armeniam* & *Asiam* per *Caspias portas* ingressi, *Comanos* populos, qui ad *Cappadociam* pertinent, præliis victos sub corona vendiderant, egregiam manum, non magno coemtam pretio, suis hostibus opposuit, ipsumque *Ludovicum* IX. *Galliarum regem*, magno prælio superatum, ad *Damiatam* vivum cepit anno CIↃCCL. Vide *Hottinger. ad seculum* XII. *pag.* 196. & *Micræl. Syntag. Pol. Lib.* III. *Sect.* XI. Sed ipsi hi *Mamluci*, non diu post partam hanc victoriam, *Melechsala* trucidato, regnum invaserunt; & ex se, post

habita

əita generis ratione, qui præesset vasto Ægyptiorum regno, *Turimeninum*, quem alii aliter vocant, elegerunt; suumque exercitum *Mamlucis*, qui, a suis plagio abducti, Christo abnegato circumcidentur, perpetuo instaurarunt, & impense auxerunt, lege facta, ne ad ;num, neve in militum ordinem admitterentur alii, quam qui *Christis* parentibus nati, & *Christiana* religione imbuti, postea *Muhamdanæ* religioni sese obstrinxissent. Atque ita hi Christianæ religionis sertores *Ægypto* vicinisque regionibus per annos CCLX potiti sunt, res gestis clarissimi. Donec per *Selimum* anno CIↃ IↃXVII victi, *Othnidis* cesserunt. Qua de re consuli potest *Jovius Lib.* XVIII. XIX.

XXV. Iconiensis *Caliphatus* fundamenta *Cutlumuses*, *Tangrolis* agnatus, jecit. Cujus filius *Solimannus*, *Nicæa* occupata, *Byzanum* Imperium undique laceravit, & cum *Gothofredo Bulionensi* vario irte acriter dimicavit. Pronepos ejus *Clizasthlanes Manuelem Comnenum* in summas redegit angustias: inque *Phrygiam* usque penetrans, ombus Græcis maximum incussit terrorem. Sed quod inter quatuor fis omne Imperium ultima voluntate dispescuerat, distractis illi viris exiguo postea robore usi sunt. Nepos hujus est *Aladinus*, qui reum *Iconiense* admodum dilatavit. Hujus filius, *Gajazadinus*, quem ristianum fuisse Historici testantur, illa tempora attigit, quibus *Tari*, copiis in quatuor mundi plagas explicatis, longe celerius quam :xander olim *Magnus*, præcipuas orbis partes, interque reliqua rea *Sultanatum* etiam *Iconii* in *Caria*, frustra reluctante, & infeliciter acie agresso *Gajazadino*, sibi submiserunt. XXV. *Caliphatus Iconiensis.*

XXVI. Othomanicæ Dynastiæ res notiores cæteris sunt. Ei ca annum CIↃIII initium dedit *Osman*, sive *Otman*, qui non sine somrum omine natus, aliquot Asiæ minoris provincias occupavit, ac em regiam posuit in urbe *Prusa*, sive *Bursia*. Ejus successores pri) in urbem *Thraciæ Hadrianopolim*, deinde ipsam *Constantinopolim*, peratoriam sedem transtulerunt, quod factum anno CIↃ CCCCLIII. um *Mahumetes* II eam urbem expugnasset. Eadem *Othmanidarum* ilia adhuc hodie inter *Turcas* regnatrix est; atque inde, quod recepimum ubique, *Portæ Ottomannicæ* nomen. XXVI. *Dynastia Othmanica.*

XXVII. Hæ itaque quatuor Dynastiæ (ut unde divertit nostra dem revertatur oratio) per *quatuor* hujus Bestiæ *capita*, commode elligi posse videntur: licet certi esse non possimus, annon alia uac Dynastia in illo populo oritura sit. Sufficit esse quatuor caa donec *accipiat dominatum*. Nam & id futurum esse monetur XXVII. *Sub qua Pardus accepit dominatum.*

vates. Factum id est in Dynastia *Othmanidarum*, maxime sub *Selimo*. Qui circa annum cIↄ Iↄxii vi, scelere, & exsecrandis artibus paternam sedem invasit, & a cæde immani fratrum, eorumque liberorum, quos numero xc fuisse perhibent, regnum auspicatus, primo cum *Persis* dubio prælio conflixit, & castra eorum regiamque urbem *Taurisium* cepit; mox *Aladolo* minoris *Armeniæ* Rege subjugato regnum ejus in provinciam redegit. Deinde quum *Hungariam* geminata incursione in prædam petiisset, *Campbonem Gaurium*, *Memphiticum Sultanum* seu Regem, a Persarum partibus stantem, ejusque exercitum ad *Cingam* excidione delevit: indeque *Syriam*, *Judæam* & *Ægyptum* multis victoriis pervagatus, *Mamlucorum* nomen, Orienti formidabile, evertit, & *Alcairo* capta, *Tomumbejum Sultanum* ante regiam suspendi jussit. Sic ergo dominatio huic Bestiæ, in quarta potissimum Dynastia, data est.

XXVIII. Qui Soltan dicitur.

XXVIII. Et quod perquam notabile aliquibus videtur, dominatio ea exprimitur voce שלטן SOLTAN, qua adhuc dum *Muhammedani* Imperatores designantur: ut vel nomenclatione inducti, haut temere de aliis quam de *Muhammedanis* Principibus cogitemus.

XXIX. Expositioni huic, quantumvis erudita, prisca & recepta præferenda esse videtur.

XXIX. Atque hæc quidem Interpretationis hujus sunt argumenta, quanta a nobis fieri potuit industria collecta, digesta, exornata. Quæ si tam solida non iniquis harum rerum æstimatoribus videantur ut adsensum impetrare debeant; id equidem nulla nostra fiet invidia. At neque nobis invidenda ea videtur libertas, ut nostris inducti rationibus antiquam receptamque expositionem, novæ huic, quantumvis (non enim repugno) acutæ atque eruditæ, anteponamus. Antiquam enim illam ita comparatam invenimus, ut & *temporis notationi*, & *phrasibus Spiritus Sancti*, & *rerum gestarum historiæ* perquam sit conveniens; & haut magno labore iis exsolvatur difficultatibus, quibus eam premere Doctissimo Interpreti visum est. Quumque secundum eam nullus huic regno *Muslimico* locus sit, rei *Muhammedanæ*, de qua nunc agimus, imo nostræ potius Christianæ, qui mentem Prophetiarum investigamus, interest, ita eam referre ac vindicare, ut simul intortas ei objectiones elidamus. Postquam autem in tuto fuerit collocata, sereniori animo, quid in nova ista merito desiderari possit, arbitrabimur.

XXX. Una eademque res variis emblematibus eidem sæpe Prophetæ re-

XXX. Illud igitur primo loco ponatur, unam eandemque rem variis ænigmatibus atque emblematibus, eidem sæpenumero Prophetæ repræsentatam esse, eodemque libro memorari. Sic solet Deus fata sua exponere πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *multis partibus*, sive *vicibus*, & *multis modis*. Heb. I. I. Non enim universi Pro-

Prophetia est unum duntaxat & continuum corpus orationis, in quo uno tantum ordine ac serie antecedentia & consequentia usque ad finem connectantur. Methodus Prophetiæ est, a fine ad principia redire. Itaque & eundem rerum ordinem sæpius fundit, & multis modis. Quodque una Prophetia brevius & quasi in compendio, ad faciliorem distinctionem, & ad memoriam firmiorem, dicit; id altera clarius & pluribus partibus exsequitur. Scilicet uno emblemate omnia ad rem aliquam pertinentia significari non possunt: pluribus itaque Dei tum Sapientia tum Benignitas utitur, ut quod uni picturæ, quantumvis artificiosæ, deerat, per alteram non minus artificiosam suppleatur.

præsentantur.

Gulielm. Hermeneut. Sacr. Part. Post. §. 95.

XXXI. Necesse non est ut diu huic observationi immoremur, quum tota *Johannis Apocalypsis* liquidissimum nobis argumentum suppeditet: quod non aliis melius quam ipsius Celeberrimi Interpretis verbis expressero. Ita ille: *Qui non nimis indiligenter hasce partes inter se contulerit, clare videbit, in iis agi de iisdem rebus, alio atque alio modo, & easdem, quasi toties factas, narrari. Quod signum certissimum est, Apocalypsis filum non esse unum per totum librum continuatum, sed quasi aliquoties replicatum. Non enim primis capitibus ostenduntur ea: quæ sunt primi temporis, ultimis, quæ sunt ultimi temporis: sed distincta ista pericopa prima & ultima complectuntur; nisi quod ἐπεισόδια partem aliquam Prophetiæ illustriorem novo modo exhibent.*

In Apoc. 1. §. 16.

XXXII. At quorsum aliunde exempla quam ex ipso nostro *Daniele* petimus, ubi pro voluminis brevitate satis sunt frequentia? Nonne videmus eundem *Babyloniorum* Monarcham nunc sub *Aurei Capitis*, mox sub *Proceræ* ac *Ramosæ Arboris* emblemate depingi? Eandem *Medorum* & *Persarum* Dynastiam, modo similitudine *Arietis duo* alta at *inæqualia Cornua* habentis delineari? Eandem *Græcorum* Monarchiam aliquando per *Ventrem* & *Latera Ænea*, alias per *Hircum Caprarum*, cum *Magno Cornu* at mox confracto, cujus loco *quatuor minora cornua* orta sunt, figurari? Eundem *Antiochum Epiphanem* nunc ænigmate *cornu parvi*, at magnificantis se excellenter, versus Meridiem, & versus Orientem, & versus decus ipsum; alias, ænigmate *spreti* alicujus, & cui non tribuerant Majestatem Regiam, qui tamen veniens tranquille per blanditias regnum occupaturus esset, significari? Cesso plura referre, omnibus nota.

XXXIII. Quid ni & idem hic accidisse arbitremur, ut quod olim somnianti Nebucadnetzari per *statuam* humanæ formæ similem repræsentatum fuit, idem, nec tamen prorsus idem, per qua-

XXXIII. *Quid ni igitur credere licet*

idem, nec tamen prorsus idem, Danieli repræsentari, quod Nebucadnetzari?

quatuor insolitæ figuræ *animalia* repræsentetur Danieli? Dei intererat, Nebucadnetzari ea revelare, ut omniscientiam, omnipotentiam, tremendamque numinis sui Majestatem apud superbum Principem adsereret. Nebucadnetzaris quoque intererat, perspecta quodammodo habere succedentium sibi regnorum fata: ut futura prospiciens regnaret prudentius; ut præteritorum memor Deo ageret gratias; ut denique agnita rerum omnium instabilitate disceret non fidere præsentibus. Sed Ecclesiæ quammaxime intererat, ut, quæ referente Daniele, ex profani hominis insomnio quodammodo didicerat, eadem iterato, & plenius, ex nova sacratissimi vatis visione disceret. Iterato, ad confirmationem fidei; plenius, ad instructionem uberiorem. Non pauca enim his emblematibus continentur, quæ per Nebucadnetzaris statuam haut ita præfigurata sunt. Nisi ergo aliud obstet, nequaquam improbabile censeri debet, earundem Monarchiarum fata Danieli, nunc repræsentari, quæ alio tempore, & sub alia imagine, repræsentata Nebucadnetzari sunt.

XXXIV. *Non enim obstat, quod nulla hic lapidis e monte excisi mentio.*

XXXIV. At, inquit Vir Doctissimus, illud primum obstat, quod nulla hic mentio *lapidis de monte excisi*, quemadmodum cap. II. quod satis magnum argumentum est, omnia hæc regna sequi apparitionem Christi. Verum enimvero quod Viro Doctissimo satis magnum argumentum est, id mihi oppido exiguum atque invalidum videtur. Sicuti enim in Emblematibus Apocalypticis quæ de iisdem rebus monent, non tamen omnia eadem sunt; ita & hic. Septem *Epistolas*, septem *Sigilla*, septem *Tubas* ita inter se convenire vir Doctissimus arbitratur, ut ordine historiam ejusdem temporis describant. Quam multa tamen in *Epistolis* scribuntur, & per *tubas* canuntur, de quibus in *sigillis* nihil? Licetne mihi in hunc modum colligere? quia in *sigillo* primo nihil extat de persecutionibus & patientia Ecclesiæ, nihil de omissione primæ charitatis; de quibus in prima *Epistola* agitur; nihil de grandine & igne sanguini permixtis, sive de procellis quibus agitata est Respublica Judæorum, nondum soluta pace quam habebant cum Romanis, quæ ebuccinantur *Tuba* prima; hoc satis magnum argumentum est, non describi Epistola, Sigillo, Tuba prima, eadem omnino tempora. Sane non licebit ita colligere, neque per Virum Doctissimum, neque per rationem rectam. Quia de iisdem rebus, iisdemque temporibus possunt dici diversa. Idem illi quod nunc examinamus argumento applicetur. Eadem utrobique, tam II, quam VII Capite Danielis, describuntur regna, uti ex collatione probabitur: sed non eadem omnia de iisdem regnis prædicuntur. Christi, antequam regnum adiret, passiones

[...]siones & mors innuuntur in Nebucadnetzaris insomnio. Easdem diser[...]to sermone Danieli enarrat Gabriel capite nono. In hac autem visio[...]ne satis habuit Spiritus Dei eas supponere, susius expositurus quæ ad [...]loriosum ipsius regnum pertinent. Non solet Prophetia *cuncta* repe[...]tere, etiam quum *multa* repetit.

XXXV. Majus argumentum est, quod ex *temporis* consideratio[...]ne arcessitur. Nimirum exhibitum hoc somnium Danieli est *primo an[...]no Balthazaris*, qui ultimus fuit in Monarchia Babylonica. Fuitne tum [...]tempestivum Babylonici imperii ortum atque progressum in visione [...]depingere? Habet sane hæc objectio speciem: sed quæ disparebit, ubi [...]observaverimus aliquoties illud in prophetiis contingere ut præsen[...]tia & præterita repræsententur propter continuationem & nexum [...]cum futuris. XXXV. *Aut quod tempestivum non esse videatur Babylonici imperii ortum ac progressum depingi, sub regno Balthasaris.*

XXXVI. In Apocalypsi id est evidentissimum. Data ea est Jo[...]hanni exulanti in Patmo, tempore Domitiani, post excisam Hiero[...]solymam; tunc tamen ei repræsentata est Christi nativitas, oppressio [...]Reipublicæ Judaicæ per Pompejum, Gabinium, Herodem, qui ju[...]dicibus auctoritatem ademerat: redactio Judææ in provinciam Ro[...]manorum: resuscitatio Christi ex sepulchro & morte, & adscensio [...]in cœlum: saltem si sequamur commentarium Viri Doctissimi in [...]Apoc. XII. Iterum repræsentata est in apertione sigilli primi prima [...]Evangelii prædicatio facta in pace mundi: & in secundi sigilli apertio[...]ne, ablatio pacis a populo Judaico per Gessium Florum, procurato[...]rem Cæsaris Neronis, primum belli Judaici incendiarium. Apoc. VI. [...]v. —4. Liceat nunc mihi meam vicem quærere, fuitne tunc tempe[...]stivum ea Johanni in visione prophetica depingere, quæ dudum fa[...]cta oculis ipse suis auribusque usurpaverat? Fuit sine dubio: quia ita [...]placitum est Divinæ sapientiæ. Sed nec in obscuro ratio est; sic enim [...]nexus rerum ostenditur; quæ facta deprehenduntur fidem faciunt fa[...]ciendis; atque in omnibus simul sumtis sapientiæ Divinæ concinni[...]tas splendet luculentissime: dum *indicat a principio finem*. Jes. [...]XLVI. 10. XXXVI. *Solet enim prophetia præterita repræsentare ob nexum cum futuris.*

XXXVII. At nemo melius difficultatem a sese motam solverit [...]quam ipse Vir Doctissimus; cui rei hæc ipsius verba abunde sufficiunt. [...]*Observa*, inquit, *visiones Apocalypticas non tantum exhibere res quæ post [...]tempus visionis futuræ erant; sed etiam quæ jam tum exstabant. Nam, ut [...]exemplo utar*, Cap. XII. *exhibetur Christi adventus, & Adscensio in [...]cœlum: quæ tunc jam facta erant. Futuras res deducit ex factis, & totum [...]ordinem rerum regni exhibet. Quemadmodum, quum quæreret Nebu[...]chodono-* XXXVII. *Ipso observante Coccejo.*

chodonosor, quid futurum esset imposterum, & Deus id vellet ei ostendere, Dan. II. 29. *vidit imaginem cujus caput erat ipse.* vers. 38. Quid restat nisi ut hanc observationem præsenti applicatum eamus instituto? Deus quum vellet Danieli ostendere ordinem Imperiorum, quibus res Ecclesiæ futuræ erant implicitæ, ut futura ex factis deducerentur, exhibuit ipsi primo imaginem Imperii Babylonici, quamvis tum ad finem vergentis; quippe sine cujus consideratione ortus Imperii Medo-Persici bene cognosci non potuerit.

XXXVIII. *Quæ plurimis sui partibus futura sunt, ea absolute futura dicuntur.*

XXXVIII. Recte, inquies: nisi id validissime obstaret, quod impresse sacer textus dicit, quatuor Animalia esse *quatuor Reges*, QUI SURGENT EX TERRA: unde palam est, eorum nullum tempore Balthazaris exstitisse. Cæterum sciendum est, hujuscemodi visionem totius alicujus complexi instar habere; quod quum plurimis sui partibus futurum sit, usitata in talibus synecdoche, totum futurum esse dicitur. Exempla iterum nobis suggeret Johannis Apocalypsis: cujus prima & universalis inscriptio sic habet: *Revelatio Jesu Christi, quam dedit ei Deus demonstrare servis suis:* QUÆ OPORTET FIERI CELERITER. Et tamen eorum quæ tractantur subdivisio exstat Cap. I. 19. *Quæ sunt, & quæ futura sunt posthæc.* Similiter Cap. IV. I. Videt Johannes in cœlo ostium apertum, auditque vocem ut tubæ loquentis secum, dicentemque; *Adscende huc, & monstrabo tibi quæ oportet fieri posthæc.* Perperam tamen ex hoc verbo collegeris: palam est, eorum nihil tempore Johannis exstitisse. Nam inter ea quæ monstrantur, nonnulla tunc exstabant, multa erant pridem facta.

XXXIX. *Et hoc quoque a Coccejo notatum.*

XXXIX. Ne grave sit, rursus Viro Doctissimo sua reponi verba, utroque a nobis pollice probata. *Quædam*, inquit, *in hac Prophetia sunt, quæ exstabant; quædam imminebant, non interrupta serie ita eventura, donec omnia implerentur. Initio dixit:* quæ oportet fieri cito. *Attamen in illis, quæ vidit, continenter etiam, quæ jam tum erant, ut versu 19. dicit,* ἃ εἰσὶ, καὶ ἃ μέλλει γίνεσθαι μετὰ ταῦτα. Quæ sunt, & quæ futura sunt posthæc. *Proprie* Ἀποκάλυψις *revelatio pertinet ad ea quæ nondum facta erant; & hæc potissimum spectabat revelatio: sed ea ostendit cum suis initiis jam exstantibus connexa, ne lector dubius hæreret, quando ea futura essent, & quis rerum ordo esset.*

XL. *Exemplum consimile Dan. II. 29.*

XL. Quod aliquoties nunc fecimus, ab Apocalypsi ad Danielem redeamus, in quo geminum germanum invenimus exemplum. Dan. II. 29. Quum Propheta insomnii, quod oblatum fuerat Nebucadnetzari, argumentum expositurus esset, ita infit: *O Rex, cogitationes*

tationes tuæ in cubili adſcenderant, quid futurum eſſet poſtea; & revelans arcana notum tibi fecit, quod futurum eſt. Nimis certe feſtinaverit, cui hinc inferre lubet, nihil eorum, de quibus monendus eſt Rex, inſomnii ſui tempore exſtitiſſe. Ubi enim Daniel ſingulas viſionis partes explicat, diſpeſcit res repræſentatas, in præſentes, & futuras verſ. 37. 38. 39. De illis dicit: *Tu, Rex, tu es caput illud aureum.* De his: *Poſt te ſurget regnum aliud &c.* Reclamat quidem Vir Doctiſſimus, alia hic, alia ibi dici: ſed, quæ ſodes differentia? *Non dicitur ibi*, ſic inſtat, *de quatuor Imperiis, ea futura eſſe.* Imo vero, inquam ego, omnino dicitur, argumentum inſomnii eſſe revelationem futurorum. Non tamen omnia ad futurorum claſſem idcirco eſſe referenda, ex re ipſa demonſtrat Daniel. Unde validum hoc formamus argumentum; ſub communi futurorum titulo viſiones aliquas proponi, quæ, ut unum aliquod totum, multas in ſe complectuntur partes, quarum nonnullæ jam præſentes, vel etiam præteritæ ſint, plurimæ autem futuræ. Quando itaque Angelus Danieli dicit: Dan. VII. 17. *Hæc animalia magna, quæ ſunt quatuor, quatuor Reges ſunt, qui ſurgent ex terra*; commode id, ſecundum ſtilum Propheticum, ita interpretabimur: Viſio hæc quatuor animalium repræſentat tibi ſeriem quatuor magnorum Imperiorum, quorum unum poſt aliud ſurget. Quod utique verum erat, etiamſi primum jam exſtaret, ex cujus ruinis mox enaſciturum eſſet alterum.

XLI. Ex Maris emblemate non recte colligitur ante ortum horum Imperiorum populum Judaicum diſperſum eſſe inter gentes.

XLI. Neque in eo quidquam pro nova explicatione præſidii eſt, quod mundus hic Danieli offeratur ut *Mare*, & quidem a *Ventis agitatum*: quaſi ſcilicet eo ænigmate ſignificetur *mundus ſine pacifico cultu per Evangelium*: unde altera conſecutione colligitur, *per tempus nullam fore terram, ſive locum habitationis pro Eccleſia*: & tertiâ, quod oporteat, *magnum* illum *montem igne ardentem*, id eſt, populum Judaicum maledictum, *in mare conjectum eſſe*, Apoc. VIII. 8. antequam hæc regna oriantur. Quantumvis hic omnem ingenii mei aciem intenderim, nullum probabilem antecedentis cum conſequente nexum deprehendere potui. An quia mare ventis agitatur, nulla idcirco terra exſtat? Ecquid fieri non poteſt, ut quatuor aliqua Imperia e mari oriantur, id eſt, ſi ita vis, ex medio gentiliſmo, etiamſi terra aliqua ſit, ubi Deus ſementem & meſſem habeat? Cur etiam ex mari non poſſunt oriri imperia, niſi monte prius in mari conjecto, id eſt Judæis inter gentiles diſperſis? Nonne & antiquæ illæ Monarchiæ, Babylonica, Medo-Perſica, Græca, Romana, hoc ſenſu ex mari orta ſunt, hoc eſt, iis mundi partibus in quibus nullus fuit Evangelii cultus?

XLII.

XLII. Mare hic significat collectionem populorum.

XLII. At neque hoc persuasit Vir Eruditissimus, *Mare* ea mente hic *Terra* opponi. Non disputo nunc quid alibi fiat. Hic certe terram a Mari non ita distinguit Daniel. Nam quæ *animalia ex Mari* adscendisse vidit, vers. 3. ea significant *Reges surgentes ex Terra* vers. 17. Mare ergo hic Emblema Terræ est. Scilicet *magnorum multorumque populorum collectionem* Prophetia appellat *Mare*, sive *multitudinem aquarum. Adscendit contra Babylonem ipsum Mare, tremitu fluctuum ejus operietur.* Apoc. XVII. 15. *Aquæ quas vidisti, ubi Meretrix sedet, populi sunt, & turbæ, & gentes, & linguæ.* Jes. VIII. 7. *Ecce Dominus faciet ut adscendant contra illos, aquæ illius fluminis fortissimæ & amplissimæ, Rex Assyriæ, & omnis gloria ejus.* Jer. XLVI. 7. 8. *Quis hic est qui ut rivus adscendit, ut flumina, cujus commoventur aquæ? Ægyptius est, qui ut rivus adscendit.* Adde Psal. CXXIV. 4. 5. CXLIV. 7. E Mari itaque Magno oriuntur hæc animalia, id est, ex promiscua multorum hominum populorumque copia; quatuor nata sunt Imperia, & in Orbe tumultuoso, tanquam theatro vicissitudinum spatiosissimo, conspicienda se exhibuerunt.

XLIII. Venti, grandes exercitus.

XLIII. *Venti* autem, *qui impetum fecerunt in mare hoc magnum*, significant *exercitus* grandes, veloces, potentes, per orbem divagantes, obvia quæque atque opposita ruentes, sternentes, magnos in orbe motus cientes, imperiisque illis ortum, conservationem, actum, vel finem etiam dantes. Hoc enim sensu Ventorum emblemate Prophetia utitur. Jer. IV. 11. 12. *Tempore illo dicetur populo huic & Hierosolymis, ventus nitidus locorum eminentium in deserto, via ad filiam populi mei; non ad ventilandum, neque ad purgandum; plenus ventus, fortior istis, adveniet mihi.* Denotatur exercitus Babyloniorum (uti colligi potest ex vers. 6. 7.) inducturus destructionem oppidorum in collibus positorum, ipsius quoque templi ad aream usque, quasi ventus id abstulisset. Iterum Jerem. XLIX. 36. *Adducam contra Elamitas, quatuor ventos, a quatuor extremitatibus cœlorum, spargamque eos in omnes ventos istos, adeo ut non sit futura gens, quo non perveniat aliquis depulsorum ex Elamo.* Explicatur hoc ænigma ventorum commate sequenti: *& consternatos reddam Elamitas coram inimicis suis, & coram quærentibus animam ipsorum.* Rursus Jer. LI. 1. *Ecce ego excitaturus sum contra Babyloniam, & contra eos qui inhabitant meditullium insurgentium in me, ventum corrumpentem.* Quod exponitur vers. 2. *Et immissurus sum contra Babyloniam ventilatores, qui ventilabunt eam.* Denique Hos. XIII. 15. *Veniet Eurus, ventus Jehovæ e deserto adscendens, & pudefiet fons ejus, exarescet rivus ejus: ille diripiet thesaurum omnium vasorum amabilium.*

XLIV.

XLIV. Hactenus ergo nihil offendimus quod impediat, quo minus visionem Danielis de IV illis antiquis Imperiis exponamus. Videamus num & cætera quadrent. Non sine ratione est quod sub *Bestiarum* forma Imperia sacro Vati offerantur. Adspicit enim hic Propheta, quod non viderat *Nebucadnetzar*. Huic futura Imperia ostenduntur sub facie *Humana*, augusta, grandi, splendida: quia ille Imperia magni faciebat, & habebat pro Diis suis, qui per statuas solebant coli. At Danieli eadem apparent sub *Ferarum* imagine: noverat enim Propheta, esse omnia ista Imperia Idololatriæ, ac proinde Diaboli instrumenta. Adde, plurima in iis patrata fuisse irrationabilia, inhumana, immania, quæ, quamvis specioso Reipublicæ ornentur prætextu, belluis tamen quam homine digniora sunt.

XLIV. Cur eadem Imperia Nebucadnetzari sub forma Statua Humana, Danieli sub forma Belluarum repræsentata sint.

XLV. Prima Bellua, Leonis similis, at *alis Aquilinis* instructa, quid significaverit, ipse satis exponit Spiritus Sanctus; qui Assyriorum & Babyloniorum Regnum hac similitudine non semel adumbrat. De *Niniuitis* dicitur Nah. II. 11. 12. *Ubi est lustrum Leonum, & pascuum leunculorum? Ubi versabatur Leo, Leæna, & catulus Leonis, nemine exterrente? Leo rapiens sufficienter pro catulis suis &c.* Hos postquam vicerant *Babylonii*, & ipsi *Leones* nuncupantur. Jes. v. 29. *Rugitus ei ut immanis Leonis, rugiensque ut Leunculi fremet, & capiet prædam, sylvamque deportabit, & nemo eripiet.*

XLV. Leoni Scriptura Assyriorum regnum confert.

XLVI. *Alæ Aquilinæ* celeritatem victoriarum notant, quibus non vicinas solum, sed & remotissimas gentes, permearunt Babylonii. Jes. v. 26. 27. *Ecce cito, velox adveniet. Nullus erit fessus, nullusque impingens in eo; non dormitabit neque dormiet; etiam non solvetur zona lumborum ejus, neque avelletur corrigies calceamentorum ejus.* Jerem. IV. 13. *Ecce tanquam nubes adscendit, & tanquam turbo currus ejus, leviores sunt Aquilis equi ejus.* Jer. XLVIII. 40. *Nam sic ait Jehova, ecce similis Aquilæ involabit, pandetque alas suas in Moabum.* Jer XLIX. 22. *Ecce velut Aquila ascendens involabit, & pandet alas suas contra Bozram.* Adde Ezech. XVII. 3. *Aquila quædam maxima, magna alis, alatissima, plena plumis, cui species est artificiosissima*: quod ipse Dominus de Babyloniæ rege dictum esse docet vers. 12. Non est vero absimile, priscos Assyriorum Reges *aquilam auream* pennis extensis pro Regali signo habuisse, uti post eos Reges Persici, eoque scripturam alludere, quando Aquilarum nomine illos designat. Ut autem bifidum idcirco statuamus Imperium, quod ei duæ attribuantur alæ, nulla nos cogit necessitas; quum earum ænigmati pernicitatis significatione satisfactum sit.

XLVI. Eidem ob pernicitatem attribuuntur Alæ Aquilinæ.

XLVII. Deplumatio atque *evulsio alarum*, quibus se de terra sole- bat

XLVII. Ea-

rum evulsio significat imminutionem ornamenti & pernicitatis.

bat efferre notat imminutionem ornamenti, pernicitatis, roboris; quæ an lente, an repente fiat, ad hanc rem non admodum pertinet. Certe lentam dignitatis suæ privationem *Cicero* non innuit, ad *Atticum* scribens, *qui mihi pennas inciderant, nolunt easdem renasci.* Id constat, post Nebucadnetzarem Babylonicum Imperium multum de sua auctoritate amisisse. Loco animositatis successit timiditas, loco velocitatis segnities, loco victoriarum fugæ crebriores, una cum cladibus. Vix ullæ in Nebucadnetzaris posteritate, quod omnes passim historici notant, priscæ fortitudinis ac generositatis scintillæ emicuerunt. Nullus eorum de proferendis Imperii finibus vel cogitasse deprehenditur: sed dum inertiæ se certatim dedunt atque libidini, ex illo fluere & retro sublapsa referri omnia. Vide sis *Josephum libro primo contra Apionem.*

XLVIII. *Pedes & cor hominis, tarditatem & imbelliam.*

XLVIII. Eodem pertinet quod dicatur in *pedes stetisse veluti homo*, & quod *cor hominis* datum sit ei. *Pedes* opponuntur *alis*; *statio volatui*; *homo, aquilæ; cor hominis, animo leonis.* Docetur, isti victoriarum cursui injectam fuisse remoram; absolutoque aquilino isto Nebucadnetzaris volatu, successores, non alis, sed pedibus solum fuisse instructos; iisque non cucurrisse, ut invaderent ulteriora; sed stetisse tranquillos, avitis opibus, non justitiæ intuitu, at mera inertia, contentos: nihil prospicienter, nihil animose agentes. *Homo* hic non opponitur *Leoni*, uti *Animal rationale Belluæ*; sed ut imbellis aliquis ac deses forti atque magnanimo. Leo enim fortitudinis est symbolum. Jud. XIV. 18. *Quid Leone fortius?* Prov. XXX. 30. *Leo robustissimus inter bestias, qui non retrogreditur metu cujusquam.* Hinc de Saule & Jonathane 2. Sam. I. 23. *Erant aquilis leviores, & leonibus fortiores. Homo* autem aliquando nomen est *imbellia.* Jes. II. 22. *Abstinete vos ab homine, cui halitus est in naso ipsius: nam quanti est æstimandus?* Maxime autem imbellia notatur voce אנש, qua hic utitur Daniel. Est illud nomen hominis a deplorata *miseria* desumtum. Nam אנוש *ægrum* & *incurabilem* significat. Inde Sethus filium suum appellavit. Gen. IV. 26. Quod suo dedecore atque ruina ut experiantur hostes, Ecclesia orat Ps. IX. 21. ידעו גוים אנוש המה, *cognoscant gentes, se homines esse. Cor Leonis*, est animus intrepidus. 2. Sam. XVII. 10. *Fortissimus quisque, cujus cor erat ut cor Leonis.* Quod Græce uno verbo *λεοντόθυμον* dixeris, aut *θυμολέοντα*: ut Herculem & Achillem *θυμολέοντα* Poëtæ vocant. *Cor hominis*, si cum Leone contendatur, mera est pusillanimitas; לֵב אֱנָשׁ *cor ægrum ac languens.* Jer. XVII. 9.

XLIX.

XLIX. Hanc, si ita loqui liceat, *μεταμόρφωσιν* passi sunt Baby-

lonii. Feri illi fortesque olim sub Nebucadnetzare Leones, omni ox posita ferocia, hominum imbellium ac trepidorum mancipiorum tar, abjectam servitutem Persis servierunt. *Xenophon* Προεῖπε ... Βαβυλωνίους μὲν τὴν γῆν ἐργάζεσθαι, καὶ τοὺς δασμοὺς ἀπο- ... ρειν, καὶ θεραπεύειν τούτους οἷς ἕκαστοι αὐτῶν ἐδόθησαν. Πέρ- ς δὲ, καὶ τοὺς κοινωνοῦντας, καὶ τῶν συμμάχων ὅσοι μένειν ἠροῦν- παρ' αὐτῷ, ὡς δεσπότας ὧν ἔλαβον, προηγόρευε διαλέγεσθαι. *ixit Cyrus, Babylonis agros esse colendos, & tributum pendendum, & obsequia praestanda quibus singuli traditi essent. Persas vero, & Per- um participes, & quotquot ex sociis apud eum remanere vellent, jussis, quam Dominos, cum iis quos sibi traditos accepissent, loqui.* Quid in hac olicatione, ut Vir Doctissimus criminatur, violentum est? Imo vero id dici potest, quod scripturae stilo, rebusque gestis convenientius sit?

Quam in victis Babyloniis notat Xenophon. Cyrop. Lib. VIII.

L. Si per *Leonem Babylonicum* notetur Imperium, uti ex analo- e luculentitate evicimus; res ipsa loquitur, per Ursum intelligen- m esse Medo-Persicum, Babylonico succedens. Neque obscura logia est. Ursus Leone tardior, ineptior, ignobilior est; quam- voracitate, crudelitate ac truculentia Leoni non cedat. Sic & Me- Persicum Imperium Babylonico virtutibus successibusque aliquan- uit inferius. Hinc & in Nebucadnetzaris insomnio *Aureo Capiti Ar- teum* subjicitur *Pectus*. Taceo nunc comparationes alias bene mul- , quae apud suos singulae Auctores videri possunt. Non enim eam n nunc agimus.

L. Ursus emblema est imperii Medo-Persici.

LI. Quod *ad unum latus stetisse* dicatur, וּלְשְׂטַר חַד הֳקִמַת varias ad- ttit interpretationes. Non videtur alienum, ut tenuia Persarum in- igantur initia, qui montibus suis inclusi - - ὡς ἂν ὄρεα φωλάδες ιτοι *ut in montanis lustris degentes ursi*, a caeterarum gentium com- rcio remoti olim degebant; Cyro primam nominis atque imperii itudinem debentes. At mox, nova virtute subeunte praecordia, dos sibi adjunxerunt, tum & Babylonios subjugarunt, multasque tes alias parere sibi coegerunt.

LI. Cui omnia quae de Urso praedicantur optime conveniunt.

LII. Atque hoc est quod innuitur *tribus* illis costis, quas ore suo er dentes complexus hic Ursus est. Magna scilicet & potentia regna, tres orbis cardines, Occasum, Aquilonem & Austrum sita. Lucem m aenigmati huic foeneratur sequentis capitis visio; ubi idem Persa- n Imperium exhibetur sub symbolo *Arietis*, cornibus suis ferientis sus *Mare*, (id est Occidentem) *Aquilonem* & *Austrum*. vers. 4. Ad *identem* pertinent Insulae maris Mediterranei, quarum pleras- e Persis paruisse ex bello Xerxis contra Graecos videre est. Qui-

bus adde Syriam, Cappadociam, & Asiam minorem. Versus *Meridiem* Persæ oppugnarunt Ægyptum, Arabiam, Indiam, Æthiopiam & Libyam. Et denique versus *Septentrionem*, Scythiam, gentes Ponticas, Lydiam, Armeniam, Iberos, Albanos, Colchos, Caspios, &c.

LIII. Additur, dictum huic Urso fuisse, *Surge, comede carnes multas.* Dictum scilicet *a Deo*, qui non semel excitatum hunc Medorum & Persarum animum sibi, ut auctori, attribuit. Jes. XIII. 17. 18. *Ecce ego excito contra istos Medum, qui argentum non æstimabunt, & ipso auro non delectabuntur. Sed ipsorum arcus pueros allident, & fructus ventris non miserebuntur, filiolis non parcet oculus eorum.* Jer. LI. II. *Excitat Jehova spiritum regum Mediæ, quia contra Babyloniam cogitatio ejus est, ut perdat eam.* Cyri etiam, ducentis antequam natus est annis, nominatim meminit Jesajas Cap. XLV. 1. 2. 3. *Sic ait Jehova Uncto suo, Cyro, cujus confirmaturus sum dexteram, ad sternendum coram eo gentes, ut lumbos regum dissolvam: ad aperiendum coram eo valvas, ut portæ non occludantur. Ecce tibi præiturus sum, & inæqualia æquaturus; valvas chalybeas fracturus, & vectes ferreos succisurus. Daturusque tibi thesauros abstrusissimos, & repositas opes abditissimas: ut cognoscas, me Jehovam, qui voco te nominatim, Deum Israëlis esse.*

LIV. Sic ergo huic Urso dictum a Deo est, *comede carnem multam.* Nam *comestio carnis* est personarum rerumque desideratarum usurpatio. Conf. Num. XXIII. 24. *Non accubabit donec comederit prædam, & sanguinem confossorum biberit.* Apoc. XVII. 16. *Desertam reddent illam & nudam, & carnes ejus edent.* Quid hic iterum coactum ac violentum est? Quid non ex scripturarum analogia petitum, confirmatum illustratum?

LV. Quarta Bellua Romanum respondet Imperium.

LV. Æque facilis est QUARTÆ BELLUÆ ad ROMANUM IMPERIUM applicatio: partim ANTIQUUM illud atque GENTILE, partim ANTICHRISTIANUM atque PAPALE. Et de posteriori quidem controversiam nobis Vir Eruditissimus non faciet. At quid obstat quo minus priora illa attribuantur Antiquo? Nonne illud *metuendum*, & *terribile*, & *robustum* admodum fuit? Plus certe quam Carolinum & successorum ejus, quod longe infra priscam illam Magnitudinem subsedit. Nonne *dentes* habuit *ferreos*, id est, audaciam, sævitiam, & cupiditatem inexplebilem, iis instructam armis, quæ ad nocendum ac rapiendum insigniter comparata erant? Nonne ei competit, quod *comederit*, & *comminuerit*, & *reliquum pedibus suis conculcarit*? Confer Dan. II. 40. Tria potissimum in tota hac descriptione huic Bestiæ attribuuntur. I. *Robur.* II. *Crudelitas.* III. *Rapacitas.* Quæ omnia in Antiquo Romano Imperio fuerunt eximia.

LVI.

LVI. Et de *Robore* quidem ac fortitudine, de qua & nomen habet, nemo dubitat. *Hieronymus Lib.* II. *adv. Jovin. Urbs* POTENS, *urbs Domina, urbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum.* ROMA *aut* FORTITUDINIS *nomen apud Graecos est, aut* SUBLIMITATIS *apud Hebraeos. Erinnia Poëtria*, apud *Lipsium*, ad ipsam Romam: LVI. *Simile ei, Robore.*

Ἢ γὰρ ἐκ πάντων σὺ μόνα κρατίστους
Ἄνδρας αἰχματὰς μεγάλους λοχεύεις
Εὔσταχυν δάματρος ὅπως ἀνεῖσα
Καρπὸν ἀπ' ἀνδρῶν.

Denique in cunctis populis valentem
Procreas bellis sobolem, utque laeta
Surgit e terra seges, ipsa abundas
Fruge virorum.

Exempla ex omni historia nota sunt: & singularia quaedam vide, si vis, apud *Lipsium De Magn. Rom. Lib.* IV. *Cap.* IV.

LVII. Sed ex eodem *saevitiae* peti possunt, & *crudelitatis* incredibilis exempla. Quam non in bello solum, ubi non satis sui potens plerumque animus est, sed & post foedera atque in pace exercuerunt. Laudatur Clementia *Julii Caesaris*; is tamen, teste *Plutarcho in ejus vita*, bello Gallico, quod novem annis confectum est, μυριάδας ἑκατὸν ἐν χερσὶ διέφθειρεν, *decies centena millia armata manu confecit.* Caucaei, populus Hispaniae satis potens, quum pares Romanorum armis & violentiae non essent, legatos supplices in castra ad *Lucullum* Imperatorem miserunt, pacem & foedus quacunque lege facturos. Ille obsides imperat, & argenti statim talenta centum, equites auxiliares certo numero. Omnia fiunt sedulo, & obnoxie. Imperat tum amplius, ut duo millia militum in urbem suam accipiant praesidii caussa. Id quoque factum. Sed illis occulto mandatum, ut muros portasque occuparent: atque ita Lucullus reliquum exercitum induxit; & tuba signum datum, ut sine discrimine senes, pueri, viri, foeminae interficerentur. Ita oppidum direptum, deletum: ipsa viginti millia hominum, per summum scelus, interemta. Neque degenerat *Sulpicii Galbae* facinus. Is Lusitaniam hostiliter ingressus vastabat, mirantibus illis, nec caussae aut culpae consciis. Legatos mittunt, foedera priora renovant: illo recipiente, & ultro miserante, quod sic affligerentur. Sed, inquit, egestas fortasse vos impulit praedas agere, & belli speciem praebere: medebor. Tripartito vos dividam, & in agro ac so- LVII. *Saevitia.*

ac solo pingui collocabo, ubi reliquum beati ac tuti agatis. Venite cum uxoribus, cum liberis: in talem vallem, talis illa pars adsignabo. Veniunt miseri, læti ac securi, & in triplici regione distincti, ad quorum primos quum accessisset, arma ponere, quasi amicos sociosque jussit: & iis positis milites immisit, & fidem ac Deos implorantes ad unum usque occidit. Idem alteris, tertiisque celeriter factum, & priusquam fama facinoris ad eos pervenisset. Hæc de Crudelitate.

LVIII. *Rapacitate.* LVIII. Proprætorum vero & Proconsulum ac Præsidum in exsugendis & expilandis provinciis *Rapacitas* fuit incredibilis.

— referebant navibus altis

Occulta spolia, & plures ex pace triumphos. (Juven. Satyr. 8.)

Eleganter Lipsius: *Poetæ Harpyas aliquas finxerunt, quæ contactu & unguibus omnia diriperent, aut fœdarent: in re, isti Romanorum Præsides fuerunt. Optimus & Bellissimus quisque ita se gerebat, ut bella omnia domum auferret. Demades olim dictitare solitus, quum ad Tribunal aut Magistratum iret, ad auream messem se ire: mihi crede, isti ibant, & Colchos quisque Jason sibi spondebat. Legisti tu Ciceronis illa de uno Verre? Pleraque talia in aliis, & miseri provinciales non nisi præda & spolium præsidibus suis erant.*

LIX. *Et quæ in usum suum convertere non poterat, pedibus conculcans.* LIX. Quomodo autem quæ devorare, id est, in usum suum convertere non poterant, *pedibus* suis *conculcaverint*, exemplo *Lucii Pauli* discamus, inter optimos civium habiti. Destinatum ei Epirum totam diripere, quod cum Perseo Rege sensissent. Quid facit? Ipsis Livii verbis, *Centuriones in singulas urbes submittit, qui se dicerent ad præsidia deducenda venisse, ut liberi Epirotæ, sicut Macedones, essent. Denos principes e singulis evocavit civitatibus. Quibus quum denunciasset, ut aurum atque argentum in publicum proferretur; per omnes civitates cohortes dimisit, sic ut uno die in omnes pervenirent.* (Lib. XLV.) *Edicta tribunis centurionibusque erant, quæ agerentur. Mane omne aurum argentumque collatum: hora quarta signum ad diripiendas urbes datum est militibus: tantaque præda fuit, ut in Equitem quadringenti denarii, Peditibus ducenti dividerentur. Centum quinquaginta millia capitum humanorum abducta. Muri deinde direptarum urbium diruti sunt: ea fuere oppida circa LXX.* Facta autem hæc omnia jussu Senatus sunt. Nonne hoc est avide primum quæcunque potes voracitate deglutire, mox residuum proculcare pedibus? Quum enim ex iis quæ transportari poterant nihil superesset, in miseros muros & tecta sævitum, & dirui ea jussa. Neve rarum id putes, docet *Polybius* solemnem ita sæviendi morem Romanis fuisse. *Videntur enim*, inquit, *terroris gratia hoc illi facere. Itaque*

que frequenter videre est, quando Romani civitates capiunt, non homines modo occidi, sed etiam canes dissecari, & aliarum animantium membra truncari.

LX. Porro *dissimilem*, testatur Daniel, hanc Bestiam fuisse *cæteris* quas viderat ante. Ubi interpretes primo de *specie visibili* hujus Bestiæ cogitant, qua discrepaverit a cæteris, tum de *diversitate* in *re significata*. Judæi nonnulli divinant, fuisse *Aprum Sylvestrem*, argumento Psalmi LXXX. 14. *Suffodit eam Aper sylvestris, & animal agreste depascit eam.* Verum non est tanta Apri præ Leone, Urso, Pardo, sævities, non tantum robur, ut exhauriat vim eorum quæ de hac Bellua, cæteris omnibus immaniori, prædicantur. *Pererius* conjectat, Bestiam hanc comparari posse illi *Indicæ*, cujus ex *Ctesia Gnidio* meminit *Aristoteles Lib.* II. *Historiæ Animalium Capite* 1. vocatque *Manticboram*, cui *dentes triplici utrimque ordine, magnitudo, ac pedes Leonis, facies & aures hominis, oculi cæsii, color rubricæ, cauda scorpionis modo agrestis aculeo armata, spiculaque agnata jaculans, vox fistulæ tubæve non absimilis, cursus non minoris pernicitatis quam cervis, feritas tanta ut nunquam possit mitescere, appetitus præcipue carnis humanæ.* Sed tacente Scriptura, prudentiæ est nihil definire. Si conjecturæ locus, non est absimile vero, Johanni eandem propemodum bestiam ostensam esse Apoc. XIII. 1. 2. in qua confusæ cæterarum partes fuerunt; *corpus pardo* simile, *pedes* ut *Ursi*, *os* ut *Leonis*: ut notaretur cæterarum omnium tam virtutes quam vitia huic uni inesse.

LX. Qua hujus fuerit Bellua a cæteris abludens figura.

LXI. Et sane *diversum* a cæteris Romanum fuit Imperium. I. Quod non uno modo fuerit gubernatum. Reliqua omnia Monarchiæ fuerunt. Hoc autem modo Monarchice, modo Democratice, modo Aristocratice gubernatum videas. Modo Reges, modo his exactis Consules, mox Decemviros, rursus Consules addito Dictatore; denique Principes, manentibus interim Consulibus, & Tribunis plebis, aliisque Magistratuum nominibus. II. Quod sub hoc Imperio manifestari debuit Antichristus, orbisque propemodum universus longe aliam induere faciem atque habuerat antea. Et sic paullatim eo deducimur, ut Romam olim *Gentilem*, nunc *Antichristianam* videamus. Utraque enim eodem communi symbolo exponitur, unumque Imperium est. Quod ex Nebucadnetzaris insomnio constat. Quæ sequuntur apud Danielem, ea de Roma Antichristiana intelligenda esse, una cum Celeberrimo Interprete arbitramur. Quibus ut nunc immoremur, nihil est necesse.

LXI. Romanum Imperium qua in re a cæteris diversum.

LXII.

LXII. Pardi & Alexandri analogia.

Bochart. Hieroz. Lib. III. Cap. VII.

LXII. Ad Pardum properamus: quo cum omnibus fere interpretibus Macedonum regnum, sive Græcorum Monarchiam, elegantissime præfiguratam esse, merito credimus. Quod non tantum ordo suadet, secundum ea quæ modo a nobis jacta sunt, sed & analogiæ concinnitas. Nempe I. Ut Pardus *statura parvus* est (mares enim vituli magnitudinem vix æquant, fœminæ canem venaticum mediocrem non excedunt) sed *animo* & robore maxime *præstans*, ita ut cum Leone & procerissimis quibusque feris congredi non vereatur: sic Alexander, pene Regulus, & cum exiguo apparatu, Regem Regum aggredi ausus est, id est Darium; cujus regnum a mari Ægeo usque ad Indos extendebatur. II. Nullum animal est Pardo *velocius*: ita & Alexander tanta pernicitate in rebus gerendis usus est, ut magnam partem habitati orbis annis duodecim subegerit. Cum qua celeritate multo tardiora Muhammedici Imperii incrementa conferri non possunt. Longe aliud est duodecennio orbem sibi propemodum subjicere universum; aliud decennii spatio Arabiæ provincias, cum vicinis quibusdam, subigere: quod supra in Muhammede notavimus. Somniaverat Mater Alexandri, Olympias, ex utero suo enasci fulmen. Proin & Apelles eum scite pinxit fulmen manu gestantem, quod in obstantia rapide fertur, & maximo cum impetu. Notumque est, quid responderit interrogatus, quo modo res tantas tam exiguo temporis spatio exsequi potuisset: nimirum μηδὲν ἀναβαλλόμενος, *Nihil cunctatus*. III. *Macularum* in Pardo *varietas*, secundum Grotium, mores Alexandri diversos notat: quippe qui modo clemens fuit, modo crudelis; modo victus temperati, modo ebriosus; modo abstinens, modo indulgens amoribus. Secundum alios, per maculas notantur diversi gentium quibus imperavit mores; vel etiam, artes, astus, ac fraudes Græcorum, quibus varium fuit promtumque ingenium ad quamcunque rebus induendam speciem. IV. Pardos, non vi, sed, *vino graves*, astu, hoc modo capi tradunt. Venatores observatis Pardi latebris, cymbia ibi vino repleta collocant. Cujus odore mox ex antris eliciuntur pardi; vinum avidissime hauriunt, & postquam incaluerunt mero, una ludunt, præcipites in venerem prosiliunt; deinde ebrii & coitu fatigati sopiuntur; sopiti capiuntur. Facit huc *Oppiani* illud: *Lib.* IV. *Cynegeticorum.*

Παρδάλιας καὶ δῶρα Διονύσοιο δάμασσαν,
Θηροφόνων δολερῶν δολερὴν πόσιν οἰνοχοεύντων

Pantheras etiam dona Bacchi domarunt, dolosis venatoribus dolosum potum fundentibus. Et sane Magnum Alexandrum, tot hostium victo-

rictorem, vino sæpe succubuisse, tandemque vino oppressum interisse, omnes norunt. Quæ præter has ab aliis, subtilius fortasse quam solidius, laudari solent analogiæ; eas sis apud *Pererium*, *Sanctium*, *a Lapide*, aliosque videto.

LXIII. Alæ quatuor quas Pardus in dorso habebat, celeritatis notationem intendunt; quæ duplo major fuit pernicitate Chaldæorum; quippe, ut ait Hieronymus, *nihil Alexandri victoria velocius fuit, ab Illyrico & Adriatico mari, usque ad Oceanum Indicum & Gangen fluvium, victoriis magis quam præliis orbem percurrit: & in sex annis partem Europæ, omnemque sibi Asiam, usque ad Indiam subjugavit.* Quamvis *senescendum fore*, Alexandro Darius scripserit, *tantum terrarum vel sine prælio obeunti. Curt. Lib.* IV. *Cap.* V. Nisi malis per quatuor alas intelligere, *quatuor Duces* Alexandri una cum exercitibus suis, quorum opera & adminiculo tot regiones expugnavit. LXIII. *Alæ quatuor celeritatis maxima symbolum sunt.*

LXIV. Capita quatuor notant quatuor illa regna, in quæ, post mortem Alexandri, divisum est ejus Imperium. Quod plenius ostenditur Cap. VIII. 8. *Et hircus ille caprarum crevit admodum: quum autem robustissimus esset, fractum est cornu illud magnum, & adscenderunt veluti quatuor loco ejus, versus quatuor ventos cœli.* Hoc est, exponente Angelo, vers. 21. 22. *Et juvenis ille hircus est Rex Græciæ. Et cornu magnum, quod inter oculos ejus, est Rex primus. Et, quod confractum est, & loco ejus existebant quatuor; Quatuor regna ex ea gente existent, & non cum viribus ejus.* Licet enim decertantibus inter se, post Alexandri mortem, successoribus ejus, in multas Dynastias, quas nonnulli decem enumerant, discerptum Imperium ejus sit: attamen cultissimam generis humani partem quatuor regna majora complexa sunt, nempe *Macedonia*, *Asia Minor*, *Syria* atque *Ægyptus*. Macedoniam *Cassipater*, Asiam Minorem *Antigonus*, Syriam *Seleucus*, Ægyptum *Ptolemæus* occupavit. LXIV. *Quatuor capita, totidem regna.*

LXV. Neque emphasi sua caret, quod additur, *potestatem* datam esse huic bestiæ. Quia præter omnem rationem naturæ, & præter omnium hominum opinionem accidit, ut tantilla militum manus tantum effecerit. Quis enim putasset, quum mare trajiceret, futurum eum victorem Asiæ, totiusque Orientis? In exercitu ejus fuerunt XXXII. millia peditum, non supra quinque millia equitum, navesque centum & octoginta. Hac tam parva manu, universum terrarum orbem, utrum sit admirabilius quod vicerit, an quod aggredi ausus fuerit, incertum est. Hoc certum, ipsum vi veritatis subactum, victorias suas Deo accepto tulisse: nisi fallit Josephi narratio alibi quoque a nobis laudata. LXV. *Potestatem sibi a Deo datam Alexander agnovit.*

LXVI. Soltan quod vis Imperium notat.

LXVI. Judicet nunc prudens lector, annon æque saltem perspicua (ut nihil nunc supra quam par est postulem) æque facilis, æque plana sit hæc nostra Divini ænigmatis explicatio, qua *Pardum* ad *Alexandrum* illiusque successores referimus; atque illa quæ de *Muslimico* Imperio nos cogitare jubet. Nam quod non nemo urget vocem שלטן SOLTAN, quasi ea Turcarum potius quam quævis alia potestas designaretur, eo quod Turcici Imperatores etiamnum *Sultani* dicantur, id, ut mollissime loquar, non magnæ rei est. Vox enim ea admodum generalis est; & quodcunque imperium, quemcunque imperatorem notat. Etiam, ne longe abeam, hoc ipso Capite. Commate 12. Bestiis attribuitur: ושאר חיותא העדיו שלטנהון. *Et quod attinet reliqua animalia translatus est dominatus eorum.* com. 14. Filio hominis. com. 16. Bestiæ quartæ. com. 27. Populo sanctorum excelsorum. Neque mirum est, eam gentem, cujus lingua Hebraicæ atque Chaldaicæ affinis est, id nomen sibi retinuisse.

LXVII. Novæ expositionis incommoda.

LXVII. Atque ita, nisi fallor, ostendimus, expositiones nostras, nusquam strigantes, inoffenso semper pede procedere: remotis è medio difficultatibus, quas injicere Celeberrimo Interpreti visum est. Nunc quid in ipsius interpretatione desideremus, candide exponere fas esto. Nihil nunc dicam de inventionis *Novitate*, quæ, quamvis antiquis probatisque temere anteponenda non sit, gratiam tamen conciliare potius, uti nunc sunt hominum ingenia, quam suspicionem ciere solet. Rem ipsam expendere malo.

LXVIII. Ubi illud mihi oppido durum esse videtur, quod Animalia hæc replicata esse velit in *Bestia Apocalyptica*, quæ ex hisce quatuor quasi conflata est. Unde consequeretur, & gentes *Arianas*, sævas & fusco colore, hoc est, abominabiles abnegatione magnitudinis Christi, repræsentatas emblemate *Ursi*, & Imperia *Musulmannorum*, sive *Chalipharum*, in Syria, Ægypto, Asia, Græcia, figurata symbolo *Pardi*, pertinere ad *bestiam Apocalypticam*, ita ut quasi dimidiam illius partem constituant. Id autem non video qua ratione defendi, & cum cæteris Viri Doctissimi hypothesibus conciliari possit.

LXIX. Bestia Apocalyptica definitiones.

LXIX. Quod enim est *Bestia* illa *Apocalyptica*, cui potestatem suam dedit Draco? Audiamus ipsas Viri Doctissimi definitiones. In *Tractatu de Ecclesia & Babylone*, §. LXXIV. ad quæstionem hanc ita respondet: *Facile id sane est dicere. Si enim* DRACO *est Satanas, populi Romani ipsum palam adorantis viribus & potestate armatus, & vestitus: utique* BESTIA, *cui cedit Draco thronum suum, est* MULTITUDO CHRISTIANO NOMINE NON IN VERITATE OVANS, *& eandem potestatem usurpans:* *sive*

sive, ut populus Romanus Diabolum palam adorans, & Christianam religionem oppugnans, accensetur Draconi septem capitum; ita populus Romanus in omnibus partibus Romani Imperii CHRISTIANUM NOMEN PRÆ SE FERENS, ET VERBA FUNDAMENTI VEL LOQUENS VEL AUDIENS *& dici permittens, sed ea non intelligens, & in Christum non credens fide recta & vera, sed opiniones hominum sequens, & nomen humanum nominans, est Bestia.* Paulo post. *Quid igitur reliquum est, nisi populus nominatus Christianus, Thronum habens in terra, & potentiam Civitatis Draconis possidens, distinctus, per id quod veram fidem non habet, a Civitate Sancta. Et quomodo non notaret Bestia populum nominatum Christianum, quum secunda Bestia, quæ coram ea omnem potestatem ejus facit, gerat cornua instar Agni? quo certe notatur similitudo Agni in hypocrisi, sive usurpatio eorum quæ vero Agno competunt, sive sint duo Testamenta, (ut Primasius vult) sive potestas aperiendi & claudendi.* Adde ex commentariis in Apoc. XIII. §. VII *Sub nomine Bestiæ adscendentis ex mari depinxit Rempublicam Christianam, quæ visa est esse Ecclesia, & ipsum regnum Dei, quod exspectabant martyres, & in quod Apostolus dicit per multas tribulationes intrandum esse.* Actor. XIV. 22. *quum tamen esset Bestia, & persecutrix sanctorum.* Iterum de Eccles. & Babylon. §. LXVII. *Imprimis non puto dubitari posse, quin hæc Bestia in qua sedet Meretrix* Apoc. XVII. *sit eadem cum ea, quæ alioquin in Apocalypsi dicitur Bestia adscendens ex Abysso, sive ex mari* Apoc. XI. 7. XIII. 1. Meretrix autem, secundum Auctorem nostrum, est Hierarchicus ille Romanæ Ecclesiæ ordo: sive, ut ipsius id verbis dicam, *Multitudo docentium errores, & populum qui vocatur Christianus, & est Bestia, sibi subjicientium, consociata inter se legibus & auctoritate.* Ibid. §. LXXVI. Porro mulier ea describitur Apoc. XVII. 4. amicta purpura & cocco, & deaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, subintellige, ornata. Ubi per *purpuram* & *coccum* intelligit Vir Doctus *nomen Christi qui in carne venit, & sanguinem pro Ecclesia effudit; per aurum, nomen Spiritus Sancti, cujus assistentiam sibi vendicat Meretrix;* per *lapides pretiosos* & *margaritas, Sanctos, Justos, Prophetas, Apostolos, Martyres, qui apud ipsam nominantur.*

LXX. Hanc definitionem Bestiæ si admittamus; non video qua ratione illius partem facere possit *Ariana* factio: & *Gothicus Vandalicusque* furor; ea enim nunquam visa est esse regnum illud Dei, in quod per multas tribulationes intrandum esset: ea non est locuta verba fundamenti, quum ipsorum doctrina sit, ut bene dixerunt Veteres, ἀρνησίθεος αἵρεσις: ea non habuit insessorem Meretricem, sive Clerum Ecclesiæ Romanæ, a quo semper condemnata, ejecta, & ex Ecclesiæ pomœ- *LXX. Partem illius facere non possunt neque Arriana Hæresis, neque Muhammedismus.*

pomœriis extrusa est. Multo minus Bestiæ partem facit *Muhammedismus*, qui neque præ se fert Christianum nomen, neque sedet super septem illis montibus, aut possidet potentiam civitatis Draconis; neque habet cornua Agni, neque insidetur a Meretrice; neque est Respublica Christiana, aut visa unquam Regnum Dei; breviter nihil omnino habet ex definitione Bestiæ.

LXXI. *Bestia Apocalyptica sola Quarta Danielis aliqua sui parte respondet.*

LXXI. Quid ergo? Non replicantur quatuor Bestiæ Danielis in una illa Apocalyptica, uti Auctor noster loquitur: sed respondet Apocalyptica quartæ Danielis, saltem quoad aliquam illius partem, multaque de ea signatius & copiosius exponit, quum propiora nunc illius tempora facta essent, quæ Danieli, longius ab iis semoto, indicta manserunt. Accurata utriusque imaginis collatio, qualem Nobilissimus instituit *Launæus*, observationem hanc in clara luce collocabit. I. Daniel, postquam tres enarrasset Bestias, quarum prima *Leoni*, altera *Urso*, tertia *Pardo* similis erat, quartam ait *differentem* fuisse a tribus prioribus: quam autem speciem habuerit, id enimvero tacet. Johannes vero exponit, dum docet *tres species* concurrisse *in una*, sic ut *truncus* corporis *Pardum*, *pedes Ursum*, *os Leonem* referret. II. Tam Daniel quam Johannes *decem cornua* huic Bestiæ attribuunt. III. Uterque ea exponit de *decem Regibus* exsurrecturis & regnaturis. Dan. VII. 24. Apoc. XVII. 12. IV. Uterque in hac bestia deprehendit *os loquens grandia & blasphemias adversus excelsum.* Dan. VII. 8. 25. Apoc. XIII. 5. V. Daniel vidit cornu hujus bestiæ *gerere bellum cum sanctis & prævalere eis.* Dan. VII. 21. Johannes, *datum esse ei bellum gerere cum sanctis, & eos vincere.* Apoc. XIII. 7. VI. Daniel dicit *tradendos esse sanctos in manum ejus ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Dan. VII. 25. id est tres annos cum dimidio. Johannes, *data est ei potestas agendi menses quadraginta duos* Apoc. XIII. 5. qui tantundem temporis conficiunt. Conf. Apoc. XII. 14. VII. Daniel dicit, *occisam esse Bestiam illam, perditumque corpus ejus, ac traditum incendio ignis.* Dan. VII. 11. Johannes, *Et comprehensa est Bestia, & cum ea Pseudo propheta, & vivi conjecti sunt ambo, in stagnum ignis ardentis sulphure.* Apoc. XIX. 20. Tanta utriusque conformitas satis evincit de eadem re agi. Non ergo replicantur quatuor Bestiæ Danielis in una Apocalyptica: & sic argumentum Viri Doctissimi inde petitum prorsus concidit.

LXXII. *Nova expositio alas Pardi a capitibus non satis bene distinguit.*

LXXII. Præterea & illud considerationem meretur; num *Alas* quatuor a quatuor *Capitibus* Pardi satis bene distinguat. Per *Alas* intelligit quatuor *magnas partes Imperii Romani*, quæ per Musulmannos avulsæ sunt, *Syriam*, *Asiam*, *Africam*, *Graciam.* Reli-

Reliqua extra Imperium Romanum sita, ad *corpus* refert. Ubi primo lubet quærere, qua auctoritate, quove argumento, eas solum Muslimici Imperii partes ad alas referat, quæ olim Romanorum fuerunt, exclusis reliquis? An quia Romanum Imperium Aquilæ comparatur Alatæ? Sed & eodem symbolo repræsentatur Imperium Babylonicum Ezech. XVII. 3. ubi difficile esset alas ita a corpore distinguere. Quid ni ergo & illæ orbis partes quæ olim ad Babylonicum pertinuerunt Imperium, nunc autem Muslimico subsunt, alarum nomine comprehenduntur? Deinde confundi sic *Alæ* videntur cum *Capitibus*, quibus intelligi dictat *Caliphatus*, sive Dynastias Musulmannicas, in iisdem orbis partibus.

LXXIII. Accedit & hoc incommodum: ut *quatuor capita* inveniret, ponit *quatuor* præcise *Caliphatus*, quum tamen plures numerentur in Imperio Muslimico. Taceo minores alios; potens fuit *Caliphatus Cordubensis* in *Hispania*: *Carvanus* in *Africa Orientali*: *Fessanus*, in *Africa Occidentali*; ex quibus Fessanus hodienum superest, nomine *Calipha* in nomen *Xeriphi* mutato. LXXIII. *Quatuor solum Caliphatus numerat, quum plures sint.*

LXXIV. Quum itaque recepta interpretatio facilis ac plana sit, & quæ ei opponuntur levi opera removeri queant, nova vero non validis se argumentis approbet, multisque ac gravibus prematur difficultatibus; concludo, illam huic anteponendam esse; & Pardi Emblemate Macedonum potius quam Muslimorum Imperium significari. LXXIV. *Conclusio.*

DISSERTATIO V.

DE

CULTU MOLOCHI

I. Capita hic exponenda. II. Ritus. III. IV. Moloch commune Diis Orientalium nomen. V. Præcipue tamen sol eo nomine cultus esse videtur. VI. Amosi vexata pericopa. Cap. v. 26. *VII. Ubi per Regem Israëlitarum, intelligitur Moloch. VIII. Per Kiun, Saturnus. IX. Ægyptiis Remphan. X. Tabernaculum Molochi, fuit ædicula aut thensa portatilis. XI. Quo alludi videtur Ps.* XIX. 5. *XII. An Idololatria hæc Israëlitis secundum literam attribuatur, an arcano significatu. XIII. Illud Spencerus probat. XIV. Hoc, post alios Coccejus. XV. XVI.*

XVII. Nostra ἐπίκρισις. XVIII. Traducere per ignem aliquando solum transitum lustricum notat. XIX. Aliquando & combustionem. XX. Ejus modus. XXI. In valle Hinnon, unde Gehennæ nomen. XXII. Quæ & quanta in his sacris concurrant scelera. XXIII. Ex quibus tamen aliquid boni disci potest.

I. Capita hic exponenda.



VTi nulla in re magis perspicitur D. O. M. erga genus humanum pietas, & φιλανθρωπία, quam quod unigenitum suum Filium succidaneam nobis victimam dederit: ita vix ulla in re clarius elucescit hominum impietas, & ἀπανθρωπία, quam quod charissima sua pignora malis dæmonibus oblatum atque immolatum iverint. Id QUIBUS RITIBUS, non à peregrinis solum nationibus, sed, quod stupeas, AB IPSO DEI POPULO, FACTUM SIT; CUR à Deo INTERDICTUM; & QUEM denique USUM PRÆBERE NOBIS POSSIT, hac Dissertatione exponere animus est.

II. ritus.

II. Ad cognitionem horrendi RITUS duo potissimum pertinere videntur. I. *Cui Deorum* sacrati liberi. II. *Quo* id factum sit *modo.*

III. Moloch commune Diis Orientalium nomen.

III. Is quem vetusti Orientales liberorum immolatione coluerunt, in Sacris passim MOLECH vel *Moloch* dicitur. Hunc plerique *Saturnum*, alii *Martem*, nonnulli *Mercurium* fuisse contendunt. Probabilius, si quid judico, *Petitus*, & post eum *Spencerus*, nomen hoc Diis Orientalium commune esse opinantur, sub quo tamen *Dæmonem* aliquem aut *Heroëm* famosiorem, sæpius *Solem*, in simulacro venerati sint.

IV. Rationes hæ sunt. I. MOLOCH *Regem* notat. LXX. vertunt τὸν ἄρχοντα, aliquando βασιλέα. Hoc autem nomine insignivere Deos suos idololatræ, quod imperium iis in cuncta attribuerent; eoque gavisus est Diabolus, βασιλεὺς τοῦ αἰῶνος τούτου, sibi vindicans quæ non nisi creatori universi conveniunt. Maxime autem hoc nomen illi attribuerunt, quem Deorum summum putaverunt, quique in vetustissima Phœnicum Theologia singulari titulo ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΘΕΩΝ nuncupatur. II. MOLOCH & BAAL usurpantur aliquando promiscue. Vid. Jer. XXXII. 35. col. cum Jer. XIX. 5. *Baal* autem & *Bel*, quod *Dominum* notat, communiter de Diis omnibus dicitur, qui addito epitheto aliquo ab invicem distinguuntur. Aliquando utraque vox jungitur ad unum idolum significandum, MELACHBEL. Ut in antiqua illa inscriptione, quam *Seldenus* exhibet *de Diis Syr. Lib.* II. *C.* I.

ΑΓΛΙΒΩΛΩ· ΚΑΙ ΜΕΛΑΧ

ΒΗΛΩ ΠΑΤΡΩΟΙΣ ΘΕΟΙΣ.

III. Di-

III. Diversæ gentes suum singulæ habuere *Molochum*. 1. Reg. xi. 7. *Molech* dicitur *abominatio filiorum Ammon*. Non quod iis peculiare esset idolum: nam & aliæ gentes habuerunt מַלְכָּם, i. e. *suum Melech*: ut scribitur Zeph. 1. 5. Et Dii Sepharvaim, vocantur אדרמלך, *Adramelech*, & עֲנמלך, *Anamelech*. 2. Reg. xvii. 31. Quorum illud *Regem*, sive Deum, *Magnificum* notat (ut Philistini dicebant 1. Sam. iv. 8. אלהים אדירים *Dii Magnifici*) hoc, *Deum Respondentem*. Romani dicerent, *Jovem Oracularem*. Tyriorum ac Sidoniorum Deus dictus Μελκάρθος, *Meli certa*, מלך קרתא, *Rex urbis*, ὁ πολιοῦχος Θεός. *Athenagoras* in *Legatione*, Carthaginenses Ἀμίλκαν, i.e. המלך, vel forte המלכה, Βασιλέα, aut Βασίλειαν, veneratos esse testatur. Et qui Jes. xxxvi. 19. vocantur אלהי *Dii Hamath*, *& Arphad*, *& Sepharvaim*, illorum singuli 2. Reg. xix. 13. מלך *Rex* istarum urbium dicuntur.

V. Præcipue tamen Sol eo nomine cultus esse videtur.

V. Ex quibus omnibus conficio, *Molech* commune nomen esse, quod variæ gentes orientales Diis suis imposuerunt; illi præcipue, quem Deorum summum esse opinabantur; & cui idcirco optimis omnium sacrificiis, humanis nimirum, litandum esse judicabant. Et maxime quidem ad *solem* hoc referendum videtur, qui *Rex militiæ cœlestis*; sicuti Luna מלכת שמים *Regina cœli*.

VI. Amosi vexata pericopa. Cap. v. 26.

VI. Lubet hac occasione exponere vexatum locum Amos v. 26. allegatum à beato Stephano Act. vii. 43. quatenus instituto nostro servit. Verba Amosi ita habent. ונשאתם את סכות מלככם ואת כיון צלמיכם כוכב אלהיכם אשר עֲשיתם לכם: Junius in hunc modum transtulit: *Imo portastis tabernaculum Meleci vestri, & basin imaginum vestrarum; Sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis.* Stephanus Protomartyr ita ea suæ inseruit Apologiæ: *Imo bajulastis tabernaculum Molochi, & Sidus Dei vestri Remphanis, quas figuras fecistis, ut eas adoraretis.* Ad quorum verborum sensum rite atque ordine indagandum, tria hæc explicanda esse videntur. I. Quid intelligendum per מלככם *Melecum*, *Regem vestrum*. II. Quid sit *Portare* סכות istius. III. Quo pacto id *Israëlitis* attribuatur.

VII. Ubi per Regem Israelitarum intelligitur Molech.

VII. Per מלככם *Melecum* aut *Regem vestrum*, non intelligitur Rex aliquis terrenus: uti omnes nisi fallor agnoscunt. Neque Deus, Rex cœlestis: id enim iis vitio imputari non poterat, quod Deum pro Rege suo agnoscerent. Sed *Sol*, quem Orientales nunc בַּעַל, aut Syriace בְּעֵל, nunc מֶלֶךְ appellabant, alias מַלְכָּם. Quod apparet I. *Ex antiquis versionibus*. Nam Syrus & Arabs habent מַלְכּוֹם, & LXX Μόλοχ. II. *Ex allegatione Stephani*, qui non solum habet σκηνὴν τοῦ Μόλοχ; sed

sed & hinc probat Israëlitas cœli militiæ cultum præstitisse. vers. 42. III. *Ex re ipsa.* Jungitur enim כיון כוכב אלהיכם. *Kiun, stella Dei vestri.*

VIII. Per Kiun Saturnus.

VIII. כיון *Kiun* autem *Saturnum* significat, qui in lingua Arabica ac Persica dicitur כֵּיוָאן *Keivan.* Proprie notat eam numinis virtutem, quæ existentiam, naturam, aptitudinem rebus omnibus tribuit. כון in Kal Hebraice est *aptari, disponi.* Arabice & Syriace, *fieri.* In Hiphil & Piel, *facere ut existat*, generare, naturam indere. כְּיָנָא *Kejana* Syris, *natura.* Id autem *Saturno* attribuebant Veteres, quod omnis existentiæ, naturæ & aptitudinis auctor esset. *Dionys. Halicarn. Lib.* I. Τȣ̃τον τὸν δαίμονα, quem Saturnum Romani nuncupant, πάσης εὐδαιμονίας δοτῆρα καὶ πληρωτὴν ἀνθρώποις εἶναι.... καὶ περιειληφέται τὴν τȣ̃ κόσμȣ φύσιν.

IX. Ægyptiis dictus Remphan.

IX. Porro quem alii Orientales כיון, *Kiun*, eundem Ægyptii *Remphan*, sive *Rephan* dixerunt; ut ex *Salmasio* ostendit *de Dieu ad Act.* VII. Unde prudenter factum ab Interpretibus, quod, in Ægypto Biblia transferentes, pro ignoto Ægyptiis Hebræorum *Kiun* notissimum ipsis *Rephan* aut *Remphan* substituerint. Videtur autem utrumque nomen, tam *Kiun*, aut *Remphan*, quam *Moloch*, ad idem sidus spectare, quamvis alio habitu & cultu, sicut *Luna* & *Diana* apud Græcos. *Moloch*, Regis figuram habebat: *Kiun*, Stellæ. At sive *Remphan* eundem existimemus cum *Moloch*, sive diversum ab ipso, certe de eo hic agi palam est qui ad militiam cœli pertinet.

X. Tabernaculum Molochi fuit ædicula aut thensa portatilis.

X. Quid autem est סכות, ἡ σκηνὴ τȣ̃ Μόλοχ, *Tabernaculum Molochi?* I. *Grotius*, *Hammondus*, alii, putant hic notari ναΐσκȣς, *ædiculas*, ad templi similitudinem efformatas, & portatiles. Capsulas enim ejusmodi, simulacra parvula continentes, in usu idololatrico fuisse, multis veterum testimoniis probaverunt *Casaubonus* & *Grotius ad Act.* XIX. 24. Ubi Lucas memorat ναȣ̀ς ἀργυρȣ̃ς Ἀρτέμιδος, ædiculas templi effigie factas, quibus Dianæ sive Lunæ simulacrum condebatur. II. *Seldenus* intelligit tabernaculum grandiusculum, è levi & portatili materia fabrefactum; in quo Molochi effigies. Nam & Chaldæus textum sic explicat, *& portastis bini tabernaculum Moloch*; & *Philo Byblius* apud *Eusebium* meminit ναȣ̃ ζευγηφορȣμένȣ, *fani portatilis Magni Phœnicum Dei.* III. *Ludovicus de Dieu*, & alii, à quo nec *Seldenus* abludit, *Thensam* exponunt, aut *Lecticam.* Erat autem *Thensa*, vehiculum, sive ferculum eburneum, vel argenteum, velo sæpe coopertum, quo simulacra Deorum, in pompis potissimum, circumferebantur. *Serv. ad* VI. *Æneid.* ξόανα, *simulacra brevia quæ portabantur in lecticis,*

ticis, & ab ipsis mota infundebant vaticinationem, quod fiebat apud gyptios & Carthaginienses. Quidquid fuerit (non enim hæc multum invicem distant) ad ritum idololatricum pertinuit, illud qualecune *tentorium circumferre* in honorem Dei, cui dicatum erat, cujusque nulacrum ei erat inclusum. Imo illud tabernaculum non tantum eptaculum erat quo inclusus Moloch gestabatur, sed ipsum idolum: ago *cœli*, in quo *Sol*, magnus ille astrorum Rex, tanquam in tabersculo continetur.

XI. Non est improbabilis conjectura *Lud. de Dieu* & *Spenceri*, hunc asisse Psaltem: Ps. xix. 5. לשמש שם אהל בהם. *Soli posuit taberulum in iis.* Tacite enim hic videtur religiosam gentilium insaniam gillare, qui solem, cui Deus tabernaculum in cœlis posuit, in angusuis tabernaculis circumferentes, eum non tam colebant, quam deestabant. *XI. Quo alludi videtur Ps. xix. 5.*

XII. At quo pacto *Israëlitis* attribui hæc omnia possunt? Plerie Interpretes ita Prophetæ verba cum antecedentibus nectunt, ut ad mpus oberrationis Israëlitarum in deserto referenda sint. Eorumque nulli hæc ab Israëlitis secundum literam ita facta esse contendunt: ad arcaniores significatus confugiunt. *XII. An Idololatria hæc Israëlitis secundum literam attribuatur, an arcano significatu.*

XIII. *Spencerus* vult, Israëlitas pravas illas, quibus in Ægypto büti erant, opiniones, in deserto retinuisse. Et consequenter ea Ægyptiorum idola quasi propria dicavisse, quæ ipsorum per solitues oberrantium conditioni maxime accommodata erant. Consula itaque duxerunt *Osirim* imprimis in *Molocho* colere, ut ille qui seidum *Mercurium Trismegistum* creditus fuit corporum uniuscujusque tis præfectus, virium etiam & roboris auctor, in difficillima pereatione vires eorum reficeret. Præterea *Kiun*, aut *Saturnus*, Deus spitalis fuisse videtur, qui homines inopes, & sede certa destitutos, lientelam suam suscepit. Hinc illum maxime tunc sibi propitiann Israëlitæ existimarunt. Denique palantium conditioni valde contanea fuerunt exigua simulacra, & portatilia tabernacula, minima eris impedimenta. Objicit quidem sibi Mosis silentium; at sufficelicit testimonium Amosi. *XIII. Illud Spencerus probat.*

XIV. Quia tamen vix probabile videtur, Israëlitas præsente Mosam nefariam idololatriam committere ausos, neque unquam, quod atur, eo nomine a Mose increpitos fuisse; hinc alii censent, non tam erna Israëlitarum *facta*, quam *animum* ab Amoso notari. Quasi isset: ministravistis specie quidem tabernaculo Dei vivi; revera aua coluistis *Molochum*, quem impietate vestra vestrum fecistis. Sic *Ju-* *XIV. Hoc, post alios Coccejus.*

nius & *Tremellius*. Præclare hoc exsecutus est *de Dieu ad Act.* VII. & post eum *Coccejus*. Summa huc redit. Tabernaculum Mosaicum cum Cherubinis non eò referebant Judæi quo par erat, videlicet ad Christum & bona per ipsum præstanda: sed considerabant, sicut adhuc ipsorum Doctores faciunt, ut mundi & naturæ delineationem. Vide sis Dissertationem meam de *Tabernaculo Levitico*. §. XXII. Qui vero ita solum *Tabernaculum Dei* considerat, nihilque de Messia illiusque beneficiis cogitat, is vertit illud in *Tabernaculum Molochi*, neque meliorem de Deo fidem habet eo qui *Molochum* adorat. Quique ea mente *Tabernaculum Dei portat*, uti per Levitas fecerunt Israëlitæ; is non præstat Deo gratiorem cultum, quam si *portaret tabernaculum Molochi*.

XV. *Nostra sententia.* XV. Quamvis hæc acute dicta sint, nescio tamen qui fiat ut simplicissima interpretatio omnium optima mihi esse videatur; modo nihil obstet. Hic autem nihil omnino obstat præter silentium Mosis. Ea vero difficultas variis modis tolli potest. Observandum est Mosen non omnia de Israëlitis in Ægypto aut deserto retulisse, quæ apud alios Prophetas exstant. Pro exemplo sit Ezech. XX. 7. 8. Ubi narrat Deus, quod Israëlitis in Ægypto commorantibus edixerit, *ut quisque res detestandas oculis suis abjiceret, neve stercoreis Diis Ægypti se polluerent*: quod tamen rebellantes noluerint sibi parere. Qua de re historia Mosaica nihil habet. Versu autem 24. exprobrat Deus Israëlitis in deserto, quod *oculi ipsorum secuti sint stercoreos Patrum Deos*; ii vero Dii Ægyptiorum erant. v. 7.

XVI. Adfertur à nonnullis v. 26. *Traduxerunt omne id quod aperit vulvam*. Sed id alio spectare videtur. Non enim additur, *per ignem*: neque credibile est *omnes* Israëlitarum primogenitos *Molocho* consecratos fuisse. Non improbo *Cocceji* expositionem, qui comma illud sic vertit: *Impuros illos declaravi cum donis suis, quum traduceretur omne aperiens vulvam*. Quæ traductio non ab Israëlitis facta est, sed à Deo. Neque notatur traductio per ignem, sed ad id ut quis Deo sacer sit. Fecit sibi transire Deus omnem primogenitum. Exod. XIII. 12. Pro iis dein assumsit Levitas. Num. III. 4. Et sic cæteri omnes impuri declarati sunt, dum arcebantur à ministerio tabernaculi. Displicuit Deo Dathanis sermo, *totum populum esse sanctum*.

XVII. Deinde non est necesse ut hæc de *Israëlitis in deserto exponantur*. Possunt enim serioribus applicari, ut propior caussa transportationis Assyriacæ. Quasi diceret Deus: parentes vestri mihi sacrificia in deserto non obtulerunt, & propter malos mores perierunt: illis autem multo vos estis pejores. Illi murmurarunt adversus me, vos alios

Deos,

Deos, & propudiosissimos quidem, introduxistis. Ideo migrare vos faciam &c. Ita *Grotius*, & sic nulla difficultas remanet.

XVIII. Atque hæc quidem de *Molocho* dicta sufficiant. Nunc sacerrima illius *Sacra* videamus. Ea exponuntur hac phrasi, העביר באש *traducere per ignem*. Quod duo notat. I. Id quod minimum est, *transitum per ignem*. Extruebantur duæ pyræ, inter quas puer vel à sacerdotibus vel à parentibus deducebatur, vel jubebatur flammas transilire, ut ita lustratus, expiatus, & Molocho solemniter addictus esset. Ita transtulerunt Græci: Deut. XVIII. 10. οὐχ εὑρεθήσεται ἐν σοὶ περικαθαίρων τὸν υἱὸν αὐτοῦ καὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ ἐν πυρί. Nec immerito. Nam I. vox העביר eum significatum habet. Exod. XIII. 12. והעברת ליי. Id est *& consecrabis Domino*. II. *Lustrationes* & consecrationes idololatricæ veterum, ut plurimum *igne* fiebant. *Mithræ* sacris initiati cogebantur inter alias molestas cerimonias διὰ πυρὸς παρελθεῖν καὶ διὰ κρύους, *per ignem transire & per frigus*. Sic & *Rustici* olim *Romæ*, cum fœno conjectis stipulis ignem magnum transiliebant, his Palilibus expiari se credentes. Quo illa faciunt:

Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri strenua membra pede.

Ipsi *Christiani Veteres*, qui Gentilismum nondum penitus exuerant, in *Noviluniis* ingentes rogos accendere, & flammam transilire soliti, hoc nomine à *Chrysostomo*, & *Synodo Trullana* increpiti sunt. Vid. *Grot. ad Deut.* XVIII. 10. Ex quo sua *Spencerus*. Adde *Ainsuvort. ad Lev.* XVIII. 21. & *Additamenta Beyeri ad Seldenum*.

XVIII. Traducere per ignem aliquando solum transitum lustricum notat.

XIX. II. Notat *mactationem* & *combustionem* in holocaustum. *Cananæi* enim, & vicini iis populi, soliti fuere morti dare liberos in honorem Deorum suorum. Imo quum gravissimæ calamitates publicæ metuerentur, *Reges* populorum filium, quem diligerent maxime, immolabant ad placandam Deorum iram. 2. Reg. III. 27. Hinc & ad *privatos* id transiit. 2. Reg. XVII. 31. Atque à *Gentilibus* ad *Israëlitarum Reges* 2. Reg. XVI. 3. *Achazus ambulavit in via Regum Israëlis; atque etiam filium transmisit per ignem, secundum abominationes gentium, quas expulerat Jehova a facie Israëlitarum.* Ad quem locum *Josephus*: ἴδιον ὁλοκαύτησε παῖδα κατὰ τὰ τῶν Χαναναίων ἔθη. Licet alii aliter interpretentur: & Hiskiæ applicent, qui postea regnavit. Vid. *Spenc. p.* 316. Fortasse unum fecit solummodo transire: sed alios combussit. 2. Chron. XXVIII. 3. Confer exemplum Manassis. 2. Chron. XXXIII. 6. Ejusdem sceleris rei fuerunt multi ex populo. Quod palam est ex Jer. XIX. 5. VII. 31. Ezech. XVI. 20. 21. XXIII. 37. Psal. CVI. 38.

XIX. Aliquando & combustionem.

XX. *Ejus modus.*

XX. *Modus* diversimode describitur. Summa fere hæc est: Fuit Moloch imago concava, facie vitulina, manibus protensis. Hanc igne accendebant sacerdotes: infantem imponebant manibus ipsius donec combureretur. Interim tympanis pulsabatur, ne audiretur ejulatus infantum. Persuaserant autem impii sacrificuli, uno sic infante oblato, cæteros salvos fore, totamque familiam rebus prosperis usuram. Vid. *Drusium ad Act.* VII.

XXI. *In valle Hinnon, unde Gehennæ nomen.*

XXI. Peragebantur hæc Sacra in *Tophet; valle filiorum Hinnom.* Jer. XXXII. 35. 2. Reg. XXIII. 10. Creditur *Tophet* dicta à *Tympanis.* Ab hac valle *Hinnon* est *Gehennæ* nomen. Res notissima. Ibi commissa fuit ultima impietas. Postquam polluta à Josia esset, 2. Reg. XXIII. 10. horrori omnibus iste locus fuit: quo sordes ac cadavera projiciebant, & fovebatur ibi ignis perpetuus ad comburendum sordes & ossa. Hinc *gehenna ignis.* Matth. V. 22.

XXII. *Quæ & quanta in his sacris concurrant scelera.*

XXII. Impietatem hanc severe suis INTERDIXIT Deus. Levit. XVIII. 21. Deut. XVIII. 10. Addita mortis pœna. Lev. XX. 2. Caussa interdicti: Quod ritus ille esset I. *Legi naturæ*, & pietati in liberos, *contrarius.* Ps. CVI. 38. II. *Sacrilegus.* Nam liberos, Deo genitos, eique per circumcisionem sacratos, furto auferebant, & sacrificabant Dæmoni. Ezech. XXIII. 37. III. *Magicus*, conjunctus plerumque cum consultatione Dæmonum. Unde eodem tenore utrumque simul interdicitur. Deut. XVIII. 10. & simul factum esse narratur. 2. Reg. XVII. 7. XXI. 6. IV. *Propitiatorius*, ad averruncanda mala. Quod nec Dæmones poterant facere: nec sibi humanis hostiis litari Deus voluit, ne id cederet in obscurationem sacrificii Christi. conf. Mich. VI. 7. Nam palam satis est, sacrificia bestiarum non nisi typicam expiationem præstare. De humanis aliud præsumi posset.

XXIII. *Ex quibus tamen aliquid boni disci potest.*

XXIII. Aliquid tamen BONI ex profano hoc ritu disci potest. I. Insitum esse hominibus, non convenire numini ut propitium se peccatoribus præbeat, nisi interveniente idonea hostia. II. Non sufficere ad id sacrificia pecudum. Mich. VI. 6. 7. III. Consecrandos liberos nostros esse Deo, illiusque rei publicam esse faciendam professionem. IV. Nihil nobis tam carum esse debere quod non libentes impendamus numini.

DIS-

DISSERTATIO VI.

DE

SECULO HOC ET FUTURO.

I. Dissertationis momentum. II. Argumentum. III. Diverso adspectu eadem res referri potest ad seculum præsens & futurum. IV. Mundus futurus Hebræis notat statum animarum post mortem. V. Ut & Paulo 1. *Tim.* VI. 17. 19. *VI. Ac* 2. *Tim.* IV. 10. *VII. Et Eph.* I. 21. *VIII. Denique & Christo Matth.* XII. 32. *IX. Per mundum futurum Hebræi eum quoque intelligunt, qui consequetur resurrectionem mortuorum. X. Ut & Christus atque Apostoli. XI. An & dies Messiæ? XII. Sic Hebræos, saltem aliquos, sensisse docet Maimonides. XIII. R. Elias. XIV. Menasse Ben Israël. XV. Veteres: in Berachot & Sanhedrim. XVI. XVII. Tanchuma. XVIII. Dicto R. Honna. XIX. Aliorum. XX. Baba Batra. XXI. Midras Cohelet. XXII. Explicationibus disertissimis. XXIII. Nec repugnat R. Samuel. XXIV. Neque ii qui Messiæ dies ad hunc mundum referunt. XXV. Scriptura certe Regnum Messiæ novum mundum vocat. XXVI. Ouweni insignis commentarius in* 2. *Pet.* III. 5. 13. *XXVII. Novi istius Mundi periodus prima. XXVIII. Secunda XXIX. Tertia. XXX. Extrema horum dierum, XXXI. Finis stati temporis. XXXII. Consummatio seculorum, finem Oeconomiæ Mosaicæ notant.* XXXIII. *Orbis habitabilis futurus est Ecclesia T. N.* XXXIV. *Quæ & οἰκεμένη meri o vocatur:* XXXV. *& futura dicitur.* XXXVI. *Et Christo, non Angelis subjecta est.*

Frequens admodum, tam in arcanis Divinarum literarum oraculis, quam in commentariis Hebræorum, distinctio est τῦ αἰῶνος τῦ νῦν καὶ τῦ μέλλοντος, העולם הזה ועולם הבא, seculi sive mundi præsentis & futuri. Cujus locutionis genuina explicatio quum plurimum lucis multis Scripturarum testimoniis fœnerare queat, rem non ingratam secretioris sapientiæ candidatis me facturum arbitror, si de ea anquisitius paullo ac diligentius disseram. *I. Dissertationis momentum.*

II. Summam eorum quæ dicenda habeo compendio complexus est *Drusius*: dum ad Matth. XII. 32. in hæc verba commentatur: Tri- *II. Argumentum.*

Triplex est seculum futurum, ut annotavit Don Isahac Abarbenel, in libro qui Possessio Patrum *inscribitur. Primum est* SECULUM MESSIÆ. *Secundum* POST HANC VITAM. *Tertium* POST RESURRECTIONEM MORTUORUM.

III. Diverso adspectu eadem res referri potest ad seculum præsens & futurum.

III. Ita autem putanda semper temporum momenta sunt, ut cum initio seculi quod futurum dicitur finire censeatur id seculum præsens quod ejusdem significationis adspectu ei respondet. Verbi gratia, quum seculum futurum dies Messiæ notat, præsens seculum id vocatur quod currit usque ad manifestationem regni ejus. Quando autem per futurum seculum intelligitur conditio animarum separatarum post hanc vitam, seculum præsens respectu uniuscujusque hominis fluit usque ad vitæ hujus animalis terminum. Quoties denique futuro seculo designatur status tam hominum quam totius universi post mortuorum resurrectionem; præsenti seculo comprehenditur quicquid ævi ad universalem omnium rerum innovationem fluet. Unde patet, diverso adspectu, sine contradictione ulla, unam eandemque rem & ad præsens & ad futurum seculum referri posse : ne tamen calculi turbentur, ei qui accurationi studet attendendum semper esse ad præsentis seculi cum futuro contentionem, servata ejusdem significationis analogia. Sed singulæ nobis significationes clarandæ ac confirmandæ sunt, eo ordine ut a clarioribus magisque confessis orsa oratio, in ea quæ magis controversæ mentis sunt desinat.

IV. Mundus futurus Hebrais notat statum animarum post mortem.

IV. Primo ergo per *mundum futurum* intellexerunt Hebræorum Sapientes *statum animarum post mortem.* Id voluit *Tanchuma fol.* 52. עה"ב לאחר שיצא האדם מן העולם הזה. *Mundus futurus est, quum exiit homo ex hoc mundo.* Multisque rationibus *Moses Maimonius* adversus *Mosen Gerundensem* pugnat, mundum futurum illum esse in quem quisque post mortem recipitur, non sane quoad corpus, sed quoad animam. Ita enim ait, *Halachot Teschuba Cap.* VIII. העולם הבא אין לו גוף וגויה אלא נפשות צדיקים בלבד בלא גוף. *In mundo futuro non est corpus aut corporale quid, sed tantum anima justorum a corpore separata. Kimchius* pariter *ad* I. Sam. XXV. 29. *Juxta sententiam Jonathanis hæc est loci interpretatio :* נפש אדני צרורה בצרור החיים לעולם הבא. *anima Domini mei ligata erit in fasciculo viventium, in futuro seculo.* Eodem facit illud ex *Zohar in Genes. fol.* 5. *col.* 2. *Dies sabbati quid est?* דמות ארץ החיים שהוא עולם הבא עולם הנשמות עולם הנחמות. *Figura terræ viventium, qui est mundus futurus, mundus animarum, mundus consolationum.* Supervacaneæ diligentiæ esset in re clara operam abuti.

V. In

V. In eandem mentem Paulum scripsisse opinor 1. Tim. vi. 17. 19. τοῖς πλουσίοις ἐν τῷ νῦν αἰῶνι παράγγελλε, *Divitibus in* SECULO HOC *denuncia, ne magnis animis sint, &c. reponentes sibi fundamentum bonum* εἰς τὸ μέλλον, *in* FUTURUM *ut occupent vitam æternam.* Cum quo Pauli dicto conferri potest haut inelegans fabella, quæ exstat in *Midras Ruth fol.* 42. *col.* 2. Summa huc redit. Ex binis qui in hoc mundo scelerose atque impie vixerant, alter resipiscens in futuro mundo accensebatur cœtibus justorum; alter, impiorum. Huic autem de sorte sua querulanti, quum iisdem se pariter criminibus obstrinxissent, responsum est: *alterum ante mortem resipuisse.* Cui ille, *sinite me, ut ego quoque eam & resipiscam.* Iterum autem responsum: *Stultissime hominum, nonne nosti hunc mundum* (id est, mundum animarum in quem transierat) *similem esse sabbato,* (quo ex Hebræorum sententia cibos parare non licuit) *mundum autem ex quo venisti similem esse vesperiis Sabbati? Si homo non parat in vesperiis sabbati, quid comedet in Sabbato? Præterea mundus hic similis est mari; mundus autem ex quo venisti similis est arida. Si quis non parat in arida, quid comedet in mari? Adhuc, mundus hic similis est deserto; & mundus ex quo venisti similis est terra habitabili. Si quis non parat in terra habitabili, quid comedet in deserto?* V. *Ut & Paulo* 1. *Tim.* VI. 17. 19.

VI. Eodem retulerim 2. Tim. iv. 10. *Demas me deseruit,* ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα, *dilecto* PRÆSENTI SECULO, id est, vita animali: ita nimirum, ut pericula & incommoda metuens, ad tempus vitæ suæ consuluerit. Recte *Hesychius*: Αἰών, ὁ βίος τῶν ἀνθρώπων, ὁ τῆς ζωῆς χρόνος. Quod confirmari potest ex Marc. iv. 19. col. cum Luc. viii. 14. VI. *Ac* 2. *Tim.* IV. 10.

VII. Et quid ni in eundem sensum interpretemur, quod Eph. i. 21. Christum evectum legimus *longe supra omne imperium ac potestatem, & potentiam, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in* HOC SECULO, *verum etiam in* FUTURO. Quasi dicat Apostolus: Christum multo sublimiorem omnibus Angelis esse, quibuscunque etiam titulorum eminentiis gaudeant: & si quæ sint adhuc illis nominibus augustiora Angelorum vocabula, quæ illis adsociati in futuro demum noscemus seculo; iis quoque Christum imperitare. Nisi quis cum Celeberrimo *Coccejo* per *hoc seculum*, *Vetus Testamentum* intelligere malit, ubi magnum nomen est *Angeli*, *Prophetæ*, *Mosis*, *Pontificis Maximi*: per *seculum futurum*, *Testamentum Novum* & regnum gloriæ, ubi maxime demonstratum est Christi διαφορώτερον ὄνομα. Sed de ea significatione mox. VII. *Et Eph.* I. 21.

VIII.

illustris est ille locus, qui exstat in precatione quam Synа-
ompofuerunt: cujus-hac sunt verba. אין ערוך לך י"י אלהינו
בע"הז אין זולתך מלכנו לחיי העה"ב אפס בלתך גואלנו
ומי דומה לך מושיענו Nulla est proportio tecum in HOC
Deus noster, neque præter te Rex noster ullus est in VI-
, neque præter te ullus erit Redemptor noster in DIE-
tibi similis est Salvator noster in RESSURRECTIONE
liqua sic pergit Menasse. Atque hoc efficaciter
locus, qui legitur in Tractatu Sanhedrin: ubi di-
i negant resurrectionem, futuri seculi particeps
quare non sit futurus particeps, nempe hæc:
הוא כפר בתחית המתים לפיכך לא Qui-
tuorum, hoc ipso quod eam negat, non erit
s Menasse. Quæ ex Hebræis nunc

D. Jesus. Luc. XX. 34. 35. 36. X. Ut & Christus atque Apostoli.
LII HUJUS ÆVI ducunt uxores, & nup-
gni habiti fuerint, qui ÆVUM ILLUD consequan
IONEM EX MORTUIS, neque ducunt uxores &c. &
quum sint FILII RESURRECTIONIS. Adde Marc. X. 29.
II. 29. 30. & imprimis Tit. II. 12. 13. Pie vivamus in
I SECULO. Exspectantes beatam illam spem & ILLUSTREM IL-
ENTUM GLORIÆ magni illius Dei ac Servatoris nostri, nempe
sti. Quæ ἐπιφάνεια τῆς δόξης, si non unice, saltem po-
, intelligenda est de fulgore & coruscatione appellentis regni
in novissimo adventu Christi ad resurrectionem mortuorum
um judicium.

Major difficultas nonnullis esse videtur circa significationem XI. An & dies Messiæ?
de Diebus Messiæ. Verum enimvero, si quis existimet a Chri-
m temere assertam esse, neque ex Hebræorum scriptis proba-
eum ego toto, quod ajunt, cœlo errare asseveranter pronun-
nisi invictis id evicero testimoniis, caussam non dico quin & ip-
ae ac temeritatis arguar.

I. Et primo quidem Recentiorum producam verba, asserentium XII. Sic Hebræos saltem aliquos, sensisse docet Maimonides.
aliquos per futurum seculum Messiæ dies intellexisse, dein ipsa
verba dabo. Audiatur ergo primo loco Maimonides, suorum
de futuri seculi conditione sententias ex professo exponens,
s verba Latine exhibuit D. Coccejus, in Notis ad Sanhed. Cap. XI.
r caetera hæc exstant. Alii hac spe sunt, Messiam, quum vene-

VIII. Denique & Christo Matth. XII, 32.

VIII. Fortasse etiam ex prima hac interpretatione lux aliqua affulgere potest famoso illi Christi dicto Matth. XII. 32. *Non remittetur neque in* HOC SECULO *neque* IN FUTURO. Etiamsi enim praeeunte D. Marco Cap. III. 29. secure illud interpretari queamus, *non habet remissionem in aeternum*: non tamen contemnenda Grotii aliorumque observatio est. Videri Christum de industria utrumque seculum nominasse: ut Judaeis auferret eam qua sibi blandiebantur adversus gravissima delicta persuasionem. Existimabant enim, peccata commissa ab his, qui in Judaismi professione perseverarent, remitti, aut per meram *poenitentiam*, ut quae admitterentur contra praecepta jubentia; aut in *die* solemni *Reconciliationis*, ut quae admitterentur contra pleraque praecepta vetantia; aut per *hujus vitae castigationes*, ut quae mortis aut excidii poenam adjunctam habent; aut saltem *post mortem*, sive statim, sive post temporis alicujus moras, ut quae cum contemtu facta essent Divini Numinis. Atque hinc vulgatum illud, כפרה מיתה, *sit mors expiatio pro peccatis*. Verba Talmudis huc recidentia, & in Latium transfusa sermonem, invenies apud *Lightfootum in h. l.* Credebant ergo Judaei, quaedam crimina in *hoc seculo* expiari, & remitti; alia in *futuro*, animarum videlicet, vel per mortem ipsam, vel per passiones mortem insecutas. De quibus vide *Menassen de creatione Probl.* XVII. His criminibus accensebant Divini nominis blasphemiam. Sic enim exstat *Sanhedrim. Fol.* 37. *col.* 3. *A quo profanatur vel blasphematur nomen Dei, ei non valet poenitentia ad suspendendum judicium, nec dies expiationis ad expiandum, nec plagae aut castigationes inflictae ad abstergendum; sed omnes suspendunt judicium, & mors abstergit.* Sic illi: at contra Christus docet, non esse quod Spiritus Sancti profani contemtores ulla se vel *hujus*, vel *futuri seculi*, *per* aut *post mortem*, expiatione blandiantur.

IX. Per mundum futurum Hebraei eum quoque intelligunt, qui consequetur resurrectionem mortuorum.

IX. *Secundo*, *Futurum mundum* Hebraei quoque dixerunt, eum qui erit *post resurrectionem mortuorum*. Pro qua significatione *Gerundensis* pugnat. Ut prolixitatis nauseam vitem, nonnulla appingere libet ex *Menasse Ben Israël. De Resurr. Mort. Lib.* III. *Cap.* I. Is ergo, postea quam contentiones utriusque *Mosis*, tam *Aegyptii*, quam *Gerundensis*, enarrasset, ita infit: *R. Joseph Albo, animadvertens, quibus uterque opinionem suam rationibus, & potissimum qua auctoritate Veterum, tueretur, conatus est eos hunc in modum conciliare, ut verba illa* עולם הבא, MUNDUS FUTURUS, *exponi duobus modis possint; modo de* mundo animarum, *in quem animae post hanc vitam recipiuntur; modo de mundo, seu* seculo, quod resurrectionem mortuorum proxime secuturum est. *Ad hanc sententiam comprobandam, adducit quaedam ex Veterum scriptis loca: inter quae*

insi-

gnis ac valde illustris est ille locus, qui exstat in precatione quam Syna-
a magna composuerunt: cujus hac sunt verba. אין ערוך לך י״י אלהינו
בע״הז ואין זולתך מלכנו לחיי הע״הב אפס בלתך גואלנו לימות המש
ומי דומה לך מושיענו לתחית המת Nulla est proportio tecum in HOC
NDO, Domine Deus noster, neque præter te Rex noster ullus est in VI-
FUTURI SECULI, neque præter te ullus erit Redemptor noster in DIE-
MESSIÆ, neque tibi similis est Salvator noster in RESSURRECTIONE
RTUORUM. Post aliqua sic pergit Menasse. Atque hoc efficaciter
m probat illustris ille locus, qui legitur in Tractatu Sanhedrin: ubi di-
ur, quod nemo eorum qui negant resurrectionem, futuri seculi particeps
futurus: & ratio additur, quare non sit futurus particeps, nempe hac:
הוא כפר בתחית המתים לפיכך לא יהיה לו חלק בתחית המת Qui-
que negat resurrectionem mortuorum, hoc ipso quod eam negat, non erit
ticeps resurrectionis. Hactenus Menasse. Quæ ex Hebræis nunc
ficient.

X. Præclare in hanc mentem D. Jesus. Luc. xx. 34. 35. 36. *X. Ut & Christus atque Apostoli.*
ι υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου, FILII HUJUS ÆVI ducunt uxores, & nup-
n dantur. Qui vero digni habiti fuerint, qui ÆVUM ILLUD consequan
', & RESURRECTIONEM EX MORTUIS, neque ducunt uxores &c. &
i Dei sunt, quum sint FILII RESURRECTIONIS. Adde Marc. x. 29.
c. XVIII. 29. 30. & imprimis Tit. II. 12. 13. Pie vivamus in
ESENTI SECULO. Exspectantes beatam illam spem & ILLUSTREM IL-
M ADVENTUM GLORIÆ magni illius Dei ac Servatoris nostri, nempe
su Christi. Quæ ἐπιφάνεια τῆς δόξης, si non unice, saltem po-
simum, intelligenda est de fulgore & coruscatione appellentis regni
riæ, in novissimo adventu Christi ad resurrectionem mortuorum
extremum judicium.

XI. Major difficultas nonnullis esse videtur circa significationem *XI. An & dies Messiæ?*
tiam, de Diebus Messiæ. Verum enim vero, si quis existimet a Chri-
nis eam temere assertam esse, neque ex Hebræorum scriptis proba-
posse, eum ego toto, quod ajunt, cœlo errare asseveranter pronun-
); & nisi invictis id evicero testimoniis, caussam non dico quin & ip-
inscitiæ ac temeritatis arguar.

XII. Et primo quidem Recentiorum producam verba, asserentium *XII. Sic Hebræos saltem aliquos, sensisse docet Maimonides.*
terum aliquos per futurum seculum Messiæ dies intellexisse, dein ipsa
terum verba dabo. Audiatur ergo primo loco Maimonides, suorum
riantes de futuri seculi conditione sententias ex professo exponens,
ont ejus verba Latine exhibuit D. Coccejus, in Notis ad Sanhed. Cap. XI.
bi inter cætera hæc exstant. Alii hac spe sunt, Messiam, quum vene-

rit, pacatissimum seculum allaturum, ita ut in deliciis omnibus in perpetuum sint victuri, terra ipsa vestes textas, & panem coctum præbente. Quod quamvis ipse refutet, fatetur tamen nonnullorum fuisse sententiam.

XIII. *R. Elias.*

XIII. Maimonio *Eliam* adde, qui in *Tisbi* ad vocem עולם hæc habet. יש מחלקות בין האחרונים על זמן עולם הבא יש אומרים שהוא עולם הנשמות ר"ל תכף אחר המיתה ויש אומרים שהוא זמן ימות המשיח ויש אומרים שהוא אחר תחית המתים וכל אחד מביא ראיות לקיים דעתו. *Dissentiunt recentiores circa tempus futuri seculi: sunt qui dicant esse* seculum animarum, *nimirum mox post mortem. Alii dicunt, esse* tempus dierum Messiæ: *alii*, post resurrectionem mortuorum. *Et singuli argumenta ad sententiæ suæ confirmationem proferunt.* Additque; si quis plenius hac de re informari velit, adeundum ei esse *Abarbenelem*, in libro *Nachalat Abbot*, *Capite Ben Zoma:* quem ego Abarbenelem, Drusio quoque laudatum, o quam vellem mihi nunc ad manum esse! Idem *Elias* ad vocem עתיד, docet עולם הבא, & עתיד לבא pariter dici posse ליום הדין או לימות המשיח או תכף אחר מיתה *de* DIE JUDICII, *aut* DIEBUS MESSIÆ, *aut mox* POST MORTEM.

XIV. *Menasse Ben Israel.*

XIV. Succedat *Menasse Ben Israël*, qui *de Resur. mort. Lib.* II. *Cap.* VIII. explicans Veterum illud axioma: *Omnis Israël particeps erit futuri seculi*, observat, non dici *Resurget*, sed, *particeps erit. Id est*, inquit, *quicunque resuscitati fuerint illi seculi futuri beatitudine fruentur, vel partem obtinebunt terræ Sanctæ, quando ea in tribus distribuetur.* Ergo distributio terræ, quæ sine dubio ad Messiæ tempora pertinet, ex Menassis sententia a Veteribus futuro seculo transcripta est.

XV. *Veteres: in Berachot, & Sanhedrim.*

XV. Sed ipsos *Veteres* audiamus. *Berachot Cap.* I. *Halacha ultima;* ex versione *Lightfooti* ad Matth. XII. 32. *Memor esto diei quo exiisti ex Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ.* Diebus vitæ tuæ, *innuitur Hic mundus.* Omnibus diebus vitæ tuæ, *superinducuntur* DIES MESSIÆ. Alium locum ex Sanhedrim vide apud *Lightf. ad Job.* X. §. VI. Tradunt Rabbini, X *tribubus non erit portio in mundo futuro. Sicut dicitur, Extirpavit eos de terra, in furore & indignatione maxima, & ejecit in terram alienam. Extirpavit eos e terra sua in hoc seculo, & ejecit in terram alienam, in seculo futuro.* Satin hoc clarum, dies Messiæ, ceu ad alium mundum pertinentes, ab hoc mundo distingui?

XVI. *Tanchuma.*

XVI. Adde & hoc, quod nulla vis eripiat, eidem *Lightfooto* alibi laudatum, ex *Tanchuma fol.* 77. 3. *Dicit Sanctus Benedictus, in hoc* mundo, *quoniam nuncii mei* (missi ad explorandam terram) *fuerunt caro & sanguis, de iis decretum est de non intrando terram: at in* mundo futuro *ego mitto vobis nuncium meum subito, & præparabit viam coram facie*

mea

ma. Mal. III. I. Vel ipsa mihi respondeat pertinacia, quodnam ibi culum describatur distinctum a diebus Messiæ?

XVII. Sed nec plura nobis desunt. Audiamus iterum ex *Tanum. fol. 9. col. 2. Dicit Deus Sanctus Benedictus Israeli: In* hoc mundo *s timetis a transgressionibus: at in* mundo futuro, *quando non futurus est alus affectus, soliciti eritis solum de bono vobis reposito, sicut dicitur: post c convertentur filii Israëlis, & quærent Dominum Deum suum, & Davim Regem suum. Hos.* III. 5. An hæc quoque alio quam ad Messiæ es spectant? Conferri velim ex *Sepher Abkat Rochel*, quod in *decima solatione* temporum quæ *sub Messia* futura sunt, hoc quoque velut signe bonum prædicet: עתיד הקב ה להסיר יצר הרע וכל דבר רע מישרא *Ablaturus est Deus benedictus figmentum malum, & omnem rem ilam ab Israële.* Nec abludit *Gerundensis.* ad Deut. xxx. 6.

XVIII. Operæ pretium est iterum aliquid ex *Lightfooto* excerpe-, qui in *Chronicis Temporum T. N. Sect.* IX. hæc habet. *De Tribus seclis loquitur R. Houna, quorum ultimum est* דורו של משיח ÆTAS MESSIÆ, *quæ quum venerit*, inquit, *Deus benedictus dicit, jam mihi incumt novam instituere creationem. Hoc tempus etiam vocant* עולם הבא *seculum futurum, propter rerum mutationem quam tunc exspectabant, quasi novus Mundus creatus fuerit. Tanchum fol. 77. col. 3.* IN SECULO FUTURO MITTAM ANGELUM MEUM CITO, ET CORAM ME VIAM PARABIT. An adhuc dubitandum? XVIII. *Dict. R. Houna.*

XIX. Certe dubitationem omnem cedere oportet iis quæ *Coccejus* notavit ad inscriptionem Psalmi XCII. *Dies sabbati*, inquit, *intelligi potest tempus Novi Testamenti, in quo gratia & veritas Dei per Christum exhibita repræsentatur, ablato jugo servitutis legalis. Sic Hebr.* IV. 9. σαββατισμός. *Et sic Rabbini Veteres putaverunt*, שהוא על העתיד לבוא לעולם שכלו שבת ומנוחה והם ימי המשיח *quod hic Psalmus pertineat ad futurum tempus, seculum quod totum Sabbatum est & quies:* HI SUNT DIES MESSIÆ. XIX. *Aliorum.*

XX. Insignis quoque locus exstat in *Baba Batra Cap.* V. ubi narratur fabula de Leviathane, ceto illo magno a Judæis tempore Messiæ epulando: additurque, Deum castravisse marem, & occidisse fœminam, eamque salivisse לעתיד לבוא לצדיקים *pro justis in futurum seculum.* Idem repetitur de Behemoth, Tauro vægrandi. Locutiones tem istas לבא עתיד, & עולם הבא ejusdem sunt significationis, observante *Elia* in *Thisbi* ad vocem עתיד. XX. *Baba Batra.*

XXI. Neque omittendum videtur quod ex *Midras Cohelet* Cap. . citat *Ramundus Pug. Fid. Part.* III. *Distinct.* III. *Cap.* XI. §. XII. XXI. *Midras Cohelet.*

R.Hizkias dicit: כל תורה שאת לומד בעולם הזה הבל היא לפני התורה של עולם הבא. *Omnis lex quam discis in hoc seculo, mera vanitas est si comparetur cum* LEGE FUTURI SECULI. Lex autem futuri seculi Lex Messiæ est. Ita enim explicatur Cap. XI. 8. *Omnis Lex quam discit homo hoc seculo vanitas est*, לפני תורתו של משיח *comparata cum* LEGE MESSIÆ.

XXII. *Explicationibus disertissimis.* XXII. At quid sequelis, utut evidentibus, pugno? Quum disertà, tam Talmudistarum, quum Targumistarum, verba habeam. Glossa Talmudis ad *Sanhedr. Cap.* XI. citante *Josepho de Voisin* ad *Raymundi Pugionem p.* 356. in hunc modum loquitur. אין להם חלק לעה״ב היינו לימות המשיח NON EST IPSIS PORTIO IN SECULO FUTURO, HOC EST IN DIEBUS MESSIÆ. Targum vero ad I. Reg. IV. 33. בעלמא הדין ובעלמא דאתי דמשיחא *In seculo hoc, & in* SECULO FUTURO MESSIÆ.

XXIII. *Nec repugnat R. Samuel.* XXIII. Non ignoro equidem decantatum illud *Rabbi Samuelis* dicterium, quod sæpius in Talmude repetitur: אין בין העולם הזה לימות המשיח אלא שעבוד מלכיות *Nihil interest inter hunc mundum & dies Messiæ, nisi subjectio regnorum.* Cæterum & id dies Messiæ ab hoc mundo discriminat, novumque nobis suggerit argumentum; tantum abest ut aliter sentientibus faveat. Justo fortassis operosius tot testimonia Hebræorum coacervata videri possent in re liquida. Sed norit Lector, fuisse aliquando virum harum literarum doctissimum, qui animum induxit suum, ut in corona hominum eruditorum præfracte negaret, ullos exstitisse Hebræos, qui dictione futuri seculi Messiæ ætatem intelligerent. Id occasionem mihi dedit, significationem istam prolixius probandi.

XXIV. *Neque ii qui Messiæ dies ad hunc mundum referunt.* XXIV. Inficias interim hautquaquam ivero, plurima produci posse Judæorum testimonia, quibus de Messiæ diebus, tanquam ad hunc mundum pertinentibus, loquuntur: sed ea cum iis quæ à me nunc allegata sunt facile componuntur, ex fundamento quod *Thesmate* III. jecimus. Videlicet, si quis hanc mundi præsentis & futuri significationem in mente habet, juxta quam futurus resurrectione mortuorum ordiatur, eum necesse est Messiæ tempora ad præsentem mundum referre: non tamen eo ipso evertit aliam illius distinctionis significationem, secundum quam Messiæ tempora futuri seculi pars dicantur. Ut contradictoriæ enunciationes sint, necesse est ajentem & negantem, juxta Logicorum canones, secundum idem, ad idem, eodemque modo dici.

XXV. *Scripturæ certe re-* XXV. Sed quidquid de Hebræis Doctoribus sit; negari certe nequit, quin & Sacrorum *Vatum* & *Apostolorum* locutionibus nita-

nitantur qui Messiæ Regnum Novi seculi exordium vocant. Apud Haggæum Prophetam, quo tempore se missurum dicit Deus eum qui *est desiderium gentium*; addit, se *commoturum cælos & terram, & mare, & siccum.* Hag. II. 6. Apud Jesaiam pariliter. Cap. LXV. 17. *Nam ecce ego creaturus sum cælos novos, & terram novam: neque commemorabuntur hæc priora, neque venient in animum.* Iterum Cap. LXVI. 22. *Cæli illi novi, & terra nova, quam ego facturus sum, stant coram me.* Convenit Apoc. XXI. I. *Et vidi cælum novum & terram novam. Nam prius cælum & prior terra præterierat, & mare non est amplius.* Nec abludit Petri illud. 2. Pet. III. 13. *Novos vero cælos, & novam terram exspectamus, secundum ejus promissum.* Omnia eo tendunt; per Messiam novam rerum faciem mundo inducendam esse, unde alterius seculi initium putare liceat.

Regnum Messia novum Mundum vocat.

XXVI. Non possum ab animo meo impetrare ut Dissertationis hujus lectores fraudem eruditissimo commentario, quem in postremum hunc Petri locum exhibet Vir Præstantissimus, *Johannes Ouvvenus* in suis *Theologumenis* Lib. III. Cap. I. Observat, Apostolum com. 5. 6. 7. duplicis mundi meminisse: *veteris* illius qui per aquam perierat, atque tum temporis præsentis per *ignem* consumendi; post cujus interitum, *tertii* ingressum prænuntiat versu *decimo tertio.* Καινοὺς δὲ οὐρανοὺς καὶ γῆν καινὴν κατὰ τὸ ἐπάγγελμα αὐτοῦ προσδοκῶμεν ἐν οἷς δικαιοσύνη κατοικεῖ. De aspectabili Cœlo, Terrave, respectu substantiæ, neutro in loco agit Apostolus. Mundo enim veteri per aquam destructo, mansit nihilominus cœlorum terrarumque compages. *Mundus* ideo iste, fuerunt homines in *mundo* degentes. Eis per diluvium deletis, *mundus* alius ad Dei cultum rite peragendum erigi debuit. Hujus autem Mundi fundamenta posuit Deus in familia *Noachi*: totam fabricam perfecit *Ecclesia Judaicæ* erectio atque ornatus. Atque is mundus erat quem illico igne dissolvendum prædixit B. *Petrus*; stylo nempe *Prophetico.* Ita legimus apud *Isajam, Capite quinquagesimo primo, versibus decimo quinto & decimo sexto. Ego dominus Deus tuus, scindens mare, ut persanent fluctus ejus, dominus exercituum nomen ejus, & posui verba mea in ore tuo, & in umbra manus meæ protexi te: ad plantandum cælos & fundandam terram, & ad dicendum ad Sion populus meus tu.* Quo tempore ideo Deus, *dividens mare, & educens populum suum ex Ægypto,* verbum seu legem cum solemni cultus sui præscriptione ei concredidit, in Ecclesiam eum sibi formans, *novum hunc mundum, cælum* illud & *terras*, instituit & absolvit. Eo tempore quo *Petrus* scripsit, *Mundus* hic, hoc est, *Ecclesia Judaica* jam Apostatica, in exitium *ignis* festinavit; non aliter quam Mundus ille vetus in *diluvium* se præcipitavit. Incendio

XXVI. Ouvveni insignis commentarius in 2. Pet. III. 5. &c.

Templi & urbis, dissoluta est istius mundi compages. Alium autem mundum, quoniam nondum esset τῦ αἰῶνος συντέλεια, novos cœlos, novamque terram, secundum Dei promissum, fideles exspectare jubet Apostolus. Promissum illud exstat *Isaia* capite *sexagesimo quinto*, commate *decimo septimo*; atque iisdem verbis capite *sexagesimo sexto* commate *vicesimo secundo*. *Ecce*, inquit, *ego creaturus sum cœlos novos & terram novam, neque commemorabuntur hæc priora, neque venient in animum*; Ecclesiæ statum post adventum Christi Propheta in locis hisce depingit; nempe quo tempore Deus assumpturus esset ex gentilibus in *Sacerdotes & Levitas*, uti verba se habent commate *vicesimo primo* capitis ultimi, hoc est, instituturus esset ministerium Evangelicum. Inde is status Ecclesiæ ante mundi istius secundi conflagrationem, *seculum futurum*, & *mundus futurus* indigitabatur; uti nos docet *Paulus* in *Epistola* ad *Ebræos capite secundo*, & versu *quinto*. Atque etiam *capitis sexti versu quinto*. Periit itaque per aquæ diluvium *primus* ille seu vetus mundus; *secundum*, tum temporis præsentem, per ignem periturum prænuntiat Apostolus, *futurum* autem, ad *consummationem usque seculi* duraturum confirmat. Hactenus *Owenus*.

XXVII. *Novi istius Mundi periodus prima.* XXVII. Quidquid de hac expositione sit, quam expendendam eruditis damus; cuncta certe hæc vaticinia Regnum nobis Messiæ describunt: at complementi sui varios gradus periodosque habent. Tunc Deus *cœlum & terram commovere* cœpit, quando remota gentilium profana idololatria. totiusque mundi hominibus per Evangelii prædicationem commotis, ac in spem non vulgarem erectis, diruta etiam Hierosolyma & Templo, ubi *solium gloriæ* suæ habuerat, & *terra decoris anathemate percussa*, *infirma & egena veteris mundi elementa*, jure & facto abolevit: eo introducto statu in quo *nec circumcisio quicquam valet, nec præputium, sed καινὴ κτίσις*, gentesque omnes sine discrimine privilegiis spiritualis regni potiuntur: breviter quo *vetera præterierunt, & nova facta sunt omnia* 1. Cor. v. 17. Vide sodes Heb. XII. 26. 27. cum commentariis *Bezæ*, & *Belgarum*. Jesaiæ etiam vaticinia ejus generis sunt, ut eorum saltem initium ultimum Christi adventum antecedat, quemadmodum inspicientibus patebit.

XXVIII. *Secunda.* XXVIII. Sed præter *primam* hanc, *alteram* quoque mundi innovationem sub Messiæ auspiciis exspectamus; quum nimirum Antichristo de throno suo deturbato, destructis destructoribus terræ, conversis Israelitis, plurimaque cognitionis, sanctimoniæ, ac consolationis luce Ecclesiam circumfulgente, insigni mundus opulentia, & quasi vita ex mortuis donabitur. Rom. XI. 12. 15. Quæ felicia tempora

pora Apoc. xxi. vivis suis coloribus delineantur. In quod Caput legi velim doctissimum commentarium *Jonæ le Bui*, qui est *Launaus*.

XXIX. Succedet tandem *ultima* mundi innovatio, quando prorsus liberabitur ex servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei: quorum revelationem quasi exserto capite observans exspectat, unaque suspirat, & una parturit ad hoc usque tempus. Rom. viii. 19. & seq. Atque huc potissimum Petrus respexit. Quum ergo *mundi innovatio*, in primo Messiæ adventu inchoanda, auspiciis ejus continuanda, & novissima illiusdem ἐπιφανεία consummanda sit, meritissimo jure ea temporum conditio cum anteactis collata *futurum seculum* dicitur. XXIX. *Tertia.*

XXX. Non videtur etiam negligendum, Messiæ adventum passim collocari באחרית הימים, Jes. ii. 1. ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων. Heb. i. 1. quod proprie significat, *sub novissima horum dierum*, qui fluebant stante adhuc cultu ceremoniali, & vigentibus elementis veteris mundi. Unde conficitur, paulo post eum adventum novi seculi novos dies putandos esse. XXX. *Extrema horum dierum.*

XXXI. Haut absimilis phrasis est Hab. ii. 3. *Adhuc erit visio ad statum tempus*, ויפח לקץ *& præco erit* sub finem, *qui non mentietur*. *Visio* significat ibi propheticam prædicationem, cum præmonstratione typica. Ea duratura erat למועד, ad προθεσμίαν & *plenitudinem temporis*, de qua Gal. iv. 2. 3. 4. *Omnes Prophetæ & lex usque ad Johannem prophetarunt.* Matth. xi. 13. Messiæ est, *obsignare visionem & Prophetam.* Dan. ix. 24. id est, verificando abrogare. Is hic promittitur sub nomine יפח, qui est *Index*, *Præco*, *Testis*. (Conf. Prov. vi. 19. xii. 17.) qui non futura prænunciat, sed veritatem & rem factam enarrat. Diciturque venturus לקץ, *ad finem* præstituti termini. Unde ordienda epocha seculi alterius. XXXI. *Finis stati temporis.*

XXXII. Et revera Christus venit, & se ipsum immolavit ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων *circa consummationem seculorum*. Heb. ix. 26. h. e. fine temporis prioris. Restare etenim debebant αἰῶνες ἐπερχόμενοι, *supervenientia secula*, quibus ostenderet Deus τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ. Eph. ii. 7. Potuisset ita in fine dierum Christum mittere, ut statim sequeretur resurrectio mortuorum. Sed voluit annum gratiæ, à Christi missione cœptum, Jes. lxi. 2. per multa secula producere, ut amplitudinem divitiarum beneficentiæ suæ tam longi temporis duratione illustrius mundo patefaceret. XXXII. *Consummatio seculorum, finem Oeconomiæ Mosaicæ notant.*

XXXIII. Neque dubium mihi est, quin Heb. ii. 5. per τὴν οἰκουμένην XXXIII. *Orbis ha-*

bitabilis futurus est Ecclesia T. N. οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, quam Christo subjectam asseris, Angelis subjectam negat, Ecclesiam Novi Testamenti, in qua plene patefactum Messiæ regnum sit, Apostolus intellexerit. Nam de seculo novissimum judicium consecuturo testatur, fore ut tum Christus *regnum Deo ac Patri tradat, & ipse Filius subjiciatur ei qui subjecit ipsi omnia, ut Deus sit omnia in omnibus.* 1. Cor. XV. 24. 28. Et profecto nauci non est quod contra *Camero* argutatur: statum Ecclesiæ prout est in hac terra, οἰκουμένην dici non posse, nedum μέλλουσαν: *quia mundus*, inquit, *Ecclesiæ desertum est; οἰκουμένη Ecclesiæ est in cœlo, sicut Israelitarum in terra Canaan.*

XXXIV. Quæ & οἰκουμένη merito vocatur: XXXIV. Haut diffiteor equidem, statum Ecclesiæ *in terra*, si contendatur cum *cœlesti*, aliquod *deserti* instar habere: attamen Ecclesia *T. N.* collata cum illa *Veteris*, תבל, sive ἡ οἰκουμένη, *orbis habitabilis*, & dici commode potest, nec semel in sacris dicitur. Ante Christi ἐπιφάνειαν Judæi veluti *desertum* erat. Propterea Johannes *vox clamantis in deserto* nuncupatur: Jes. XL. 3. non solum γραμματικῶς, quia in locis desertis frequenter docuit, sed & μυστικῶς, quia populus, ad quem missus est, speciem deserti terræque non seminatæ habebat. De regno autem Christi prædictum est Jes. XXXV. 1. 2. *Lætabuntur de his desertum ac solitarius locus, & exsultabit solitudo, ac florebit sicut rosa. Magis ac magis florebit, & exsultabit etiam exsultatione sua & cantu; gloria Libani dabitur ei, decor arvi & Scharonis.* Iterumque Ps. XCIII. 1. *Jehova regnat celsitate indutus; indutus Jehova robore se accingit:* אף תכון תבל, *etiam stabilitur* ORBIS HABITABILIS, *ne dimoveatur.* Psalmum autem hunc, ut & cæteros usque ad centesimum & primum, esse עתידים על ימות המשיח *futuri temporis, & de diebus Messiæ loqui*, ne ipsi quidem cœci Judæi non vident. Ita enim post *Kimchium*, commentarius *Kab Venaki*. Ad eundem modum Psal. XCVI. 12. 13. *Exsultabit ager, & quicquid in eo est: tunc cantabunt omnes arbores silvæ. Ante faciem Jehovæ, quum venerit, nam venit ad judicandam terram: judicaturus est* ORBEM HABITABILEM *per justitiam, & populos per fidem suam.* Id est, repurgabit Ecclesiam suam ab hypocritis, & manifestabit justitiam suam, quæ salutis omnis fundamentum est, & propter illam populum suum vindicabit, præstans iis promissionem Patribus factam. Clarum itaque est, Ecclesiam N. T. *orbem habitabilem* dici.

XXXV. Et futura dicitur. XXXV. Sed & *orbis habitabilis futurus* dici potest, ob rationem duplicem. I. Respectu temporis antegressi, & παρασκευῆς Veterum:

a: quo pacto Christus, etiam præsens, & per passionem consum-
tus, & introductus in gloriam, respectu prioris Adam FUTURUS
tur. Rom. v. 14. II. Quia eo tempore, quo hæc scribebat Apo-
us, stante adhuc templo, & Hierarchia Levitica, & Politia Judai-
evelatio Regni Messiæ in plena libertate exspectabatur magis quam
sto erat. Unde suum ævum, quo sacrificia adhuc & dona offere-
tur, τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα, TEMPUS PRÆSENS vocat, in di-
nine proxime instantis temporis, quod καιρὸς διορθώσεως, tem-
correctionis appellat. Heb. ix. 9. 10. Cum ratione ergo Novi
amenti Ecclesia ab Apostolo ἡ οἰκουμένη ἡ μέλλουσα dicta fuit.

XXXVI. Quam dum Angelis subjectam esse negat, nequaquam Veteri Ecclesia id asseverare existimandus est. Nam totus est in eo, doctrinam Christi quam maxime nobis commendabilem faciat. fini inserviunt magnifica elogia quibus personam ejus præceden-pite exornavit. Deinde magnam Evangelii præ lege antecellen-adstruxit. Nunc id urget, quod Pater ei orbis habitabilis impe-contulerit: qui honor in nullum unquam est collatus Angelo. XXXVI. *Et Christo, non Angelis subjectus est.*

Futuri autem orbis insignite mentionem facit, quia, quum conditio longe præstantior antegresso sit, ad dignitatem Christi randam plurimum pertinebat, observare; quod solus Ecclesiæ inus sit in statu illius perfectissimo. Quid hoc ad Ecclesiæ Ve-Testamenti subjectionem sub Angelis? Verum alibi hac de re co-dixisse memini. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταύτῃ.

LIB. III.

DIATRIBE,

DE

Septem Epistolarum APOCALYPTICARUM Sensu HISTORICO an PROPHETICO.

Clarissimo Viro,

FREDERICO SPANHEMIO,

Apud LUGDUNUM in BATAVIS Theologo Celeberrimo,

H. WITSIUS S.



A mihi demum, FREDERICI SPANHEMI, sancta, simplex, candida, & Christianis hominibus digna visa est disputandi ratio, quam Eusebius Pamphili, Cæsareæ in Palæstina Episcopus, inter Dionysium Alexandriæ Antistitem, & Nepotis Ægyptii, Chiliastarum opinionibus impliciti, discipulos, observatam memorat. Non incipit Dionysius a convitiis, aut contemtu, aut insectatione illius quem confutandum sibi sumserat Nepotis: sed plurimi se eum facere, & diligere, & venerandum admodum habere protestatur, propter fidem, & satagentiam, & peritiam Scripturarum; ac sine invidia laudare atque commendare quæ recte atque ordine ab eo dicta sunt. Cæterum quum nihil homini probo antiquius esse debeat veritate, libere se examinare, atque adeo emendare ea in quibus a recto tramite aberrasse videtur. In ipsa autem disputatione, quæ publica erat, & ad tertium usque diem a mane ad vesperum protrahebatur, Fratres qui a Nepote stabant, librum quidem ejus proferebant uti armaturam quandam & murum inexpugnabilem: ita tamen ut τὸ ἀ-

Histor. Lib. VII. Cap. XXIV.

συνθὴς

γαθὲς αὐτῶν, καὶ φιλαληθὲς, καὶ τὸ ἀνυπαρακολούθητον, καὶ συνετὸν Dionysio admodum probarent; admiranti quod recto ordine, & cum æquabilitate interrogarent, ac responderent, & obsequerentur; nec ullo modo contentiose quæ semel statuerunt, si falsa esse deprehenderentur, retinere, nec rursus contradictiones subtrahere, sed quantum fieri poterat proposito instare, & confirmare conarentur, & tamen rursus, ubi ratio poscebat, sententiam mutare, & veritatem confiteri non vererentur, sed bona cum conscientia, & procul omni simulatione, cordibus ad Deum simpliciter expansis, ea quæ sacrarum literarum demonstrationibus ac doctrinis comprobabantur, lubentes susciperent. Exitus dissertationis hujus optimi Antistitis voto feliciter respondebat. Etenim Doctrinæ illius antesignanus & propugnator acerrimus, Coracion nomine, non modo manus dedit, victum se veritate confessus, sed & cuncte, audientibus quotquot aderant Fratribus, pollicitus est, nullam se posthac opinionis hujus facturum esse mentionem: quippe cujus vanitatem ex oppositis argumentis deprehendisset. Reliqui vero Fratres propter hanc collationem, & erga cunctos demissionem, ac consensionem, gaudebant. Utinam illi omnes qui de controversiis hodie nostris disputant, eodem ad eas accederent animo, eademque methodo tractarent: hujus duntaxat destinationis certi, id se amplexuros tuiturosque, quod undecunque prolatum, sive centies antehac repetitum, sive primo nunc iis auditum sit, veritatis evidentia animo se approbat, in conspectu Dei, seposito omni studio partium, χωρὶς προκρίματος, μηδὲν κατὰ πρόκλισιν. Nihil enim Ecclesiæ perniciosius, nihil veritati inimicius est, nihil profectui magis obstat, quam scabies facturiendi. Inde, eliminata semel modestia, tam fervens sermonum ac tantum non jurgiorum æstus, ut major non possit esse ...eani illis in locis,

Europam Libyamque rapax ubi dividit unda:

Tertull. de spect. cap. XVI. *Inde in furias itur, & animos, & discordias, & quicquid non licet sacerdotibus pacis. Inde maledicta & convitia sine justitia odii; etiam suffragia sine merito amoris.* Quæ malæ pestes si a disputationibus abessent, earumque loco timor numinis, & reverentia verbi ejus, & amor veritatis, & observantia Divini Spiritus, qui tranquillitate, & lenitate, & quiete, & pace tractandus, non furore, non bile, non ira, non dolore, inquietandus est, & æstimatio donorum Dei in fratribus, similiaque Christianitatis officia, dominarentur; plus profecto utilitatis, tam ad ipsos dissertantes, quam ad publicum, ex doctorum virorum collationibus redundaret: veritatis scintillæ ex placidis istis collisionibus pulcriores undiquaque dissilirent: claritas ipsa, quæ dilucidiore Divinæ veritatis cognitione non delectari non potest, accenderetur inter Fratres, & fulgeret luculentius. Id mihi animi fuisse, quum in iis quas nuper vulgavi lucubrationibus, tum in hac quam nunc inscriptum Tibi venio DIATRIBE, & conscientia mihi testis est, Inclute SPANHEMI, & Deus ipse, cui cogitationum nostrarum reconditissima patent, in illustris adventus sui die attestabitur. Procul absit, (quod tamen exprobrari mihi doleo) procul, inquam, absit, ut homullus, ut nullus ego, judicium mihi in omnes Fratres meos, aut dominium in eorum fidem arrogem: & conscenso arroganter tribunali, sine authoritate senatus, sine populi suffragiis, ex alto in singulos sententiam pronunciem. Quam id a moribus, & modestia (fidenter dico) mea alienum sit, non possunt ii ignorare qui vel mediocriter me norunt.

Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, ac sponte mea componere curas,

seculi malignitatem plurifariam nunc expertus nihil magis in votis haberem, quam ut procul omni disputatione,

in pla-

in placido otio, secretaque solitudine, piis precibus, devotis meditationibus, humili sacratissimarum literarum nostrarum scrutinio, & arcanis cum Deo colloquiis, obscurus cæteroquin, & vix vicinis notus, nisi quantum pietas jubet, ad ultimum usque spiritum vacare liceat. Idem meum, quod *Synesii*, in animo votum est,

Ἐμοὶ δὲ ἀψόφητον εἴη
Βίοτον ἄσημον ἕλκειν.
Τὰ μὲν εἰς ἄλλως ἄσημον,
Τὰ δὲ πρὸς Θεὸν εἰδότα.

Quæ sic vertit Petavius.

At mihi tranquillam liceat
Vitam ignotam ducere;
Cæteris quidem ignotam,
DEO autem notam.

Addo ego, quod Synesium quoque existimo voluisse, *earum quæ Dei sunt gnaram.* Sed quum muneris mei ratio non patiatur, ut in eo quo collocatus sum theatro mutam plane sustineam personam, de iis quæ hodie inter eruditos controvertuntur id dixi quod a Deo me didicisse existimabam; quodque animis Fratrum in placido Veritatis studio conglutinandis expedire cum maxime arbitrabar. Atque eo quidem modo dixi, ut ipsos illos quibus assentiri in omnibus non poteram, colere me tamen & venerari minime fucatis verbis profiterer. Neque alia mihi mens, aliud institutum in hac Diatribe est. In qua id operam dedi, ut verbis Dei sua constaret, quæ plena decoris est, simplicitas; neque cogeremur perspicuos sermones in ænigmata vertere, &, quod ille ait, *stellis nebulam spargere candidis.* Si autem alicubi Doctissimorum Virorum, quorum placita examino: mentem assecutus non sum; id sine eorum, sine mea fraude esto: si suæ nolint imputare obscuritati, meum dicant esse παρόραμα: malignitatis & falsi suspicionem omnem in bonæ conscientiæ παῤῥησίᾳ deprecor. Sacri mihi & intestabiles sunt, qui, ut

cum *Pindaro* dicam, οὐ δίκας τεῦχος ὄψιον, ἀλλὰ σχεδίας ἀναβαίνουσιν ἀπάτας. Porro quicquid non perſpicaciter ſatis a me animadverſum, aut non ex mente Dei, vel pro dignitate ſacrarum literarum, ſcriptum eſt, ubicunque denique aberraſſe a linea deprehendar, id monitus inducam & corrigam, habitis actiſque monenti gratiis. Ego enim eos inter nomen profiteor meum, qui ſe & cogitata ſua peritiorum Fratrum judicio ac cenſuræ lubentes ſubmittunt: memores Apoſtolici illius, ΚΑΙ ΟΙ ΑΛΛΟΙ ΔΙΑΚΡΙΝΕΤΩΣΑΝ. Præclare, ſi quid judico, ſive *Gregorius Nazianzenus*, ſive *Methodius*, (nam utrique aurea hæc gnoma adſcribitur, huic ab [a] *Epiphanio*, illi a [b] *Maximo*) præclare, inquam, dixit quiſquis ille fuerit: Μεῖζον ἀγαθὸν τὸ ἐλεγχθῆναι τοῦ ἐλέγξαι νομίζω. ὅσῳ μεῖζόν ἐστι τὸ αὐτὸν ἀπαλλαγῆναι τοῦ κακοῦ, τοῦ ἄλλον ἀπαλλάξαι. Eam ob rem ad te accedo, Celeberrime SPANHEMI,

[a] Hæreſ. 64. §. 41.
[b] Collecta c. 32.

Cujus remotos fama per populos means
Diffuſa, linguas explicat;

& quem ne pallidus quidem inficias iverit livor proſpicienter atque optime de hiſce rebus judicare poſſe. Tu cenſor, tu ſculna eſto, &, liceat iterum Pindarico verbo uti, βουλαῖς ἐν ἀγαθαῖς Ῥαδάμαντος. Interim animum meum æſtima quo hæc qualiacunque tibi offeruntur, patiariſque meæ erga te obſervantiæ perpetuum hoc exſtare monumentum, ſi fama libellis noſtris erit, *atque aliquis venienti Witſius ævo.* Vale, Magne SPANHEMI, & me ama. Ita ſcribebam Franequeræ Friſiorum, Poſtrid. Idu. Jun. MDCLXXVIII. Quod nunc repeto Ultrajecti. Ipſis Kalendis Auguſti. MDCXCI. Tertiumque ſcribo Prid. Id. Dec. MDCXCIV.

DE SENSU EPISTOLARUM APOCALYPTICARUM.

Cap. I.

Scripti Occasio, & status Controversiæ.

I. Apocalypsios Sacræ magna est difficultas. II. Cujus difficultatis ratio, partim ex ipso scripto, III. Sapienter ita a Deo disposito; IV. Partim ex hominis conditione petenda est. V. Nostrum tamen est sedulo Apocalypsin scrutari. VI. Nam & salutaria multa exponit quæ omnibus sunt obvia: VII. Neque de occultiorum intelligentia est desperandum. VIII. Nunquam tamen præsumendum omnia nos esse assecutos. IX. De sensu Epistolarum Apocalypticarum quid hodie controvertatur. X. Non, an extiterint septem illæ Asiæ urbes? XI. Neque, an Epistolæ illæ quoad usum toti Ecclesiæ communes sint? XII. Neque an Ecclesiæ illæ aliquo sensu aliarum typi dici queant? XIII. Nec denique an septenario earum numero quodammodo totius Ecclesiæ figurata sit universitas? XIV. Sed, an septem hæ Epistolæ ad statum particularium Ecclesiarum, quibus singulæ inscriptæ sunt, historice & dogmatice sint accommodatæ, ut cæteræ Apostolicæ? XV. An vero Prophetice & Symbolice septem Universalis Ecclesiæ periodos ordine figurent? XVI. Summa controversiæ.

Apocalypsios Sacra magna est difficultas.

APocalypsin S. Johannis, augustum sane ac Divinum scriptum, plurima spissaque ænigmatum caligine involutum esse, & vel acutissimorum interpretum ingenia non exercere modo, sed & fatigare, imo in desperationem genuini sensus assequendi quandoque conjicere, communis, qua Veterum, qua Recentiorum, querela est. Veterum nonnulli, teste *Dionysio* Alexandriæ Episcopo, ἄγνωστον καὶ ἀσυλλόγιστον eam esse dixerunt, ἀλλ' οὐδ' ἀποκάλυψιν εἶναι, τὴν σφόδρα καὶ παχεῖ κεκαλυμμένην τῷ τῆς ἀγνοίας παραπετάσματι, *imo ne quidem Apocalypsin, sive Revelationem esse, quippe quæ ignorantiæ velo oppido spissoque obtecta sit. Hieronymus, Apocalypsin tot secreta habere, ait, quot verba. Ansbertus* in sanctissimis precibus quas commentario in Apocalypsin præfixit, oracula, quæ in ea continentur,

Euseb. Hist. Ecc. Lib. VII. Cap. XXV.

Epist 103. ad Paul.

obscura

obscura ænigmatum itinera appellavit. Et in ejusdem operis Præfatione ita pro modestia sua loquitur: *intellectu nostro altiora sunt, ad quæ contemplanda pertingere nitimur; ultra vires nostras sunt, ad quæ consideranda progredimur; ingenio nostro difficilia sunt, ad quæ enodanda transire cogimur.* Nec male *Ribera*, in Prooemio commentationum suarum, Apocalypsin dicit esse *mare magnum & spatiosum, plenum procellis, & tempestatibus, in quo omnis sapientia human: devoratur.* Et quotusquisque est interpretum cui non similia exciderunt?

II. Cujus Difficultatis ratio, partim ex ipso scripto.

II. Difficultas autem hæc ex non una caussa procedit: partimque ex ipso scripto, partim ex legentium conditione arcessenda est. Nam scripti materia sublimis est admodum; & stilus symbolicus atque ænigmaticus; & allusiones frequentes ad antiquorum Prophetarum, Ezechielis imprimis atque Danielis, mysticas, & necdum satis cognitas, visiones, quibuscum vel eadem, vel similia, & priscis illis in typo respondentia, vaticinatur: & prophetia ferme omnis sua quadam obscuritate laborat; tum quia ejus dictio solet esse αἰνιγματώδης, tum quia res diversis temporibus locisque gestæ tantam persæpe similitudinem & secum invicem & cum vaticinii verbis habent, ut quibus, id quod prædictum est, applicare debeas, in ancipiti sis. Et si prophetia eventu nondum sit comprobata, difficultas major est: vix enim est ut nos assequamur, & cogitationibus nostris occupemus, qua ratione facta ænigmaticam istam fatorum Divinorum delineationem olim explicatura sint. Plerumque de futuris indefinite loquitur Deus, ita ut momenta temporum, locos, personas, aliasque circumstantias in sua posuerit potestate; quas si quis suis imaginationibus determinet, vix est ut non per eventum temeritatis & insipientiæ arguatur. Prophetæ ipsi adeo quandoque visa sua non intellexerunt, ut Angelo monitore ac interprete opus haberent.

III. Sapienter ita a Deo disposito;

III. Neque temere Deus hoc pacto exercere servos suos voluit. Nam uti difficultate ista, Divinæ sapientiæ, quasi proletariæ nimis, fastidium prævenitur; ita quoque ad ignorantiæ ac hebetudinis suæ confessionem, ad anquisitiorem scrutandi diligentiam, & ad enixius precum studium, pii ea ratione adiguntur. Pulcre *Gregorius*: *Magnæ utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei; quia exercet sensum, ut fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat quod capere non potest otiosus. Habet quoque adhuc aliud majus, quia Scripturæ sacræ intelligentia, si in cunctis esset aperta, vilesceret. In quibusdam locis obscurioribus, tanto majore dulcedine inventa reficit, quanto majore labore fatigat animam quæsita.* (In Ezech. Homil. VI.)

IV. Sed

IV. Sed & in ipso homine plurima difficultatis caussa est. Omnes nim post peccatum ea mentis hebetudine laboramus, ut ad Divina & œlestia plane caliget, ac cœcutiat. Accedit in multis supina ignavia, t contemtus arcanorum Divinæ sapientiæ thesaurorum, qui, nisi fo- iendo, & diligenter scrutando, non inveniuntur. Nonnulli etiam, qui pertis Scripturarum, & communis fidei dogmatibus, contentos se esse rædicant, nequaquam id sibi existimant operæ esse datum, ut Prophe- arum abdita, etiam scrutantibus nimiopere se subducentia, rimen- ar. Alios, postquam lectioni ac meditationi alicui sacrorum vatici- iorum sese applicuerunt, terret immensus propemodum labor, qui investigatione phrasium, symbolorum, & ænigmatum propheti- orum, rerumque in Ecclesia, atque universo adeo terrarum orbe, estarum, & earumdem cum prophetiis collatione, exantlandus est. Multis etiam præjudicia officiunt, ne ea cernant quæ cæteroquin ob- cura oppido non essent. Et denique Apocalypsios scrutandæ studium quibusdam plane exstinguit opinio nimis inolita de impermeabili lius obscuritate. Fingitur enim, Apocalypsios expositionem esse eluti *quadraturam circuli, de qua dici solet, scibilis est, sed nondum ita:* & *absque singulari Dei revelatione Apocalypsin esse prorsus incom- rehensibilem.* Unde laudari solet eorum qui nihil in Apocalypsin ommentari maluerunt modestia, supra aliorum interpretum operosam tagentiam.

IV. Partim ex hominis conditione petenda est.

Salmero prælud. 4. *Perer.*

V. Verum enimvero quum universa Scriptura Divinitus inspira- , & ad hominem Dei consummandum tota comparata sit; nihil in , nihil omnino est, quod ab homine Dei reverente neglectim ha- ri, &, quasi ad se non pertineret, seponi fas sit. Imo est ubi pro- etiarum studium ex professo commendatur. 1. Thes. v. 4. 2. Pet. 1. . Et de Apocalypsi expressim, Cap. 1. 3. *Beatus, qui legit, & au- t verba Prophetiæ hujus, & servat quæ in ea scripta sunt. Legi* ea vult ominus privatim, & *audiri* in Ecclesia, ubi pro concione etiam ex- nenda sunt, & *servari*, tam in memoriæ sanctificatæ ærario, quam vitæ sanctioris praxi; atque id facientibus maximam pollicetur fe- itatem. Quam qui expetit, is neque a rebus suis alienam esse Apo- lypsios meditationem existimare debet.

V. Nostrum tamen est sedulo Apocalypsin scrutari.

VI. *Contexit* enim *medullata Ecclesiæ Sacramenta,* uti *Hieronymum* icubi dixisse memini. Et etiamsi non in omnibus intelligatur, ha- t tamen interspersa sanctimoniæ præcepta; habet eximias ad fidei etatisque constantiam hortelas; habet præmii constantibus erogandi tissimas pollicitationes; habet Divini judicii, tam in Ecclesiam, quam in il-

VI. Nam & salutaria multa exponit, quæ omnibus sunt obvia:

in illius hostes, præluſtrem demonſtrationem; habet gloriæ, quæ Eccleſiæ, tam in hoc, quam in futuro ſeculo, conferenda eſt, deſcriptionem luculentiſſimam; habet Sanctorum atque Angelorum dulciſſima cantica, quibus Divinarum nobis virtutum laudem præeunt; plena denique ejuſmodi ſententiarum eſt, quæ ſuaviſſimum ſanctitatis odorem undique exhalant. Atque ea quidem hactenus in propatulo omnibus expoſita ſunt, ingentemque animæ utilitatem afferre idonea, tametſi ſingula λεπτομερῶς non aſſequatur. Neque iis modo ſunt obvia, qui *ſcholis formati, bibliothecis exercitati, Academiis & porticibus partam ſapientiam ructant: ſed & ſimplicibus, & rudibus, & impolitis, & idiotis, qui de compito, de trivio, de textrina toti ſunt*: ut hæc mihi *Tertulliani* verba fœnerer. Merito Apocalypſi ſpeciatim applicueris, quod generatim de Scriptura *Ambroſius* ait: *Mare eſt, habens in ſe ſenſus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum. In quod mare plurima introierunt flumina. Sunt ergo & fluvii dulces atque perſpicui: ſunt & fontes nivei, qui ſaliant in vitam æternam: ſunt & ſermones boni ſicut favi mellis, & gratæ ſententiæ, quæ animos audientium ſpirituali quodam potu irrigent, & præceptorum moralium ſuavitate mulceant.* Atque hæc quidem fortaſſe iis qui e plebe fideles ſunt ad ædificationem ſufficiant.

De Teſtim. Animæ. c. I.

Epiſt. LXIV. ad Conſtantium.

VII. Neque de occultiorum intelligentia eſt deſperandum.

VII. Doctorum interim officium eſt ſingula penſiculatius examinare, idque operam dare ut latentem in fundo veritatem eruant. Danielis exemplo, Cap. VIII. 15. *Et fuit quum viderem ego Daniel viſionem iſtam,* וָאֲבַקְשָׁה בִינָה *ut quærerem intelligentiam.* Neque animum deſpondere, ſed diligentiam acuere debet, rerum propoſitarum obſcuritas. *Non enim abſcondita eſt in Scripturis veritas, ſed obſcura: non ut non inveniant eam qui quærunt eam; ſed ut non inveniant, qui quærere eam nolunt: ut ad illorum quidem gloriam pertineat qui invenerunt eam, quia deſideraverunt eam, & quæſiverunt, & invenerunt: ad illorum autem condemnationem qui non inveniunt, quia nec deſideraverunt eam, nec quæſiverunt, nec invenerunt.* Solatio diligentibus ſit promiſſio illa Dei apud Danielem Cap XII. 4. *percurrent multi, & augebitur cognitio.* Iterumque, com. 10. *Non animadvertent ulli improbi,* ſed הַמַּשְׂכִּלִים *intelligentes,* vel *eruditi, animadverſuri ſunt.* Et ſane nunquam Apocalypſios librum ſcribi atque edi voluiſſet Spiritus Dei, niſi voluiſſet etiam aliquando intelligi. Quid obſtat ergo quo minus *nos quoque ſuppliciter Divinæ Sapientiæ fores pulſemus, & pia quadam ac religioſa fidelis mentis audacia ad amicorum omnium optimum, Chriſtum, eamus, qui dedit hanc Apocalypſin ſervo ſuo Johanni palam facere ſervis ſuis, & media nocte obſcuræ hujus & ſacratæ caliginis panes intelligentiæ petamus, quos vel noſtro ſeculo (ſi Deus ita voluerit) vel futuris apponamus?*

Chryſoſt. Homilia XL. in Job.

Ribera in Proœm.

VIII. Ca-

VIII. Cæterum caute in hoc negotio procedendum est, & cum sacro quodam timore ac tremore; ne aut per inertiam aliquid ignorare velimus, aut arroganter omnia nos assecutos esse præsumamus. Quantumcunque enim adhibeamus diligentiam, non deerunt de quibus dicendum nobis sit, quod Angelo interroganti, an nescis quid velint sibi illa, respondebat Zacharias, *Nescio Domine mi.* Zach. IV. 13. Nemo se facile ea explorata habere opinetur, quæ ipsi Johanni non nisi post multas & amaras lacrymas patefacta sunt. Apoc. V. 4. Exsultemus in iis quæ intelligere nobis datum est; reliqua religiose miremur, timide sed & naviter rimemur. Sancte pariter ac modeste is quem nuper laudavi *Dionysius*: Μείζονα δὲ τῆς ἐμαυτοῦ φρονήσεως τὴν ὑπόληψιν τῆς περὶ αὐτοῦ λαμβάνων, κεκρυμμένην εἶναί τινα καὶ θαυμασιωτέραν τὴν καθ' ἕκαστα ἐκδοχὴν ὑπολαμβάνω. Καὶ γὰρ εἰ μὴ συνίημι, ἀλλ' ὑπονοῶ γε νοῦν τίνα βαθύτερον ἐγκεῖσθαι τοῖς ῥήμασι, οὐκ ἰδίῳ ταῦτα μετρῶν καὶ κρίνων λογισμῷ, πίστει δὲ πλέον νέμων, ὑψηλότερα ἢ ὑπ' ἐμοῦ καταληφθῆναι νενόμικα. Καὶ οὐκ ἀποδοκιμάζω ταῦτα ἃ μὴ συνεώρακα, θαυμάζω δὲ μᾶλλον ὅτι μὴ καὶ εἶδον. *Sed hoc magis de* eo [Apocalypsios libro] *sentio, quod excedant atque emineant quæ in eo scripta sunt humanæ auditionis modum, & sit in eo arcanus quidam & reconditus atque admirandus omnibus sensus; quem & ego admiror ac veneror, etiamsi non intelligo. Et ita sentio, quod Divina aliqua sacramenta sermonibus contegantur humanis, non tam judicio meo discernens quam fide credens. Et ideo non reprobo quæ non intelligo, sed tanto magis admiror, quanto minus assequor.*

VIII. Nusquam tamen præsumendum omnia nos esse assecutos.

Euseb. Hist. Lib. VII. C. XXV.

IX. Verum quum fidi interpretis officium sit obscuris lucem fœnerari, ante omnia ei cavendum est, ne subtilibus potius quam solidis interpretamentis iis quæ liquida sunt caliginem aut nebulam circumfundat. Id num ii faciant, qui epistolas, quæ Christi nomine ad septem minoris Asiæ Ecclesias exaratæ sunt, propheticas esse contendunt, & totius Ecclesiæ Catholicæ per septem suas periodos mysticam descriptionem ordine continere, & antehac quæsitum est, & iterum nunc quæri meretur. Quum enim Prophetiarum studium, quod diu quasi intermortuum jacuit, lacertos nunc rursus movere videatur, de harum quoque epistolarum sensu curatius, an curiosius? agi cœptum est. Neque abs re fore existimavi, utriusque sententiæ argumenta, omnibus suis instructa præsidiis, in campum quasi producere; affectu adeo nullo, ut, donec copias omnes utrinque explicuero, & utriusque partis phalanges omni mea arte instruxero, ac pila minantia pilis lectori exhibuero, cui plus parti addictus sim, difficulter aut ne difficulter quidem, adjudicari queat.

IX. De sensu Epistolarum Apocalypticarum quid hodie controvertatur?

 X. Ri-

X. Non, an exstiterint Septem illæ Asiæ urbes?

X. Rite præprimis formandus controversiæ status est. Non id quæritur, *an exstiterint Johannis tempore septem Asiæ urbes, memoratæ Apoc.* I. 11. & in iis Ecclesiæ Christi; an vero urbium istarum nomina, & quicquid porro de iis dicitur duntaxat ut symbolicum, & hieroglyphicum, & dramaticum quid, interpretari debeat; quemadmodum male nonnulli Jobi Historiam in Tragico-comœdiam ac drama transformarunt? Utrimque enim ut indubitabile verum supponitur, revera illas Ecclesias in memoratis Asiæ urbibus eo tempore extitisse, easque singulari numinis gratia depositarias factas esse, non modo suarum singulas cœlestium Epistolarum, sed & totius Sacræ Apocalypsios.

XI. Neque, an Epistolæ illæ quoad usum toti Ecclesiæ communes sint?

XI. Neque id controversiosum est, *an ea quæ Epistolis istis continentur, quoad usum totius Ecclesiæ Christianæ sint?* Nam sicut Epistolæ ad Romanos, Corinthios, Ephesios, imo ad singulares personas, verbi gratia, Timotheum, Titum, Gajum, iis quidem speciatim ac nominatim inscriptæ sunt; attamen ad ædificationem totius Ecclesiæ Catholicæ a Deo dictatæ ac destinatæ, adeo ut singuli fideles sibi dictum esse existimare debeant, quod Romanis, quod Timotheo, ad fidei informationem, aut morum correctionem, dictum est: eodem modo hæc quoque se res habet. Quod discipulis suis dicebat Jesus, hoc nobis quoque, hoc *omnibus* dixit. Marc. XIII. 37. & *quæ ante scripta sunt ad nostram doctrinam ante scripta sunt; ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Rom. XV. 4.

XII. Neque an Ecclesiæ illæ aliquo sensu aliarum typi dici queant.

XII. Imo ne id quidem disputari arbitror, *an Ecclesiæ istæ Asiaticæ*, tam in virtutibus, quam vitiis suis, uti etiam in judiciis Dei super illas, *aliarum quarundam insequentium Ecclesiarum typi quodammodo ac figuræ dici queant*, eo sensu quo Apostolus de Hebræis scribit I. Cor. X. 6. *Hæc autem typi nostri fuerunt, ut ne concupiscamus res malas, sicut illi concupiverunt.* Iterumque com. 11. *Hæc autem omnia typice evenerunt eis: scripta vero sunt ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum devenerunt.*

XIII. Nec denique, an septenario earum numero quodammodo totius Ecclesiæ sit figurata universitas?

XIII. Sed nec in eo controversiæ cardinem esse existimo, *an septenario isto Ecclesiarum Asiaticarum numero totius Ecclesiæ Catholicæ sit figurata universitas*, sic ut omnis ævi Ecclesia in epistolarum harum aliqua, vel in pluribus fortasse simul, velut in speculo, sui imaginem contemplari queat. In eo enim cujuscunque sectæ interpretes passim convenire deprehendo.

XIV. Sed, an septem

XIV. Quid ergo tandem illud est, quod in controversia maneat? Creditum hactenus plerisque est, argumenta harum epistolarum proxime

xime & nominatim ad eas Ecclesias pertinere quibus singulæ inscriptæ sunt, neque debuisse eas aliter existimare quam suum ibi statum historice depingi, cum laudationibus vel increpationibus, comminationibus vel promissionibus, quæ singularum distinctis conditionibus accommodatæ erant: quæ quidem res ad universalis ecclesiæ commonefactionem inserviant, aliisque aliorum seculorum cœtibus, in quibus similia obtinent, ad ædificationem sapienter applicandæ sint; non tamen magis in allegorias, rerumque futurarum prophetias transformandæ, quam Pauli ad Romanos Ephesiosque epistolæ.

hæ Epistolæ ad statum particularium Ecclesiarum, quibus singulæ inscriptæ sunt, historice & dogmatice sint accommodatæ, ut cæteræ Apostolicæ?

XV. Sed qui recentius nunc & operosius in Apocalypsin sunt commentati, pugnant, epistolarum illarum argumenta non minus prophetica esse quam argumenta septem sigillorum & septem tubarum, quibus etiam singulæ ordine respondeant: & contendunt, Ecclesias illas Asiæ non tam in se considerandas esse, quam ut emblemata & typos totius Ecclesiæ Christianæ in septem distinctis sibique ordine succedentibus temporum periodis: quo & singularum nomina, quippe quæ symbolica sint, faciant. Ita quidem ut prima, quæ *Ephesina* est, repræsentet conditionem Ecclesiæ primitivæ, incipientis a Christi in cœlos adscensione, & desinentis in morte Apostolorum, circa finem *seculi primi*; quæ omnium, uti par est, purissima castissimaque fuit: Altera, *Smyrnensis*, quæ a *Myrra* dicta est, amaro sed salubri aromate, respondeat *seculo secundo & tertio*, ac figura sit Ecclesiæ patientis, plurimisque martyriis exploratæ: Tertia, *Pergamensis*, trium insequentium seculorum statum figuret, ab *Anno* CCC. vel CCCXXV. ad *Annum* DC. vel DCVI. quo tempore Ecclesia in turrita ac ingenti urbe, id est, Mystica Babele, cui respondet Pergamus, esse cœpit: Quarta, *Thyatirensis*, compluria secula complectatur, ad tempus reformationis usque, quibus seculorum spiramentis Ecclesia sævis afflictionibus vexata, & Deo quasi immolata fuit: Quinta, *Sardensis*, emblema sit Ecclesiæ, quæ abdicata Anti-Christi communione, & puriore numinis cultu quodammodo restituto, multis tamen vitiis, & præ cæteris tetra μισαδελφίᾳ fœdata fuit, qualia in Ecclesiis Luthero addictis deprehensa sunt: nisi quis Bohemos quoque & Hussitas ad hanc periodum referre malit: ideoque de Sardensi Ecclesia dicitur, *eam nomine tenus vivere, revera mortuam esse*: Sexta, *Philadelphiensis*, Reformatæ Ecclesiæ respondeat, quæ tempore paullo est posterior, sed & purior in Doctrinâ, accuratior in Disciplina, constantior in afflictionibus, & in Fraterno amore longe excellentior: Septima, *Laodicensis*, describat

XV. An vero Prophetice & Symbolice septem Universalis Ecclesiæ periodos ordine figurent?

describat ultimorum temporum Ecclesiam, quibus prælustria sua judicia in populis exsecuturus est Dominus.

XVI. Summa Controversiæ. XVI. Ut ergo rem in pauca conferam, hoc est quod quæritur: *An Epistolæ Apocalypticæ Historicæ, Dogmaticæ atque Hortatoriæ sint, statum Ecclesiarum Asiaticarum, prout tunc erat, enarrantes, cum hortationibus, comminationibus, promissionibus, statui isti convenientibus, ad eundem modum, sicut & reliquæ Epistolæ Apostolicæ; an vero Propheticæ, Allegoricæ, Emblematicæ, vaticinantes de futuro Ecclesiæ statu, sicuti Septem Sigilla, ac Septem Tubæ, quibus Septem hæ Epistolæ in Propheticis aque Allegoriis suis respondeant?* Theologi atque interpretes vulgo prius; Recentiores aliquot Viri Docti posterius statuunt. Nos utriusque sententiæ argumenta expendamus.

CAP. II.

Argumenta pro sensu Prophetico.

XVII. *Antiqua Urbium & Regionum nomina sæpe sunt symbolica.* XVIII. *Babelis mysterium.* XIX. *Moabi.* XX. *Tyri,* XXI. *Gogi & Magogi.* XXII. *Mirum itaque non est, in Prophetico scripto Asiaticarum urbium nomina pariter symbolice interpretanda esse.* XXIII. *Tota Apocalypsis una Epistola est, Catholicæ inscripta Ecclesiæ.* XXIV. *Singulæ Epistolæ universalem habent epilogum.* XXV. *Emblemata hic adhibita augustiora sunt quam pro particularibus Ecclesiis.* XXVI. *Ex collatione septem columnarum, septem oculorum, septem templi graduum, infertur septem Ecclesiæ periodos hic quoque figurari.* XXVII. *Suetum est Spiritui Sancto per nomina propria docere.* XXVIII. *Quid Ephesus symbolice significet.* XXIX. *Quid Smyrna.* XXX. *Quid Pergamus.* XXXI. *Quid Thyatira.* XXXII. *Quid Sardis.* XXXIII. *Quid Laodicea.* XXXIV. *Concluditur fieri non posse, ut præter intentionem numinis res Ecclesiæ Symbolicis istis nominibus tam exacte respondeant.* XXXV. *Eventus expositioni Propheticæ fidem adstruit.* XXXVI. *In Epistola ad Ephesios Apostolica Ecclesia deformatio est.* XXXVII. *In Smyrnæorum Epistola tempora Apostolicis proxima figurantur.* XXXVIII. *In Pergamensi sequentium seculorum typus est:* XXXIX. *In Thyatirensi describuntur Waldenses.* XL. *Sardensis Ecclesia Lutheranæ instar exhibet.* XLI. *Philadelphiensis Ecclesia nostra Reformata respondet.* XLII. *Laodicena ultimorum temporum conditionem repræsentat.* XLIII. *Conclusio hujus argumenti.* XLIV. *Multa*

Multa harum Epistolarum non conveniunt eorum temporum Ecclesiis. XLV. *Quod demonstratur exemplis.* XLVI. *Consensus interpretum, qua Veterum, qua Recentiorum.* XLVII. *In investiganda veritate requiritur candor.*

ARGUMENTUM PRIMUM.

XVII. QUi pro Prophetico & Allegorico sensu pugnant, ita instituunt. *Primo,* jubent nos observare, nihil in Sacris literis frequentius esse, quam antiquarum regionum, vel etiam nationum nominibus, eos hominum cœtus mystice indigitare qui longe seriorum temporum sunt, & in aliis plane locis degunt. Sic *Zionis* vel *Hierosolymæ*, *Israëlis* vel *Judæ* nomine, Novi Testamenti Ecclesia, *Sodomæ*, *Ægypti*, *Babelis*, *Tyri* vocabulis, Roma Antichristiana passim denotatur. Quum observatio hæc magni ad prophetiarum intelligentiam momenti sit, non inutile, neque injucundum erit, eam notabilibus quibusdam exemplis illustrare. *XVII. Antiqua urbium & Regionum nomina sæpe sunt symbolica.*

XVIII. Quis verbi gratia, ubi BABELIS Regem vocitari audit *Luciferum*, *Filium auroræ*, *qui in corde suo dicat*, *adscendam in cælum*, *supra stellas Dei efferam sedem meam*, *& sedebo in monte conventus, in lateribus aquilonis*; *adscendam super celsa nubis*, *assimilabor Altissimo*, Jes. XIV. 12. 14. non facile intelligat, *Antistitem Romanum* describi, qui ante casum suum videbatur esse *Astrum lucidissimum*, (licet revera esset sidus ψυοφερὸν, ἀςὴρ πλανήτης Jud. vers. 13.) & *Filius auroræ*, jactans se cum ipso diluculo, sive prima aurora lucis Evangelicæ in tenebris mundi, exstitisse: & *in corde suo loquitur*, omnia agens κατ᾽ ἴδιον θέλημα, *adscendam in cælum*, meopte consilio eximam me ab omni judicio & Ecclesiastico & Politico, cui subjecti sunt qui stant in terra, & *efferam sedem meam supra stellas Dei*, Thronum habebo, & in eo sedebo, stellis omnibus Dei, tam Sacerdotibus & Senioribus Testamenti Veteris, quam Ministris T. N. longe superior; & *considebo in monte conventus*, juxta illud Apostoli 2. Thess. II. 4. ὥςε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ καθίσαι. *in lateribus Aquilonis*, ubi erant mensæ in quibus mactabantur sacrificia, Ezech. XL. 39. & mensa panum propositionis. Exod. XXVI. 35. id est, geram me ut Sacerdotem, ad id a Deo constitutum, ut offerat & offerri curet pro peccatis populi, & Sacramento panis dominici summa omnia attribuam. Et *adscendam in celsa nubium*, quæ principium sunt roris ac pluviæ, quibus verbum Dei comparatur, *XVIII. Babelis mysterium.*

quod

quod quidem ego arbitratui ac imperio meo subjiciam. Et *Assimilabor Altissimo;* juxta 2. Thess. II. 4. ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ θεός.

XIX. *Moabi.* XIX. Sic MOABITÆ apud Jesaiam Cap. xv. & xvi. significant *Judæos* a Christo visitatos & invitatos ad regni ipsius communionem, & persecutores Apostolorum & fidelium: qui *Moabitæ* dicuntur, quia partim insessores Moabitidis erant, partim superstitione animoque Moabitis conjuncti. Et quod cap. xvi. com. 9. dicitur, *Idcirco flebam ob fletum Jaazar, vitem Sibma, irrorabam te lacrima mea, Chesbon & Eleale,* est prophetia de lacrymis Christi, quum appropinquaret Hierosolymæ. Luc. xix. 41. Commate 14. *vilis fiet gloria Moabi,* id est, templum Hierosolymitanum, quod gloria Judæorum erat, dejicietur & conjicietur in capita sacerdotum, neque erunt amplius Judæi hæredes terræ sanctæ & populus Deo peculiaris. Idque fiet *tribus annis, quales sunt anni mercenarii*: probari enim ex *Josepho* & *Tacito* potest, ultimi belli Judaici tempus tres annos fuisse, quibus & Judæorum gloria occidit, & magna illorum multitudo exstincta est.

XX. *Tyri.* XX. Ad eundem modum Jes. xxiii. sub emblemate TYRI, urbis *mercatricis* & *coronatricis*, proponitur Roma, quæ negotiationem spiritualem exercet, & Imperatoribus, Regibus, Principibus diademata imponit. Is qui *a Terra Kittim, Tyro* & *Mercatoribus* ipsius quasi ad auxilium apparuit, sed *domi confractus est*, *vers.* 1. est *Carolus V. Imperator*, qui Romanis Antistitibus apparuit ut faustum aliquod sidus, & oppressurus, gravem Romanæ Tyro, Lutherum videbatur, sed seditione in Hispania coorta, domi concussus est, & coactus Anno xxiii. in Hispaniam reverti. *Arx Tyri vastata*, vers. 14. est tum Cæsar, tum Concilium. Cæsar per Solymannum, Mauricium ac Fœderatos, & Henricum II. Gallorum Regem, in ordinem redactus est. Concilium bello Mauricii dissipatum est Anno MDLII. *Oblivio cui Tyrus tradita est* LXX. *annis*, vers. 15. convenit in id tempus quod secutum est transactionem Passaviensem, factam eodem anno MDLII. Nam inde Roma desiit metui, & admirationi esse, ac paullatim crevit ejus vilipendium. *Carmen meretricium*, quod post LXX. annos in Tyro cantatum fuit, significat lætitiam & gloriationem Romanorum de victoriis suis in nomine non Dei veri. Nam Anno MDCXXII. id est, LXX. annis præcise postquam Evangelii prædicatio restitui cœpit Augustæ, & de pace Religionis transactum est Passavii, Jesuitæ Academiam Pragensem & Heidelbergensem occuparunt, & Papa Ignatium Lojolam, & alios ejusdem ordinis canonizavit; quæ ἀποθέωσις magna festivitate ubique

ubique celebrata est, & iis aliisque idolis gratiæ actæ de victoriis Cæsaris.

XXI. Similiter apud Ezechielem Cap. XXXVIII. GOG, quasi *Gag*, h. e. *tectum*, hieroglyphice notat eum qui ponit se medium inter Deum & homines (quemadmodum tectum intercedit inter cœlum & terram) & adspectum cœli liberum tollit, nec patitur fidem statim dirigi in Christum, benedictionesque spirituales arcet ab Ecclesia. MAGOG denotat terram illam, quæ ab illo tecto *contegitur*, eique subjicitur, videlicet Bestiam a Pseudo-Propheta insessam, vel clarius, homines, qui per Antichristum, tanquam Imaginem Christi, se in Christum credere putant. Locus qui Gogo in *Sepulcrum* datus est, in Israële, *vallis transeuntium versus orientem maris*, Ezech. XXXIX. 11. est *vallis Tridentina*, sita inter montes quæ Gogi ditionem extremam in vicinia terræ Ecclesiæ determinant. Hi montes Alpes sunt. *Terra Israëlis*, sive Ecclesiæ, est *Germania*. Porro per vallem Tridentinam via est a Septentrione, e Germania, in Palæstinam ultra mare ad ortum sitam. Tridentum tridui itinere dist[a] Venetiis. Unde navibus oriens petitur brevissime, iis qui e Germania & toto Septentrione tendunt. Non poterat Prophetia locum sepulturæ Gogi disertius notare, servato ænigmatis decoro. Tridenti autem *Sepultus* est Gog, & omnis multitudo ejus; nam Concilium à Gogo illic congregatum, talia ibi decreta fecit, quibus ostendit, Gogum, & omnes qui cum ipso faciunt, plane esse mortuos, & excœcatos, ne possint videre veritatem: iisque decretis addidit anathemata, quibus se separaverunt Romani a communione transeuntium Zionem versus, hoc est, ab Israële, sive Evangelica Ecclesia. Quæ quum vocetur *terra viventium*, dum se ponunt in terra mortis & interitus, recte dicuntur, sese ipsos sepelire.

XXI. Gogi & Magogi.

XXII. Alia de hoc genere infinita propemodum sunt, quæ ab Antiquioribus secure neglecta, vel spreta fortassis, recentiorum sagacem industriam effugere non potuerunt. Quum ergo Allegoricæ atque Hieroglyphicæ significationes Urbium, Regionum ac Nationum in Prophetiis tam frequentes sint, quæ invidia impedire potest quo minus quis Asiaticarum urbium nomina pariter Allegorica & Hieroglyphica esse contendat, præsertim in scripto Prophetico, emblematum ac typorum pleno, quale Apocalypsis est: idque eo magis, quia ii ipsi qui pro literali sensu stant, id quod in epistola ad Thyatirenses de *Jesabele* extat ænigmatice exponere coguntur. Si nihil aliud, hoc saltem ex iis quæ dicta sunt evincitur, nihil eos ab interpretatione Apocalypsios alienum committere, si, quod alibi, sine culpa, non sine laude subtilitatis, fit, Urbium nomina in Prophetico libro hieroglyphice exponunt.

XXII. Mirum itaque non est, in Prophetico scripto Asiaticarum urbium nomina pariter symbolice interpretanda esse.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

XXIII. *Tota Apocalypsis una Epistola est Catholicæ inscripta Ecclesiæ.*

XXIII. *Secundo.* Ut ad præsentem controversiam propius accedamus, notandum est totam Apocalypsin *unius Epistolæ* instar habere, quæ *Catholicæ Ecclesiæ* inscripta est. Neque enim cassum ratione est, quod (contra quam in Apostolicis epistolis ad singulares Ecclesias scriptis fieri solet) alloquium non primo ad septem has Ecclesias directum sit, sed jam ab initio beati pronuncientur *omnes qui legunt, & audiunt, & servant verba Prophetiæ hujus.* Apoc. I. 3. quibus verbis innuitur, epistolam hanc Catholicam esse, ad omnes omnium seculorum Ecclesias. Tum etiam, quum finitis his Epistolis, quartum caput aggreditur Johannes, institutum ordinem non abrumpit, quasi ad alias exinde Ecclesias sermonem dirigeret, sed eadem methodo, iisdem Ecclesiis exponit & applicat argumenta septem sigillorum, & totidem tubarum, & quicquid præterea Apocalypsis continet. Quæ omnia generali conclusione, more in Epistolis sueto, concluduntur, Apoc. XXII. 21. *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis. Amen.* Ut scias, hic demum esse totius Catholicæ Epistolæ finem.

ARGUMENTUM TERTIUM.

XXIV. *Singulæ Epistolæ universalem habent epilogum.*

XXIV. *Tertio.* Ut nemo cum ratione dubitare queat quin Epistolæ hæ universalem Ecclesiam spectent, singularum Epilogum universalem esse exsertim Deus voluit: *Qui aures habet, audiat quid spiritus dicit Ecclesiis.*

ARGUMENTUM QUARTUM.

XXV. *Emblemata hic adhibita augustiora sunt, quam pro particularibus Ecclesiis.*

XXV. *Quarto.* Augustæ Sacrorum emblematum Majestati plurimum illi derogare videntur, qui nihil præter Minoris Asiæ Ecclesias iis designatum esse volunt. Quid enim? an harum modo Ecclesiarum Angeli *stellæ* sunt, in obscura cæteroquin nocte lucem mundo affulgentes? An non multi fidi Doctores cum iis? nonnulli præ iis? An eos solos in *manu sua habet*, dirigit ac tuetur Jesus? Quis ignorat, quum *Septem candelabra aurea* narrantur, alludi ad candelabrum aureum tabernaculi Mosaici, quod, quum unum esset, septem tamen lampadas habebat, figurans non septem topicas Ecclesias, sed unam Ecclesiam Catholicam in septem temporibus. Exod. XXV. 37. Sicut & Zacharias vaticinans de tempore futuro N. T. Ecclesiam proponit in schemate *Candelabri aurei.* Cap. IV. 2. & seq. Certum etiam est describi Christi Domi-

Domini gloriam, & velut insigne ejus exponi, quum *in medio candelabrorum aureorum ambulare* dicitur. Quid autem? an solis Asiæ Ecclesiis favore, Spiritu, & auxilio suo præsto est? Nonne omnibus suis idem est pollicitus, ad consummationem usque seculi? Cur ergo a septem illis solummodo Ecclesiis se denominatum voluisset? Non est id, non est pro tanti Regis dignitate. Sicut indecorum esset trium Regnorum, & plus quam centum ditionum Domino, septem duntaxat Provinciarum vel urbium nomina insignibus suis inscribere, seque ab iis denominare; ita & hic. Quid quod a VII Ecclesiis Spiritus ipse sanctus *septemplex* dicatur? Non sane propter illas Asiæ Ecclesias. Nam si fortassis Philippi aut Colossus annumeratæ iis fuissent, an tum *octo* vel *novem spiritus* Johannes memorasset? contrarium ipse sacer textus docet, Apoc. v. 6. nimirum hos esse *septem spiritus qui emissi sunt in universam terram*, idque sine dubio omnibus temporibus ac seculis. Quæ omnia satis comprobant; augustius aliquod mysterium, & quod intra Asiæ Ecclesias arctari non debeat, emblematibus illis subesse.

ARGUMENTUM QUINTUM.

XXVI. *Quinto.* Idem ex similibus phrasibus ac testimoniis hoc modo inferri posse videtur. Prov. IX. I. dicitur חָכְמוֹת *Sapientias*, (hoc est, juxta Hebræorum stylum, summam sapientiam, Filium Dei,) *sibi ædificasse domum*, atque in ea *septem suas columnas incidisse*. Zach. III. 9. hisce verbis promissio de adventu Christi exponitur: *Ecce lapis quem collocavi coram facie Jehosua; in unum lapidem spectabunt septem oculi.* Sic & Ezechieli monstratum, Cap. XL. 26. ad singulas templi portas adscendendum esse *per septem gradus*. Quid illæ *septem columnæ* in domo Christi possunt præfigurasse, quam Christum in totidem adversitatibus ostensurum, se Ecclesiam Novi Testamenti sustentare? Quid *septem* illi *oculi* contuentes lapidem, quam eandem Ecclesiam ita in Christum, *probatum a Deo lapidem*, *Rupem salutis*, oculos suos in septem distinctis angustiis defixuram? Quid *septem* illi *gradus* ad portas Templi, quam septem periodos afflictionum esse superandas, antequam Templum Domini gloriosum conspiceretur? Quod vero Deus voluerit nos hisce diligenter attendere, neque cum supercilio dicere, esse numerum certum pro incerto, satis superque arguit creberrima ejusdem numeri inculcatio, quæ mysterio proinde carere non potest. Quum itaque idem septenarius numerus hic quoque replicetur, qua specie negari potest, septem Ecclesias de quibus hic agitur, esse Ecclesi-

XXVI. *Ex collatione septem columnarum, septem oculorum, septem templi graduum infertur septem Ecclesiæ periodos hic quoque figurari.*

siam Novi Testamenti universam, secundum temporum seriem ; septemque has Epistolas complecti integram fatorum N. Testamenti historiam ?

ARGUMENTUM SEXTUM.

XXVII. *Suetum est Spiritui Sancto per nomina propria docere.*

XXVII. *Sexto.* Ipsa Ecclesiarum *nomina* huc nos ducunt; quæ *symbolica* esse pridem Doctissimi interpretes monuerunt. Nec est insuetum Spiritui Sancto per nomina propria docere. Quid enim sibi vult nomen *Abraham, Sara, Isaac, Israël, Immanuël, Magor Missabib, Jesus*? nonne ea postulant se ex etymo explicari ? ut & ipsum nomen *Jehovæ*? Deinde, nonne & Johannes Cap. IX. 7. τὸ Σιλωάμ interpretatur ἀπεσταλμένον, innuens, Christum voluisse significare, dum cœcum misit ad Siloæ aquam, quod sanatio ipsius esset a lavacro, quod probat is qui a Deo missus erat? Paulum Gal. IV. 25. non piget observare, regionem montis *Sinai*, etiam nomine Ἄγαρ cum ancilla convenire. Quid ni ergo in harum quoque urbium nominibus idem obtinere credamus? Præsertim quum res ipsa doceat, consulto delegisse Spiritum has Ecclesias quæ vel ipsis nominibus, tanquam inscriptis quibusdam in fronte notis, totam suam conditionem indicarent. Quod in singulis perspicuum est.

XXVIII. *Quid Ephesus symbolice significet.*

XXVIII. EPHESINA Ecclesia, si qua alia, poterat typum exhibere & instar esse Ecclesiæ omnis, in qua Apostoli docuerunt. Quanta diligentia, & quantum tempus, Paulus in ea Ecclesia laboraverit, explicatur Act. XX. 31. Imprimis notare potest Ecclesiam Gentilium, quæ ex barathro sceleris conversa est in gloriosissimam Regiam salutis. Ephesus enim, præter horribilem idololatriam, qua facem præferebat reliquis urbibus, perditissimi fuit luxus: Hermodorum quendam ejiciens, non ob aliud crimen, quam quod vir frugi esset, hoc insuper addito, ἡμέων μηδεὶς ὀνήϊστος ἔστω, εἰ δὲ μὴ, ἄλλῃ τε καὶ μετ᾽ ἄλλων; *nemo de nobis unus excellat, sed si quis excelluerit, alio in loco & apud alios sit.* Hæc ergo urbs, princeps olim nequitiæ, nunc caput facta sanctitatis, & prima inter septem Ecclesias, conversos gentiles figurat, qui non minus excellunt pietate, quam pridem omnibus flagitiis, Imo, si hac quoque in parte doctissimo *Brichtmanno* adstipulari libeat, quod de *remissione pristinæ charitatis* Ecclesiæ exprobratur Apoc. II.4. ex ipso nomine facile deduci potest: Ἔφεσος enim est tanquam ἄφεσις, *omissio*, quo alluditur verbo, ἀφῆκας, *omisisti charitatem tuam primam.*

XXIX. *Quid Smyrna.*

XXIX. SMYRNENSIS Ecclesiæ nomen allusionem habet ad σμύρναν, quod est *myrrha*. Cant. III. 6. Ecclesia dicitur *adscendere ex deserto*

irto instar palmarum fumi, perfumigata myrrha atque thure, præ omni ulvere seplasiarii. Ibi significatur patientia fidelium in persecutione, t martyria illorum, quæ odorem suum late spargunt, instar nidoris acrificiorum aut thymiamatum. Et hæc epistola talem patientiam rædicat. Non a vero igitur absimile est, hac Epistola non tantum comellari Angelum Ecclesiæ unius oppidi, sed Angelum Ecclesiæ patientis n omni loco, tribus nimirum primis seculis, quibus frequentissima rant martyria.

XXX. PERGAMUS notat *arcem*, uti *Hesychius* monet, Πέργαμος ἡ ἀκρόπολις τῦ Ἰλίυ. & urbs eo nomine, turrita, alta, & superba, erat *sedes Regum Asiæ*. Quid ergo convenientius est, quam intelligere hic Ecclesiam urbis dominantis, & magna potentia circumvallatæ, & (quid ni nim & hoc addatur?) cujus populus gloriatur authoribus illis qui essent b *Asiana*, & *Trojana*, & sic *Pergamensi*, origine? Qualis fuit Ecclesia n Imperio Romano post tempora Constantini Magni. XXX. *Quid Pergamus.*

XXXI. THYATIRENSIS Ecclesia significat τὴν θυομένην καὶ τειρομένην *am qua immolatur & vexatur*. Non clarius *Bamah* suo nomine fatetur uam vanum sit *celsum*, Ezech.xx.29. quam hæc Ecclesia se suo nomine patefacit. Vocabulum *Bamah*, si sonum vocis attendas, est בָּא מַה d significat, *Venit? Quid?* Quasi dicat, putatisne eo venire quidquam? & uid est quod eo venit? Non Deus illo venit. Soli *vos eo venitis*. Quid igiur est *Bamah?* nihil certe est. Sic subtiliter Vir Doctissimus ad Ezech.xx. 29. Confer quæ observavit ad Psal. LXXVIII. §. 33. Ad eundem modum Thyatirensis Ecclesia, qui a θύειν & τείρειν nomen est, ipso hoc nomine ata sua pandit. Ea enim est quam plurimis contentionibus, oblocutionibus, vexationibus, suppliciis, & omne genus exagitationibus obnoxim vidimus, in Imperio nomine tenus Christiano, sub Tyrannide Antichristi. XXXI. *Quid Thyatira.*

XXXII. SARDIS *Lydorum* Metropolis erat, *Crœsi* quondam *Regia*: t concinne significat Ecclesiam in Imperio Christiano caput solito subimius exsertantem. Forte & ad שַׂר *Princeps*, aut שׂוּר *amussis*, & שָׂרִיד *superstes* alluditur. Nam orsa per Lutherum reformatione, *Principes* aliquot *seculares* utilem Ecclesiæ operam navarunt, & *Ecclesiastici* nonnulli, pessimo exemplo, *principatum* sibi in fratres, in ipsis renascentis Ecclesiæ incunabulis, arrogarunt: & *amussis* verbi Dei, juxta quam ædificandum illius templum est, operis iterum in manum tradita: & *residui* x spirituali Israële collecti sunt, atque in fœda morum corruptione uperstitarunt nonnulli qui non polluerunt vestimenta sua. XXXII. *Quid Sardis.*

XXXIII. *Quid Philadelphia.*

XXXIII. ΦΙΛΑΔΕΛΦΙ'ΑΣ ænigmate continetur character veræ Ecclesiæ, qui est φιλαδελφία, *dilectio Fratrum*. Ea ut facit, fratres in Christo sibi invicem esse suaves & jucundos, & inter se communionem habere bonorum & malorum; ita importat fugam non fratrum, ad evitationem schismatis & falsæ doctrinæ. Porro Philadelphia periculoso loco sita fuit, ideoque, etiam quum maxime floreret, civium infrequens, qui sparsim in agris habitabant, crebrum urbis tremorem metuentes. Quam convenit hoc nomen Reformatæ Ecclesiæ, quæ post *Germanicam*, *Sardiensem* illam, exorta est; hoc est, *Helvetiæ, Suevicæ*, *Genevensi*; *Gallicæ*, *Belgicæ*, *Scoticæ*? Hæc enim uti vere pia est propter fraternum amorem, sic & humilis est, & obscura, omni ferme mundana potestate ac humano nomine destituta; qua in re e diametro adversatur *Pergamo*, superbæ ac turritæ urbi: & cives illius, licet animis & voluntate conjuncti, & unis fere legibus, iisdemque institutis, viventes quod res alicujus momenti attinet, sparsim tamen, & raris locis, atque a se invicem sejuncti habitant, plurimo semper periculo obnoxii, ob frementium frendentiumque quibus cincti sunt hostium multitudinem ac potentiam.

XXXIV. *Quid Laodicea.*

XXXIV. LAODICEA, urbs magna & opulenta ad Lycum, condita fuit ab Antiocho filio Stratonices, & in gratiam uxoris *Laodices Laodicea* appellata, quasi *princeps populorum*, quibus jus diceret, legesque ferret. Ea, si *Brichtmannum* sequamur, typus est Ecclesiæ Reformatæ quidem quoad doctrinam, sed opibus tamen suis ac mundano fastu turgidæ, qualis est *Anglicana*, cujus *Episcopi* sunt *Regni proceres*; honore multis quidem magnatibus superiores, tum opibus, famulatu, magnificentia ædium, & reliqua tota mundi pompa, quibusvis vel summis *Comitibus* pares. *Decani* autem, *Archidiaconi*, *Præbendarii*, *Capellani*, pluribus accumulatis, uti vocant, beneficiis, *Armigeros* saltem annuis reditibus æquant. Vel juxta alios; per Laodicensem intelligitur ultimi temporis Ecclesia, quo Deus *Judicium aget* inter populos.

XXXV. *Concluditur fieri non posse, ut præter intentionem numinis res Ecclesiæ Symbolicis istis nominibus tam exacte respondeant.*

XXXV. Quum itaque ex iis quæ paulo fusius nunc sunt exposita evidenter patescat, quam concinne harum urbium nomina distinctas Ecclesiarum, juxta suas periodos, conditiones repræsentent; quis non agnoscat Divini Spiritus sapientiam, tam elegantibus symbolis ad rerum significatarum contemplationem suos deducentis? Potestne id fortuito, & præter intentionem numinis fieri, ut res in Ecclesia gestæ, vel gerendæ, symbolicis nominibus a Deo usurpatis tam exacte conveniant?

ARGU-

ARGUMENTUM SEPTIMUM.

XXXVI. *Eventus expositioni Propheticæ fidem adstruit.*

XXXVI. *Septimo.* Res ipsa loquitur, & *eventus* interpretationi isti propheticæ tantam facit fidem, ut vel obstinatissimos ad assensum cogat. Concipi enim non potest, quo pacto ea quæ epistolis istis continentur tam accuratam mutationum omnium quæ Ecclesiæ Novi Testamenti acciderunt delineationem exhiberent, nisi id a Spiritu S. fuisset intentum. Singularum argumenta breviter lustremus.

XXXVII. *In Epistola ad Ephesios Apostolicæ Ecclesiæ deformatio est.*

XXXVII. Potuitne *Apostolicæ Ecclesiæ* conditio luculentius describi, quam factum est in hac ad *Ephesium Angelum* Epistola? Laudata ibi vides *opera* pietatis, & *laborem* in propagando Evangelio ab Apostolis exantlatum, qui orbem inter se partiti terrarum omnia præconio Christi repleverunt: & *patientiam*, tam in tolerandis iis qui infirmi erant, quam in alacriter subeundis afflictionibus, uti ex *Stephani* & Apostolorum ferme omnium martyriis, & Ecclesiæ sub *Claudio*, *Nerone*, *Domitiano*, aliisque, persecutione constat: & *aversionem a malis* ac fugam eourm, cujus exempla sunt Act. v. 5. 10. & VIII. 23. & XIII. 8. 10. 11. & *scrutationem Pseudapostolorum*, cum quibus frequentia fuerunt Pauli certamina, uti & *Johannis* cum *Ebione* ac *Cerintho.* Attamen culpantur ob *omissionem primæ caritatis*, cujus exempla in *Galatis.* Gal. III. 3. *Corinthiis.* I. Cor. I. 5. *Hebræis.* Heb. x. 32. 33. *Dema.* 2. Tim. IV. 10. Laudantur contra quod *oderint opera Nicolaitarum*, Christo similiter exosa. *Nicolaitam* esse, est *sectam facere*, & nomen hominis nuncupare præter nomen Christi. Quale id est, quod vetat Apostolus I. Cor. I. 12. Certum autem est, post prima tempora exstitisse homines qui sectarentur nomen humanum; magis certum est, postea exortos esse, qui magis Petri quam Christi esse vellent; quique nomen humanum successorum Petri facerent principium fidei. Certum est, talium facta esse non bona. Certum est, Caput illius sectæ in ænigmate posse appellari *Nicolaum*, vel Hebraice *Balaam*, ut id sit quasi בַּעַל עָם *Dominus populi.* *Nicolaus* significat ὁ νικῶν τὸν λαὸν, *qui superat populum*, tanquam ἥττονα, eumque facit subjectum & servum. Unde laudatur Ecclesia primitiva quod talia φιλοπρωτευόντων molimina fuerit aversata. Confer. 3. Joh. vers. 9. 10.

XXXVIII. *In Smyrnæorum Epistola tempora Apostolicis proxima figurantur.*

XXXVIII. Porro quis non videt, *ea tempora quæ Apostolicis proxime successerunt* in *Smyrnæorum* Epistola præfigurata esse? Proponitur ibi Ecclesia ut *afflictissima* & *egena*, *dives* tamen quoad Spiritum & Regnum Dei. Talis erat post Apostolorum tempora Ecclesiæ conditio. I. Cor. I. 26. 27. 28. Heb. x. 24. Bellis novissimis, quæ Judæam totam

totam vastaverant misere erant depauperati. Proximi Christi agnati ob paupertatem a Domitiano irrisi & contemti sunt. Alii plurimi in insulas relegati, & ad metalla damnati, uti servi pœnæ, morte duriorem vitam exigebant. *Sylvester* quidam e specu, ut Joseph e carcere eductus, ad summas in Ecclesia dignitates a Constantino sublimatus fuit. Deo tamen pleni, & thesauris gratiæ ipsius opulenti, & ubertate spiritualium consolationum locupletes, regum æquabant opes animis. Memoratur etiam *Blasphemia Judæorum*, id est calumnia illa, qua Judæi prisci temporis odiosos fecerunt Christianos apud Gentiles. De qua calumnia *Justinus Martyr* & *Eusebius* testantur. Prædicitur denique *afflictio decem dierum*. Hoc est, vel persecutiones generales decem, vel postrema *Diocletiani*, quæ duravit *per decem annos*. Laudem non exiguam meretur erudita *Ludovici Capelli* observatio. *Decem dies*, inquit, *constant horis* CCXL. *Jam si annos putes ab* LXXXV. *æra Christianæ, circa quod tempus facta est secunda sub Domitiano persecutio, & Johannis Apostoli in insulam Patmos relegatio, in qua scripsit ista, ad annum usque Christi* CCCXXV, *quo Licinius a Constantino sublatus est, anni sunt præcise* CCXL. Nam quæ Smyrnensibus attribuuntur ad universam istorum seculorum Ecclesiam pertinent.

XXXIX. *In Pergamensi sequentium seculorum typus est.*

XXXIX. Sequentia secula in *Pergamensi* Epistola exhibentur. Illius temporis Ecclesia dicitur *habitare ubi Thronus Satanæ est*. Conferendum id est cum Cap. XIII. 2. ubi dicitur, *draconem Thronum suum & potestatem suam dedisse bestiæ*, Quo facto Ecclesia habitavit ubi erat Thronus Satanæ. Nam *Bestia* significat multitudinem sub nomine Christiano animalem, & regnantem in mundo. Hæc cogitatio nos deducit ad *civitatem magnam*, Imperium Romanum, in quo Constantinus effecit ut omnia Christiano nomini subderentur. Clarius, *Thronus Satanæ* est *Thronus Antichristi*, regnantis nunc in Roma Christiana, sicut antea regnaverat Draco in Roma gentili. Quod autem de *Antipa, Fido Christi Martyre*, additur, ænigma est Propheticum. *Antipas* est truncatum ex ἀντίπατρος. Hoc significat quasi ἰσόπατρον, ἴσον τῷ πατρὶ, *æqualem patri*. Nam ἀντὶ, in compositione aliquando *similitudinem* vel *æqualitatem* notare, ex lexicis notum est. Neque potuit nomen aptius fieri ad significandum τῦ ὁμουσίυ assertores, quorum est Filium dicere ἴσον τῷ πατρὶ. Joh. V. 18. Is autem martyr, sive omnes hujus doctrinæ assertores, tum sententia jugulati sunt, tum quidam vexati & interfecti ab Arianis; quorum fautores fuerunt Constantius & alii Imperatores Orientis. Redarguitur illius temporis Ecclesia, quod haberet *docentes Doctrinam Bileami & Nicolaitarum*. Nam per occasionem controversiarum Arianarum Papa Romanus, apud ipsos quoque

Catho-

Catholicos, in majori cœpit esse pretio. In Niceno Concilio confirmatus est antiquus mos, ut Ecclesiæ essent sub singulis Episcopis, Episcopi sub Metropolitis, & Metropolitanorum princeps in Occidente esset Papa Romanus. Ita simul veritas Evangelii adversus Arium confirmata, & Bileami ac Nicolaitarum imperiosa doctrina stabilita est.

XL. In *Thyatirensi* Epistola laudantur *charitas, & ministerium, & fides, & patientia, & opera postrema uberiora prioribus.* Quæ quasi exserto digito *Waldenses* ostentant, quorum Ecclesiæ, post Antichristi exortum celebres, in fidei puritate, charitatis ardore, ministerii zelo, persecutionum patientia, & præclarissimorum operum abundantia, jam inde ab Apostolorum ævo vix pares sibi habuerunt. Sed & culpatur illius temporis Ecclesia, quod *siverit mulierem Jezabel docere, &c.* non satis obsistens *systemati falsorum Prophetarum*, eorumque omnium capiti *Antichristo.* Ei Jezabeli *tempus resipiscentiæ* datum est, quando Deus Papas Romanos, una cum cœtu cui dominabantur, a vexationibus Arianorum sub Gratiano Anno CCCLXXXII. & Theodosio Anno CCCLXXXVIII. & ab incursionibus tam Saracenorum quam Gothorum liberavit, & Duce Johanne Austriaco ingentem victoriam a Turcis reportare dedit. Anno MDLXXI. Quod ultimum quasi momentum Divinæ erga eos patientiæ erat. Quum non resipisceret hæc Jezabel, *in lectum eam conjecit* Deus: variis urbem Romam totamque Italiam cruciatibus affligens, per Vandalos, Gothos, Hunnos, Saracenos, Muhammedanos. Est etiam operæ pretium meminisse hic omnia quæ gesta sunt ab initio Reformationis, & in quas angustias vel nuper Deus persecutores & clerum Romanum conjecerit. Tandem minatur, *se filios ejus morte perempturum* id est bestiam aboliturum τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ. Confer cap. XI. 18. & XIX. 20. 11.

XL. In Thyatirensi describuntur Waldenses.

XLI. *Sardensis* Epistola nonne *Ecclesiam Germanicam* describit a Reformatione recentem? Ibi multi *nomen viventium habebant*, quia separati erant a societate Jezabelis, sive magnæ meretricis; rem ipsam non habebant. Dicebant multa ac scribebant, & zelum pro veritate ostendebant, & multa faciebant quæ vivi faciunt: sed quum ea facerent pudore potius convictæ falsitatis, quam amore veritatis, neque proinde bonæ conscientiæ jucunditate fruerentur, *revera mortui erant.* Clare etiam dicitur vers. 3. plerosque Doctores Ecclesiæ, se opponentes Jezabelis doctrinæ, non retinuisse quod acceperant & audiverant, sed addidisse novas inventiones, quale est dogma novum ubiquitatis, quod turbavit Ecclesiam. Sunt & alia ejusmodi Synergistarum,

XLI. Sardensis Ecclesia Lutherana instar exhibet.

& ſententiæ novæ de Juſtificatione. Quidam interim ibi remanſerant, ſed *pauci, qui non inquinaverant veſtimenta ſua*, nempe per odium fratrum, & novas doctrinas, & ſcandalum moribundis datum. Certe candori Chriſtianorum admodum repugnat odium, & violata pax. Confer viſionem *Montani*, confeſſoris Afri, memoratam *Baronio. Annal. lib.* II. *ad Annum* CCLXII. *§.* XIV. Illis promittitur quod cum Chriſto ſint *ambulaturi in albis*, hoc ſignificat pacem Eccleſiæ dandam ad juſtificationem cauſſæ ipſorum.

XLII. *Philadelphienſis Eccleſia noſtra Reformatæ reſpondet.*

XLII. *Philadelphienſis* Eccleſia plane noſtræ *Reformatæ* reſpondet. Ei *apertum oſtium datum* eſt, id eſt, occaſio prædicandi doctrinam veritatis, omni vi humana ac fraude Diabolica nequicquam obnitente. Ea *parvam* quidem *habebat potentiam*, quod in Belgio imprimis noſtro liquidum fuit; cujus res, ad extremam tegulam redactæ, omnes ei faventes eadem ruina involuturæ videbantur: attamen *ſermonem Chriſti ſervavit; neque abnegavit nomen ejus*: conſtanter in agnita ſemel veritate perſeverans. Donec *ii qui ſe Judæos eſſe dicunt*, potentiſſimi Monarchæ, qui ſe verum Dei populum falſo gloriantur, quique afflictorum Domini extiterant, coacti ſunt *venire & adorare coram pedibus ejus*, h. e. pacem cum iis regionibus in quibus eſt Eccleſia facere, abdicato omni jure ſuo; imo etiam verbis profiteri, quod Deus ipſorum ipſos juverit.

XLIII. *Laodicena ultimorum temporum conditionem repræſentat.*

XLIII. *Laodicena* Eccleſia conditionem *ultimorum temporum* repræſentat. Et *temporis* ibi culpati initia in *Anglia*, *Gallia*, *Belgio*, & ubi non? cum dolore pii animadvertunt. An non ii qui nuper magno molimine religiones conciliare voluerunt exemplum teporis hujus ſunt? Et quod Angelo Eccleſiæ ultimi temporis dicitur, cui potius dictum videri debet, quam iis qui ſe *epiſcopos* præcipue nominant, quique ex his ipſis epiſtolis concludunt, in Eccleſiis ſingulis ſingulos debere eſſe Epiſcopos quales ipſi ſunt? Videant illi quomodo ſe ζεστοὺς & *non tepidos* eſſe probaturi ſint. Videant ne *ex ore Domini evomantur*. At quorſum alibi quæremus, quod nimis ſe in Belgio prodit? *Ubi* (ita non nemo) *ſtudium veritatis vix ægrum trahit ſpiritum: &, quod caput rei eſt, vita non reſpondet doctrinæ, ſed toto cœlo ab ea deviat. Ibi ipſi qui Patroni veritatis cluent, magis ſibi ſuæque famæ metuunt, ne quid illa detrimenti caperent, quam Veritati. Unde, ſi dicta eorum & facta ad examen revoces, pro Theologia ſincera & ſolida fere nihil niſi Politicas* λοξοδρομίας *& Mæandros offendes, quibus mediantibus incolumes elabi conantur, quicquid de veritate fiat tantum non prorſus ſecuri: illius cauſſa vel prorſus inſuper habita, vel, ac ſi luſus eſſet ſcenicus, obiter aſſerta, &c. Interim nobis videmur eſſe divites, & crebro ſubſellia noſtra reſonant, terram hanc eſſe plenam cognitione Jehovæ; in noſtro*

De Raat Apol. p. 15.

Pag. 47. 48.

ſtra doctrina nihil reſtare emendandum, nihil addendum, &c. Sed quandoquidem ultima periodus varios habet articulos, ita ut tenebris ſplendidiſſima ſuccedat lux, & ærumnis Eccleſiæ ſpiritualis illius felicitas; hujus quoque Dominus hic meminit: dicens, & quidem omnibus, verſ. 20. *ſe ad fores ſtare, & pulſare oſtium*: h. e. non amplius abducere ſeſe ab hominum conſpectu, ſed nunc, magis quam antea, vim facere, & introitum in corda, publica & univerſali verbi prædicatione, quaſi moliri. Promittit etiam *ſe ad aperientem ingreſſurum, & cum ipſo convivaturum*, h. e. ſe eum juſtitia & lætitia repleturum, eique ſuam lætitiam demonſtraturum, ut in convivio amici ſe invicem oblectant. Addicit etiam *vincenti regnum*. Quo intelligitur ſine dubio modus regni illuſtrior, quum Chriſto omnes populi ſubjicientur, & ſervient Eccleſiæ, eamque cum Chriſto regnare fatebuntur. Quod eſt regnum glorioſum ultimorum temporum.

XLIV. Quum itaque eorum quæ ſingulis Epiſtolis continentur complementum in ſucceſſivis Eccleſiæ Catholicæ periodis, &, ut *Herodianus* loquitur, ἐπαλλήλοις διαδοχαῖς, tam exacte cernamus, nonne res ipſa eam harum epiſtolarum expoſitionem teſtimonio ſuo potenter comprobat? XLIV. *Concluſio hujus argumenti.*

ARGUMENTUM OCTAVUM.

XLV. *Octavo.* Omnem animo dubitationem eximere debet ea demonſtratio qua oſtenditur multa his epiſtolis contineri, quæ, quoad literam, Eccleſiis quibus inſcriptæ ſunt, vel non niſi coacte ac ſine fundamento, vel etiam omnino non applicari poſſunt; evidenter tamen vera ſunt in ea univerſali Eccleſiæ periodo quæ Eccleſiæ in Apocalypſi nominatæ reſpondet. Cujus demonſtrationis ἐξεργασίαν ſententiæ hujus patroni hoc modo moliuntur. XLV. *Multa harum Epiſtolarum non conveniunt eorum temporum Eccleſiis.*

XLVI. In Epiſtola ad *Epheſios* mentio eſt *Nicolaitarum.* Id ut Epheſinæ Eccleſiæ applicatum irent Veteres, *ſine dubio occaſione hujus loci, per divinationem tradiderunt quaſi hiſtoriam Nicolaitarum;* quorum hæreſin fuiſſe dicunt, licere fornicari, & promiſcue uti fœminis, etiam conjugatis. Nonnulli eos referunt ad *Nicolaum Proſelytum Antiochenſem.* Act. VI. 5. de quo dicunt, quod, quum accuſatus eſſet zelotypiæ adverſus uxorem formoſiſſimam, voluerit eam deſerere, & omnibus proſtituere. Itaque ipſum talis profanitatis auctorem fuiſſe exiſtimant: & dixiſſe tradunt, quemadmodum *Epiphanius* ſcribit, εἰ μή τις καθ' ἡμέραν λαγνεύει ζωῆς ἐ δύναται μετέχειν αἰωνίε. Alii alium ſectæ XLVI. *Quod demonſtratur exemplis.*

hujus auctorem faciunt, nescio quem. Utrumque omni probabilitate caret. Neque enim credibile est in virum sanctum, & Apostolis probatum, occasione tam levi, vel nulla, cogitationes tam absurdas, & ab omni, non dicam Christiana pietate, sed & civili probitate alienas, cadere potuisse. Quod argumentum copiose tractavit *Gomarus*. Nec magis credibile est, vel per eum, vel per alium quemcunque, homines Christianæ fidei sanctimoniam professos, præsentibus adhuc Ecclesiæ Apostolis, induci potuisse ut tam sceleratæ sectæ numero sese aliquo addicerent. Non est etiam putandum, ita scriptam esse epistolam hanc, ut non nisi ex tam incertis hariolationibus exponi atque intelligi possit. In Epistola ad *Smyrnæos* memoratur *decem dierum persecutio*. Ea autem, in ista nominatim Ecclesia, ex historia demonstrari non potest. Quis edisseret, cur *Pergami thronus* & *habitatio Satanæ* magis quam alibi fuisse dicatur? quum Diaboli potestas per dominationem gentilium communiter tunc in mundo fuerit? Quis est *Antipas* ille *Martyr Pergamenus*, antiquitati universæ ignotus? Nam quæ recentiora Græcorum Menologia, & Martyrologium Romanum, & Simeon Metaphrastes, similesque scriptorum quisquiliæ, de martyrio ipsius, ac bove æneo habent, fabulæ sunt, merito a *Grotio* explosæ. Quænam *stella matutina* Thyatirensibus exorta est? Nisi fortasse quis eo nomine Turcarum & Saracenorum dominatum intelligat, cui nunc sunt subjecti. Aut quæ ibi fuit *mulier Prophetissa Jezabel*, tantis instructa præsidiis aut prædita dotibus, ut seducere servos Dei quita fuerit? quis *lectus ille*, *in quem conjecta*? qui *filii ejus*, *morte peremti*? quæ *profunditates Satanæ*, quas ipsa commenta est? Nonne multo probabilius ænigmatice hæc interpretamur, quam ut nulla Antiquæ historiæ auctoritate fulti, nescio cui mulierculæ, episcopi nescio cujus uxori, applicatum ea eamus? Quinam etiam *Sardibus* cum Christo *in albis ambularunt*? & qua insigni victoria, ad caussæ suæ in hoc seculo justificationem, potiti sunt? Aut ex *qua tentationis hora totam habitabilem pervadente* erepti sunt *Philadelphienses*? Quæ historia ejus meminit? Quem denique *thronum*, quod gloriosum cum Christo in hac terra regnum, consecuti sunt *Laodicenses*? Quanto satius, simplicius, certius est, omnia ista ænigmatice exponere?

ARGUMENTUM NONUM.

XLVII. *Consensus interpretum, qua veterum,*

XLVII. *Nono*. Ne quis interpretationem hanc Propheticam, & applicationem harum Epistolarum ad Ecclesiam universalem ut heri aut nudius tertius natam, atque idcirco novitate sua suspectam, temere

mere rejiciat; sciendum est, præstantissimos Theologos, qua veteres, qua recentiores, frequenter monuisse, omnibus Novi Testamenti Ecclesiis hæc esse scripta. Eum in finem ex Veteribus, *Beda, Arethas, Primasius*; ex recentioribus, *Brichtmannus*, *Forbesius*, & *Annotatores Belgæ*, a sententiæ hujus Patronis laudantur: qui uno ore omnes asserunt, ea quæ epistolis hisce continentur universalem Ecclesiam concernere, quæ per septem has Ecclesias designatur. Sed plures in eandem sententiam longe antiquiores gravioresque authores produci possunt, *Chrysostomus*, *Gregorius*, *Isidorus*, citati *Cornelio a Lapide*, in Apoc. I. 4. Disertus admodum *Augustinus* est, *De Civit. Dei*, *Lib.* XVII. *cap.* IV. quem locum non pigebit hic describere. Annæ Canticum explicans, in quo dicitur *eam quæ sterilis erat septem peperisse*, ita commentatur. *Hic totum, quod prophetabatur, eluxit agnoscentibus numerum septenarium, quo est universa Ecclesiæ significata perfectio. Propter quod & Johannes Apostolus ad septem scribit Ecclesias, eo modo se ostendens ad unius plenitudinem scribere: Et in Proverbiis Salomonis hoc antea præfigurans, sapientia ædificavit domum, & suffulsit columnas septem.* Adde *Haimonem*, *Pannonium*, *Ansbertum*, *Joachimum Abbatem*, laudatos *Viega*; ex recentioribus Pontificiis, *Lyram*, *Viegam*, alios; ex nostris *Bullingerum*, & *Raphaëlem Eglinum*. *qua recentiorum.*

XLVIII. Atque hæc sunt omnia sententiæ hujus argumenta quæ ex eruditis illius Auctoribus Patronisque conquirere potui, eo modo nunc a me exposita, eoque ordine collocata, quem ad persuadendum efficacissimum esse arbitratus sum. Nam qui eo animo ad quæstionis alicujus examen accedit, ut quid ex vero statui debeat & ipse evadat certus & alios, si pote, certiores faciat, nihil ei vel indiligenter prætereundum, vel fide non bona dissimulandum, vel etiam data opera luxandum est. Id illi faciant quibus stat quo jure qua injuria διαφυλάττειν τὴν θέσιν, quique præconceptis suis opinionibus tanquam trabali clavo affixi ab adversantibus sibi argumentis metuunt. Veritas sua se simplicitate involvens nihil reformidat, & qui eam unice ac sincere quærunt quicquid in rem præsentem proferri potest sine tergiversatione admittunt, & incorrupta judicii lance trutinant. XLVIII. *In investiganda veritate requiritur candor.*

CAP. III.

Argumenta pro sensu Historico.

XLIX. Pro SENSU HISTORICO *multa quoque dici possunt. L. Nulla Prophetia est ἰδίας ἐπιλύσεως. LI. Frequentiores Allegoriæ curiosarum*

sarum mentium non solidus pastus sunt. LII. Nefas est aliquid pro allegorico aut typico venditare, quod a Deo ipso in alterius rei symbolum datum esse demonstrari non potest. LIII. Ad quam demonstrationem non suffi it similitudo unius rei cum alia. LIV. Nisi accedat Divinæ institutionis testimonium, vel disertum, vel implicitum. LV. Nam aliquando Deus de re aliqua expresse id declarat. LVI. Aliquando id asserit de genere quodam rerum, sub quo multæ res speciales continentur. LVII. Aliquando sapienti allusione ad res magis materiales deducit nos in cognitionem rerum spiritualium. LVIII. Aliquando argumentationis suæ modo aliquid typicum esse innuit, aut supponit. LIX. Denique si aliquid de re quapiam prædicatur, quod in ea vel non, vel non plene, verificetur, cogitandum est de Antitypo. LX. Quorum omnium nihil hic locum habet. LXI. Apocalypsios tres sunt partes, quarum postrema demum Prophetica est. LXII. Partes illæ non sunt miscendæ nec confundendæ. LXIII. Nam ordinis istius sapientissima ratio est. LXIV. Johannes Ecclesias Asiæ gubernavit & rexit. LXV. Atque hæc caussa est cur iis nominatim scribere jussus sit. LXVI. Non potuerunt Ecclesiæ quibus inscriptæ sunt Epistolæ aliter existimare quam se in iis laudari vel culpari. LXVII. Neque fas iis fuit ea quæ sibi dicta sunt, ad alia loca atque tempora referre. LXVIII. Quod tamen nonnulli volunt. LXIX. Nihil hæ Epistolæ continent quod in Ecclesiis Asiæ impletum non sit. LXX. Ostenditur id de Ephesiis. LXXI. Nicolaitæ qui. LXXII. Origo nominis incerta. LXXIII. Smyrnæorum afflictio. LXXIV. Tempore Polycarpi. LXXV. Incensa calumniis Judæorum. LXXVI. Decem dies notant determinatum ac breve tempus, sufficiens tamen ad probationem. LXXVII. Quæ Pergamensi Ecclesiæ Historica insint. LXXVIII. Pergamus Thronus Satanæ vocatur, propter fanum Æsculapii, in quo cultus est Diabolus. LXXIX Antipas, quis. LXXX. Balaamitæ & Nicolaitæ vel iidem vel certe similes sunt hæretici. LXXXI. Manna abscondita & calculus albus. LXXXII. Thyatirensis Jezabel, mulier fuit ad omnem nequitiam edocta. LXXXIII. Qualium Pseudoprophetissarum in antiqua Ecclesia uberrima seges fuit. LXXXIV. Impuritates hujus Meretricis propter arcanam quam præ se ferebat sapientiam, profunditates Satanæ dicuntur. LXXXV. Jezabelis & filiorum ejus pœna. LXXXVI. Potestas fidelium in gentes. XXXVII. *Stellæ matutinæ statio.* LXXXVIII. *Promissiones singulis sub conditione factæ non sunt Prophetiæ de statu Ecclesiæ in terris.* LXXXIX. *Sardensis Ecclesiæ conditio.* XC. *Clavis Davidis.* XCI. *Ostium apertum, & Judæi supplices.* XCII. *Servatio ex hora tentationis*

tionis universalis. XCIII. *Nonnulla de Philadelphicis ex Ignatio.* XCIV. *Epistola ad Laodicenses conditioni urbis ipsorum plane attemperata est.* XCV. *Concluditur, nihil in his Epistolis esse, quod jubeat ad aliud subjectum respicere quam ad Ecclesias Asiæ.*

XLIX. EOdem nunc candore aliter sentientium argumenta producamus, quibus pro SENSU harum Epistolarum mere HISTORICO, adversus explicationem mysticam, allegoricam, propheticam, viri gravissimi pugnant, aut certe pugnare possunt.

XLIX. *Pro* SENSU HISTORICO *multa quoque dici possunt.*

ARGUMENTUM PRIMUM.

L. Et *Primo* quidem in genere observandum est, *nullam prophetiam Scripturarum esse ἰδίας ἐπιλύσεως, propriæ interpretationis* 2. Pet. 1. 20. sic ut mortali cuicunque liceat nodos illius pro arbitratu suo solvere. Id enim hic Petro est ἐπίλυσις, quod Hebræis פִּתְרוֹן, Danieli קִטְרִין לְמִשְׁרֵא, *nodos solvere.* Dan. v. 16. Quum *Prophetia non voluntate hominis lata, sed a Spiritu Sancto dictata sit*; nefas est eam aliter quam ex intentione ejusdem Sancti Spiritus exponere. Omnis illius interpretatio genuina habet ἀπόδειξιν πρὸς τὴν συνείδησιν *demonstrationem ad conscientiam*, & ἔλεγχον *convictionem animi*, quod voluerit Spiritus S. Prophetiæ verbis illud ipsum indicare quod nos super iis cogitamus. Id ni sit, non habet animus in quo acquiescat. Unde sequitur, nequaquam licere allegorias, typos, symbola, ænigmata prophetica nobis imaginari, ubi pericopæ alicujus verba plana, historia evidens, sensus simplex est; neque Deus, vel ibi, vel alibi, docet, voluisse se planis illis verbis atque evidenti historia, aliud quid abstrusius, & quod longe post futurum est, adumbrare. Si qui id ausint, ii *vanos efficiunt auditores & lectores suos, visionem animi sui eloquuntur, non ex ore Jehovæ.*

L. *Nulla Prophetia est ἰδίας ἐπιλύσεως.*

LI. Semper viris cordatis in Ecclesia displicuit nimium Allegoriæ studium. Etenim, si usquam, hic certe, frænari maxime opus est humanæ curiositatis pruritum, quæ sæpe vel exigua oblata occasionis rima, immane quantum sibi permittit, *translationisque jure inverecunde utitur, plus ausa quam salvo pudore licet.* Cui non odiosus fuit hac in parte *Origenes, Hieronymo* (qui cæteroquin & ipse nimium hic sibi indulsit) propterea notatus, ut *Allegoricus semper interpres, & historiæ fugiens veritatem*, & qui *ingenii sui acumina putavit esse Ecclesiæ sacramenta.* In Jes.

LI. *Frequentiores Allegoriæ curiosorum mentium non solidus pastus sunt.* Sec. epist. 104.

XXVII. In Epist. ad Amabilem. Homil. 9. in Hexaem.

cramenta. Basilius graviter meritoque taxat τὰς ἀλληγορομανοῦντας, qui παραγωγαῖς καὶ τροπολογίαις σεμνότητά τινα ἐκ τῆς οἰκείας αὐτῶν διανοίας ἐπεχείρησαν τοῖς γεγραμμένοις ἐπιφημίσαι, *translationibus, & tropologiis dignitatem quandam scriptis aptare conati sunt ex proprio intellectu:* eosque comparat τοῖς ὀνειροκρίταις τῶν φανέντων ἐν ταῖς καθ' ὕπνον φαντασίαις πρὸς τὸν οἰκεῖον σκοπὸν τὰς ἐξηγήσεις ποιουμένοις, *somniorum interpretibus, qui spectra in somno apparentia ad eum quem sibi ipsi finem proposuerunt interpretando referunt.*

LII. *Nefas est aliquid pro allegorico aut typico venditare, quod a Deo ipso in alterius rei symbolum datum esse demonstrari non potest.*

LII. Necesse ergo est interpretationes omnes allegoricas & typicas (neque enim nunc lubet scrupulosiuscula diligentia ea distinguere quæ Paulo ἰσοδυναμεῖ Gal. IV. 24.) certis quibusdam limitibus circumscribere. Et id quidem ante omnia tenendum: nefas esse dicto alicui Scripturæ, præter sensum simplicem, qui sua se sponte attento lectori pandit, sensum typicum & allegoricum attribuere, nisi certis rationibus constet, voluisse Deum ut res quæ primum verbis istis exponitur alterius rei typus ac figura esset. Nam quum omnia ista signa sacra nihil significent nisi ex instituto Divino, omnino necesse est Divinum illud institutum validis argumentis demonstrari.

LIII. *Ad quam demonstrationem non sufficit similitudo unius rei cum alia.*

LIII. Ad quam rem non sufficit aliqua, imo ne multiplex quidem, eorum quæ olim gesta sunt cum iis quæ post multa secula geruntur similitudo. Nam etiamsi Deus ab æterno omnium operum suorum accuratam deformationem in mente habuerit, & quæ diversis temporibus locisque similia patrantur eodem consilii actu disposuerit, cum omnibus quibus ad se mutuo referuntur respectibus: non tamen idcirco omnem rem quæ ante facta est in consimilis rei postmodum faciendæ typum hominibus proposuit. Vult quidem eos ad operum suorum ἀλληλουχίαν attendere; & in ea sapientiæ suæ, quæ semper sibi conformis est, constantiam agnoscere: non tamen docuit prisca illa omnia ἀλληγορούμενα, ac typos recentiorum esse. Prolixam Illustrium Græcorum comparationem cum Romanis Plutarchus instituit: at nemo propterea dixerit, Viros illos præstantes a Deo datos esse Græciæ in typum eorum quos ad Romanæ Reipublicæ ornamentum olim excitare destinaverat. Facile est plurimam convenientiam assignare inter *Pharaonem*, Ægyptiorum, & *Philippum Secundum*, Hispanorum Regem, inter *Josephum* ac *Danielem*, inter *Salomonem* & *Marcum Antoninum Imperatorem:* si quis tamen, ea quæ de illis in Sacris literis dicuntur, uti typice de his intelligenda interpretetur, minimo minus aberit quin ridendum sese sanis omnibus propinet. Nihil equidem alterius rei typus est nisi quod cum ista re similitudinem habet. At non ubicunque est similitudo, ibi est

est ratio typi, quæ non aliunde nisi a Divina institutione pendet. Præclare Celeberrimus Coccejus: *Si Scriptura non indicet, debere nos in re una cernere imaginem alterius, etiamsi res diversæ a Scriptura explicatæ similitudinem & conformitatem aliquam habeant, non possumus tamen asserere hoc illius typum & figuram esse, nisi quatenus illa conformitas ex Scripturarum comparatione demonstratur. Qua quidem demonstrata patescit Dei Sapientia; sed sine ea demonstratione temerarium est, a rei præcedentis tanquam typi forma ad rei sequentis formam argumentari.* In Jer. XXII. 8.

LIV. Ut ergo sciamus aliquid esse ἀλληγορούμενον, ac typi rationem habere, necesse est, *vel* Deum diserte id de ea re testificatum esse; *vel* de aliquo rerum genere id declarasse sub quo res illa uti species comprehenditur; *vel* manifesta verborum allusione alterum ad alterum referre; *vel* argumentatione sua tacite saltem id innuere; *vel* denique ea de re aliqua prædicare quæ quoad literam, & uti verba sonant, in ista re non implentur, quorum idcirco implementum in re quidem diversa, sed quæ ei rei de qua primum dicta sunt respondeat, quærendum est. Cæterum quum observationes istæ plurimum ad Scripturarum genuinam interpretationem usum habeant, neque a præsenti negotio alienæ sint; non abs re erit meditationi huic aliquantisper immorari: atque ea quæ in tanta brevitate obscuriusula videri possent, fusiore explicatione, ac convenientibus exemplis, illustrare.

LIV. *Nisi accedat Divinæ institutionis testimonium, vel disertum, vel implicitum.*

LV. *Primo.* Est ubi Deus diserte testificetur, se aliquid in alterius rei typum ordinasse. Sic *serpentem æneum* a Mose exaltum, Christus de se ipso in crucem evecto interpretatur. *Melchizedecum* Christi fuisse figuram; *mari rubro*, Baptismum; *manna* cœlitus delato, spiritualem cibum; *aqua e rupe* percussa profluente, potum mysticum; *Sara* & *Hagare*, *Montibus Sinai* & *Sion*, duo fœdera sive Testamenta; *Jonæ* commoratione in visceribus piscis e quibus vivus prodiit, Christi sepulturam ac resurrectionem, adumbrata esse, ipso Spiritu in Scripturis declarante, cognoscimus; & illiusmodi explicationes typicæ non minus certæ sunt, quam si res ipsa, sine typorum ambagibus, totidem verbis enunciata foret.

LV. *Nam aliquando Deus de re aliqua expresse id declarat.*

LVI. *Secundo.* Est etiam ubi Deus id de re aliqua non ita speciatim asserit, sed tamen de eo rerum genere id testatus est, sub quo hæc res ut species continetur. Verbi gratia, de *Ceremoniis Mosaicis* in genere constat, eas esse *umbras rerum futurarum*, quarum *corpus Christus* est. Quicquid ergo ad Ceremonias istas pertinet, etiamsi non reperiamus speciatim id Christo applicatum esse, ænigmatice tamen & symbolice est interpretandum, & conferendum cum iis rebus quæ de Christo vel

LVI. *Aliquando id asserit de genere quodam rerum, sub quo multæ res speciales continentur.*

vel corpore ejus mystico memorantur, & analogiam habent ceremoniæ isti respondentem. Non enim existimandum est, omnes typos διαῤῥήδην in Scriptura expositos, & subjecto suo applicatos esse: Apostolo fatente, se *de omnibus singulatim non dixisse*. Heb. IX. 5. Sufficere Spiritui Sancto visum est, ut generatim moneret omnia Mosaica instituta esse *ἀλληγορούμενα*, idque exemplis quibusdam illustraret; quibus viam monstravit qua in symbolorum elucidatione procedendum est, & clavem tradidit ad abdita ista reseranda. Cætera quæ ejusdem generis sunt, humanæ diligentiæ investiganda committuntur.

LVII. *Aliquando sapienti allusione ad res magis materiales deducit nos in cognitionem rerum spiritualium.*

LVII. *Tertio*. Contingit aliquando ut Deus de re spirituali differens manifesta verborum allusione ad memoriam nos rei quæ magis corporalis ac materialis est revocet; quam eo ipso ostendit rei istius spiritualis ac mysticæ symbolum quoddam fuisse. Ita novimus, adspectabilem hujus *mundi creationem*, prout ea a Mose narratur, typum esse *novæ creationis* fidelium, & constitutionis Ecclesiæ: quia universa restitutionis nostræ ratio phrasibus & similitudinibus a prima creatione desumtis frequenter exponitur. Novus homo *secundum Deum creatus esse* dicitur. Eph. IV. 24. Et fideles vocantur Dei *ποίημα, κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*. Eph. II. 10. totumque corpus Christi mysticum, *nova creatura*. 2. Cor. V. 17.

LVIII. *Aliquando argumentationis suæ modo aliquid typicum esse innuit, aut supponit.*

LVIII. *Quarto*. Accidit quandoque ut Spiritus Sanctus in Scripturis non quidem tam aperte asserat res aliquas esse typicas, quam id argumentationis suæ modo ac methodo innuat, atque tacite supponat. Exempli caussa, quando Apostolus ex typis Saræ, Hagaris, Melchizedechi &c. adversus Judæos disputationi isti hanc hypothesin, ut utrinque concessam, & Hebræis ex antiqua Catechesi notam, supponit, Deum nimirum in memorabilibus Veteris Instrumenti personis, quibus notabilia nonnulla extra ordinem acciderunt, picturam elegantem, tantique artificis accuratione dignam, exhibere voluisse, qua Christus una cum corpore suo mystico delinearetur Gal. IV. 12. Hoc fundamento jacto, mox ad explicationem specialium quorundam typorum Divina quadam arte descendit. Neque enim auctoritate & ἀξιοπιστίᾳ sua Apostolica eos obruit, sed rationum evidentia, & deductionis facilitate convincit; non nisi ex concessis, vel per se claris, argumentans. Ex ista autem argumentandi methodo, merito concluditur eas quoque memorabiles personas, quarum typica significatio nusquam exserte exponitur, ut Abelem, Enochum, Noachum, Abrahamum, plurimosque similes, in multis rebus quæ iis acciderunt, vel ab iis peractæ sunt, typos Christi fuisse.

LIX. *Quinto* denique. Si contingat aliquid de re aliqua prædicari cujus complementum in ea re quæ primum notari videtur non invenimus, necesse est ut oculos alio flectamus, dispiciamusque num aliud quid per rem istam significatum sit, in quo enunciationis istius veritas plenissime cernatur. Id enim in interpretatione Scripturarum fixum nobis ratumque esse debet, in sermone Dei nullum verbum frustra positum esse, & nihil unquam tam auguste dici cui rei veritas non exactissime respondeat. Procul absunt scriptores Sacri a tumida eorum grandiloquentia, qui, ut in initio Historiæ suæ *Herodianus* ait, εὐτελῆ καὶ μικρὰ ἔργα, λόγων ἀρετῇ, δόξῃ παρέδωκαν τῆς ἀληθείας μείζονι, *tenues per se res atque humiles scribendi artificio longe supra veri fidem sustulerunt.* Non est ut Deo nos aliquando imprudentioris aut incommodioris aut justo liberalioris locutionis veniam debere existimemus. Ea demum vera solidaque Scripturæ intelligentia est, quæ conscientiæ manifestam facit loquentis Dei sapientiam ac prudentiam; ita ut nec re significata quicquam possis fingere justius, sanctius, Deoque laudabilius, nec in modo loquendi venustius, pulchriusque & convenientiu. Quando ergo ea quæ subjecto alicui insunt longe infra Divini sermonis magnificentiam subsidunt, de alio subjecto cogitandi necessitas nobis imponitur, in quo prædicata omnia plenissime verificentur. Hujus rei exemplum Paulus suppeditat Heb. II. 6--9. Considerat ea quæ Psalmo VIII. de homine ac filio hominis dicuntur, observatque nonnulla saltem prædicata multo augustiora esse quam ut eorum plena veritas in ullo אֱנוֹשׁ *homine ærumnoso* demonstrari queat: unde concludit, ea exponenda esse de Christo. Ita quæ in Psalmo II. XVI. XXII. XLV. LXIX. LXXII. & Cantico Canticorum dicuntur, intelliguntur non tam de Davide dici, vel de Salomone (tametsi particulæ quædam exiliori sensu quodammodo iis convenire videantur) quam de Christo, cujus regni spiritualis prodromi illi fuerunt. Nam, juxta Logicorum canonem, talia sunt subjecta qualia esse permittuntur a suis prædicatis. Prædicata autem illa sunt majora ψιλῷ ἀνθρώπῳ & peccatore. In Jesu Christo autem, & Ecclesia ejus, ita sunt cognita, ut rerum moles verborum captum longe excedat. Eodem modo inferre licet, Tyrum, Babylonem &c. apud Prophetas aliorum cœtuum symbola esse, si quæ de iis urbibus prædicuntur ita ut prædicuntur in iis impleta non sint.

LIX. Denique si aliquid de re quapiam prædicatur, quod in ea vel non, vel non plene, verificetur, cogitandum est de Antitypo.

LX. Hæ sunt allegoricarum & typicarum interpretationum leges, quibus spretis neglectisque si quis ingenio suo indulgeat, ipseque sibi mysticos sensus excogitet, ut ea quæ sunt מְלִיצוֹת, locu-

LX. Quorum omnium nihil hic locum habet.

locutiones planæ, in הִידוֹת, *ænigmata*, transformet, is non sensum Dei docet, sed cerebri sui obtrudit figmenta, &, ut Hieronymus ait, *in Scripturis lymphatico versatur errore*. Ad has autem leges si Epistolarum Apocalypticarum interpretationem allegoricam, typicam, propheticam expendamus, nullo eam fundamento niti, adeoque ἄκυρον esse, manifestum est. Nam neque diserte Deus alicubi Ecclesias Asiaticas in aliarum typum constituit: neque in genere testificatus est, vel ea omnia quæ in Apocalypsi scripta sunt ad futura referri debere, vel ea quæ primitivæ Ecclesiæ acciderunt figuras esse earum rerum quæ sequentibus temporum periodis consimiliter accident: neque ita alicubi argumentatur Spiritus Sanctus ut hypothesin istam ratiociniis suis substernere videatur: neque alibi recentioris Ecclesiæ fata harum Epistolarum phrasibus exponit, quum liber hic Divinorum omnium scriptorum postremus sit. Id unum ergo pro allegorica & prophetica Epistolarum istarum interpretatione dici posse videtur, quod non omnia quæ iis continentur in Ecclesiis Asiaticis completa sint: unde juxta legem quintam necessitas exsurgit de alio subjecto cogitandi. Cæterum nec id quidem dici posse, in sequentibus ex professo demonstrabitur. Hoc PRIMUM Argumentum sit.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

LXI. Apocalypsios tres sunt partes, quarum postrema demum Prophetica est.

LXI. Pro SECUNDO urgeri potest tripartita totius Apocalypsios divisio quam ipse nobis Sacer Spiritus suggerit. cap. I. 19. *Scribe* QUÆ VIDISTI, & QUÆ SUNT, & QUÆ POST HÆC SUNT FUTURA. Tria ibi scribere jubetur Johannes. I. *Quæ viderat*, scilicet apparitionem Christi & gloriam, & mysterium septem stellarum, & septem candelabrorum. Ita enim id explicatur in sequentibus. vers. 20. *Mysterium septem stellarum* QUAS VIDISTI *in manu mea, & candelabra illa septem* QUÆ VIDISTI. Mandato hoc defunctus est capite primo. II. Ea quæ *tunc erant*. Quod non videtur commodius exponi posse quam de statu Ecclesiarum Asiaticarum prout eo se tempore habebant. Erant enim eæ in mundo, erant in vicinia, erant Johannis curæ atque inspectioni commendatæ, erant denique iis vel virtutibus vel vitiis præditæ, iis vel bene actis decoræ, vel malefactis turpatæ, quæ in iis vel laudantur vel culpantur. Ad illius mandati executionem pertinet scriptio harum Epistolarum, qua exponuntur ea quæ sunt. Quemadmodum, ut de cæteris taceam, in omnium ultima epistola dicitur Cap. III. 15. *Novi opera tua quod neque frigidus* SIS, *neque fervidus*. III. Ea quæ

quæ *futura sunt*, hoc est prophetiam exponentem fata Ecclesiæ ab illo tempore usque ad consummationem seculorum. Ea autem Johanni, non nisi post dictatas has epistolas, quas in terra acceperat, in cœlum subvecto panduntur. Cap. IV. 1. POSTEA *vidi, & ecce ostium erat apertum in cælo: & vox prima, quam audiveram tanquam tubæ loquentis mecum, dicebat, Adscende huc, & ostendam tibi,* QUÆ OPORTET FIERI POSTHAC. Ab ea demum pericopa prophetica Apocalypsios ænigmata incipiunt. Anteriora historica & dogmatica sunt. Nam etiamsi futura quædam literis hisce inserantur, ea & pauca sunt, & promissiones vel comminationes magis quam prophetiæ, & specialiter ad Ecclesias istas determinata.

LXII. Dubitari nequit quin fidi interpretis officium sit, id agere ut sapientia, ἀκρίβεια atque accuratio Dei in sermonibus suis cernatur. Cui officio non videntur illi satisfacere, qui membra hujus τριχοτομίας luxantes, turbantes, confundentes, vel commiscentes saltem, tertium membrum in secundo quærunt; & secundum iterum in tertio: nam quando Johannes exponit ἃ εἰσὶ ea ad futura torquent, & partem eorum ἃ μέλλει γίνεσθαι μετὰ ταῦτα interpretantur de iis quæ jam facta erant (ut ex commentationibus eorum in duo priora sigilla ac tubas manifestum est) non uti par est attendentes ad methodicam totius operis dispositionem quæ propositæ partitioni, & ordine, & phrasibus, juxta eam quam dedimus interpretationem, respondet quam artificiosissime.

LXII. *Partes illæ non sunt miscendæ nec confundendæ.*

LXIII. Quid autem partitione hac accuratius? quid dispositione concinnius? quid ordine sapientius? quid explicatione illa, quæ virtutes istas Dei ac sermonis ipsius manifestas facit, convenientius probabiliusque est? Scilicet animus hominis Christiani, ad arcanorum Dei consiliorum contemplationem familiariter accessurus, ante omnia imbui debet cognitione Christi Domini, ut Majestatem illius reverenter habeat, oculos ejus, profunda & occulta cordis tuentes, suspiciat, & ad verba ejus contremiscat: tum in se descendat oportet, suaque omnia ad amussim voluntatis Christi conformet, fidem, charitatem, patientiam, cæterasque virtutes Christianas, si langueant, excitans, & quicquid in praxi Christianismi collapsum erat naviter restaurans: & tum denique idoneus erit qui in consilio Jehovæ stet, in penetrale Dei admittatur, & arcanorum ipsius particeps evadat. Nam *arcanum Jehovæ est reverentibus ipsum.* Ps. XXV. 14. *Qui diligit me*, ait Dominus Jesus, *diligetur a Patre meo; & ego diligam eum, & ei conspiciendum exhibebo me ipsum.* Joh. XIV. 21. Huc etiam illud Danielis pertinet,

LXIII. *Nam ordinis istius sapientissima ratio est.*

Cap. xii. 10. *Purgabuntur, dealbabuntur, & conflabuntur multi, nec animadvertent ulli improbi: sed intelligentes animadversuri sunt.* Quia Abraham viam Jehovæ observabat, faciendo jus & justitiam, suisque ad idem faciendum auctor erat: ideo negabat Jehova se occultare posse ab Abrahamo quæ facturum sese animo destinaverat. Eo igitur ordine Johannes, Christi jussu, animos eorum quibus primum credita Apocalypsis est ad vaticiniorum abdita cognoscenda præparat, ut primo iis enarret quæ mox de Majestate Christi ex mirabili ejus apparitione didicerat; quæ ad morum correctionem vitæque Christianæ praxin faciunt inculcet, speculum quoddam sui ipsorum ob oculos iis ponens; post ea omnia fatorum seriem explicat, & quæ Ecclesiæ eventura, quæ hostium sors futura, & quo pacto omnia denique glorioso Christi adventu terminanda sint, fatidico sermone refert.

ARGUMENTUM TERTIUM.

LXIV. *Johannes Ecclesias Asiæ gubernavit & rexit.*

LXIV. Tertio. Neque caussa nulla dici potest cur Johannes has nominatim Ecclesias officii sui monere, easque totius suæ Apocalypsios depositarias facere jussus sit. Non illa quidem, quod primus Ecclesias illas fundaverit atque erexerit: constat enim laudem eam Paulo deberi. Sed quod easdem post Pauli abitum aut obitum stabiliverit, rexeritque, & curæ atque inspectioni suæ commissas habuerit. In eo quippe omnis Antiquitas consentit, Johannem senecta ætate Asianas Ecclesias, quæ prædicatione Pauli fundatæ, & ad pietatem optime institutæ erant, administrandas curandasque suscepisse; ne, quod in ea regione complures hæretici agerent, eorum artibus a sincera fide, quam semel accepissent, exciderent. Ephesi vixit ante suum in insula exilium, indeque ad Domitianum Imperatorem reus impietatis, a proconsule Asiæ, vinctus mittitur. Ab exilio redux iterum Ephesi sedem ac domicilium rerum suarum collocavit, & Ecclesias vicinas gubernavit: ad finitimas etiam regiones profectus, hic Episcopos constituens, illic integras Ecclesias rite dispensans, ubique locorum Apostoli munere sedulo fungens, & ad Trajani usque tempora diutissime in Asia degens; uti ex *Irenæo* & *Clemente Alexandrino Eusebius* tradit. Cui *Tertullianus*, *Epiphanius*, *Hieronymus*, alii, uno ore assentiuntur. Videatur *Baronius* ad A. xliv. & A. xcvii. iterumque xcix.

LXV. *Atque hæc causa est, cur iis nominatim scribere jussus sit.*

LXV. Non est ergo quod quis quærat, cur hæ potius Ecclesiæ quam quævis aliæ missis per Johannem cœlestibus epistolis admonitæ, totiusque Apocalypsios, ad universam Ecclesiam spectantis, depositariæ factæ sint; quum neque aliis multis majores celebrioresque fuerint, & quæ-

& quædam earum, non diu poſtea ſuperſtites, pauciſſima ex iis quæ Apocalypſi prædicuntur compererint viderintque? Nam præterquam quod ſola liberrimi & ſapientiſſimi numinis voluntas pro omni ratione ſufficiat; cauſſa in obſcuro non eſt, cur epiſtolæ aliquot, liberque integer, Johannem Auctorem habentia, Aſianis Eccleſiis, quarum regimini jam a multis annis idem Johannes præerat, & impoſterum præfuturus erat, inſcripta ſint. Quid enim convenientius juſtiuſque fuit, quam ut quas viva voce docuerat, eas etiam locuplete & in omne ævum perennaturo ſcripto erudiret? cujus tamen uſum fructumque, earum nec limitibus nec temporibus circumſcriptum, in totam Chriſti Eccleſiam redundaturum eſſe ſciebat.

ARGUMENTUM QUARTUM.

LXVI. QUARTO. Ipſa Epiſtolarum argumenta talia ſunt, ut non potuerint Eccleſiæ, epiſtolas nominibus ſuis inſcriptas legentes, aliter exiſtimare, quam ſe in iis culpari, vel laudari, rerumque apud ſe geſtarum narrationem inſtitui. Fierine quitum eſt ut Eccleſia Pergamenſis legens ſibi e cœlo ſcriptum, habitare ſe ubi thronum ſuum Satanas habet, & apud ſe occiſum eſſe Antipam fidum Chriſti martyrem, & habere ſe qui doctrinam Balaam teneant ac Nicolaitarum, fierine, inquam, potuit, ut id legens exiſtimaret, apud ſe quidem non magis thronum Satanæ eſſe quam in aliis orbis Romani urbibus, neque ullum ſibi unquam viſum eſſe Antipam, aut auditum hominem qui idolothytorum manducationem, & ſcortationem, uti res licitas laudaret, aut ullam ſectam ſub Nicolaitarum nomine compertam: ſed iis verborum ænigmatibus ea innui quæ poſt aliquot annorum centurias in locis procul diſſitis eventura eſſent? An non, qua erant ſimplicitate, Johanni dixiſſent, quem tu nobis Satanæ thronum, quem Antipam, quos Balaami ſectatores, quos Nicolaitas narras, quorum hominum neque faciem vidimus, neque nomen audivimus? Quis iſtiuſmodi ſermonum gryphos intelligat? Et ſic de cæteris.

LXVI. Non potuerunt Eccleſiæ, quibus inſcriptæ ſunt Epiſtolæ, aliter exiſtimare quam ſe in iis laudari vel culpari.

LXVII. Et quæ ſingulis Eccleſiis inſcriptæ ſunt reprehenſiones, hortationes, promiſſiones, comminationes, nonne eas ſibi, ſibi nominatim dictas, & ad ſe directas credere debuerunt? Licuitne Laodicenſibus ea quæ de tepore & arrogantia in ipſorum Epiſtola notantur ita interpretari, ut ad ſe quidem non magis pertineant quam ad vicinos Philadelphienſes, ſed prænuncient modo quid poſt quindecim vel plura ſecula in Anglia, verbi gratia, vel Belgio, peccatura ſit reformata Eccleſia? Quis dubitet, quin tam alieno commento in maximam

LXVII. Neque fas iis fuit ea quæ ſibi dicta ſunt, ad alia loca atque tempora referre.

Domini,

Domini serio eos reprehendentis ac commonefacientis, indignationem incursuri fuissent? Aut qua ratione nobis ejusmodi interpretatio nunc facienda est, qualem ut illi sibi facerent nefas atque indignum fuit?

LXVIII. *Quod tamen nonnulli volunt.*

LXVIII. Frustra emissum argumenti hujus telum censeri posset, si ii quibuscum hac disputatione confligitur viri Docti, in ea forent opinione, quod omnia Epistolis hisce contenta primo quoad literam scripta & impleta sint in Ecclesiis Asianis, deinde autem typice repraesentent alias Ecclesias ipsis certa quadam ratione συστοιχούσας, quae sententia laudatissimi *Brichtmanni* fuit: sed alia mente esse Viros eruditos & ipsi protestantur, & commentarii ipsorum clamant, & argumenta supra producta evincunt. Volunt nomina Ecclesiarum Symbolica & Emblematica esse,. ideoque Epistolas illas non tam describere conditionem Ecclesiarum Asiae, prout erant tempore Johannis, quam conditionem Ecclesiae universalis, in iis temporum periodis quae cuique emblemati aenigmatice respondent: idcirco multa hic dici quae in Ecclesiis istis Asiae nunquam comperta sunt. Huic autem sententiae quartum hoc argumentum directe oppositum est.

ARGUMENTUM QUINTUM.

LXIX. *Nihil ha Epistola continent quod in Ecclesiis Asia impletum non sit.*

LXIX. QUINTO. Nihil etiam Epistolis hisce continetur, quod in Ecclesiis istis Asiaticis ipso facto comprobatum non sit; quodque ad aliud nos respicere subjectum cogat, in quo eorum quae hic dicuntur veritatem anxie quaeramus. De singulis nunc id Epistolis, sed strictim, demonstrandum est. De hortationibus ad resipiscentiam, constantiam, patientiam caeteraque id genus officia, de comminationibus adversus desertores tepidosque, de promissionibus gratiae & gloriae iis conferendae qui ad finem usque fidos se Domino praestiterint, dubitari nequit, quin eae singulis Ecclesiis proponi eo modo potuerint. Omnis difficultas circa Historica est, & si quid, quod rarum, Propheticum intercurrat. Sed ne hic quidem difficultatem ullam esse, sequentes observationes palam facient.

LXX. *Ostenditur id de Ephesiis.*

LXX. Ab *Ephesina* Ecclesia ordiamur. Laudat Dominus illius *laborem, sine defatigatione*, qualem Paulus ibi sustinuerat Act. xx. 19. 20. 21. & post eum Timotheus, 2. Tim. IV. 2. 5. ipsaque Ecclesia tantis animata exemplis. Act. XIX. 18. 19. 20. Eph. I. 15. 16. & *tolerantiam* sub oneribus quibus premebatur: plurimis enim exposita fuit vexationibus, tum a cultoribus Dianae, cujus numini Religio Christiana plurimum derogabat. Act. XIX. 23. 2. Cor. I. 8. tum, uti probabile est, ab asseclis Apollonii Tyanaei, qui Domitiani tempore

Tu-

μὲν πλείω χρόνον ἐφιλοσόφει περὶ τὴν Σμύρναν καὶ τὴν Ἔφεσον; *ad Smyrnam & Ephesum diutius philosophatus est*; ἐκπεπληγμένης τῆς πόλεως, ἥτις διαλεγομένῳ παρῆν πᾶσα, *stupentibus Ephesiis, qui, quum disereret, frequentes aderant.* Tantam enim præstigiis suis existimationem consecutus erat ut pro Deo haberetur; Christo certe nulla in re minor. Additur, *non potuisse eam perferre malos, & explorasse eos qui se Apostolos esse dictitant, ac mendaces comperisse.* Hi erant *lupi illi rapaces, gregi non parcentes, & viri loquentes perversa, ut discipulos post se abducant*, de quibus vaticinatus fuerat Paulus Act. xx. 29. 30. Ebion, nimirum, Cerinthus, similesque excetræ, tunc in Asia palantes, quibuscum etiam Johanni certamina fuisse quis ignorat? Apprime huic elogio consentit illud Ignatii, qui non longe post Johannem ad Ephesios scripsit: Αὐτὸς μὲν Ὀνήσιμος ὑπερεπαινεῖ ὑμῶν τὴν ἐν Θεῷ εὐταξίαν, ὅτι πάντες κατὰ ἀλήθειαν ζῆτε, καὶ ὅτι ἐν ὑμῖν μηδεμία αἵρεσις κατοικεῖ. ἀλλ' οὐδὲ ἀκούετε τινος πλέον εἴπερ Ἰησοῦ Χριστοῦ λαλοῦντος ἐν ἀληθείᾳ. Quæ antiquus interpres ita transtulit: *Ipse quidem igitur Onesimus superlaudat vestram divinam ordinationem: quoniam omnes secundum veritatem vivitis, & quoniam in vobis neque una hæresis habitat; sed neque auditis aliquem amplius quam Jesum Christum loquentem in veritate.* Et paullo post. Ἔγνων δὲ καὶ παροδεύσαντάς τινας ἐκεῖθεν, ἔχοντας κακὴν διδαχήν, οὓς οὐκ εἰάσατε σπεῖραι εἰς ὑμᾶς, βύσαντες τὰ ὦτα, εἰς τὸ μὴ παραδέξασθαι τὰ σπειρόμενα ὑπ' αὐτῶν. *Cognovi autem transeuntes quosdam inde, habentes malam doctrinam. Quos non dimisistis seminare in vos, obstruentes aures, ut non recipere seminata ab ipsis.* Culpatur interim ob ἄφεσιν, *omissionem*, vel remissionem primæ charitatis: cujus non una caussa fuisse videtur. Fieri enim facile potuit ut pristinus multorum zelus deferveret, partim ex pusillanimitate, quod viderent Judæos pariter ac Gentiles pertinaciter sibi obsistere; partim ob præstigias illius quem diximus Apollonii, qui paria cum Apostolis miracula facere a multis credebatur; partim ex prudentia humana nescio quam moderationem suadente, ne refractiori zelo adversantium animi magis exasperarentur; partim etiam ob absentiam Johannis a Domitiano in Pathmon relegati, cujus conciones, charitatem semper spirantes, & exemplum, ad exemplar Christi compositum, sacri amoris ardorem vehementer hactenus foverant.

LXXI. Mentio quoque fit *Nicolaitarum* in Ecclesia hac nidulantium, de quibus veteres omnes constanter tradunt, sectam eorum turpissimam fuisse, quippe qui & Christi veram Deitatem negabant, & promiscuos concubitus laudabant, nec ab iis quæ idolis immo- LXXI. *Nicolaitæ, qui.*

immolantur cibos suos separabant, & alios ritus gentilium superstitio-
In Epist. ad Trallianos. num non aversabantur. *Ignatius*, modo ille verus Ignatius sit, Φεύγετε inquit, τοὺς ἀκαθάρτους Νικολαΐτας, ψευδωνύμους, τοὺς φιληδόνους, τοὺς συκοφάντας. *Fugite quoque & illos immundissimos, falsi nominis Nicolaitas, amatores libidinis, malos calumniatores. Non enim talis fuit Apostolorum minister Nicolaus.* Videantur *Tertullianus*, *de Praescript. Cap.* XLV. *Epiphanius*, *Haeresi* XXV. *Augustinus*, *de Haeresibus Cap.* V. aliique post illos, & qui plurima ex Veteribus collegit *Baronius* ad An-
Num. IX. & seq. num LXVIII. Neque temere haec ab antiquis asserta fuisse, partim ex hoc loco colligitur, ubi τὰ ἔργα, *opera & facta* Nicolaitarum memorantur, qua phrasi innuitur haeresin ipsorum imprimis practicam fuisse, partim ex Petri & Judae testimoniis. Petrus haereticos quosdam sui temporis describit, ut qui *carnem sequentes in cupiditate pollutionis incedunt, & voluptatem ducunt diurnum luxum, labes ac maculae, seductionibus suis sese oblectantes dum cum Christianis convivabantur: oculos habentes plenos adulterii, & qui a peccando cessare nesciant, inescantes animas instabiles, sequuti viam Balaam.* 2. Pet. II. 13. 14. 15. His autem verbis Nicolaitas designari cum *Oecumenio* alii observarunt; & res ipsa loquitur: quippe quos Balaami sectatoribus Petrus jungit, uti & Spiritus Sanctus in ea quae ad Pergamenses Epistola. Judas autem eosdem depingit, ut qui *Dei nostri gratiam transferunt ad lasciviam, & solum illum herum Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum, negant, & sopiti carnem polluunt, secure se ipsos pascentes.* Jud. vers. 4. 8. 12. Tales ergo Haeretici, sub *Nicolaitarum* nomine, Apostolorum aevo fuerunt; & quid ni *Ephesi*, in urbe maxima & opulentissima minoris Asiae, ubi luxuria deesse non solet?

LXXII. *Origo nominis incerta.* LXXII. Non est necesse ut nunc determinemus unde foedi isti Haeretici *Nicolaitarum* nomen sortiti sint: an a *Nicolao Diacono*, idque jure, an injuria; an ab alio aliquo *Nicolao*: hoc enim ad rem praesentem perinde est, modo constet, turpes istiusmodi homines, qui quacunque de caussa *Nicolaitae* dicti sunt, eo tempore & alibi & *Ephesi* quoque fuisse. Et si nulla hic nos antiquitatis obstringit religio, quae tandem ratio cogit, ut a secta nescio quo auctore nomen illud arcessamus? Cur non a re ipsa, a sententia, a praxi improbos illos denominatos esse, credere fas est? Quid si cum doctissimo *Lightfooto* statuamus, a verbo Chaldaico ניכולה *Nicola*, quod *Comedamus* notat, deductum esse sectae nomen? Nam quum nequissimis istis homuncionibus nihil antiquius fuerit, quam sese mutuo ad comedenda idolothyta animare, dicentes invicem aliisque, quod conjectare licet, ניכולה, *Nicola*, comedamus,

bus, quam apte inde ab Orthodoxis vocari poterant *Nicolaitæ*? conatur Targum in Jes. XXII. 13. אמרין ניכול בסר. *Dicunt*, NICOL, *edamus carnem*. Ututsit, sufficiat nunc nobis omni eos antiquita-, & scripturæ ipsi contradicere, qui negant turpes stupris & convitionibus hæreticos, *Nicolaitarum* nomine cognitos, Apostolorum ro, in Ecclesia, & quid ni Ephesi quoque? fuisse.

LXXIII. In *Smyrnensium* Epistola plana sunt ferme omnia. Memorantur ipsorum *afflictio*, & *paupertas*, ob confiscationem & despotionem bonorum, (uti Christiani eorum temporum religionis none facultatibus suis frequenter exuebantur) & *blasphemia eorum qui se se Judæos nuncupabant*, & prædicuntur *carceres quorundam*, & *dedierum afflictio*. Qualis autem præsens aut præterita afflictio fue, in qua fortiter sustinenda patientiam suam probaverant Smyrnen-; colligi fere potest ex ea, de qua Spiritus ut futura vaticinatur, quæ prolixius in historiarum est descripta monumentis. LXXIII. *Smyrnæorum afflictio.*

LXXIV. Narrant eæ, quum Asia ferme tota maximis persecutiom procellis turbaretur, ingentem tempestatem Smyrnensi specia Ecclesiæ incubuisse, quam Beatus *Polycarpus*, Johannis Apostoli ditor, & ab ipso Smyrnæorum Episcopus constitutus, sanguine artyrii sui sedavit. Quam sæva afflictio ista fuerit, eleganter ac patice Smyrnenses ipsi ea descripserunt Epistola, quam *Eusebius* exhi-: ubi scite exponunt quam celsam erectamque animorum firmitan ad dolorum morsus tolerandos beati martyres ostenderint. Nam i *undique circumsidebant*, (ipsa Epistolæ verba refero) *quum coram cerent illos partim flagris ad intimas usque venas & arterias dilaceratos, sic iam viscera, aliaque occultiora membra intimis corporis recessibus abdi-, oculis omnium subjicerentur, partim buccinorum testis e mari deporta-, & lapillis quibusdam præacutis substratis afflictos, & per quodque supciorum & tormentorum genus raptatos, & bestiis denique immanibus ad uniandum traditos, quum coram, inquam, cernerent illos hæc omnia tam erantes sustinuisse, incredibili prope admiratione obstupuerunt.* LXXIV. *Tempore Polycarpi.* Lib. IV. Cap. XV. Juxta Græc. XIV. juxta Latin.

LXXV. Hæc autem iis non ex Gentilium sola sævitia, sed ex *Judæorum calumniis* obtigerunt: *Judæorum*, inquam, qui etiamsi nane tales erant, falso tamen nomine gloriabantur. Non enim erant, od voce ea significatur, Dei populus, ac confessores atque celebraes nominis numinisque ejus: sed *Synagoga Satanæ*, cœtus malignanm, qui sub Imperatore Diabolo infestis signis Deum populumque ius oppugnabant. Insano enim adversus Religionem Christianam io perciti ubique locorum & Magistratus & plebem contra fideles LXXV. *Incensa calumniis Judæorum.*

 conci-

concitarunt. Act. XIII. 50. XIV. 2. 19. XVII. 5. XVIII. 12. XXI. 27. 1 Cor. XI. 24. 1. Thess. II. 14. 15. 16. Gravi oratione id iis exprobravit *Justinus Martyr* apud *Eusebium*. Οὐ μόνον δὲ οὐ μετενοήσατε ἐφ' οἷς ἐπράξατε κακῶς, ἀλλὰ ἄνδρας ἐκλεκτοὺς ἐκλεξάμενοι τότε ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ, ἐξεπέμψατε εἰς πᾶσαν τὴν γῆν, λέγοντες, αἵρεσιν ἄθεον Χριστιανῶν πεφάνθαι. Καταλέγοντες δὲ ταῦτα, ἅπερ καθ' ἡμῶν οἱ ἀγνοοῦντες ἡμᾶς ἅπαντες λέγουσιν. Ὥστε οὐ μόνον ἑαυτοῖς ἀδικίας αἴτιοι ὑπάρχετε, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἁπλῶς ἀνθρώποις. *Tantum abest, ut vos eorum quæ impie gesseratis pœnituerit; quin imo quosdam ad id lectos homines in omnes orbis partes Hierosolymâ emisistis, qui dicerent sectam impiorum Christianorum exortam esse, eaque adversus nos probra divulgarent, quæ effutire solent ii qui res nostras penitus ignorant. Adeo non solum vobis ipsis, sed cunctis, ut ita dicam, hominibus erroris atque injustitiæ caussam præbetis.* Atque id quoque sibi accidisse, aliquoties ista sua epistola Smyrnenses conqueruntur. Quum publice ac constanter Christianum se esse protestatus esse Polycarpus, πᾶν τὸ πλῆθος ἐθνῶν τε καὶ Ἰουδαίων τῶν τὴν Σμύρναν κατοικούντων, ἀκατασχέτῳ θυμῷ καὶ μεγάλῃ φωνῇ ἐβόα, *universa quum Gentilium tum Judæorum multitudo, qui Smyrnam incolebant, animi impetu & bile effrenata exardescens, alta voce clamare: Iste est Asiæ Doctor: Iste Christianorum Pater.* Idem quum vivus ad rogum damnatus esset, frequens hominum turba, ex officinis & balneis ligna sarmentaque actutum coacervabat, μάλιστα Ἰουδαίων προθύμως, ὡς ἔθος αὐτοῖς, εἰς τοῦτο ὑπουργούντων: *tum maxime Judæi ad hoc facinus (sic enim illorum mos in ejusmodi negotio erat) operam propenso animo conferebant.* Mortuo jam martyre iidem Judæi submonebant plebem, obnixeque instabant, exorarent Præsidem, ne corpus ejus cuiquam daret: *ne Christiani* (ita blasphemabant) *crucifixo illo relicto hunc venerari incipiant:* ac Christianos, quibus in animo erat illum ex igne eximere, accurate observabant. Confer historiam *Pionii* Martyris, itidem Smyrnensis, in qua Judæorum fastus ac crudelitas notatur, apud *Baron.* Tom. II. *ad ann.* CCLIV. Num. V. & XIII.

Hist. Lib. IV. Cap. XVIII.

LXXVI. *Decem dies notant determinatum ac breve tempus, sufficiens tamen ad probationem.*

LXXVI. Quod de *decem dierum* futura *afflictione* additur, paullo est obscurius. Sed quid vetat phrasin eam ita explicare ut determinatum, & breve quidem, tempus, sufficiens tamen ad probationem, ea denotetur? Nam & cum sacrarum literarum stylo, & cum ἀλληλουχίᾳ textus, & cum historia explicatio ista probe convenit. Verum quidem est numerum *denarium* aliquando in Scripturis pro *magno* poni; sed & aliquando pro *exiguo* usurpatur: prout vel cum majori vel cum minori

minori numero contenditur. Decas monadi collata, multum est; centuriæ comparata, parum. Genes. xxiv. 55. *Maneat puella saltem decem dies apud nos.* Id est, tempore exiguo. Confer Amos v. 8. & vi. 9. & Genes. xviii. 39. Num. xi. 19. Breve tamen tempus illud sufficiens ad probationem esse, innitur Dan. i. 12. Suadet etiam interpretationem hanc verborum nexus. Eo quippe comparata sunt, ut animentur fideles ad patientiam ac constantiam, argumento desumto ab afflictionum brevitate: quo alibi quoque Spiritus Sanctus utitur. Jes. xxvi. 20. 2 Cor. iv. 17. 1. Pet. 1. 6. Et res ipsa propemodum persuadet. Deſæviit enim ea persecutionis tempestas morte Polycarpi. Ὅστις ὥσπερ ἐπισφραγίσας διὰ τῆς μαρτυρίας αὐτοῦ κατέπαυσε τὸν διωγμόν.

LXXVII. In epistola ad *Pergamenses* hæc occurrunt Historica, fuisse in ea urbe *Thronum Satanæ*, & *Antipan fidelem Christi Martyrem* eo loci occisum, fuisse & qui *doctrinam Balaami tenerent*, *doctrinamque Nicolaitarum*, *adversus* quos *pugnaturus* sit Dominus *gladio oris sui*. Quorum omnium non admodum difficilis videtur explicatio. **LXXVII. *Quæ Pergamensi Epistola Historica insint.***

LXXVIII. Non dicam cum *Bullingero*, *Brichtmanno*, aliisque, Proconsulem Asiæ jurisdictionis suæ sedem Pergami habuisse: unde in Christianos, tam ibi, quam alibi in provincia sua degentes, crudelibus edictis a Satana suggestis dictatisque sævierit. Nam non sine ratione alii existimant, Asiæ minoris Proconsulem Ephesi habitasse. Illud utilius observatur, fuisse in ea urbe celebre admodum fanum & oraculum *Æsculapii*, cui vota fiebant, & donaria mittebantur e locis quoque remotissimis. Sic ab Earino, Domitiani liberto, capillus, cum pyxide gemmata & speculo, ad *Æsculapium Pergamenum* missus fuit, ut indicat *Statius Papinius*. Deque eadem Earini hujus coma sic *Martialis*: **LXXVIII. *Pergamus Thronus Satanæ vocatur, propter fanum Æsculapii, in quo cultus est Diabolus.***

—— Dulcesque capillos
Pergameo posuit dona sacrata Deo.

Eodem etiam *Apollonius Thyanæus* divertit, καὶ ἡσθεὶς τῷ τοῦ Ἀσκληπίου ἱερῷ, τοῖς τε ἱκετεύουσι τὸν θεὸν ὑποθέμενος, ὁπόσα δρῶντες εὐξυμβόλων τεύξωνται: *& in Æsculapii templo constitit, iis qui Deum adoratum veniebant consulens, quo pacto possent quæ a Deo somnia peterent impetrare.* Antonium quoque Caracallam Pergamum adiisse, ut ibi Æsculapii curationibus uteretur, & somnia captaret, auctor *Herodianus* est. In isto autem Æsculapii fano ficta miracula edidit, in idolo isto locutus cultusque Diabolus est. Non modo quia generatim quæ- Philostr. in vit. Apoll. Lib. iv. Cap. iii. Lib. iv. c. v. ii.

cunque Diis suis sacra faciunt Gentiles ea faciunt Dæmonibus: 1. Cor. x. 20. sed & speciatim, quia Æsculapio serpentes & Dracones sacri, publicisque sumtibus in templis ejus educati fuerunt: quemadmodum etiam in serpente Epidauro Romam venisse creditus est. Satanas autem nonne *Draco* est & *serpens antiquus*? Apoc. XII. 9. Qui, quo regnum suum tueretur, quanta potuit contentione cultores suos contra Christianos concitavit. Quare recte hic *Arethas*, θρόνον δὲ τοῦ Σατανᾶ τὴν Πέργαμον καλεῖ, ὡς κατείδωλον οὖσαν ὑπὲρ τὴν Ἀσίαν πᾶσαν.

LXXIX. *Antipas, quis?* LXXIX. De ANTIPA hæc traduntur a recentioribus, fuisse eum Episcopum Pergami, qui, quum publice Christum prædicaret, dæmonesque fateri cogeret, quod a se per Christi nomen invocatum fugarentur; hinc a præfecto urbis captus, tractusque ad Dianæ, & in bovem æneum, multo igne candentem, conjectus, glorioso martyrio vitam consummavit, sub annum Christi XCIII. Domitiani X. quo & Johannes in exilium relegatus est. Porro bos iste æneus in quo crematus fuit Antipas Pergamo translatus dicitur Constantinopolim, & collocatus in templo Apostolorum. Ita ex *Aretha*, *Metaphraste*, *Cedreno*, *Pererio*, *Baronio*, *Surio*, *Cornelius a Lapide*. Tribuat his quisque quantum volet. Id saltem de Episcopatu Antipæ incertum est, de bove æneo plane fabulosum esse videtur. Fatendum interim, Antipæ hujus nullam admodum mentionem in prisca historia fieri: uti plurima primi istius seculi, raris tunc vel nullis, præter Divinos, scriptoribus, ignorantur. At tamen ex historiarum defectu inferre nullum Pergami Martyrem, Antipan dictum, fuisse, præter omnem rationem est, ac contra reverentiam quæ sacris literis debetur. Solæ sibi illæ ad fidem sufficiunt. Quis ferat eum qui vel dubitare sibi fas esse duceret, num Pauli tempore Romæ fuerint insignes illi Viri quos Rom. XVI. salutat, eo nomine quod de plerisque omnibus altum in antiquis monumentis est silentium? Et qua probabili ratione plus nobis in his Divinis Epistolis quam in cæteris permittimus, aut quam licere sibi in Classico aliquo auctore audax cæteroquin Criticorum natio existimaret? *Quam multos clarissimos suis temporibus viros scriptorum inops delevit oblivio!* exclamat *Boëtius*. [De Consol. Phil. Lib. II. Pros. VII.] Dicamus ergo, & confidenter dicamus, quia ipse Dominus dicit, fuisse Pergami virum aliquem pium ac zelotem, qui ob nomen Christi crudeliter trucidatus est, licet cæteram viri conditionem, mortisque genus, similesque circumstantias ignoremus.

LXXX. *Balaamitæ & Nicolai-* LXXX. *Balaamitas* ac *Nicolaitas*, vel eosdem, vel consimiles certe hæreticos fuisse, ventri & iis quæ sub ventrem sunt deditos, ex iis

in quae §. LXXI. adduximus, liquidum est. Ii ut Smyrnensem infestabant Ecclesiam, ita nec Pergami deerant. Admodumque credibile est Balaamiticae hujus doctrinae sectatores reliquis quoque fidelibus auctores fuisse, ut intrepide interessent gentilitiis civium suorum conviviis, qui de idolothytis vescebantur, sub praetextu libertatis pariter ac prudentiae Christianae, ne nimia scrupulositate, & non necessaria separatione, persecutionum flammae acrius incenderentur. Atque ita oves Christi in porcos transformare nitebantur, quos, ut *Hieronymum* alicui eleganter scripsisse memini, *gehenna succideam nutriret*. Profana autem ista convivia facile vel comitabatur vel sequebatur *fornicatio*, spiritualis pariter ac corporea. Quamobrem manducatio eorum quae simulacris immolata sunt, & scortatio, Apostolicae synodi decreto, eodem halitu fidelibus interdicuntur, uti vitia quae pari amant ambulare passu. Act. xv. 29. Porro cum Balaamitis & Nicolaitis illis *gladio oris sui pugnaturum* sese Dominus minatur. Nam cum turgidi fastu essent ac *pratumida praditi vanitate* 2. Pet. II. 18. *provocabant Dominum ad aemulationem, quasi validiores eo*. I. Cor. x. 22. Hinc *bellum* adversus eos, in quo nihil Domino facilius, quam solo oris *sui gladio* eos conficere, foedam eorum impietatem sanctissimis oraculis suis detegendo, convincendo, confundendo, poenasque exponendo quas verbo suo definiverat, tam in corpore quam in anima, tum in hac quam in futura vita: juxta Petri Evangelium 2. Pet. II, 11. 13. & Judae: vers. 11 - 14.

ta vel iidem, vel certe similes sunt haeretici.

Contr. Jovin. Lib. II, sub fin.

LXXXI. Vincenti autem pollicetur Dominus *manducationem Manna abscondita & calculum album*: quarum rerum haec sensum gratiae justificationis, illa dulcissimum Divinae suavitatis gustum significat. Apposite admodum. Ea enim fidelium in Idololatrica ista civitate sors erat, ut communis odii quasi piaculares victimae haberentur, imprimis qui nefastas Gentilium comessationes frequentare metu numinis, sanctaque conscientiae teneritudine, prohibebantur. Injusto hic civium odio opponit Dominus promissionem sui favoris suaeque amicitiae: eo sibi illos acceptiores fore declarans, quo invisiores erant mundo. Et certe nihil jucundius contingere potest homini fideli quam Christo placere, & ab ipso adversus prava mundi judicia defendi. I. Cor. IV. 3. 4. Id innuitur per *calculum album*. Nisi fortasse, quia de praemio victori dando sermo est, & mannae dandae paullo ante facta sit mentio, ad sacra Graecorum certamina respiciatur, in quibus iis qui vicerant dabantur εισελαςικὰ, *frumentationes*, sive *reditus* quidam: de quibus *Plinius*, & alii. De ea re quum a certamine abibant

LXXXI. *Manna abscondita, & calculus albus.*

Epist. ad Traj. CXIX. CXX.

acci-

accipiebant tesseram, cum inscriptione quantitatis ejus quod accepturi erant. Tesseræ ejusmodi comparari potest Spiritus S. quem qui habet certus est perpetuæ opimitatis. Additur *manducatio manna occulta*. Ea opponitur carnibus illorum sacrificiorum quæ immolata idolis erant; &, uti *Tertullianus* loquitur, *pultibus pridianis, quæ sine pompa Diaboli, sine invitatione Dæmonum non sunt*, quibus Nicolaitæ & Balaamitæ intrepide se pascebant. Eas si quis generosa fidei constantia, una cum omnibus blandientis seculi deliciis atque illiciis, fortiter spreverit, sciat se satiatum iri suavissimis Divinæ tam gratiæ quam gloriæ epulis, quorum suavitatem nemo rite æstimare novit, nisi qui gustavit. Propterea autem *Manna absconditæ* comparantur, id est illi quæ in urna aurea in abdito loco asservanda, coram facie Jehovæ seposita fuit. Exod. XVI. 33. 34. I. Quia quod præcipuum est in ista dulcedinis Christi participatione reservatur cum Christo in cœlis. Col. III. 3. 2. Tim. I. 12. II. Quia mundanorum hominum nemo dulcedinem hujus novit. Joh. XIV. 17. Imo ne ipsi fideles quidem antequam experiantur. I. Joh. III. 2. III. Quia communio ista non in diem est, uti manna quotidiana, sed perpetua, uti illa quæ seposita coram Domino a putrefactione & vermibus immunis erat. Joh. VI. 27. & propterea profanis Pergamensium epulis immensum anteferenda. Quis non videt quam pulcre hæc Pergamensis Ecclesiæ conditioni accommodata sint, quorum gratia magnam partem perit, si aliorsum invita trahantur?

De Spect. c. XII.

LXXXII. *Thyatirensis Jezabel mulier fuit ad omnem nequitiam edocta.*

LXXXII. In Epistola ad *Thyatirenses* nihil est quod difficultatem movere possit, nisi fortasse id quod narratur de seductrice *Jezabel*, & promittitur *de potestate in gentes*, & de *stella matutina*. Illius quidem in iis quæ nunc habemus priscæ historiæ monumentis nulla, quod sciam, diserta mentio est: attamen facile ex hoc loco concluditur, fuisse Thyatiræ Principem aliquam atque illustrem fœminam, simulacricolam, veneficam, meretricem, geminam germanam antiquæ illius Jezabelis in regno Israëlitico; hoc tamen instructiorem ad perniciem, quod hæc palam sese hostem ac persecutricem Ecclesiæ ostendebat, illa autem videri voluit prophetissa, in speciem Christianismo favens, forte etiam Christianismum professa, raptusque fatidicos mentiens: certe in Nicolaitarum ludo ad omnem nequitiam edocta. Hæc præstigiis suis nonnullos seducebat, præsertim, ut credere fas est, *novitiolos, qui cum maxime incipiebant Divinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantia adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptabant*; aut eos etiam, qui etiamsi Christo nomen dedissent, animum

Tertul. de Pœnit. Cap. VI.

tamen

tamen a profana gentilismi licentia in solidum avocare non poterant.

LXXXIII. Neque mirum cuiquam videri debet, tantum tunc impiis mulierculis fuisse delatum. Quia enim donum Prophetiæ in Ecclesia vigebat, quo Deus non viros tantum, sed & fœminas auxerat atque ornaverat, juxta vaticinium, Joël. II. 28. cujus etiam exemplum exstat in quatuor Philippi Evangelistæ filiabus. Act. XXI. 8. 9. ideo nonnullæ Diaboli ministræ, impuræ sed catæ canes, Propheticum Spiritum jactare non erubuerunt: quarum opera primorum temporum hæretici ac Pseudo-prophetæ ad illiciendos simpliciores vafre abusi sunt. Quis *Simonis Magi* vel *Selenen*, vel *Helenam* ignorat, & *Carpocratis Marcellinam*, & *Apellis Philomenen*, & *Montani Priscillam*, *Maximillam*, *Quintillam*, & quæ iis similes fuerunt triveneficæ? Plerasque omnes hæreses per mulieres propagatas esse *Hieronymus* observavit. *Simon* Magus, inquit, *hæresin condidit*, Helenæ *meretricis adjutus auxilio*. Nicolaus Antiochenus, *omnium immunditiarum repertor*, *choros duxit femineos*. Marcion *Romam præmisit mulierem*, *quæ decipiendo sibi animos præpararet*. Apelles Philumenen *suarum comitem habuit doctrinarum*. Montanus, *immundi spiritus prædicator*, *multas Ecclesias per* Priscam & Maximillam, *nobiles & opulentas fœminas*, *primum auro corrupit*, *dein hæresi polluit*. *Dimittam vetera; ad viciniora transcendam*. Arius, *ut orbem deciperet* sororem Principis *ante decepit*. Donatus *per Africam*, *ut infelices quosque fœtentibus pollueret aquis*, Lucillæ *opibus adjutus est*. *In Hispania* Agape Elpidium, *mulier virum*, *cæcum cæca*, *duxit in foveam*; *successoremque sui* Priscillianum *habuit*, *Zoroastris magiæ studiosissimum*, *& ex Mago Episcopum: cui juncta* Galla, *non gente*, *sed nomine*, *germanam huc illucque currentem*, *alterius & vicinæ hæresis reliquit hæredem*. Quis itaque sit quod tam frequens fuit, Thyatiræ quoque accidisse miretur, ut pravi dux fœmina facti Christianorum aliquot fascino suo a fide ad impuritates abduxerit?

LXXXIII. *Qualiscum Pseudoprophetissarum in antiqua Ecclesia ubertima seges fuit.*

Ad Ctesiph.

LXXXIV. Impuritates istas doctrinæ Jezabelis vocat Dominus τὰ βάθη τοῦ σατανᾶ. Solebant Hæretici ingentia mysteria, arcanam secretamque doctrinam jactare, quæ fastidiosam Evangelii simplicitatem reconditiore sapientia plurimum excederet. Cujus rei in Gnosticis exemplum est, qui Nicolaitarum propago, in eadem cum Jezabele schola ad nequitiam instituti erant: & *Gnosticos* sese appellabant, *propter excellentiam scientiæ*, quippe qui in mysteria Dei altius quam cæteri superioresque omnes penetraverint. Prudenter *Gregorius*: *Verbum absconditum hæretici audire se simulant*, *ut auditorum mentibus quandam prædicationis*

LXXXIV. *Impuritates hujus Meretricis, propter arcanam quam præ se ferebat sapientiam, profunditates Satanæ dicuntur.*

Lib. v. Moral. cap. XVII. *cationis suæ reverentiam obducant. Unde & latenter prædicant, quatenus eorum prædicatio tanto sancta, quanto & occulta videatur: communem autem scientiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æstimentur: occulta vel nova semper exquirunt, quæ dum alii nesciunt, apud imperitorum mentes ipsi de scientiæ singularitate gloriantur. Quam occultam (ut diximus) insinuant: quia scilicet, ut admirationem ostendere valeant, hanc se latenter percepisse confirmant.* Hæc autem mysteria non Dei, sed *Satanæ* esse, protestatur Dominus; laudatque qui ea neque norunt neque approbant, sed horrent, detestantur, exsecrantur.

LXXXV. *Jezabelis & filiorum ejus pœna.* LXXXV. Porro accusat Dominus obstinationem mulieris, quod μακροθυμία ipsius abusa ad pœnitentiam se duci recusaverit. Tempore ergo longanimitatis suæ elapso denunciat, eam, quæ lectulis ad profana & lasciva convivia turpiter abusa fuerat, in *lectum*, doloris scilicet & mortis, omni rediturae sospitatis spe præclusa, conjectum iri. Quod idem fatum *filios* ipsius manebat, sive naturales intelligas, sive metaphoricos, id est discipulos conjunctissimos, quorum opera nequitiosam doctrinam suam propagabat: hos omnes *morte se perempturum* dicit, allusione eleganti ad antiquæ Jezabelis filios, qui omnes a Jehu sunt necati. 2. Reg. x. 6. 7. Porro a filiis Jezabelis distingui possunt illi *qui adulterium cum ea commiserunt*, id est, qui ab aliis seducti impuritatum ejus sectatores fuerunt: quibus necdum mortem intentat Dominus, sed afflictionem maximam, in qua habeant resipiscendi tempus. Qua ratione autem hæc in Thyatirensi Ecclesia facta sint, non magis necesse est ex historiis sciscitari, quam id quod Paulus de Corinthiis scribit. 1. Cor. XI. 30. *Propterea inter vos multi sunt infirmi & valetudinarii & dormiunt multi.*

LXXXVI. *potestas fidelium in gentes.* LXXXVI. *Vincenti & opera sua ad finem usque servanti* duo *præmia* pollicetur Dominus: *Potestatem in Gentes*, & *stellam matutinam.* Prius notat communionem gloriæ & victoriæ Christi, de qua Ps. II. 8. adeo quidem ut omnes hostes, a quibus in hoc seculo pressi vexatique fuerunt, pedibus suis subjectos visuri sint, omni exutos potestate, damnatosque ad æternam perniciem: & virga ferrea Divinæ vindictæ contritos ut figulina vascula. Id quod proprie D. Jesus facit fidelibus attribuitur, quia illi cum Christo unum sunt, atque hactenus eadem cum Christo & in illo faciunt, gloriæ ipsius consortes: eo magis quia omnis hujus victoriæ fructus ad ipsos redundat.

LXXXVII. *Stellæ matutinæ datio.* LXXXVII. *Stellæ matutinæ datio* significat I. *Communionem arctiorem cum Christo, penes quem fons lucis est*, Psal. XXXVI. 10 & qui se ipsum *stellam illam splendidam & matutinam* nuncupat Apoc.

Apoc. XXII. 16. II. Quod exinde consequitur *lucis & cognitionis spiritualis incrementum*, imo consummationem Sapientiæ cœlestis. confer 2. Pet. I. 19. III. *Gaudium gloriosum*, & ineffabile, quod frequenter *luci* comparatur. Esth. VIII. 16. Job. XXX. 26. Psal. XCVII. 11. & imprimis *luci matutinæ*, quæ quum caliginosæ noctis horrori proxime succedat, omnium est gratissima. Job. XI. 17. 2 Sam. XXIII. 4. Jes. VIII. 20.

LXXXVIII. Omnino autem observandum est, hanc, & quæ ejus generis plures occurrunt, pollicitationes, non esse propheticas earum rerum quæ toti Ecclesiæ illi, in universitate sua consideratæ, obventuræ in terris erant; sed promissiones conditionatas, quæ singulis fidelibus factæ sunt, modo propositum sibi stadium alacriter & constanter decurrant: & quarum complementum non tam in terris quærendum est, ubi nil nisi primitiæ dantur, quam in cœlis. *LXXXVIII. Promissiones singulis sub conditione factæ non sunt prophetiæ de statu Ecclesiæ in terris.*

LXXXIX. In epistola ad *Sardenses* nihil omnino est quod negotium facessat. Describitur ibi status Ecclesiæ, quæ doctrinam quidem habebat puram, nullisque taminatam hæresibus, cognitionem item veritatis non temnendam, & Christum aperte atque libere profitebatur; unde etiam *nomen vitæ* consecuta erat: cæterum mores doctrinæ, facta famæ non respondebant, *opera plena non erant in conspectu Dei*, neque ita comparata ut idonea vitæ spiritualis, sive regenerationis ac sanctificationis, argumenta censeri possent: & si quid adhuc boni supererat, id tenue ac debile admodum erat, & quasi cum morte luctari videbatur. Attamen in tanta morum corruptione *pauculi* aliquot laudantur, quod *vestimenta sua non inquinaverint*, id est castos se mundosque a fœdis Nicolaitarum libidinibus servaverint, *odio habentes vel eam tunicam quæ a carnis contactu commaculata est*. Jud. vers. 23. atque operam dantes ne quicquam committerent quod indignum foret sancta vocatione sua, iisque præclaris habitibus quos a Domino Jesu per regenerationem acceperant, & qui albis illis vestibus figurabantur quas ex baptismi lavacro prodeuntes induere solebant. Iis promittitur, ut *albati cum Christo ambulent*, id est, perfectæ *Sanctitatis*, *Triumphi*, atque *Lætitiæ* compotes evadant. Hæc enim omnia albis olim vestibus designabantur. De *Sanctitate* vide Apoc. XIX. 8. de *Gloria*. Gen. XLI. 42. Esth. VIII. 15. Matth. XVII. 2. Marc. IX. 3. de *Triumpho* Apoc. XIX. 14. & VII. 9. 13. 14. de *Lætitia*. Eccl. IX. 8. Quid sodes horum est quod in Sardensi Ecclesia verum esse non potuerit; quodque, non dico necessitatem nobis imponat, sed vel minimam occasionem suppeditet, de aliis posteriorum temporum Ecclesiis cogitandi, in quibus *LXXXIX. Sardensis Ecclesiæ conditio.*

Lib. v. Moral. cap. XVII.

cationis suæ reverentiam obd[illegible] quod nos cogat præcise hoc
eorum prædicatio t. nto [illegible] *danda, ad justificationem pia cau*-
autem scientiam hab[illegible] *de Dieu*, respici morem Judæo-
vel nova semp[illegible] quotiescunque de natalibus quæstio erat, eos
tes ipsi de [illegible] nigris vestibus velatos atrio exire jube-
insinuar[illegible] *albis* indutos manere in templo & ministrare cum
[illegible] *Maimonide, Biath Hammikdas, sect.* XI.

LXXXV. *Jezabelis & filiorum ejus* [illegible]

[illegible] *phiensium* nunc Epistolam examinemus. Non sine [illegible] *sibi* Dominus Jesus *clavem Davidis, qua aperit, & nemo* [*claudit*], *& nemo aperit*; id est, supremam potestatem in [illegible] *suam*, ut in communionem sanctorum ac beatorum recipiat, [illegible] *vel excludat*, prout commodum visum fuerit, omnemque hostibus [illegible] ad infestandos cives suos præcludat: allusione eleganti ad Jesaiæ [illegible] *de Eliakimo* vaticinium, qui Regiæ præfectus fuit aulæ, (χυρατταλάτη *Constantinopolitani* vocabant) cujus dignitatis insigne erat clavis epomidi intexta. Propterea dicitur, *clavem domus Davidis humero ipsius impositam* fore. Jes. XXII. 21. 22. Prudenter autem suæ istius potestatis mentionem hic facit Dominus: quum enim Philadelphienses præ cæteris omnibus Asiæ urbibus hic memoratis infimæ conditionis essent, non amplitudine, non opibus, non ullo humano præsidio fulti, quare μικρὰν δύναμιν habere dicuntur, commodum iis suggerit sapientissimus simul & benignissimus Jesus, se verum illis *Eliakimum* fore, *Deum qui erigit ac stabilit, super cujus humeris est imperium* Jes. IX. 5. plane ad tutelam ipsorum comparatum, quique ipsis *Patris* loco futurus erat, uti Eliakim habitatoribus Jerusalem & domui Judæ. Illi quidem sparsim in agris habitabant, crebrum urbis tremorem metuentes: at Dominus eas sibi spiritualium portarum claves vindicat, quarum fiducia ab omni hostili invasione tutis iis securisque esse liceat: uti *horto clauso, scaturigini clausæ, fonti obsignato*. Cant. IV. 12. Ostendit etiam cui debeatur, quod in oppido non magni nominis florens tamen collecta fuerit Ecclesia.

XCI. *Ostium apertum, & Judæi supplices.*

XCI. Eodem pertinent sequentia. *Ecce do tibi ostium apertum* &c. id est, occasionem rei bene gerendæ, & Evangelium tam apud cives quam vicinos egregie propagandi: quomodo & Ephesi & Troade *magnum & operosum sibi ostium apertum* fuisse Paulus testatur. I Cor. XVI. 9. 2 Cor. II. 12. Addit Dominus se ei *daturum ex Synagoga Satanæ*, qui eodem modo quo Smyrnenses illi Judæos sese mentiebantur. Eorum non modo protervíam coerciturus erat, sed & conversurus eos efficaciter, ut supplices delictorum veniam peterent, seque Ecclesiæ adjun-

adjungerent. Quibus verbis non universalis illa Israëliticæ gentis conversio designatur, de qua Paulus Rom. XI. sed quorundam duntaxat Philadelphiensium Judæorum qui antea Ecclesiam infestaverant. Non enim de universitate populi, sed de Synagoga quadam, neque ea integra, sed quibusdam ex Synagoga sermo est.

XCII. Denique pollicetur Dominus se *servaturum eos ex tempore tentationis quod venturum erat in orbem universum.* Commodissime hoc ad Trajani persecutionem refertur, quæ non longo post scriptam Apocalypsin intervallo orbi Christiano incubuit: & quæ hujus oppidi Ecclesiæ, fortasse quia paupercula, ideoque minoris apud Gentiles nominis atque existimationis erat, minus quam multis aliis, majoribus atque amplioribus, & invidiæ magis obnoxiis, molesta fuit. *XCII. Servatio ex hora tentationis universalis.*

XCIII. Nihil equidem speciale, quod memini, de Philadelphicis istorum temporum historia habet. Sed, uti aliquoties jam monuimus, non mutuatur firmamina sua Dei verbum ab ullis hominum monumentis. Aliquid tamen in *Ignatii* Epistolis reperitur, unde lucis nonnihil iis quæ dicta sunt affulgeat. Quum beatus ille Christi martyr, Trajano imperante, Antiochia, ubi Ecclesia gravissima persecutione vexata fuit, vinctus Romam abduceretur, Smyrnæ aliquantisper substitit: quumque Sanctissimi Viri, famâ in toto Oriente omnium celeberrimi, vincula Asiæ Ecclesiis innotuissent, continuo unaquæque ex illis legatos, qui debitæ salutationis officia impenderent, ad eum misit, vicinis quoque Episcopis ad eundem quantocius accurentibus. Postquam autem Troadem delatus esset, Philadelphicæ eum Ecclesiæ Episcopus convenit. Quod Christianæ comitatis officium grato animo agnoscens literas humanitatis ac pietatis plenas ad eandem Ecclesiam misit: unde colligimus, ea tunc quoque in Ecclesia ista viguisse quorum nomine hic laudatur. Nam uti hic prædicatur constantia Episcopi in servando sermone tolerantiæ & non abnegando nomine Christi: ita & Ignatius testatur eum se cognovisse, uti *non a se ipso neque per homines possidentem administrationem in commune convenientem*, ἐδ' ἐ μετὰ κενοδοξίαν, ἀλλ' ἐν ἀγάπῃ Θεῦ πατρὸς καὶ κυρίε Ἰησῦ Χριςῦ, *neque secundum inanem gloriam, sed in charitate Dei Patris, & Domini Jesu Christi.* Imo dicit se obstupuisse illius τὴν ἐπιείκειαν, ὃς σιγῶν πλείονα δύναται τῶν μάταια λαλέντων, *mansuetudinem, qui silens plura potest his qui vana loquuntur.* Laudat insuper τὸ ἀκίνητον αὐτῦ καὶ ἀόργητον αὐτῦ ἐν πάσῃ ἐπιεικείᾳ Θεῦ ζῶντος. *immobile ipsius & inirascibile, in omni mansuetudine Dei viventis.* Ecclesiam autem ipsam describit ἐλεημένην *XCIII. Nonnulla de Philadelphicis ex Ignatio.*

καὶ ἑδρασμένην ἐν ὁμονοίᾳ Θεοῦ, καὶ ἀγαλλιωμένην ἐν τῷ πάθει τοῦ κυρίου ἡμῶν ἀδιακρίτως, ἐν τῇ ἀναστάσει αὐτοῦ πεπληροφορημένην ἐν παντὶ ἐλέει. habentem propitiationem, & firmatam in concordia Dei, & exultantem in passione D. I. C. inseparabiliter, (sic habet vetus versio) *& in resurrectione ipsius certificatam, in omni misericordia.* Unde inferimus, revera eam asservatam fuisse in hora tentationis. Meminit etiam Judaeorum, qui infesti aliquando Ecclesiae huic fuerunt, quidam tamen conversi, postea, ut videtur, Christianismum quoque praedicarunt. *ἐὰν δέ τις ἰουδαϊσμὸν ἑρμηνεύῃ ὑμῖν, μὴ ἀκούετε αὐτοῦ. ἄμεινον γάρ ἐστιν παρὰ ἀνδρὸς περιτομὴν ἔχοντος χριστιανισμὸν ἀκούειν, ἢ παρὰ ἀκροβύστου ἰουδαϊσμόν. Si autem quis Judaismum interpretetur vobis, non audiatis ipsum; melius est enim a viro circumcisionem habente Christianismum audire, quam ab habente praeputium Judaismum.* Haec ex *Ignatio* de Philadelphicis.

XCIV. *Epistola ad Laodicenses conditioni urbis ipsorum plane attemperata est.*

XCIV. Ea quae ad *Laodicenos* est Epistola ita urbis illius conditioni attemperata est ut sine violentia aliò torqueri non posse videatur. Pridem ex *Tacito; Strabone*, aliis, a Viris eruditis observatum est, fuisse Laodiceam urbem opulentissimam, adeo ut terrae motu dejecta suis ipsa opibus restaurata sit: opes autem istas tum in aliis mercibus tum in lana sitas fuisse. *Loca*, inquit, *Strabo*, *quae circa Laodiceam sunt oves alunt excellentes, non mollitie modo lanarum, qua etiam Milesiis praestant, sed etiam ad corvorum nigredinis aemulum colorem: unde amplos quoque habent reditus.* Opes istae, uti fieri assolet, luxum, luxus securitatem, teporem, arrogantiam, in Ecclesia etiam, pepererant. Hinc omissa sui ipsius exploratio & quotidiana admonitio. Hinc superfunctorium rerum spiritualium ac coelestium studium, facile sibi hominibus in iis quae jam acquisivisse existimabant blandientibus, nec minus se Spiritus quam seculi opibus locupletatos esse jactantibus. Haec in iis, uti merentur, acriter taxat Dominus: docetque alias quaerendas esse divitias, longe pretiosiores iis quas in pulcris suis sed nigris velleribus possidebant, *aurum* nimirum *igni exploratum*, thesauros fidei atque caritatis, & *vestimenta alba*, tam justitiae Christi, quam puritatis & sanctitatis. Quis non videt translationum harum elegantiam? quibus omne decus suum perit, si ad postremorum temporum Ecclesiam, cui nihil cum Laodicea negotii est, haec omnia, tanquam de ea dicta, referantur.

Lib. XII.

XCV. *Concluditur, nihil in his Epistolis esse, quod jubeat ad*

XCV. Ex iis quae disputata sunt hactenus liquet, nihil Epistolis hisce contineri quod negari queat verum fuisse in Ecclesiis Asiae, quodque vel jubeat, vel suadeat, ad aliud subjectum respicere in quo demum verborum Domini veritatem anxie quaeras. Atque

hisce

hisce quidem argumentis pugnare possunt ii, quibus simplex & Historica explanatio Mysticæ, Symbolicæ, atque Propheticæ præferenda videtur. *aliud subjectum respicere quam ad Ecclesias Asiæ.*

CAP. IV.

Ostenditur argumenta pro sensu Prophetico parum esse valida.

XCVI. Ἐπίκρισις. XCVII. *Non quia aliquando Urbium nomina Symbolica sunt, ideo & hic.* XCVIII. *Imo ne eadem quidem nomina quæ alicubi symbolica sunt id sunt ubique.* XCIX. *Nullo exemplo probari potest Ecclesias N. T. in aliarum Ecclesiarum symbola a Deo constitutas esse.* C. *An Jes.* XIV. 12. *&c. de Antistite intelligendum sit Romano, disquiri potest.* CI. *Per Moabitas autem Jes.* XV. *&* XVI. *Judæos a Christo visitatos designari, non sit versimile.* CII. *Neque ulla profertur ratio quæ id suadeat.* CIII. *Quæ tam sublesto fundamento operose superstruuntur, per se corruunt.* CIV. מבית, *non significat Domi.* CV. *Nec Terra Kittim Hispania est, nec in Hispania confractus Carolus* V. CVI. *Et vix est ut vel Cæsar vel Concilium Tridentinum vastata Tyri arx dici possint.* CVII. *Neque idonea ratio est cur tempus oblita Tyri præcise in A.* MDLXI. *rejiciatur.* CVIII. *Inconcinne, Papam Ecclesiæ tectum esse, eoque nomine Gogum vocari, asseritur.* CIX. *Tridentum Papæ sepulcrum dici, propter Concilium ibi congregatum, propemodum ridiculum est.* CX. *Reverenter habenda sunt verba Dei.* CXI. *Gratis sumitur totam Apocalypsin unam esse Epistolam Catholicæ Ecclesiæ inscriptam: neque, si daretur, evinceret id quod in quæstione est.* CXII. *Absolutis Epistolis novum orationis filum orditur Apostolus.* CXIII. *Particularis Epistola generali gnoma concludi potest.* CXIV. *Quæ Catholicæ Ecclesiæ conveniunt, particularibus, pro sua parte, merito attribuuntur.* CXV. *An septem lampades candelabri Mosaici designaverint septem periodos Ecclesiæ N. T. incertum est.* CXVI. *Nec indecorum est Regi Christo, ubi res ita fert, a parte aliqua Regni sui denominari.* CXVII. *Cur septem Spiritus memorentur?* CXVIII. *Numerus septenarius non semper symbolicus est.* CXIX. *Neque ubi symbolicus est semper Ecclesiæ Periodos notat.* CXX. *Quæ, quum alternantium conditionum vicissitudines sint, non videntur præfigurari per columnas ædis sapientiæ.* CXXI. *Septem oculi intuentes lapidem, de Deo intelligi possunt: & si Ecclesiæ sint, non necessario notant septem ejus periodos.* CXXII. *Quid significaverint septem gradus templi, & an aliquid significaverint, modestius ignoratur quam determina-*

terminatur. CXXIII. *Septenarius numerus aliquando pro incerto, magno tamen & pleno ponitur.* CXXIV. *Denique non quæritur quid alibi numerus septenarius significet, sed quid hic.* CXXV. *Quando & quomodo Spiritus Sanctus per nomina propria doceat.* CXXVI. *Quæ de Etymologiis Urbium Asiæ dicuntur incerta sunt.* CXXVII. *Grotii super iis cogitata.* CXXVIII. *Non absimilis Lutheranorum, & Alabastri, ex nominibus propriis, prophetiarum commentatio.* CXXIX. *Quæ præterea qualitates harum urbium observantur,* CXXX. *Eas Hieroglyphicas esse probari non potest.* CXXXI. *Plures parallelismi fingi possunt, non minus fortasse ingeniosi, at parum solidi.* CXXXII. *Frustra eorum quæ in Ecclesia gesta sunt cum verbis Epistolarum convenientia obtenditur.* CXXXIII. *Non omnes Prophetiæ ex Historiis demonstrari possunt.* CXXXIV. *Veterum Theologorum de hoc argumento sententia.* CXXXV. *Uti & Bullingeri.* CXXXVI. *Brightmanni.* CXXXVII. *Forbesii.* CXXXVIII. *Concluditur, argumenta ista omnia invalida esse.*

XCVI. *Bulingerus.*

XCVI.  Πίκρισιν nunc nostram si quis desideret, ea hæc est: Potiorem nobis videri eorum sententiam qui pro Historico sensu stant: quippe quæ & receptissima & tutissima sit, nihilque proferat nisi quod sit planum, & cuivis obvium, & simplicitati Scripturæ, & naturali verborum significationi, & Historiæ temporum conveniens: & quod non potuerunt non cogitare ii quibus hæ Epistolæ primum inscriptæ sunt. Meoque judicio supervacaneum propemodum est pro simplici sensu vel unum proferre argumentum, qui satis se eo solo axiomate tuetur, quod apud interpretes omnes in confesso est, non esse a prima, propria atque usitata verborum significatione recedendum, nisi aut res ipsa cogat, aut Deus profundius mysterium propriæ significationi subesse declaraverit. Quod quum hic non sit, omnino inhærendum est literæ, & in ipsa expositione ostendendum omnia commode fluere, nihil contortum esse, nihil hiulcum, nihil a rei veritate alienum, aut majestate sermonis Dei indignum. Si quis autem ex verbis perspicuis, & quæ sensum fundunt facilem, ænigmata & mystica symbola eliciat, illius est, non audacibus hariolationibus, temerariis conjecturis, aut ἀκύρεις assertionibus ea dictare, sed validis demonstrationibus adstruere. Non possunt autem demonstrationum, imo neque quidem probabilium rationum vicem sustinere, quæ huic fini producta sunt argumenta. Sed ex adverso Prophetica ista explicatio plurimis, iisque gravissimis, premitur

mitur incommodis. Quod sequentes observationes palam facient.

XCVII. Argumenta ergo singula ad examen revocemus eo quo proposita sunt ordine. Nulli equidem dubitamus quin antiquarum Regionum, Urbium, Nationum nomina frequenter in sacris literis symbolica sint, aliosque hominum cœtus ænigmatice significent. Sed non quod aliquando fieri existimatur, aut quod alibi fit, id hic quoque fieri necesse est. Non magis eo argumento confecerint viri Docti *Ephesum* aut *Smyrnam* hic symbolica nomina esse, quam aut *Romam*, aut *Corinthum*, aut *Philippos*, aut *Thessalonicam* in Epistolis Paulinis. Neque est quod excipiant, aliam istarum Epistolarum, quæ sine dubio dogmaticæ sunt, rationem esse, aliam harum quæ Prophetico sunt insertæ libro, ideoque juxta Prophetiarum stilum exponendæ. Non enim quidquid in Prophetico scriptum est libro idcirco Propheticum est, aut eo nomine magis pro symbolico habendum, quam si alibi narraretur. Hizkiæ historia apud Jesaiam Prophetam non minus proprie est interpretanda quam in libris Regum aut Chronicorum.

XCVII. *Non quia aliquando Urbium nomina Symbolica sunt, ideo & hic. Confer* §. XVII.

XCVIII. Accedit, quod nihil alterius rei symbolum aut ἀλληγορούμενον statuendum sit, nisi tale esse demonstrari queat, juxta regulas sacrorum typorum supra a nobis confirmatas. Quod ne quidem in hoc negotio conaturos esse viros eruditos arbitror. Imo vero etiamsi Urbs aut Gens aliqua alicubi typi vicem sustineat, non tamen eandem alibi quoque typicam esse inferri potest. Non omnia quæ de *Ægypto*, *Babele*, *Tyro*, etiam in Propheticis monumentis narrantur, typice exponere fas est. Neque si in *Apocalypsi Ephesum* typicam esse Viri docti volunt, eandem etiam in *Actibus Apostolicis* & *Pauli* ad eos *Epistola* typicam esse contendent. Nedum ut ex similium exemplorum inductione aliquid, de quo quæritur an typicum sit, typicum esse inferri queat.

XCVIII. *Imo ne eadem quidem nomina quæ alicubi Symbolica sunt id sunt ubique.* §. LIII. & seq.

XCIX. Sed neque similia ea quæ producuntur exempla sunt: unde omnis, si qua hactenus credita est probabilitatis species huic argumento inesse, prorsus evanescit. Nihil enim iis evincitur, nisi quod urbes, aut nationes quædam durante Veteris Testamenti Oeconomia vigentes, typi fuerint atque emblemata eorum cœtuum qui sub Testamenti Novi dispensatione futuri erant, vel etiam, ea quæ in terris facta sunt typos esse rerum cœlestium. At Ecclesias aliquas Novi Testamenti, aut earum nomina, a Deo data esse in symbola aliarum insequentium Ecclesiarum, neque auctoritate ulla, neque idoneo exemplo probatur.

XCIX. *Nullo exemplo probari potest Ecclesias T. N. in aliarum Ecclesiarum symbola a Deo constitutas esse.*

C. An Jes. xiv. 12. &c. de Antistite intelligendum sit Romano, disquiri potest. vid. §. xviii.

C. Quæ exempli gratia producta sunt specimina, ostendunt quidem quantum sibi Viri docti in Prophetiarum explicatione permittant, talia tamen sunt ut vix sibimet ipsa finem inveniant, nedum aliis consimilibus faciant. Si Pontificiis persuadere possint, Jes. xiv. 12. 13. 14. *Antistitem* describi *Romanum*, per me equidem licebit, qui tamen cum præstantissimis nostrorum credo, hæc primo & literaliter de *Babylonico* intelligenda esse *Nebucadnetzare*.

CI. Per Moabitas autem Jes. xv. & xvi. Judæos a Christo visitatos designari, non sit verisimile.

CI. Ut autem Jes. xv. & xvi. per *Moabitas Judæos* a Christo visitatos designari existimem ab animo meo impetrare nequaquam possum. I. Quia Propheta postquam his & sequentibus Capitibus onerosas Prophetias gentium Israëlitidi vicinarum exposuisset, *Moabitidis* nimirum, *Æthiopiæ*, *Ægyptiæ*, *Babylonis*, *Idumeæ*, *Arabiæ*, tum demum cap. xxii ad *vallem visionis*. & cap. xxviii. ad *Ephraimum*. & xxix. ad *Arielem* descendit: reliquos aperte satis ab Israëlitis discriminans, & cuique distinctim sua fata pandens. II. Quia cap. xvi. 1. *Moabitæ* diserte ab *Israëlitis* distinguuntur, quum jubentur, *agnum mittere ad Dominatorem terræ*, (vel *agnum Dominatoris terræ*, qui ipsi omni jure debebatur) *ad montem filiæ Zionis*; id est, fateri se tributarios esse domus Davidis, 2. Sam. viii. 2. Ezechiæ, legitimo Davidis successori, nunc pendentes agnos illos & arietes lanigeros, quos antea Regibus x. tribuum solverant. 2. Reg. iii. 4. & quorum magna saltem pars Jehovæ, ad eos quoque expiandos, in sacrificia cedere posset. III. Quia Jeremias, de *Idumæis*, *Moabitis*, *Ammonitis*, *Tyriis* & *Sidoniis* eodem modo vaticinans, jubetur, per legatos, Hierosolymam ad Zedekiam Regem venturos, lora & vincula ad istarum nationum Reges mittere. Jer. xxvii. 3. Quod omni prorsus rationi absonum foret, nisi ea quæ prædicit ipsis illis nationibus eventura erant. Quorsum Moabitarum Regi jugum missum atque lorum, si per Moabitas Judæi designentur? An vero Moabitas proprie intelligit Jeremias, symbolice Jesaias? At quæ ratio diversitatis, quum ovo ovum similius non sit, quam utriusque de Moabo vaticinia? Conferatur modo Jeremiæ caput xlviii. cum Jes. xv. & xvi. Dicesne alterius generis ultimam hanc Jeremiæ Prophetiam esse atque eam quæ cap. xxvii. exponitur? Sed quo judicio id dignoscis? Quum Jeremias *ipse asserat omnes hasce Prophetias* על הַגּוֹיִם *contra gentes* esse Cap. xlvi. 1. (hæc enim generalis omnium quæ sequuntur inscriptio est) & de iis Moabitis agat qui sunt *populus Camosi*. Cap. xlviii. 13. 46. A cujus certe Idoli cultu Judæi tempore Christi fuerunt alienissimi. IV. Quia calamitates hic prædictæ Moabitas etiam insigniter afflixerunt, partim tempo-

tempore Salmanassaris, qui Israëlitas expugnans vicinos iis Moabitas itidem debellavit, partim quoque tempore Nebucadnetzaris, quem Ammonitas & Moabitas, quinto post excisa Hierosolyma anno, perdomuisse, locuples testis *Josephus* est. Singulas autem circumstantias exigere in tanto historiarum silentio ac defectu, hominis esset oppido importuni. V. Si Moabitarum universitas universitatem carnalium Judæorum notet, quid singulæ urbes, quas & Jesaias & Jeremias tam prolixe enumerant, significabunt? Num prolixitas illa ob solum quæsita ornatum est? An vero & singula oppida habent civitates quasdam Judæorum certa ratione sibi respondentes? Hanc operam adhuc nobis Viri eruditi debent, ut id quoque intelligamus, quæ Israëlitarum urbes quibus Moabitarum urbibus respondeant, & quomodo.

Antiquit. Lib. X. Cap. XI.

CII. Neque ulla profertur ratio qua id suadeat.

CII. Accedit quod nulla probabilis ratio assignetur cur *Judæi Moabitæ* dicantur. An quia urbes quasdam Moabitarum bello superarunt, & insederunt? At eodem jure Babylonios in Israëlitas, Persas in Assyrios, Græcos in Persas, Romanos in Græcos transformaveris, illosque horum appellaveris nominibus, quorum non urbes tantum aliquot, sed & integra occuparunt regna atque regiones. An quia Moabitis Religione conjuncti fuerunt? Non certe Idololatria: neque sacra fecerunt Camoso, uti Patres ipsorum, qui tamen eam ob rem nunquam Moabitæ dicti sunt. Sed e contra Moabitas domitos sua suscipere sacra coëgerunt: & quum ab eo tempore Moabitæ Judæis accensiti sint, מתיהדים, convenientius fuit iis Judæorum nomen tribui quam contra. At certe superstitione conjuncti erant, in externo cultu hærentes, sine vero Dei amore. Crediderim. Verum non a Moabitis hoc primum Judæi didicerant. Moabitæ potius ab ipsis, prava eorum exempla æmulantes a quibus coacti fuerant ἰουδαΐζειν.

CIII. Quæ tam subfesto fundamento operose superstruuntur, per se corruunt.

CIII. Quum ergo probari non possit, per Moabitas Judæos a Christo visitatos intelligi, quæcunque tam ruinoso fundamanto superstruuntur nil nisi difficiles μετεωρίαι sunt. Quorsum *Jaazer* & *vitem Sibma*, *Chesbon* & *Eleale* in *Hierosolymam* transfigurabimus, ut ex Prophetæ condolentis lacrymis lacrymas Christi super Hierosolymam flentis extundamus? Nam etiamsi in antecedentibus & consequentibus Deus loquens introducatur, nihil impedit Prophetam in sua persona nonnunquam interfari. Etenim in Prophetiis & Psalmis tacitam aliquando personarum alternationem esse, & ex prædicato de subjectis esse judicandum, ipsi Viri Docti sæpe monent. Si pauca e multis Magni Interpretis verba velis, hæc habe.

Coccej. Præfat. ad Dodecapropheton. & ad Rom. §. 43. Psal. LXXXVII. §. IX. Zach. IX. §. XXVI.

Et διαλογισμοὶ animadverti alicubi debent, quum identidem alia & alia persona loquentes introducuntur, omisso variantis prosopopœiæ indicio. Iterum: *Orationes Prophetica sunt πολυπρόσωποι. Tanquam in cælesti concilio variarum personarum voces audiuntur, iis attribuenda quibus in virtute sua conveniunt.* Rursus: *Prophetia aliquando instar dramatis habent, in quo alia atque alia identidem prodeunt persona, aut Dialogi.* An non etiam simplicius multo est, *gloriam Moabi* de opibus & fastu illius populi exponere, quam de *templo Hierosolymitano*? Quorsum in putandis belli Judaici annis laboramus, ut in iis triennium deprehendatur? quum Propheta non describat annos duraturæ cladis, sed tempus designet, quo, orso ab hac prophetica calculo, Moabitis ea strages eventura erat. Sic enim verba sonant. *Nunc vero loquitur Jehova, dicendo, intra tres annos, ut sunt anni mercenarii*, qui laboris sui tempora exacte metiri solet, *vilis reddetur gloria Moabi*. Tres autem anni illi hoc modo inveniuntur. Facta est prophetia hæc anno primo Hizkiæ, mox post mortem Achasi. Jes. XIV. 28. Quarto anno Hizkiæ, adscendit Salmanassar conta Samariam. 2 Reg. XVIII. 9. quo tempore Moabitarum urbes occupasse videtur, ne quid a tergo relinqueret, quod sibi aut copiis suis damnosum foret. Quanto hæc novitiis istis commentationibus potiora sunt?

CIV. Neque solidiora sunt quæ de *Tyro* differuntur. Fingitur Tyro & Mercatoribus quendam a terra *Kittim* quasi ad auxilium apparuisse, sed *qui domi confractus* sit. Id applicatur *Carolo V. Imperatori*, qui quum Lutherum oppressurus videbatur, ut faustum aliquod sidus Romano Antistiti apparuit. Sed seditione orta in Hispania, eo proficisci, & a Lutheri persecutione desistere coactus, atque ita domi confractus est. Verum & explicatio textus aliena, & applicatio, candide id dixerim, oppido absurda est. Primo non dicit id Propheta quod dicere fingitur. Verba hæc sunt. Cap. XXIII. 1. מַשָּׂא צֹר הֵילִילוּ אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ כִּי שֻׁדַּד מִבַּיִת מִבּוֹא מֵאֶרֶץ כִּתִּים נִגְלָה לָמוֹ Ea Doctissimus Interpres hoc modo transtulit. *Pronunciatio Tyri. Ejulate, naves Tarsis; quia vastatus est domi, ab adventu*, qui *a terra Kittim apparuerat illis*. At certe מִבַּיִת non significat *Domi*, sed *a* vel *e domo*. Sensus facillimus est, quem nostri quoque Belgæ expresserunt. *Prophetia onerosa Tyri. Ejulate naves Tarsis, quia vastata est*, (scilicet Tyrus: nam nomina urbium, quæ cæteroquin fœminina sunt, cum verbis masculinis aliquando construi, liquet ex Jes. XV. 1. & XIV. 31.) vel *vastatus est*, (supple, Princeps Tyri) *ita ut nulla sit domus, nullus introitus:* (ad verbum, *a domo, ab introitu.* confer, Jes. XVII. 1. דמשק מוסר מעיר) *de terra Kitthim revelatus*

CIV. מבית non significat Domi.

velatum est eis. Ac nihil sane obstat, quo minus illud de Tyro proprie sic dicta, ac veluti litera sonat, intelligatur. Brevem illius historiam ad nostra usque tempora collegit Vir Doctissimus, in commentariis suis ad Ezech. XXVI. Unde liquet, aliquoties eam fuisse vastatam, aliquoties reædificatam, & ut *Curtius* ait, *multis casibus defunctam, & post excidium renatam;* hodie autem, ut Itineraria consensu testantur, *non nisi acervum ruderum cum casis quibusdam piscatorum; non esse domum quæ sit integra, nisi unicam: reliquas domos esse destructas, neque superesse nisi fornices & cryptas, in quibus ducenti propemodum homines commorentur.*

CV. Sed de versione verbum non addamus. Qua specie ea quæ vel finguntur dici *Carolo V.* applicari possunt? Qui neque e *terra Kittim* venit: nam sive *Cilicia* ea est, sive *Macedonia*, sive *Italia* (qua de re videri potest *Bochartus*) at certe *Hispaniam* esse nemo, opinor, hactenus dixit, nemo credidit. Neque in Hispania *vastatus est* Carolus, sed domitis brevi rebellibus regnum pacatum habuit. Et vix unquam strenuius ac felicius res suas gessit, quam dum in Hispania esset. Eo tempore, raro cœlestis favoris ad Carolum inclinantis indicio, Hadrianus ejus Præceptor in Pontificem eligitur: *quo*, ut judiciose Thuanus, *nihil fortunatius aut optabilius Cæsari accidere potuit.* nec multo post, Franciscum primum, Galliarum Regem ad Ticinum superatum, Anno MDXXV. x. Kal. Febr. qui natalis Cæsari erat, captivum habuit. Hoccine est in Hispania vastari?

CV. *Nec Terra Kittim Hispania est, nec in Hispania confractus Carolus V.*

CVI. Non melius in Cæsarem quadrare videntur quæ de *vastata Tyri arce*, comm: 14. leguntur. Multum enim dubito, an Romana Tyrus eum pro *arce* sua agnoverit, qui Clementi Papæ offensus, *ut injuriam ulcisceretur, nominis Pontificii auctoritatem per omnem Hispaniam abolevit.* Cujusque copiæ Borbonio duce Romam deprædatæ sunt, principesque Cardinalium pugnis contusos per totam urbem contumeliose circumduxerunt, & Pontificem ipsum arcta custodia in Arce Sancti Angeli captivum detinuerunt: Cæsare, licet dolorem simularet, in sinu gaudente, & de Pontifice in Hispaniam abducendo serio deliberante: nec nisi totis sex mensibus elapsis dimittente; ea tamen lege, ut ne in Mediolanensi aut Neopolitano negotio Cæsari se opponat, sed potius reditus aliquos Ecclesiasticos ei concedat. Egregiam Tyri arcem! Sed ipsum Tyri Regem audiamus, Paulum IV. Pontificem, *qui temperare sibi non potuit quin Cæsarem HÆRETICUM diceret: Eum principio Religionis in Germania Novatoribus propitium ac faventem fuisse: quo, sancta sede dejecta & prostrata, ipse Roma & in Italia omni rerum potiretur: Paulum III. perpetuis laboribus & molestiis fatigasse, &c.* Neque per

CVI. *Et vix est ut vel Cæsar vel Concilium Tridentinum vastata Tyri arx dici possint.*

Thuan. Lib. I.

Histor. Concil. Trid. Lib. V. p. mihi 362.

per expeditionem *Solymanni*, qui *Temesvarum*, *Lippam*, *Zolnocum* aliasque arces cepit, vastatus est Cæsar, qui mansit nihilominus potentissimus Europæ Princeps. Ferdinando Regi, quam Imperatori Carolo graviora ista fuerunt. At neque *Concilium* Tyri *arx est*, si, uti mox ex Viro Docto audiemus, ejusdem est *sepulcrum*. Et sane Romani Concilio carere maluissent, quod pene inviti semper convocarunt, quam Tyrii sua arce.

CVII. *Neque idonea ratio est cur tempus oblitæ Tyri præcise in* **A.MDLII.** *rejiciatur.*

Lib. XXI.

Histor. Univ. p. 70.

CVII. Cæterum illud oppido mirum est, quod tempus quo Tyrus cœpta est oblivioni tradi præcise rejiciatur in Annum MDLII. quippe quo facta est *transactio Passaviensis*, cujus viri Docti frequentissimam sibi mentionem in commentariis suis faciendam existimant. At quid tandem tanti momenti *transactione* illa *Passaviensi* præstitum est? Sleidanus illud dicat: Leges de pace Religionis hæ fuerunt: *Intra sextum mensem Cæsar aget Imperii conventus, ac tum, qua potissimum ratione dissidium Religionis componi debeat, deliberabitur. Pacem interea colent omnes, & propter religionem nulla cuiquam exhibebitur molestia. Quod autem de pacanda religionis modo, communi ordinum consilio, & interveniente Cæsaris auctoritate, decretum fuerit, nimirum ut placidis & piis & æquis rationibus componatur dissidium, id erit firmum atque ratum.* Tantine est hæc *laudata quidem*, ut *Boxhornius* ait, *non tamen satis observata transactio*, ut in ea epocham oblivioni traditæ Tyri constituas? Lubet hic appingere, quæ Doctissimi *Lipsienses* annotarunt ad ἀνιστορησίαν *Varillasii*, in *Actis Anni* MDCLXXXVII. *p.* 497. *Sane*, inquiunt, *de religionis negotio pactum tunc aliquid (Passavii) est; sed stylo brevissimo, ad comitia indicenda dilata explicatione; & jus autonomiæ circa sacra, quod Protestantes obtinuerunt, non solum pacificatione illa, sed vel maxime decreto Comitiorum Augustanorum Anno* MDLV. *nititur: quod etiam primario allegari a Protestantibus solet, quoties opus est. Qui vero id decretum, sive, quem vocant, recessum Augustanum, cum Passaviensis conventionis formula in rebus ad religionem spectantibus conferret, quintuplo longius & operiosius comperiet, nec verbis solum, sed & rebus; maxime in eo, quod Passavii (ut diximus) pleraque ad Comitia, imo ad Colloquia & Concilia differebantur; sed Augustæ latius & accuratius tractata & definita sunt omnia; & quum anteriores tractationes non nisi inducias ad tempus, aut ad Concilii decisiones concederent, publice nunc primum pactum ac cautum fuit, ut, etsi per colloquia aut Concilia concordia in Religione iniri non possit, æterna tamen libertas & pax Religionis in Germania servaretur.* Ex quibus liquet, tanti non esse faciendam Transactionem illam Passaviensem, quanti a Doctissimo Interprete, quia id rebus suis conducere animadvertit, æstimari solet. Et si aliquod qualecunque de Religionis libertate decretum epochæ huic constituendæ sufficiat; id

jam

jam ante viginti annos Norimbergæ invenire licet. Ubi *Cæsar pacem publicam totius Germaniæ sancivit, & ne religionis caussa cuiquam molestia crearetur, edixit, ad usque Concilii tempus: aut si nullum fiat, tantisper, donec per Ordines Imperii alia fuerit inventa ratio dissidium hoc sanandi.* Cur non ergo ab Anno M. D. XXXII. quo *prima pacis Religiosæ fundamenta jacta esse*, testatur *Micrælius*, oblivionem Tyri ordimur? Aut ab eo tempore, quo emicante primum Evangelii luce tot civitates, Ditiones, Provinciæ, Regna, Romanæ nuncium miserunt Ecclesiæ? Sed tum plures LXX. anni intercederent inter *oblivionem Tyri*, & *meretricium* illud *carmen*, quod ob devastatas *Pragensem* & *Heidelbergensem Academiam*, vel *Loyolæ* ἀποθέωσιν, cantatum est. Piget cætera prosequi. Sleid. Lib. VIII. Lib. III. Sect. II. §. XIII. in fine.

CVIII. Quæ de *Gogo* & *Magogo* sequuntur, neque in cœlo, ut ajunt, tectum, neque in terra fundamentum habent. Nam præterquam quod *tectum* apud Hebrœos nunquam *Gog*, semper *Gag* dicitur, *Magog* item nuspiam *id quod contectum est* notet, sed hæ vocum significationes fictæ sint, nullaque auctoritate probentur: quid inconcinnius est, quam Papam Romanum *tectum* dici, quia medium se interponit inter Deum & homines, influxum radiorum cœlestium & descensum fœcundæ pluviæ, a terra ita obtecta, id est, cœtu hominum in ipsum credentium, arcens. Hiccine tecti usus est? Quisquamne unquam uspiamve mortalium eum in finem tectum condidit, ut liberum sibi cœli aspectum præcluderet, imbresve ab ea terræ parte arceret quæ pluviis fœcundari debebat? an potius ut refugium haberet ab imbribus, umbram ab æstu, receptum a ventis, munimentum adversus omnes aëris injurias? Qua emblematis concinnitate tecto aliquis comparabitur, propter id quod, præter tecti usum, ei accidit, ex incommoditate illa quæ commoditates omnes humanas comitatur? *CVIII. Inconcinne, Papam Ecclesiæ tectum esse, eoque nomine Gogum vocari, asseritur.* vide §. XVI.

CIX. Quam ridiculum etiam est *vallem Tridentinam*, propter Concilium ibi congregatum, Antistitis Romani *sepulcrum* dici? quum idem illud Concilium *Romæ arcem* esse, credere modo jussi simus? An in Concilio Tridentino victus, triumphatus, sepultus Papa est, idque a Patribus ibi coactis? In Concilio, inquam, Tridentino? quod Pontificiæ Doctrinæ stabiliendæ, confirmandæ, propagandæ supra cætera omnia inservivit: & *cujus omnia consilia in immodica, ut Duditbius* ad Maximilianum II. Imperatorem scripsit, *& sane quam pudenda Pontificum tuenda dominatione consumebantur*: adeo ut *nihil decerni potuerit nisi in eorum sententiam, qui Papæ potentiam luxumque defendere summam* *CIX. Tridentum Papæ sepulchrum dici, propter Concilium ibi congregatum, propemodum ridiculum est.*

summam Religionem arbitrabantur. Eam ob rem Pius IV. Patribus Tridento reversis in Consistorio gratias egisse fertur, quod tantam Pontificiæ auctoritatis rationem habuissent. Verum quidem est, quod Patres illi, mortifera sua dogmata horrendis anathematis munientes, se a communione veræ Ecclesiæ, in qua vita est, separaverint: sed quum Papa Antichristianæ multitudinis Princeps sit, quo vehementius se opponit Christo & regno ejus, eo vegetius vivit. Vita ipsius, ut & Draconis, a quo virtutem suam ac thronum accepit, sita est in imperio & potestate mortis spiritualis. *Adventus ejus est ex vi illa efficaci Satanæ, cum omni potentia, & signis, & prodigiis mendacibus: & cum omni seductione injustitiæ in iis qui pereunt.* Tunc occiditur & *aboletur per Spiritum oris Domini*, non quando Doctrinam suam mortiferam firmat ac munit, quod factum est in Concilio Tridentino, sed quando demonstratione veritatis Evangelicæ Pseudopropheta & hostis Christi esse arguitur, ac potestate omni sua exutus, *conjicitur in stagnum ignis ardens sulphure;* quod fiet *illustri adventu Domini.* 2. Thess. II. 8. 9. 10.

CX. Reverenter habenda sunt verba Dei.

CX. Fusius hæc prosecuti sumus, etiamsi aliquantulum nos ab instituto abduxisse videantur, quia nonnullis stupendam ænigmatum Propheticorum enucleationem continere creduntur: cujus solertiam vix quisquam meritis afficiat laudibus. Nobis autem operæ pretium esse videtur, sobriæ ac solidæ sapientiæ candidatos monere, ut offucias sibi fieri non patiantur illecebrosa ejusmodi commentationum novitate: quæ, quicquid fronte promittant, nihil habent in recessu solidi. Reverenter habenda sunt tremenda magni Dei verba: ne, veluti pueri nolis sonantibus, affingamus iis quicquid ipsi animis cogitavimus: aut offendiculum ponamus & Judæis & Pontificiis, iis eos interpretamentis oppugnantes, quæ, ob peregrinitatem suam, ne orthodoxorum quidem assensum impetrant. Quidvis potius credenr Judæi, quam se a Jesaia & Jeremia Moabitas vocari, aut de terra sua prædici quæ, de Moabitide scripta legunt. Neque unquam persuadebitur Pontificiis, Papam suum, a Patribus Concilii, Tridenti sepultum esse, itaque juxta Ezechielis de Gogo vaticinium.

CXI. Gratis sumitur totam Apocalypsin unam esse Epistolam Catholicæ Ecclesiæ inscriptam: neque, si da-

CXI. Nunc ad institutum redeuntes, *secundum argumentum* examinemus. Dicunt Viri Docti totam Apocalypsin unam esse Epistolam, quæ Catholicæ inscripta sit Ecclesiæ. Sed primo quæro, qua Auctoritate *Epistolam* esse contendant, id quod Spiritus Sanctus non Epistolam, si recte memini, sed βιϐλίον, *Librum*, constanter nuncupat. Apoc. XXII. 18. 19. Neque inferri illud potest ex consimili Apocalypsios conclusione, quali epistolas suas terminare sacri Auctores solent. Nihil enim impedit

impedit quo minus liber aliquis eadem gratiæ apprecatione finiatur, qua cæteroquin finiuntur Epistolæ. Verum de nomine difficiles non simus. Unde habent, hunc sive librum, sive Epistolam, Catholicæ Ecclesiæ inscriptum esse? quum Johannes eum inscribat *septem Ecclesiis quæ sunt in Asia*. Apoc. 1. 4. Quod non idcirco observo, quasi nolim prophetias Apocalypsios ad totius Ecclesiæ ædificationem datas esse: nam *beati* pronunciantur *omnes qui eas legunt, audiunt, servant*: & quicquid alicubi, sive singulis personis, sive singularibus Ecclesiis, scriptum est, id ad omnium informationem pertinet: ut inde sibi quod imitentur capiant, inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vitent. Sed non sunt fraudandæ Ecclesiæ Asianæ honore isthoc quo affecit eas Dominus, depositarias eas faciens cœlestis hujus thesauri: non quo invidæ eum sibi occulerent, sed lubentes, quod & fecerunt, cum tota Ecclesia communicarent. Habuit autem sui istius instituti sapientissimas procul dubio rationes, de quibus supra aliquid monuimus: & quamvis nullas nos sciremus, sola ipsius voluntas sufficiens nobis ratio est. Tum etiamsi demus, totum Apocalypsios volumen Catholicæ inscriptum esse Ecclesiæ, quid obstat cur Catholico scripto insertæ esse nequeant Epistolæ ad particulares Ecclesias, quas sui nominatim officii monere voluit Dominus? Tota Scriptura prolixæ alicujus Epistolæ a Christo ad totius Ecclesiæ universitatem missæ instar habet, cujus tamen pleræque partes, singulari occasione, ad particulares, vel cœtus, vel personas, primum directæ sunt.

retur, evinceret id quod in quæstione est. Vid. §. XXIII.

§. LXVI.

CXII. Cæterum & illud liberalius paulo asseritur, Johannem, septem Epistolarum scriptione defunctum, non abrumpere dictionis suæ filum. Contrarium ex Capitis quarti initio liquet. Nam postquam singulis Ecclesiis, ea quæ tum erant, & ipsas speciatim tangebant, exposuisset; nova oratione narrat se in cœlum evectum ea vidisse quæ posthac futura erant: eaque non cum speciali appropriatione ad hanc illamve Ecclesiam, sed generali sermone edisseruntur. Atque hac quidem in parte ipse magnus Interpres nobis suffragatur. *Occurrit*, inquit, *ab initio transitio, qua Johannes præparatur ad visionem, dum, janua in cœlo aperta, jubetur ascendere ut ipsi ostendantur, QUÆ FUTURA SUNT. Viderat Christum in terris ambulantem inter candelabra, & audiverat vocem ejus admonentis Ecclesias. Videndus erat etiam in regno &c.* Adeo ut secundo hoc argumento pleraque a Viris Doctis gratis sumantur: & quamvis darentur omnia, non tamen iis id quod volunt queant conficere.

CXII. *Absolutis Epistolis novum orationis filum Johannes orditur.*

CXIII. *Tertium argumentum* ejusdem valoris est. Nemo enim dubitat, quin Asiaticarum Ecclesiarum exemplis moneri omnes debeant.

CXIII. *Particularis Epistola generali gnoma con-*

eludi potest. §. xxiv.

beant. Quod ἑξαγώνιον, & utrimque concessum esse, statum controversiæ formantes monstravimus. Non eo minus Pauli Epistola Galatis speciatim inscripta est, quod ad illius finem generalis hæc gnoma exstat: *Quicunque secundum hanc regulam incedent; pax super eos, & super Israëlem Dei.*

CXIV. *Quæ Catholicæ Ecclesiæ conveniunt, particularibus, pro sua parte, merito attribuuntur.* §. xxv.

CXIV. *Argumento Quarto* conglomerantur plurima, quibus tamen neque singulis neque junctis ulla inest demonstratio. Angustiora esse hæc emblemata quam ut septem Asiæ Ecclesiis designandis adhibeantur, dicitur, non probatur. Quum enim universalis Ecclesiæ, & quidem conspicua admodum, pars fuerint, cur non quæ toti Ecclesiæ conveniunt iis etiam pro sua parte attribuantur? Etiamsi non soli, neque præ cæteris, at certe cum reliquis, *stellæ in manu Christi* fuerunt Ecclesiarum harum Angeli: quos, licet non solos, provida tamen cura sua tutatus est Dominus.

CXV. *An septem lampades Candelabri Mosaici designaverint septem periodos Ecclesiæ N. T. incertum est.*

CXV. Ad candelabrum aureum Tabernaculi Mosaici in visione Johannis alludi, non equidem iverim inficias: imo ne id quidem, fuisse id candelabrum universalis Ecclesiæ emblema: septem illius lampadas septem Ecclesiæ Novi Testamenti periodos designasse, non tam certum esse existimo. Quid ni, uti numerus septenarius consummationis in scriptura symbolum est, significetur hic abundans illud, perfectum ac sufficiens lumen, quod per influxum Spiritus, uti cœlestis olei, ἀφθόνως Ecclesiæ conceditur? Quælibet etiam particularis Ecclesia candelabrum dici potest. Non enim, quod probe hic notandum, unum candelabrum videbat Johannes, septem præditum lampadibus; sed septem integra candelabra, quorum singula probabile est plures una lampade habuisse.

CXVI. *Nec indecorum est Regi Christo, ubi res ita fert, a parte aliqua Regni sui denominari.*

CXVI. Nec eo minuitur D. Jesu gloria quod septem Asiæ Ecclesias in insigni suo ostendat, inque earum medio ambulare dicatur, quum omnium Dominus sit. Nam qui omnium Dominus est, eo ipso & harum. Omnium se Dominum esse alibi demonstrat, femori suo inscriptum gerens nomen hoc, *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Quia nunc has speciatim Ecclesias officii sui monere in animum induxerat, ideo se hic ab iis denominari voluit. Quod Majestatem Christi non minus condecet, quam quod alibi a singularibus personis denominetur.

CXVII. *Cur septem Spiritus memorentur?*

CXVII. Neque alienum est, a septem illis Ecclesiis Spiritum Sanctum *Septemplicem* dici: quia scilicet septem illas Ecclesias ita donis suis exornaverat, tamque sollicite providentia sua gubernabat, quasi singulæ Spiritum sibi peculiarem haberent; adeo unus ille omnibus sufficiebat,

bat, non minus quam si septem fuissent. At, inquiunt, quid si Philippi aut Colossus annumeratæ fuissent, an tum octo vel novem dicti fuissent Spiritus? Respondeo, nostrum non esse Deo loquendi formulas dictare. Ego si *octo* vel *novem* Spiritus legerem, non minus reverenter phrasin istam susciperem quam eam quæ nunc de *septem* Spiritibus invenitur. Sed quorsum tantum male feriatæ curiositati permittimus, ut quærere audeamus de re quæ neque est, neque futura est unquam? Ad septem Ecclesias scribere Deo visum fuit, eaque occasione septem Spiritus memorare: quid nos de octava vel nona Ecclesia addenda, & de numero Spirituum augendo, vel non, otiose argutamur? Vereor sane ne ista quærendi disputandique temeritas Cœlesti Magistro oppido displiceat. Urgent tamen, *septem istos Spiritus emissos* dici *in universam terram*, id est, omnibus temporibus ac seculis. Quippini? inquam ego: *omnia* enim *agit unus ille, & idem Spiritus, distribuens privatim sicuti vult.* I Cor. XII. II.

CXVIII. *Quintum Argumentum* ampullata, sed male cohærens rhetoricatio est. Quid enim? si numerus septenarius frequenter Sacer ac Symbolicus est, ergo semper, ergo hic quoque? An mysticum fuit quod *septem dierum itinere* Jacobum prosecutus est Laban? Gen. XXXI. 23. aut quod Jetro *septem filias* habuit? Exod. II. 16. aut quod *Israëlita Madianitis servierunt septem annis*? Jud. VI. I. aut quod *totidem annis Israëli præfuit Jephta*? Jud. XII. 9. aut quod *septem dies dati sunt nuptiis Simsonis*? Jud. XIV. 12. aut quod *totidem dies* sibi ad deliberandum peterent Jabesitæ? I Sam. XI. 3. Quis non videt in hisce & similibus, numerum septenarium simpliciter intelligendum esse; sine connotatione symboli, & mysterii? Quid ni & hic? ubi septem Ecclesiæ topicæ, suis singulæ nominibus, ordine, & juxta eum quem habent situm, enarrantur.

CXVIII. *Numerus septenarius non semper Symbolicus est.* §. XXVI.

CXIX. Verum, esto: Septenario numero nescio quid mysterii subsit: ergone ubicunque numerus ille mysticus est septem Ecclesiæ Novi Testamenti periodos designat? Quas quidem septem periodos nostri Docti ita semper præ oculis habere videntur, uti Pontificii sua *septem Sacramenta*: qui adumbrata ea clamitant, *septem* (ita loquuntur) *Veteris Testamenti sigillis*, Apoc. V. *Septem tubis quibus Angeli cecinerunt*, Apoc. VIII. *Septem stellis quas habebat similis filio hominis in dextra sua*, Apoc. I. *Septem panibus quibus Dominus pavit turbas.* Matt. XV. *Septem oculis super lapidem.* Zach. III. *Septem lucernis super tabernaculum positis*, Zach. IV. *Septem lavationibus Naaman.* 2. Reg. V. Et quid ni addunt *septem spicas*, & *septem vaccas Pharaonis*, aut *septem mundi*

CXIX. *Neque ubi Symbolicus est semper Ecclesiæ Periodos notat.* In Synod. Petrocoviensi, apud Matt. Hoe. ad Ap. II. I.

mundi miracula, aut *septem Græciæ sapientes*, aut *septem montes magnæ meretricis*? Id enim paulo minus stolidum esset, quam quod nescio quæ larva hominis, *Georgius Schererus* Jesuita, eundem Sacramentorum numerum ex eo probat, *quia milites plerumque solent blasphemare, per septem, per septem mille sacramenta, non per duo, nec per bis mille &c.* Cæterum jocari nunc quidem non lubet.

Ibid.

CXX. Quæ, quum alternantium conditionum vicissitudines sint, non videntur præfigurari per columnas ædis Sapientiæ.

CXX. Sed serio velim dicant mihi Viri Doctissimi, quid septem periodi Ecclesiæ N. T. commune habeant cum *septem columnis*, quibus superstructa domus Sapientiæ est? Periodi istæ, nisi fallor, accidentia Ecclesiæ sunt, & alternantium conditionum vicissitudines, ac mutationes statuum, in quibus visenda est Ecclesia. Num credibile est accidentia ista, variasque conditiones, columnas dici quibus ædificium Ecclesiæ innititur? An vero existimandum *Ecclesiam* ipsam *columnam* vocari, ut, I. Tim. III. 15. quæ non uniformis est, sed septem modis præcipuis atque eximiis in mundo manifestata? At quanto concinnius est Ædem a columnis suis distinguere, uti passim fit? I Reg. VII. 2. 6. Et quid probabilius est, quam allusisse Salomonem ad templi structuram, cujus singulæ porticus, observante Vilalpando, septenis columnis hinc & inde fulciebantur? Tum etiam, an Sapientiæ domus solius Novi Testamenti bonum est? Nonne in eodem ludo, eodem Magistro, ad eandem cœlestem sapientiam edocti Veteris Testamenti fideles sunt? Nonne invitatio hæc Salomonis ad suos quoque directa fuit coætaneos? Cur ergo quod universæ domui Dei commune est, ad septem N. T. periodos restrictum imus?

CXXI. Septem oculi intuentes lapidem, de Deo intelligi possunt: & si Ecclesiæ sint, non necessario notant septem ejus periodos.

CXXI. *Septem oculos intuentes lapidem a Deo positum coram Josua*, Zach. III. 9. dicunt quidem Viri Doctissimi esse oculos Ecclesiæ in septem distinctis angustiis ad Christum respicientis. Scribitque Celeberrimus Interpres: *Cave putes hoc colon esse parallelon vers.* 10. *cap.* IV. *ubi dicitur*, Oculi Domini perlustrant totam terram. *Nam nostra hæc pericopa non agitur de oculis Domini observantibus, custodientibus; beneplacitum habentibus in hoc lapide: sed de oculis eorum quibus proponendus erat hic lapis, &c.* Verum ea dicuntur tantum, non probantur. Quid enim impedit hæc de oculis Domini explicare? præsertim quum eo nos ducat ipse Sacer Spiritus Zach. IV. 10. Quæ diversitatis ratio est? Nonne Jehova posuit hunc lapidem coram Josua? Nonne lapidem a se positum cum cura tuetur, cum voluptate intuetur? Nonne verba hanc voluptatem & acquiescentiam Patris in Filio exprimere idonea sunt? Annon & alibi *oculi Dei* id significant? an non *septem oculi* diserte Deo adscribuntur? Qua ergo auctoritate nunc vetamur de Deo intelli-

telligere, quod cordatissimi quique Interpretum de Deo intellexerunt? Sed largiamur, oculos hos Ecclesiæ esse: neque repugnemus, Ecclesiam septem distingui periodis; an cuique periodo peculiaris sibi oculus est? Nonne eodem unius fidei oculo, fidei, inquam, non variantis pro periodorum variatione, tota Ecclesia Christum respicit? Quanto ergo satius esset de totius Ecclesiæ omni fidei intensione Christum adspectantis operositate hæc interpretari? numero septenario pro plenitudinis & perfectionis symbolo veniente. De quo mox plura.

CXXII. Usque adeone etiam certum est, *septem gradus ad portas templi* significasse septem periodos afflictionum quæ superandæ sint, antequam templum Domini gloriosum conspiciatur, ut illud pro argumento demonstrationis suæ usurpare debeant viri eruditi? Quid si alicui non lubeat ad nudum ipsorum dictamen id credere? Quid si assertionis istius probationem exigat? quam quæso dabunt? Rogant quidem, quid aliud præfigurasse potuerint? Quid si respondeam, nescire me quid præfiguraverit iste numerus: imo ne hoc quidem scire, an aliquid præfiguraverit. An necesse est, ut statuamus quicquid in templo fuit, σημαντικὸν fuisse, etiam ad minimas minutias, quas artis Architectonicæ ἀκρίβεια exigebat, & quæ ad ædificii ornatum adhibebantur? Poteruntne nobis dicere Viri Doctissimi, quid sibi quinarius aulæorum in tabernaculo Mosaico numerus voluerit, aut quinquagenarius loramentorum hyacinthinorum, & ansularum aurearum quibus conjuncta fuerunt aulæa ista? aut si dicant aliquid, poteruntne id probare? Uti in parabolis nonnulla ad sermonis decus insparguntur, ut narratio historiæ propior videri possit, in quibus singulis mysteria rimari supervacaneæ nec profuturæ diligentiæ foret: ita & de tabernaculi templique figura existimandum esse videtur. De gradibus templorum *Lipsius* annotavit, eos ad Majestatem pertinere, ideoque in Romanorum sacris ædibus usurpari solitos; eo quidem modo ut post singulos SEPTEM aut novem graduum ordines areolæ interponerentur, ubi fessi pedem figerent & respirarent. Nonne sufficit generatim dicere, gradibus illis significari, quod fideles in altum tollantur variis Divinis donis ad Deum propius inspiciendum? Tum quid sibi vult OCTONARIUS graduum numerus ad atrium interius? Ezech. XL. 31. Mirum est quantopere hic sudet Doctissimus Interpres. Primo monet, habere *singulos fideles imprimis octo in quibus se exerceant, ut non infrugiferi videantur.* 2 Pet. I. 5. 6. 7. *Quod Petrus vocat* ἐπιχορηγίαν, *id pulcre cum emblemate graduum convenit. Nam, ut ex fide secundum, ex secundo tertium procedit, ita gradus gradui insistit & inhæret, & a primo in secundum*

CXXII. *Quid anigmatice significaverint septem gradus templi, & an aliquid significaverint, modestius ignoratur quam determinatur.*

De Mag. Rom. Lib. II. c. V.

ascensus promtus est. Hæc quum ita disseruisset, quia commodum accidit, ut Petrus octo virtutes enumeret, mox, quasi ipsi sibi non satisfaciens, subjungit: *Censeo interim inquirendum, annon octo gradus etiam significent partes temporis, quoad universalem Ecclesiam. Ita cogitare licet, an unus gradus ad septem priores debeat adjungi, qui septem videantur obtineri ab ingressis atrium exterius, an vero de novo septem particulæ temporis rerum insignium varietate distinctæ hic debeant intelligi.* Cæterum, inquam ego, si gradus *temporum periodos* notant, eæque periodi non nisi VII numero sunt; quorsum hic *octavus* iste gradus? qui sive suo hic loco constitutus esse credatur, sive prioribus septem annumeretur, vel hic vel ibi septenarium illum sacrumque numerum vitiat. Si etiam gradus isti *octo virtutes* notant; quomodo iidem *septem temporis particulas* notare possint, equidem non intelligo. Si quod numero mysterium subsit, malo illius profiteri ignorantiam, quam audacter hariolando, multaque sibi non convenientia dictando, modestiæ existimationem periculo exponere. Exstat in *Maimonidis Doctore Perplexorum* egregium Caput, ubi disputat, Præcepta quidem Mosaica omnia caussam & finem habere; sed eam in singularibus semper exponi non posse. *Ita*, inquit, *si quis dicat, quare in Oblatione debeant septem agni esse, & non octo? Idem quæri posset, si fuissent octo, vel decem, vel viginti. Tu itaque hoc retine, & animo tuo imprime, quod, quum sapientes nostri passim dicunt, omnia præcepta suas habere caussas, Salomonem itidem omnium præceptorum caussas scivisse; intelligendum id sit de usu sive fine præceptorum* GENERALITER, *non vero de* SINGULIS EORUM PARTIBUS ET CIRCUMSTANTIIS.

Lib. III. Cap. XXVI.

CXXIII. *Septenarius numerus aliquando pro incerto, magno tamen & pleno ponitur.*

CXXIII. Sed quid est quod tantopere nobis irascantur viri æquissimi, quia septenarium numerum quandoque pro *incerto, magno* tamen & *pleno*, poni existimamus? Non supercilium id est, sed modestia. An certus aliquis numerus designatur, quum *septuplum se castigando additurum* minatur Dominus? Lev. XXVI. 18. aut, *justus septies cadere.* Prov. XXIV. 16. aut *septem abominationes impii animo inesse.* Prov. XXVI. 25. aut *vicinis septempliciter esse rependendum.* Ps. LXXIX. 12. aut *lucem solis septuplo majorem fore.* Jes. XXX. 26. aut *septem mulieres unum virum apprehensuras;* Jes. IV. 1. dicitur? Imprudens addideram. Psal. XII. 2. ubi verbum Dei comparatur *argento conflato in fornace ferrea, fuso septies.* Sed in eo quoque loco quum septem periodos suas invenire Viros Doctos videam, deleo eum & induco. Satis exemplorum in anterioribus est. Si quis plura desideret, plurima dabo: sunt enim *ὥσπερ κόνις.*

CXXIV.

CXXIV. Cæterum si largiamur Fratribus, septem columnas, septem oculos, septem gradus templi, præsignificasse septem periodos; quid inde ad præsentem controversiam lucri facient? An ex isto antecedente hoc consequens rite deducitur: Ergo septem Apocalypticæ Epistolæ Propheticæ sunt, & septem istas periodos ordine exponunt? Quis consequentis cum antecedente nexus? quæ sequelæ ratio? Quis non miretur in tam elumba argumentatione tantam confidentiam?

CXXIV. *Denique non quæritur quid alibi numerus septenarius significet, sed quid hic.*

CXXV. *Sextum argumentum*, ab urbium nominibus desumtum, Judaicam Cabbalam redolet, cui nihil inest solidi. Non quod inficiemur, Spiritum Sanctum quandoque per nomina propria docere: sed quod id in iis duntaxat nominibus obtinere arbitremur, quæ Spiritus Sancti jussu rebus primum indita, vel deinceps mutata sunt, aut saltem quorum symbolicam doctrinam ipse Spiritus Sanctus in Scripturis indicavit. Neque enim aliam nunc Spiritus doctrinam agnoscimus præter eam quæ sacris declarata est Scripturarum monumentis. Et talia revera omnia ea exempla sunt quæ a Viris Doctis proferuntur. Ut autem nostro ipsi ingenio Gentilium urbium etymologias ruspemur, easque ad Ecclesiæ Christianæ conditionem translatione quadam, sine ullius testimonii Divini auctoritate, referentes, cerebri nostri cogitata pro doctrina Sancti Spiritus venditemus, id equidem temerarium & audax facinus esse videtur. Constat utique, eos qui primum hæc nomina Asiæ urbibus imposuere, nihil minus in animo habuisse, quam ut nominibus istis Ecclesiæ Christianæ periodi symbolice designarentur. Non constat, Deum præter intentionem primorum nomenclatorum vocabulis istis ad mysticos significatus usum esse. At si constare afferant, unum modo cedant Dei testimonium cui cedere nos debeamus.

CXXV. *Quando & quo modo Spiritus Sanctus per nomina propria doceat.*

CXXVI. Pleraque etiam quæ de nominum horum etymologiis sibi sumunt Viri eruditi, incerta aut vana sunt. *Ephesum* quasi ἄφεσιν dici, ob *caritatis remissionem*, paullo plus quam ridiculum est; nollemque id excidisse gravi cæteroquin Theologo. *Smyrna* non a *myrrha* denominata est, sed, ut veteres tradunt, a *Smyrna Amazone* quæ Ephesum occupavit: vel ut alii volunt, a *Smyrna uxore Thesei Thessali*, in cujus memoriam ab eo condita esse dicitur. *Pergami* non una traditur originatio. Nonnulli sic dictam volunt, quod in rupe sita esset; *loca* enim *editiora Pergama* vocari: alii, quod honestæ nuptiæ penitus ferme ibi sublatæ essent, ὑπὸ τȣ̃ περᾶν τȣ̀ς γάμȣς; nonnulli quod *Pergamena* ibi confici primum cœperint. At probabilius est, *Pergamena* a *Pergamo* dici, quam contra. *Thyatiram* Plinius & Strabo

CXXVI. *Quæ de Etymologiis Urbium Asiæ dicuntur incerta sunt.*

Θυγά-

θυγάτειραν, a Seleuco Nicanoris Filio nuncupatam esse tradunt, ob *lætum nuntium natæ sibi filiæ.* Alii narrant Mysis de condenda urbe quærentibus respondisse oraculum, ibi condendam esse, *ubi cervus ictus & currens appareret;* ideoque Thyatiram dictam διὰ τὸ θύειν καὶ ταχάζειν τὸν ἔλαφον. Quod ad *Sardium* nomen Hebraica vocabula aut שָׂרַד, aut שָׂרִיד, quæ *Principem*, *Amussim*, *Superstitem* significant, referantur, si cui id ingeniosi hominis elegantem lusum vocare lubeat, per me licebit; modo lusum fateatur, nescio quam decorum in rebus Divinis. *Philadelphia*, de qua hic sermo, a Rege *Attalo Philadelpho* suo conditore, nomen sortita. *Laodicea*, uti diximus, ab *Antiochi uxore Laodice* appellata est. Quid originationes hæ commune habent cum mysteriis quæ inde, sine ulla auctoritate sacra, exsculpuntur?

CXXVII. *Grotii super iis cogitata.*

CXXVII. Si quem non tædet otio suo & ingenio abuti, alia ex nominibus illis cabbalistice conficere posset, non minus jucunda. Mihi profecto ingeniosiora esse videntur *Hugonis Grotii* cogitata, qui hoc modo instituit. Hæc nomina omnia Christianos sui officii pulcre admonent. Ἔφεσος monet accendi eos debere *desiderio* rerum æternarum: ἔφεσις enim est *desiderium.* Σμύρνα, ut sint *incorrupti*, qualis est *myrrha. Pergamum*, ut sublimia cogitent. *Sublima* enim omnia dicta Asiaticis *Pergama*, notat *Hesychius*. & *Suidas*, & *Servius ad II. Æneidos.* Thyatira, θύειν ἀτειρέα, id est, in honorem Dei *interficere indomitos affectus.* Σάρδεις, bene impressa animo tenere Christi præcepta, sicut inter gemmas omnes signa optime imprimit *Sarda.* Φιλαδέλφεια ad *amorem fraternum*: Λαοδίκεια, *ad justitiam erga populos omnes demonstrandam.* Hactenus *Grotius.* Cæterum hæc, & id genus alia, utut delectent, nihil tamen probant.

CXXVIII. *Non absimilis Lutheranorum, & Gulielmi Alabastri, ex nominibus propriis, Prophetiarum commentatio.*

CXXVIII. Non abs re erit cum hac Doctissimorum virorum commentatione eam conferre quam apud *Johannem Gerardi, locis de Ecclesia* §. 291. legisse memini, in hæc verba. JER. LI. 48. *Ab Aquilone venient illi* (Babyloni) *vastatores, dicit Dominus.* Illud completum est, quando per LUTHERUM ex locis AQUILONARIBUS oppugnata est Tyrannis Spiritualis BABYLONIS, ut regnum Antichristi in Apocalypsi vocatur. vers. 27. & 33. ARARAT MENNI & ASCENEZ *triturabunt Babylonem.* Jam vero *Menni* & *Ascenez* fuerunt METALLARII, ut ex Historiis, & lingua Hebræa constat: denotatur igitur LUTHERUS METALLARII Islebiensis filius, in Comitatu MANSFELDENSI natus, qui a MENNIS nomen habere dicitur. Is malleo verbi Spiritualem Babylonem

onem TRITURAVIT, qua phrasi ipsemet utitur *Tom.* II. *Jenens. Germ.* fol. 62. Hactenus ille. Adde non absimilem alteram *Gulielmi Alabastri* Angli, in *Spiraculo Tubarum*, Londini edito A. 1633. Is in præfatione p. 14. exponit Ps. XLVI. Nos specimen duntaxat primi commatis exhibebimus. לבני קרח *Filiis Core* על עלמות *super arcanis canticum.* Significat למנצח *vincenti*, id est, ei qui poterit perspicacia ingenii sui superare difficultatem intelligendi Psalmum hunc.... habet enim sensum occultum, qui studio & prudentia sub potestatem intellectus reducendus sit. Dictio CORE, est nomen proprium, significans CALVUM, vel CALVINUM; & *Filii Core*, sunt *Calvinistæ*, qui illo nomine distinguuntur a cæteris Protestantibus. על עלמות *super arcana*, vel *virgines*. Dictio *Mulieris* נקבה, significat etiam expositionem literalem notam homini. *Virgo*, expositionem arcanam, & ignotam. Est ergo titulus & lemma totius Psalmi hujus, de expositionibus scripturæ secundum literam, & tamen arcanis. Et quæ sequuntur; piget enim cætera prosequi. Quis non exclamet, quanti est sapere! Euge! belle! Σοφῶς! nihil supra!

Ὢ πόσση κραδίη, πόσση μερόπεσσι πέλει φρήν!

CXXIX. Verum enimvero non in nudo nominum cortice Viri eruditi hærent; alias etiam urbium qualitates observant, in quibus notabilis similitudo reperitur cum istius periodi Ecclesia, quæ urbi isti respice respondet. Ita *Ephesus*, olim pessime flagitiosa, optime conversos Gentiles figurat. *Pergamum* in edita rupe locatum, Ecclesiam esse est in urbe dominante, quæque se a Trojana, & sic Pergamensi, origine jactat. Sed *Crœsi regia Sardis*, Ecclesiam in Imperio Christiano caput exsertantem. *Philadelphia* periculoso loco sita, & sparsim habitata, Ecclesias Reformatas, multis periculis obnoxias, & dispersas a invicem. *Laodicea* opulenta & fastuosa, Ecclesiam cujus prælati divites ac superbi sunt.

CXXIX. *Quæ præterea harum urbium qualitates observantur.*

CXXX. Multa tamen observationibus hisce opponi possunt. I. Vix ullas celebriores urbes potuisse nominari, in quibus non eosdem, vel similes certe, aut fortasse etiam majores parallelismos deprehendere liceat. II. Non omnem qualemcunque similitudinem sufficere, ut aliquid in alterius rei typum a Deo ordinatum esse existimare jus fasque sit. Liceat hic nobis Viris eruditis sua verba reddere. *Similitudines ab hominibus excogitata non probant: ubi scriptura mores format, aut gesta narrat* (quod utique his epistolis facit) *ad Allegorias convolare*, non

CXXX. *Eas Hieroglyphicas esse probari non potest.*

Præf. ad Rom. §. 32.

non est solidum. Quando mysterium didicimus ex verbis mysterium testantibus, id satis esse debet. Eo demonstrato, ex historiis, propter aliquam similitudinem, figuras & allegorias facere, parum juvat vel fidem vel intelligentiam. Suspectos se faciunt, qui illis dediti sunt, quasi solidis demonstrationibus destituantur. Prudenter profecto & pie! Utinam intra hos terminos religiose mansum fuisset! III. Omnes illas similitudines Spiritui in Scripturis tacitas esse, neque aliunde quam ex historiis secularibus disci posse, consequenter non nisi humana fide niti. Voluisse autem Spiritum Dei mysteria docere per eas res quæ in Scripturis non traduntur, & ad quarum cognitionem consequendam fidelibus necesse est historias exoticas, easque fluxæ aliquando fidei, evolvere, nescio qui probari queat. Iterum hic D. Cocceji monitum audiamus quod

Ad Ps. XLII. §. 2. simili occasione suggerit. *Scio, eis, qui allegoriis delectantur, bic materiam ludendi paratam esse. Sed, me suadente, metaphoris & similitudinibus scripturæ enucleandis quivis erit contentus, & novis fingendis, dum explicat Scripturas, abstinebit.* Adde aliud ejusdem, apprime hic notatu di-

Ad Jes. vi. §. 15. gnum. *Regula* ἑρμηνευτικὴ *bieroglyphicorum & emblematum sive ænigmatum certissima est; signa & emblemata scripturæ significant per omnem analogiam, quam habent cum rebus sacris, quas scriptura & historia secundum scripturam exhibet.* IDEOQUE IN APPLICATIONE HORUM EMBLEMATUM COGITANDUM NON EST DE ALIIS REBUS QUAM DE QUIBUS AGIT SCRIPTURA: *& eæ res sub iis debent intelligi, quæ omnibus sui partibus habent analogiam cúm partibus omnibus emblematis; analogia autem ista quum in rebus ipsis perspicua est, tum etiam metaphoris & parabolis scripturarum noscitur.* IV. Supponitur singulis urbibus respondere certas Ecclesiæ periodos, eoque supposito quæruntur similitudines quædam: id autem non supponendum erat, quum sit τὸ ἀμφισβητούμενον.

CXXXI. *Plures parallelismi fingi possunt, non minus fortasse ingeniosi, at parum solidi.*

CXXXI. Si quis ingenio suo indulgere velit, cuivis in promtu erit plures ejus generis similitudines pro lubitu excogitare; quas tamen a Deo in typum datas esse, ne ipsa quidem asseruerit impudentia. Sic, quia *Ephesum* Amazonum opus fuisse creditum est, dicat aliquis, Ecclesiam notari magnâ generositate ac fortitudine præditam, & in qua fœminæ aliquot eminuerunt, virtutibus istis supra viros conspicuæ, de quibus testatur Evangelium. Quia Smyrnæ pars in monte sita est, pars altera in campo, item quia Homerum Poëtam sibi vendicat, dicatur, Ecclesiam figurari quæ excelsa quidem est virtutibus spiritualibus, quibus caput super æthera tollit; humilis autem & inops quoad conditionem seculi, in quo tamen cœlestis poësios suavissimi hymni frequentes audiantur, ex eorum ore qui mundo tanquam

cæci

cœci despicatui sunt, Deo tamen Angelisque suaves in canticis Israëlis. Quia *Pergamum* in rupe erat situm, & ab Attalo Rege Romanis testamento donatum, ibique membranæ repertæ quibus in scribendo olim utebantur, tandemque Galenus ibi natus, Medicorum post Coum senem celebratissimus: dicatur, Ecclesiam repræsentari, quæ se civitatem vocat in monte sitam, cujus Princeps Antistes Romanus sit, qui Provincias integras ex donatione Imperatorum possideat: quæ multitudine atque antiquitate pergamenorum suorum, editorumque librorum sese jactet: quæ denique licet spiritualiter ægra destituta non fuerit peritis Medicis, modo manum eorum adhibere voluisset. Quia *Laodicea*, *Strabone* teste, agrum habuit πολύοινον, dicatur, Ecclesiam figurari primo quidem securi torporis ebrietate obrutam, deinde vero dulcissimo spiritus mystici liquore ubertim irrigandam: & quia (ut est apud *Stephanum Byzantium*) olim *Ramitho* dicta fuit, voce, ut videtur, deflexa a Syriaco רמתא *Ramatha*, quod *excelsum* notat, aut quod pastor quidam fulmine tactus in illius agris exclamasset *Ramanthas* רם אנת, *excelsus tu es*: præludium id dicamus Ecclesiæ ad felicitatis spiritualis culmen in terris evehendæ, cujus pastores stupore correpti, ac cœlesti luce circumfusi, ad Deum exclamaturi sint, *Vere tu es Altissimus*. Atque hanc semel viam ingressis, quis tandem erit argutiarum finis? Quibus quidem ego non sine quodam trepidantis animi horrore mentem calamumque hactenus commodavi.

CXXXII. *Septimo argumento* Viri Doctissimi ea quæ labentibus seculis in Ecclesia gesta sunt cum Epistolis hisce contendunt, ex utrorumque convenientia inferentes, ea quæ acciderunt verbis istis ut Propheticis jam ante figurata esse: quum omnino fieri nequeat, ut præter Spiritus Sancti intentionem tam exacta rerum cum verbis convenientia deprehendatur. Sed quod eorum pace dicere liceat, nihil ab iis profertur quod exactum, temporumque rationi conveniens sit: suas ipsi periodos pro lubitu confundunt, quod ad primam pertinet in secundam transcribunt & contra; verba contra omnem antiquitatis usum in alienos sensus torquent; novas vocum significationes cudunt; quæ integra seculorum decade distinguuntur non in unam modo periodum, sed in unam periodi pericopam compingunt; patientiam Dei erga Jezabelem, qua tempus ei ad resipiscendum dedit, septennio, vel octennio ejusdem Jezabelis sepultura seriorem faciunt; pluraque accumulant absurda, quæ mox prolixius ostendemus. Tantum abest ut ea quæ ex historiis, non magno sæpe judicio, corraserunt examussim ad Epistolarum verba quadrent. Et quorsum in seculorum lapsu longa

CXXXII. Frustra eorum quæ in Ecclesia gesta sunt, cum verbis Epistolarum convenientia obtenditur.

ambage quærimus, quæ eodem fere omnia tempore in iis quæ compellantur Ecclesiis recto rigore & linea facile inveniuntur?

CXXXIII. *Non omnes Prophetiæ ex Historiis demonstrari possunt.* Vid. §. XLVI. XLVII.

CXXXIII. *Octavum argumentum* bimembre est: primo enim pugnat quædam his epistolis contineri quæ non possint ex historia demonstrari in Ecclesiis Asiæ accidisse, dein paullo animosius asserit, quædam dici quæ demonstrari possunt non accidisse. Respondeo *ad prius*. Plures esse Prophetias quas in Ecclesia impletas esse non nisi ex ipsis Prophetiis ostendi potest, propter historiæ illorum temporum defectum. Ex multis exempli gratia paucula adducam. Joël cap. I. & II. ingentem desolationem narrat per *erucas*, *locustas*, *bruchos & melolonthas*. Grotius, quum non inveniret vastationis istius historiam in Israëlitide, vel Judæa, ænigmatice explicuit de *Pule*, *Teglatpalassare*, *Salmanassare*, *Senacheribo*: alii eadem ratione moti, intelligunt *Chaldæos*, *Persas*, *Græcos*, *Romanos*. Displicet id celeberrimo *Coccejo*, qui simplicitatem literæ sequendam putat; & merito. Neque tamen ipse, neque quisquam alius, docere potest ex historia, quando hæc in Judæa acciderint, nec omnino an acciderint. Confert quidem ea cum siccitate de qua Jer. XIV. 1—6. Sed præterquam quod ipse prorsus incertum esse fateatur quo tempore Joël vixerit, siccitatem quidem Jeremias describit, vastantium autem insectorum nullus meminit. Adde siccitatem illam de qua Jeremias tantam non fuisse, ut, quod de hac plaga prædicatur, Joël. I. 2. nulla ei gemina aut suppar antea temporibus majorum exstiterit. Non enim credibile est, tam diuturnam eam tamque arentem fuisse, uti Eliæ ævo. Denique nec hujus, quod sciam, siccitatis historia aliunde quam ex Jeremia peti potest. Bene Cornelius a Lapide: *Multa comminantur Prophetæ, quæ omnia revera accidisse credimus, etiamsi illa alibi non narrentur.* (In Joel. I. 4.) Pariliter Amosi IV. 7. decem tribubus inclamat Dominus, *Atque etiam ego denegavi imbrem quum trimestre esset ad messem, & plui super civitatem unam, & super civitatem alteram non pluebam.* Quænam vero historia ejus meminit? Nam ad Eliæ ἀομβρίαν illam magnam hæc referri non posse, ipse Celeberrimus Interpres monet. Ubi etiam invenitur historia *famis* quam prædicit Jesaias? Cap. IX. 19. Ubi Historia *pestilentiarum*, *& terræ motuum* in Judæa, quæ Hierosolymæ excidionem antecessura esse vaticinatur Dominus? Matt. XXIV. 7. Nonne audax & temerarius esset, qui postularet se propter historiarum vel silentium vel ignorantiam omnia hæc symbolice explicare? Modeste sane magnus Interpres alibi scripsit: (In Dan. V. §. 2.) *Cogimur ex illis, quæ sunt ævi prioris, multa ignorare: quæ si æquo animo ignoremus, & propterea cum nemine digladiemur, erimus fortasse non insipientiores: adeo multa bona superant*

perant discenda quæ scire possumus &c. Applicetur id præsenti instituto: atque adde, paucissima ea esse, quorum non aliqua saltem in historiis mentio est, vixque ad ἄδηλα referri posse quæ hoc argumento enumerantur, uti supra ostendimus. *Ad posterius* ajo, fidenter quidem id asseri, sed contrarium a nobis luculente demonstratum esse in antecedentibus, ubi objectas omnes expedivimus difficultates. Neque necesse est nunc verbum addere. §. LXIX. & seqq.

CXXXIV. Qui *argumento nono* in caussæ hujus subsidium allegantur Interpretes, vel *Veteres* sunt, vel *Noviores*. Neutri id dicunt quod Viri isti eruditi volunt quibuscum hæc nobis instituta disputatio est: nimirum proprie, literaliter, atque ex intentione Spiritus Sancti, verbis harum epistolarum delineari, non quod Johannis tempore in Asiæ Ecclesiis agebatur, sed quod in universali Ecclesia septem temporum periodis ordine succedentibus futurum erat. Id non liquet antiquorum ulli vel in mentem venisse. Sed *Augustinus*, *Beda*, *Aretas* aliique omnes, quando dixerunt, per has septem Ecclesias omni Ecclesiæ scribi, quia universitas septenario numero designari soleat: nihil aliud voluerunt, ut judiciose observatum est a *Ribera*, & *Gomaro*, quam ea quæ his septem Ecclesiis dicuntur omnibus posse accommodari: & quamvis Epistolæ solis Asianis sint inscriptæ, communicationis tamen, & utilitatis, ex earum monitis & exemplis percipiendæ, ratione, ad omnes scriptas esse. Plane sicut *Tertullianus* Marcioni, qui titulum Epistolæ Pauli ad Ephesios interpolare gestiebat, respondit: *Nihil autem de titulo interest, quum ad omnes Apostolus scripserit dum ad quosdam.* Quo spectat aliud ejusdem. *Nam & specialiter quædam pronunciata generaliter sapiunt. Quum Deus Israëlitas admonet disciplinæ, vel objurgat, utique ad omnes habet. Quum Ægypto vel Æthiopiæ exitium comminatur, in omnem gentem peccatricem præjudicat. Sic omnis gens vocatur Ægyptus & Æthiopia.*
CXXXIV. *Veterum Theologorum de hoc argumento sententia.* Vid. §. XLIX. Lib. V. Cap. VII. De Spectac. Cap. III.

CXXXV. Ejusdem cum Veteribus illis sententiæ *Bullingerus* est, sæpius, & merito, Viris Doctis in explanatione Apocalypsios laudatus. Ita enim ille: *Pertinet hæc salutatio, hic liber, & tota doctrina Jesu Christi, conscripta per Johannem, ad universalem Christi in toto orbe terrarum & per omnia secula existentem Ecclesiam. Unde etiam ad nos omnes pertinet quotquot sumus in Christi Ecclesia. Nam etsi Romanis & Galatis sint inscriptæ Epistolæ, tamen non ideo sequitur, nostras non esse.* Adi eundem in initio Concionis septimæ. Sed quid verbis opus? Universus ejus in Epistolas hasce commentarius non innuit id, sed vociferatur, & clamat. Neque ulterius quid *Belgas Interpretes* voluisse, tam est lucidum quam solis
CXXXV. *Ut & Bullingeri.* Conc. III.

 radii,

radii, quum sudum est, solent. Hæc autem a Doctorum Virorum opinione tantum distant,

Quantum Hypatis Veneto distat ab Eridano.

CXXXVI. *Brichtmanni.* CXXXVI. Ex Novioribus proxime, fateor, ad eos accedunt *Brichtmannus* & *Forbesius*, Viri, quis abnuat? eruditionis & pietatis laude incluti: ita tamen proxime, ut longum adhuc intervallum sit. Nam præterquam quod in applicatione ingens sit sententiarum divortium, non existimarunt Viri isti Clarissimi negandum sibi esse, quod omnia quæ epistolis hisce continentur, literaliter, immediate, & ex proxima Spiritus Sancti intentione, in Ecclesias Asiæ quadrent. *Brichtmannus* se id velle dicit, quod *Aretas* & *Beda*, *omnesque*, ut opinatur, Interpretes, *uno consensu statuunt.* (In Apoc. 1. 4.) Illi vero de ejusmodi expositione prophetica qualem Viri Docti tradunt, ne per somnium quidem cogitaverunt: ut ex eorum commentariis planum est. Addit *Brichtmannus*: *Non tamen ita sunt omnes Ecclesiæ cogitandæ, quasi nihil revera missum esset iis quæ nominatim infra designantur, sed una cum significatione mysterii veritas historiæ retinenda est.*

CXXXVII. *Forbesii.* CXXXVII. Impresse admodum *Forbesius*. (In Cap. 1. §. III.) *Res ista pro temporum, finium, mediorumque patefaciendi diversitate, duorum sunt generum; unde duæ narrationis partes emergunt. Prior est eorum* quæ sunt, *&* quæ posthac sunt futura, *id est, quæ quidem in Historiæ veritate tunc temporis existebant, vere secundum septem earum Ecclesiarum constitutionem, & ad earundem instructionem expressa: ita tamen, ut futura etiam ad omnes omnium ætatum erudiendas inibi patefiant. Eo quod istæ septem (ut videtur) typicam habeant relationem ad universam militantem Ecclesiam, secundum varios ipsius gradus & conditiones, mysterio iniquitatis ad fastigium succrescente, & ipsa rursus ex malo emergente. Hinc inter priorem narrationis partem tribus primis capitibus comprehensam, & secundam, oritur in finibus ac revelationis modis discrimen. Quamvis enim prior sit* quadantenus futurorum, *quibus universa Ecclesia doceatur; id tamen est per* typicam duntaxat relationem rerum illo tempore existentium, *& primo* in usum ecclesiarum particularium. *Quum secunda, reliquo libro continuata, ita sit eorum quæ posthac futura sunt, ut nihil in terris tunc existens ad ea significanda assumatur. Quemadmodum & ejus usus primo ac proprie ad totam spectat Ecclesiam militantem. Ideoque ad eam percipiendam necesse habuit Johannes ascendere in cœlum.* Hactenus *Forbesius*. Quæ a suis cogitatis plurimum distare, ne ipsi quidem hodierni Interpretes diffitebuntur.

CXXXVIII. *Concluditur, argu-* CXXXVIII. Ita examinatis omnibus pro Prophetica Epistolarum Apocalypticarum expositione argumentis, ostendisse nos

arbi-

arbitramur nullam iis vim inesse ad id conficiendum cui rei destinata sunt. Restat nunc ut quibus hæc expositio *incommodis* prematur eodem candore edisseramus. Quæ quidem & multa sunt, & gravissima. *menta ista omnia invalida esse.*

CAP. V.

Incommoda quibus sensus Propheticus premitur.

CXXXIX. Ædificatio quam Ecclesiæ Asiæ hinc percipere debebant Prophetica ea expositione plurimum intervertitur. CXL. Laudationes & increpationes Ecclesiæ Catholicæ, omnium temporum sunt, neque distinctis præcise periodis appropriari debent. CXLI. Caussa dici non potest, cur Apostolica Ecclesia magis reprehendatur, quam sequentes sub Smyrnensi & Philadelphiensi periodo. CXLII. Periodi Ecclesiæ status suos limites habent, uti asseres & cortinæ tabernaculi concinnas juncturas suas. CXLIII. Hos autem Prophetica hæc explicatio mire confundit ac turbat. CXLIV. Quod speciatim ostenditur de Periodo Thyatirensi. CXLV. Bileamitæ & Nicolaitæ non ita nuncupantur quia auctoritate humana premunt populum Dei. CXLVI. Antipas non potest notare assertorem τῆ ὁμολογίας. CXLVII. Nulla in his Epistolis mentio est Regni gloriosi in terra. CXLVIII. Nam frustra huc torqueas ea Domini verba, quibus se ad ostium stare & pulsare indicat: CXXIX. Aut quibus singulis aperientibus mutuam pollicetur cœnam. CL. Et singulis vincentibus sessionem in throno suo.

CXXXIX. *Rimo.* Ædificatio quam Ecclesiæ Asiæ ex Epistolis sibi inscriptis percipere & poterant, & debebant, nova hac explicatione, si non plane tollitur, plurimum certe intervertitur atque imminuitur. Jubentur enim aliorum locorum temporumque Ecclesias in animo habere, ut in illis earum rerum veritatem inveniant quæ ad se scriptæ sunt. Quod laudationum, hortationum, commendationum, tanquam ad alios directarum, efficacitatem valde infringit; & magnam Epistolarum partem emphasi sua privat. Ephesiis scribit Dominus, *Novi opera tua & laborem* &c. Id Viri Docti explicant de Apostolorum orbem terrarum inter se partientium indefessa in Evangelio prædicando diligentia. Laudat *aversionem a malis*, cujus exemplum exstare dicunt in Petro qui Hierosolymis in improbitatem Ananiæ ac Sapphiræ vindicabat, & Samariæ Simonem Magum pudefaciebat

CXXXIX. Ædificatio quam Ecclesia Asiæ hinc percipere debebant Prophetica ea expositione plurimum intervertitur.

Vide §. XXXVIII.

ciebat &c. Culpat *omissionem pristinæ caritatis*: ejus exempla assignant in Galatis, Corinthiis, Hebræis, Dema. Fingamus jam Ephesinæ Ecclesiæ episcopum hoc modo verba Domini interpretatum esse, quasi scripserit: Ego novi quantum laborem Apostoli mei ad Evangelii propagationem lubenti animo subierint, neque ignoro quam fortiter Petrus adversus Ananiam & Simonem Magum, Paulus adversus Bar Jesum dimicaverint. Sed & scire te volo, Galatas, Corinthios, Hebræos, & Demam, virum cæteroquin egregium, primæ charitatis suæ magnum passos esse deliquium &c. Fingamus, inquam, Ephesium in hunc sensum, quem Viri Docti dictant, Epistolam suam exposuisse; nonne patheticum Domini alloquium prorsus fuisset enervaturus? Credibilene cuiquam est, unum hominem pium Ephesi fuisse, qui eam Epistolam legens, de Andreæ in Scythiam, Bartholomæi in Indiam & Armeniam Majorem, Matthæi in Æthiopiam, Thomæ in Persiam &c. laboriosis itineribus, quæ novi commentatores huc referunt, vel de Anania, Bar Jesu, Dema &c. tantillum cogitaverit? Quisquamne dubitet quin Ephesinus Episcopus, & quotquot cum ipso ad verba Dei vivi contremiscebant, lecta hac Epistola, Deo gratias egerint, qui labores suos tam benigne æstimarit, & teporem suum tam paterne increpet? Suam hanc laudem, suum hoc vituperium esse, non potuerunt, non debuerunt non existimare. Et sic de cæteris.

CXL. *Laudationes & increpationes Ecclesiæ Catholicæ, omnium temporum sunt, neque distinctis præcise periodis appropriari debent.*

CXL. *Secundo.* Quæ passim in Epistolis hisce occurrunt laudationes vel increpationes, tales sunt ut ad distinctas universalis Ecclesiæ periodos non nisi violenter admodum referri possint. Nunquam enim tam male cum Ecclesia Catholica comparatum fuit, quin habuerit aliquos omni hac laude dignos: nunquam tam bene, quin habuerit plurimos in quos dici potuerint hæc convitia. An in primitivam Apostolicam Ecclesiam, vel solam, vel præ cæteris, convenit exprobratio omissæ primæ charitatis? An ea minus evidens fuit sub Smyrnensi & præsertim sub Pergamensi periodo, post Constantini Magni tempora, quum mundus intraverat in Ecclesiam, & opimi Episcopatus majori ambitione quærebantur quam olim gloriosa martyria? An vanam esse existimamus *Cypriani* querelam circa annum CCLIII. *Non in Sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina* &c. lege quæ sequuntur. Adde *Eusebium, Histor. Eccl. Lib.* VIII. *Cap.* I. & II. ubi corruptos Ecclesiæ mores graphice describit, & persecutionem Diocletiani, circa annum CCCIII. profanitati isti ut caussæ attribuit. Quantopere autem omnia ruere ac retro sublapsa referri cœperint, ex quo tempore exter-

De Lapsis.

nus

nus splendor per Constantinum Christianismo circumpositus est, quis ignorat? An *Sardensi periodo*, id est, Germanicæ post primam Reformationem Ecclesiæ, proprium est, plurimos habere nomine vivos, reapse mortuos? Ullumne fuit in Ecclesia universali tempus in quod querela ista non quadret? Usque adeone & nostris Patrumve nostrorum temporibus, & nostris blandimur Ecclesiis, quas ad *Philadelphiensem* referimus *Periodum*, ut in tanta mortalium, qui Christum ore profitentur & externo assistunt cultui, multitudine, non agnoscamus plerosque Spiritualis ac veræ Christianæ vitæ expertes esse? Atque interim Bohemos *Sardensi* accensemus periodo; Bohemos, inquam, quorum Ecclesiis post Apostolos nihil simplicius, purius, sanctiusque in terra visum: quorum *ordo Cœlestis potius quam Ecclesiasticus Bucero* dicebatur: quorum mores & instituta ut *vivam Novi Testamenti explicationem Lasitius* laudabat, qui ea testabatur quæ viderat. Quæ probabilis ratio suadet, ut eum qui *Laodicensibus* exprobratur tepor, animique stulte sibi adulantis fastus, in mundi finem rejiciamus? quasi non antegressorum, non omnium seculorum, idem morbus fuerit, cujus Corinthios suos Paulus quoque convicit 1. Cor. IV. 8. Non convenit cum conditione universalis Ecclesiæ, ut laudes vel convicia exactis temporum periodis distinguantur.

CXLI. *Tertio*. Quum Apostolica & primitiva Ecclesia, sine dubio omnium purissima, & sequentium exemplar fuerit; quam causam dicent viri Docti, cur ea tamen sub *Ephesinæ* Ecclesiæ symbolo tam acriter reprehendi mereatur, quum altera *Smyrnensis*, & sexta *Philadelphiensis*, cui utinam Reformata nostra tam similis esset quam dicitur! sine ulla increpatione laudentur? Num id quod Apostolos consecutum est seculum priore tanto sanctius, tanto fuit felicius? Nostrane tempora cum Apostolicis de palma non certabunt modo, sed & triumphabunt? Non ignoro quid Nobilissimus *Forbesius* de Smyrnæis respondeat: *ideo*, scilicet, *Ephesum taxari & Smyrnam commendari, quia nondum eo usque defecerat Ephesus, ut Deus declinantes non esse amplius ex sua Ecclesia, aut irrevocabiles judicaret: Smyrnæ vero declinantes ad sequentem gradum eo usque prolapsi sunt, ut non amplius veniant in eum censum, Deo idcirco omnem eos recolligendi curam abjicientes.* Sed hæc uti a conditione tam eximiæ Ecclesiæ qualis Smyrnæa, Deique erga eam longanimitate, ita etiam a modernorum Interpretum hypothesibus aliena sunt. Illi enim longe aliter atque *Forbesius* periodos dispescunt: & Smyrnensem multo anteriorem iis temporibus faciunt, quibus Ariani Hæretici prævalentes ita intumuerunt, ut

CXLI. Causa dici non potest, cur Apostolica Ecclesia magis reprehendatur, quam sequentes sub Smyrnensi & Philadelphiensi periodo.

veræ sibi nomen Ecclesiæ vindicare, inopiamque ac solitudinem Orthodoxorum despicatui habere auderent. Et quicquid de Smyrna sit, quid de Philadelphiensi periodo allegabitur?

CXLII. *Periodi Ecclesiæ statos suos limites habent, uti asseres & cortinæ tabernaculi concinnas juncturas suas.* Præfat. in Dodec. Proph.

CXLII. *Quarto.* Nova hac interpretatione periodi ipsæ mira confusione turbantur. Non id nunc urgebo, eos qui septem periodos inculcant, in earum distributione æque inter se convenire ac magnæ urbis horologia solent: aliter enim eas determinat *Brichtmannus*, aliter *Forbesius*, aliter Celeberrimus *Coccejus*. Mihi cum iis nunc res est qui famigeratissimum hunc Interpretem studiorum suorum Ducem elegerunt. Et hos ipsos periodorum suarum calculos temere turbare assero. Placuit Viro Magno pericopas, vel si mavis, periochas illas, comparare cortinis & asseribus tabernaculi. Hæ autem cortinæ & asseres non confuse alter alteri superimpositi fuere, sed habebant vel nodos, vel circulos orbesque, quibus compaginati & conserti ac coaptati essent. Ita enim periodos illas statos limites terminosque habere par est, quibus incipiant ac desinant. Hos autem Interpretes nostri miscent vel transponunt quotiescunque commodum est. Exemplis res erit manifesta.

CXLIII. *Hos autem Prophetica hac explicatio mire confundit ac turbat.* Vid. §. XXXIX.

CXLIII. *Ephesinam* periodum terminari ajunt circa finem *primi seculi*, & respondere *primo sigillo*, ac *primæ tubæ*, *Smyrnensi Periodo* seculum *secundum* ac *tertium* deputant, eidemque respondere volunt *sigillum* & *tubam secundam*. Videamus quam belle hæc congruant, etiam si proprias earum hypotheses & commentationes sequamur. Observat Celeberrimus *Coccejus*, epistolam ad *Ephesios* dictatam esse, post destructam Hierosolymam, tempore Domitiani, Fratris Titi, filii Vespasiani. Non igitur sine caussa futurum, si dicamus reprehensionem de omissa prima charitate (cujus tamen exempla alii in Galatis, Corinthiis, Hebræis, Dema, Paulo adhuc vivente, inveniunt) in istud tempus maxime quadrasse. Attamen destructio Hierosolymæ & quæ eam antecesserunt, interprete viro magno cum omni officiosa sequacium turba, *secundo sigillo*, *secundaque buccina* repræsentantur. Nam *aperto secundo sigillo prodiit equus rufus, cujus insessori datum est pacem auferre a terra*, hoc est, a populo Judaico, quod factum est per Gessium Florum, procuratorem Cæsaris Neronis, primum belli Judaici incendiarium. Cujus belli initium fuit Anno Neronis XII. Christi LXIV. aut LXV. juxta computationem *Ludovici Cappelli*. Et *buccinante secundo Angelo, tanquam mons magnus igne ardens conjectus fuit in mare*, Apoc. VIII. 8. hoc est, politia aliqua insignis in mundo, accensa in ipsam ira Dei, & consumptione multiplici jam fracta, abolita est, ut non emineret in mundo amplius; & reli-

Apoc. VI. 4.

qui

qui istius Politiæ dispersi sunt per omnes gentes. Intelliguntur sine dubio Judæi cum suo templo, urbe, & regione. De quo monte etiam Christus dicit, Matth. XVII. 20. Luc. XVII. 6. *Dicetis huic monti: transi hinc illuc.* Ita Viri docti dictant. Non inquiro nunc quam solide. Id unum rogo, si *Ephesina Epistola* maxime quadret in tempus quod destructionem Hierosolymæ consecutum est, quomodo epistola illa exacte respondeat *primo sigillo, primæque tubæ:* quum ipsa illa destructio, & quæ eam annis aliquot præcesserunt, *aperto* demum *secundo sigillo,* & *buccinante secunda tuba* enarrentur? Similiter quando ea quæ de *Smyrnensis* Ecclesiæ paupertate dicuntur exponenda sunt, memorant ea quæ Paulus de *Hebrais* direptionem bonorum passis, & Eusebius de pauperibus Christi agnatis a *Domitiano* irrisis narrant: quæ tamen ad *primum* seculum & *Ephesinam* periodum pertinent. Eodemque judicio additur a non nemine *Sylvestri* exemplum, qui e spelunca, uti Joseph e carcere, a *Constantino* ad amplas in Ecclesia dignitates evehebatur, quæ facta sunt *seculo quarto,* & pertinent ad periodum *Pergamensem.* Ut persecutio decem dierum *Smyrnæis* prædicta reperiatur, ex *Ephesina* iterum periodo in hanc transcribuntur persecutiones *Neronis* & *Domitiani.* Et quis erit finis, si velimus singula ἐξονυχίζεσθαι?

CXLIV. Id unum omittere non possum, quam inscite *Thyatirensis periodi* tempora turbent. Spiritus Sanctus accurate distinguit tempus quo *viguit* ac *docuit Jezabel*, & quod *datum est ei ut resipisceret*, & quo *conjecta est in lectum* pœnæ, ægritudinis, ac mortis. Hic omnia mire confunduntur. Tempus patientiæ ad resipiscendum Jezabeli concessum inchoant ab Anno CCCLXVI. quo liberata fuit Romana Ecclesia a persecutione Juliani. Tunc autem Romana Jezabel vix aut ne vix quidem inceperat *seducere servos Christi ut scortentur*, id est juxta explicationem virorum Doctorum, Sanctos & simulacra iis dicata adorent, & *idolothyta comedant*, id est, de idololatrica missa participent. Sed quod ridiculum oppido est, patientiæ Divinæ circa Jezabelem ultimum momentum collocant in victoria quæ duce Johanne Austriaco a Turcis reportata est, Anno MDLXXXI. Tunc autem jam dudum in lectum ægritudinis & mortis conjecta, imo sepulta erat Jezabel, si, quod Magnus Interpres docet, Gogus cum omnibus copiis suis, ad quas certe, ex Doctorum virorum mente, hæc Jezabel cum filiis suis pertinet, sepultus est in Concilio Tridentino, cujus ultima sessio habita est IV. Decembris, An. MDLXIII. Præterea ad lectum pœnæ in quem conjecta est Jezabel referunt calamitates quibus afflicta fuit Italia per Vandalos, Gothos, Hunnos, Saracenos &c. Taceo nunc, quod omnes histo-

CXLIV. *Quod speciatim ostenditur de periodo Thyatirensi.* Vid. §. XLI.

Vide inter alios Machiavelli Hist. Flor. Lib. 1. p. mihi 15. ipsumque Coccej. ad 2. Thess. II. §. 58.

riæ testantur, per Barbaras istas gentes Papæ imperium amplificatum potius quam imminutum esse: id solummodo observo, tempestates Divinæ tolerantiæ & pœnæ imperite confundi, atque ita quidem ut illæ his posteriores statuantur. Nisi quod & meminisse nos jubeant Viri Docti *angustiarum in quas nuper Deus persecutores & Clerum Romanum conjecit.* At quam immanis saltus est, si ea quæ ad Thyatirensem, id est, quartam periodum pertinent, nostris temporibus, id est, in fine sextæ, aut initio septimæ periodi quærantur? Et hæc est exacta illa temporum ratio quæ Propheticæ explicationi fidem faciat!

CXLV. *Bileamitæ & Nicolaitæ non ita nuncupantur quia auctoritate humana premunt populum Dei.*

CXLV. In *Bileami* & *Nicolaitarum* mysterio exponendo plus sibi sumunt Viri eruditi quam salvâ verecundia liceat. Injuriosum est priscis Ecclesiæ Doctoribus, Dei timentissimis, imputare, quod *sine dubio occasione hujus loci per divinationem tradiderint quasi historiam Nicolaitarum.* Hoc enim, si quæsitam λόγων εὐμορφίαν seponas, & cum Macedone rustico ficum ficum, scapham scapham appelles, tantundem est acsi dicas eos ex corde historiam rerum nunquam gestarum temere ac sine ratione finxisse, & quod ita finxerant, imprudenter, si non impudenter, chartis illevisse. De *Auctore* quidem & *Origine* sectæ diversa, atque adeo incerta, tradere comperiuntur, quæque, ut verum fatear, in subnubilo mihi sunt. *Sectæ* tamen *historiam* ut commentos esse dicamus, a modestia omni alienum est: præsertim quum ea quæ a Patribus memorantur sectæ dogmata Petri & Judæ testimoniis, supra a nobis productis, tam bene conveniant, & *Ignatius*, eo loco quem ex Epistola ad Trallianos supra adduximus, de Nicolaitis ut sui adhuc temporis hæreticis loquatur. At videamus quid Viri Docti sanius & certius afferant. *Nicolaitam esse*, inquiunt, *est sectam facere; & nomen hominis nuncupare præter nomen Christi.* Quo argumento? Quia Græce Νικόλαος significat ὁ νικῶν τὸν λαὸν, *qui superat populum: Bileam* Hebraice, eum qui *Dominus populi* est. Sed quis viros Doctos scitiores fecit, sectæ hujus naturam a nominum originatione discendam esse? Quis certis rationibus addixit, *Nicolaitas* a Græco Νικόλαος derivandos esse, & non a Chaldaico ניכולה *Nicola, comedamus?* Tum etiam, non omnino idem significant, *Nicolaus* & *Bileam.* Aliud est νικᾶν, aliud בעל. Sed quod præcipuum est, nusquam de Bileamo testantur Sacræ literæ quod principatum sibi in populum Dei arrogaverit: aut de Nicolaitis Veterum Hæresium Scriptores, quod humani nominis auctoritatem, aut mundanum dominatum invehere in Ecclesiam conati sint. Neque Spiritus Sanctus vel verbulo ejus meminit.

Vid. §. XXXVIII. & XLVII.

Sed

Sed in eo Bileami & Nicolaitarum hæresin constituit; quod *offendiculum objicerent coram filiis Dei, ut ederent ex iis quæ simulachris erant immolata, & ut scortarentur.* Quam frigidum ergo & fragile est, ex sola vocum etymologia, præter Scripturam, contra antiquitatem universam, Nicolaitarum sectam nuncupatione humani nominis in Ecclesia describere?

CXLVI. *Sexto.* Eadem utuntur confidentia in nova expositione vocis *Antipas*, quam ante Cl. Coccejum inauditam esse existimo. Versiones Orientales, Syriaca, Arabica, Æthiopica, nomen hujus Martyris ignorant. Syriaca *Pococki* ejus loco habet אתחזי, quod vertit, *Spectaculo propositus fuit.* Addens in notis: *Fortasse sic explicare voluit vim vocis compositæ* Ἀντιπας, quasi ὁ ἐναντίον πάντων παραδειγματισθείς. Cæterum hæc mera hariolatio est: nescio quam probabilis. Confidentius loquuntur nostri. *Antipas*, inquiunt, *truncatum est ex* Ἀντίπατρος, *& idem cum illo significat.* Non abnuo. Porro: Ἀντίπατρος, *notat eum qui Patri æqualis est.* Haut nihil ambigo, nondum id apud Græcos inveni. Neque exempla viri Docti proferunt. *Posset* id notare ex usu particulæ ἀντὶ: an unquam *notet*, nescio. Doceant hoc viri literarum peritissimi. Ego invenio Ἀντίπατρον notare eum *qui Patri adversatur.* Nam apud Theocritum, *in fistula*, Jovis epitheton est, quod hostili animo Patrem regno exuerit, & ad inferos detruserit. Non quidem hostilitatem præsagierunt parentes qui filiis suis Antipatri nomen indiderunt: sed neque eo sui amore captos fuisse existimandum est, ut filios sibi similes tam solemniter optarent atque ominarentur. Credibilius est quod Antipatros eos dixerint quasi *in* decedentium *parentum venturos locum*: ut Matth. II. 22. ἀντὶ Ἡρώδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Sed non sum morosus. Id quoque demonstratum esse existimabo Ἀντίπατρος significat eum qui Patri æqualis est. Quid tum porro? *Ergo Christus potest dici Antipas*: propter τὸ ὁμοούσιον. Possit. At ubi ita dictus est? a quibus? quando? Cui isthoc nomine cognitus? Mirum est, Græcos Ecclesiæ Doctores de vocula, de syllaba, de litera τοῦ ὁμοουσίου tam anxie sollicitos, de *Antipa*, voce ἐγγράφῳ, & id quod volebant feliciter exprimente, nullos cogitasse. Dolendum, nostri seculi Viros eruditos tunc non vixisse, qui monere tantæ rei incuriosos potuerint. Sed dicatur Christus Ἀντιπας, quia est ἰσόπατρος. Quid tum denique? *Ergo nomen aptius fieri non potuit ad significandos* τοῦ ὁμοουσίου *assertores, quorum est Filium dicere* ἴσον τῷ Πατρί. Φεῦ τῆς ἀσυλλογιστίας! Quis ferat assertorem

CXLVI. Antipas non potest notare assertorem τοῦ ὁμοουσίου.

Vid. §. XL.

sertorem Deitatis Christi, Deum; vindicem τῦ ὁμοουσίυ, ὁμούσιον; propugnatorem æternitatis Domini nostri, æternum; Doctorem æqualitatis cum Patre, ἰσόπατρον, idcirco nuncupari?

CXLVII. *Nulla in his Epistolis mentio est Regni gloriosi in terra.*

CXLVII. *Septimo.* Constans Doctissimorum Virorum sententia est, exspectandum novissimis temporibus Regnum Christi gloriosum in terra, cujus scena in ultimis Apocalypsios capitibus depicta, & pulcherrime exornata sit. Hæ autem Epistolæ, quas totius Ecclesiæ ad finem usque fata summatim comprehendere volunt, nihil minus quam in talem gloriam exeunt. In ultima enim status Ecclesiæ, ut *ærumnosa, & miserabilis, & pauperis, & cæca, & nuda*, describitur. Beatæ illius conditionis nulla mentio.

CXLVIII. *Nam frustra huc torqueas ea Domini verba, quibus se ad ostium stare & pulsare prædicat.*

CXLVIII. Nam quod Dominus *se ad ostium stare & pulsare* scribit; hoc est, ut explicationem Fratrum retineamus, non subducere se ab hominum conspectu, sed vim facere, & efficaci ac publica verbi prædicatione introitum in corda moliri; id non proprium ultimæ periodi bonum, neque nota gloriosi regni est. Nam ab initio prædicati Evangelii per universum terrarum orbem ita circuivit Christus, & pro πολυποικίλῳ gratiæ suæ dispensatione, nunc in hanc, nunc in illam provinciam, verbi Spiritusque sui magis majore efficacitate venit. Corda autem Laodicæorum solito vehementius pulsabat hac ad eos e cœlo Epistola.

CXLIX. *Aut quibus singulis aperientibus mutuam pollicetur cœnam:*

CXLIX. Neque Ecclesiæ restricte ad certam aliquam periodum, sed omnibus & singulis *sibi aperientibus*, quocunque tempore & loco, pollicetur, se *intraturum* ad eos cum gratia ac favore suo. Joh. XIV. 23. & iis cum convivaturum, in communicatione donorum spiritualium, & vicissitudine suavissimi amoris. Cujus promissi veritatem omni ævo experiuntur fideles: *gustantes ac videntes quam bonus sit Jehova.* Psal. XXXIV. 9. I Pet. II. 3.

CL. *Et singulis vincentibus sessionem in Throno suo.*

CL. Neque est quod eo trahas promissionem *Throni* in quo *sessurus* dicitur is *qui vicerit.* Non enim hæc verba Prophetiam continent qua figuretur totius Ecclesiæ in terris conditio, sed promissionem præmii cœlestiis, quod singulis victoribus, sive sinceris ac constantibus Christianis, addicitur: quemadmodum singulæ Epistolæ ejusmodi promissione cælestis gloriæ, sub aliis aliisque emblematibus, concluduntur. Non ita consolatur Christus pios qui Laodiceæ erant, ut dicat, Bono animo estote in odioso hoc tepore ac torpore qui omnium ferme animos occupavit: instat tempus quo totam Ecclesiæ faciem mutaturus, novamque Jerusalem alto cœlo demissurus sum. Durate, & vosmet rebus servate secundis. Sed tepentibus iram suam denun-

denunciat: singulos ad officium hortatur: resipiscentibus omnibus Thronum gloriæ pollicetur, cujus in hac terra, proxime ante finem rerum, compotes non evadunt, quotquot ad hoc hortamentum Domini resipiscunt, & resipuerunt. Sed sicut ipse glorioso regno suo in cœlis potitur, ubi ad dextram Dei patris sedet, ita ejusdem gloriosi Regni sui communionem in cœlis omnibus & singulis victoribus promittit. Erudite observavit Ludovicus de Dieu, *thronum Regis apud Orientales amplum & latum esse, lecticæ instar, fulcris aliquantulum supra terram evectum, ac tapetibus ornatum, adeo ut præter sedem Regi propriam, alii quoque, quos honore afficere cupit Rex, in eodem throno sedes habere queant.* Quo si alludat Dominus, uti prorsus videtur, quid hinc pro terreno isthoc regno inferri potest? Non invidemus sane Ecclesiæ eam sanctioris beatiorisque conditionis in hac terra spem, quam & nos calidis optamus votis: sed ut plena animi certioratione exspectemus, firmioribus fidei nostræ tibicinibus opus est quam quæ ex hac ad Laodicenses epistola ei substernuntur. *Tu interim Domine Jesu, Salutis nostræ dux & Auctor unice, opus quod ab æterno molitus es, volens propitiusque accelera, statoque tempore, ad stuporem hostium, Angelorum gaudium, Gentium divitias, & gloriam populi tui Israëlis, Sapienter, Fortiter, Feliciter, aggredere, patra, perfice.* Amen.

LIB. IV.
DISSERTATIO
DE
SCHISMATE
DONATISTARUM.

CAP. I.

Operis hujus occasio.

I. *Locustæ Apocalypticæ*, II. *Sunt Emblema Cleri Romani.* III. *Astute nuper simulantis, se Reformatis in Gallia collationem offerre, qualem cum Donatistis Catholici habuerunt Carthagine.* IV. *Quamvis Diocletianeæ potius ætatis scenam revocaverint.* V. *Leideckeri Historia Ecclesiæ Africanæ laudata.* VI. *Nostra hujus Exercitationis summa &*

I. *Locustæ Apocalyptica.*



QUi in *Galliis* Reformatarum Ecclesiarum internecionem moliti sunt *Cleri Romani* Proceres, non sola sibi vi, sed & artibus astubusque utendum esse, callide existimarunt. Nimirum quærendus crudelitati prætextus aliquis est: ut dum facultatibus, libertati & vitæ denique innocentissimorum hominum insidiantur, non nisi salutem eorum videantur sitire. Idque ita futurum esse, dudum in sacra Johannis Apocalypsi prædictum est. *Locustæ ex Abyssi puteo, & fumo* mendaciorum in articulos fidei reductorum, *prodeuntes*, falsi Ecclesiæ Rectores, non ad ædificationem, sed ad plagam dati, partim quidem *similes sunt equis paratis ad bellum*, non nisi contentiones & persecutiones, anhelantes, & *dentes habent leoninos*, diabolica sævitia grassantes in gregem Domini; & *thoraces ferreos*, non sane illos *justitiæ*, quibus ignitis Satanæ telis resistant, sed alios improbitatis, quibus se adversus vim veritatis per varias ratiocinationes & sophisticationes obdurent. Denique *caudas habent scorpionum & aculeos in caudis*, doctrinæ pravæ veneno animos incautorum lædentes, dictisque aculeatis piorum hominum famam conscelerantes. Attamen iidem *coronas in capitibus suis habent auro similes*, dum se pro presbyteris gerunt qui à Christo Sacerdotes & Reges facti sunt; & *faciem habent similem humanæ*, præferentes & nomen & verba & facta quædam eorum, in quibus Dei splendet imago; ac fucata se comitate insinuant in animos improvidorum: nam & *crines habent instar mulierum*, dum se comunt & fucant omni lenocinio. Apoc. IX. 1.-10.

II. *Sunt Emblema Cleri Romani.*

II. Non longe sunt quærendi, in quibus impleta hæc omnia cernas. Adeo nunc ea experitur Christi Ecclesia, nostra ut commonstratione haut admodum opus sit. Quam crudelia Clerus Romanus consilia cuderit adversus innocuam, ac sola simplicitate & patientia suaptutam, Christi Domini columbam, animus meminisse horret, dictuque refugit. *Deus*, ajunt, *dereliquit eam, persequimini & prehendite eam, quia nemo est qui eripiat.* Ps. LXXI. 12. *Dilatant os suum, dicentes, euge, euge, vidit oculus noster, euge anima nostra, absorbuimus eam.* Ps. XXXV. 21. 25. Hi sunt insani illi plausus quos venalis *Maimburgii* calamus non ita pridem edidit; ad exsequias Calvinismo (ita os impurum Evangelii vocat veritatem) quibus commodum est eundas quoscunque invitans. Ea dum moliebantur, voce pathetica & facie ad comitatem composita, de procuranda Regni atque Ecclesiæ pace, & æterna animarum salute promovenda, piissimi scilicet mortalium, multa disseruerunt. Vidimus quæ Ecclesiæ Reformatæ Doctoribus & membris, Fratribus, ut ajunt, suis, sed longo errore devius,

deviis, inscripsere; sermone quidem blando, sed ita ut scorpionis aculeum in cauda deprehendas; dum toties *Schismatis* & *Haresios* intentata nostris occurrunt nomina. At, ne fallamur, gemina nobis distinguenda illorum charitas est, altera quam ore præ se ferunt & calamo, altera quam factis comprobant. Illa comis ac blanda est, nisi quando sui oblita genium male dissimulat: hæc torva atque terribilis. Illa lucet; hæc urit. Illa lenem Eliani visi susurrum æmulatur; hæc turbinem ac tempestatem. At non ita Christianismum edocti sumus Evangelio: quod comitatem quidem sermonibus adspirat; sed & actionibus: neque permittit charitatem labiis ostentare, si æquitas factis desit.

III. Præ cæteris autem miratus sum, quod inter eas quas commenti sunt *convertendi methodos*, etiam COLLATIONEM se nostris offerre simulaverint, qualem cum DONATISTIS CATHOLICI habuerunt CARTHAGINE. Multis ea res sermonibus materiam præbuit. Nonnulli, quibus per diversas occupationes, & alienum ab hisce studiis vitæ institutum, non licuit Antiquitatum Ecclesiasticarum recessus scrutari, curiose rogaverunt, quæ qualisve ea *Catholicorum cum Donatistis Collatio* fuerit: & memini me quoque ab amicis super ea re consultum. Alii quibus non ignara Collationis illius historia erat, animum inducere non poterant, ut crederent serio hæc à *Clero Gallicano* agi: quippe cujus rationes omnes per Collationem isthoc modo instituendam turbari facile animadverterent. Mihi sane nata hinc fuit occasio curatius de toto hoc negotio meditandi: atque uti nihil eos clam habere soleo qui mecum proficere student, ita & has quoque meditationes cum studiosa juventute prælectionibus aliquot communicaveram.

III. Astute nuper simulantis, se Reformatis in Gallia collationem offerre, qualem cum Donatistis Catholici habuerunt Carthagine.

IV. Hæc prima fuerunt Exercitationis hujus rudimenta. Ab eo tempore ingens rerum in toto orbe Europæo, &, si Ecclesiam Reformatam spectamus, in Galliarum potissimum regno, facta mutatio est. Larvam, quæ crudelitati obtendebatur, dudum deposuerunt Romanæ factionis Proceres. Amicæ collationis loco videre licuit conscientias indies excarnificatas, corpora ferro, igne, inedia, vigiliis absumta, Martyrum veteres cruciatus novis cumulatos, carcerum ergastula impleta, personantia virginum matronarumque planctibus & ejulatibus Monasteria, raptos infantes, transfixas vulneribus matres, divulsos conjuges, suppositos tortoribus senes, revocatam Diocletianeæ ætatis scenam, qua reluctantium Christianorum ori idolothyta, & manibus thura imponerentur, proclamandorum eo ipso in Conversorum ordine, & quæ de eo genere plura non vere minus quam pathe-

IV. Quamvis Diocletianea potius ætatis scenam revocaverint. Vid. Spanh. præf. ad Histor. Imagin.

pathetice, ab ipsis illis qui passi fuere, aliisque miserabili voce calamoque narrata sunt. Unde factum ut *Collatio* illa *Carthaginiensis*, adeo nuper decantata, in silentium & oblivionem abierit, ad ea quæ gerebantur stupente orbe universo, ipsoque, ut ajebant, Romano Pontifice tantam sævitiem detestante. Atque ita operæ meæ pretium perierat; nemine amplius priscæ istius Collationis, nunquam renovandæ, curioso. Attamen quum commentationes illas meas nuper in manus resumerem, deprehendere mihi visus sum, non pauca iis contineri, quæ ad veteris historiæ illustrationem faciunt; & discipulis saltem meis in sacræ Antiquitatis studio prælucere idonea sunt. Discipulis, inquam, meis. Quis enim ego, qui doctos me aliquid docturum esse stulte & arroganter sperem? Auditoribus meis, &, qui iis similes, rerum nostrarum studiosi magis quam gnari, meam scribendi operam impendi, aliquoties professus sum.

V. Leideckeri Historia Ecclesiæ Africanæ laudata.

V. Unum tamen est quod ab edenda hac Exercitatione me propemodum absterruisset, & absterrere fortasse debuisset. Nimirum MELCHIOR LEIDECKERUS, Vir Clarissimus, & Collega multis mihi nominibus Venerandus, postquam ego hæc chartis meo more illevissem, ECCLESIÆ AFRICANÆ HISTORIA Rempublicam Literariam ornavit atque auxit. Opere enimvero ingenti; quod incredibili labore & infatigabili diligentia collegit; & in quo *Donatisticæ* factionis turbæ partem non exiguam faciunt. Quæ quum ibi prolixa narratione expositæ prostent, mea scriptione minus opus videri, ne ipse quidem dissimulo. Imo vero si commendationi meæ locus aliquis aut pretium sit, lectorem qui pleno se amne proluere gestit, eo potius properare hortor, quam ut ad mea subsistat, ubi tenues solummodo rivulos inveniet, aut fortassis non nisi siti sedandæ calices. Id habet Vir iste Doctissimus, ut ex ingenti plurimæ lectionis thesauro suas profundat gazas, quæ per vastum ubivis opus sparsæ, avidi lectoris animum locupletant. Mihi arctior domus, & curtior suppellex est; adstrictiori idcirco ordine concinnanda, ad aliquam saltem penuriæ sive dissimulationem, sive solamen. Cui copia placet, is LEIDECKERI Africanam Historiam adeat; inveniet de quo sibi gratuletur. Qui succinctiore rerum serie contentus est, ei mea hæc opella non displiceat. Cui utramque contendere lubet, is uti ubertatem istam judicio & merito præferet; ita nec meam fortasse brevitatem siccam atque exsuccam prorsus esse deprehendet. Hoc saltem monere liceat; quemadmodum Clarissimus LEIDECKERUS, suis ipse opibus dives, meis observationibus nullus indiguit; ita nec mihi nunc divitias ipsius profuisse; quippe qui antequam ipse manum

opes

operi admoveret, mea jam absolveram. Quod non eo dico, quasi nihil ipsi debere velim: multa enim debeo in aliis: sed ne in hac de eodem argumento scriptione ex compacto agere videamur, velut in velabro olearii.

VI. At præfationum satis: rem ipsam ordiamur. Libet igitur *Donatisticæ* factionis historiam ab ovo, quod ajunt, ordiri, & continuata serie ad Celebris illius *Collationis* tempora deducere. Non solum quia plurima scitu digna continet, & nostra inde Exercitatio non paullo futura est succulentior, atque habitior: sed & quia fida rerum gestarum narratione duo hæc, quæ magni arbitror esse momenti, me consecuturum confido. *Primo*, ut palam sit injuriam nostræ professionis hominibus insignitam fieri, quando cum *Donatistis*, factiosis, pervicacibus, turbulentis, imo, ausim dicere, sceleratis hominibus, confliguntur; cum quorum institutis & moribus nihil sibi commune esse volunt. *Deinde*, hodiernos *Romanæ* Ecclesiæ Antistites longe ab ea via discessisse, quam prisci *Catholici* institere. Tantum enim hic apparet sinceritatis, charitatis, ac mansuetudinis, quantum ibi fraudis, vafritiæ, atque sævitiæ. *VI. Nostræ hujus Exercitationis summa & scopus.*

Cap. II.

Origo Schismatis Donatistici, sub Majorino.

I. Cæcilianus a Felice Aptungitano Carthaginis Episcopus ordinatur. II. Cui ob repetita a senioribus aurea atque argentea Ecclesiæ vasa lis intenditur. III. Et cujus Ordinator Felix traditoris nomine traducitur. IV. Majorino Lectore a factiosis in Episcopum Carthaginiensem ordinato. V. Hujus partibus impliciti fuere Donati duo: alter a Casis Nigris, alter Majorini successor. VI. Homo incredibili procacia ac superbia præditus. VII. Factiosi Cæcilianum accusant apud Constantinum. VIII. Sed caussa ad Melchiadem Pontificem Romanum delata, Cæcilianus absolvitur. IX. At Donatistæ sedibus suis non moventur. X. Conceduntur que iis Communicatoriæ & Formatæ, quæ quid sint, exponitur. XI. Iterum ad Imperatorem provocant; at magno suo malo. XII. Incredibilis eorum pervicacia. XIII. Felix Aptungitanus ab Æliano Proconsule Africæ absolvitur. XIV. Concilio Arelatensi tota caussa committitur. XV. Ad quod ipsi quoque Donatistæ Tractoriis invitantur. Eæ, quid. XVI. Earum formula. XVII. Concilium pro Cæciliano pronunciat. XVIII. Non tamen acquiescunt Donatistæ. XIX. Constantini in eos lenitas. XX. Qua redduntur efferatiores. XXI. Non

cessante

cessante tamen Imperatoris in ingratos munificentia. XXII. Qui insigni Epistola fideles hortatur ut eorum insolentiam tranquillitatis virtute tolerent. XXIII. Sapienter. XXIV. Quamvis consilio non responderit eventus. XXV. Iterum tumultuantibus Donatistis, tertio damnatis. XXVI. Catholici autem modestiam suam valde Imperatori probant. XXVII. Scribenti in animo sibi esse iter in Africam instituere. XXVIII. Quo non succedente, Imperatorem ipsum væsani homines calumniantur. XXIX. Donatistæ suorum quosdam Romam mittunt. XXX. Qui inde in proximos montes pulsi Montenses dicti sunt, Campitæ, & Rupitani.

I. Cæcilianus a Felice Aptungitano Carthaginis Episcopus ordinatur.



PRima *Donatistici* Schismatis origo in hunc se modum habuit. Quum post abdicationem *Maximiani*, ei in Imperio successisset *Constantinus Chlorus*, Magni *Constantini* parens, non Christianus quidem ipse, attamen mitis ingenii vir, ac Christianorum rebus favens, Ecclesia, ut alibi, ita & in *Africa*, exoptatæ pridem pacis bonis læta fruebatur. Accidit autem eo tempore, circa Annum Domini CCCVI. secundum *Balduinum* & *Baronium*, vel CCCXI, secundum *Valesium*, cujus calculus certior esse videtur, ut apud *Carthaginem* fato fungeretur *Mensurius*, urbis illius Episcopus. In cujus locum, convocatis vicinis Episcopis, totius populi suffragio eligitur *Cæcilianus* Diaconus; & manus imponente *Felice Aptungitano* Episcopus ordinatur. Ægerrime id tulerunt *Botrus* & *Cælestius*, qui quum se ea sede digniores ambitiose existimavissent, tanta spe excidisse vehementer indignabantur. Junctis itaque consiliis jam schisma animo agitabant: in occasionem commodam intenti. Quæ & mox sese obtulit.

II. Cui ob repetita a senioribus aurea atque argentea Ecclesiæ vasa lis intenditur.

II. *Mensurius;* qui ante *Cæcilianum Carthagine* sederat, sacra Ecclesiæ vasa, aurea atque argentea, ne raperent persecutores, senioribus commendaverat. Nam, ut id in transitu moneam, tanta erat Christianorum illis temporibus, etiam sub Tyrannis, in Deum pietas, tanta in ejus cultum liberalitas, ut quam plurima in eum conferrent ornamenta ex auro & argento. Sic *Augustinus Lib.* III. *contra Cresconium Cap.* XXIX. indicat, tempore *Diocletiani*, & persecutionis ab eo excitatæ, *Cirtensem* Ecclesiam habuisse calices duos aureos, & sex argenteos, & lucernam argenteam. Ne quis autem existimet, ambitiosæ modo superstitionis fuisse, quod talia fuerint in Ecclesiæ thesauris, is sciat, ubi necessitas & pia caussa pauperum alendorum postulabat facile distracta fuisse. Vide sodes *Balduini Annot. in Optat. p.* 87. 88. Sed hæc propter viam. *Cæcilianus*

cilianus ergo quod muneris sui erat satagens, vasa a Mensurio bona fide credita, ut pacatiori Ecclesiæ statu redderentur, merito jussit. Non placuit id pessimæ fidei senioribus, qui *faucibus avaritiæ commendatam* (ut *Optati Milevitani* verbis dicam) *ebiberant prædam*. Quum igitur reddere cogerentur, subduxerunt communioni plebem. Adjungit se *Lucilla*, potens ac factiosa fœmina, quæ olim a *Cæciliano* adhuc Diacono, ob superstitionem reprehensa, ingentes animo coquebat iras: & non ipsa solum communioni misceri recusavit, sed & quos poterat omnes haut probandis artibus abduxit. Sic tribus convenientibus caussis & personis, suum habuit malignitas infaustum Ecclesiæ effectum. *Schisma igitur ambitus peperit, avaritia nutrivit, confusæ mulieris iracundia roboravit.*

III. Quo autem hiaret latius, caussati sunt turbones multa præter ordinem in ordinatione *Cæciliani* gesta esse. Nonnulla in *Felicem*, *Cæciliani* Ordinatorem, alia in ipsum *Cæcilianum*, odiosis sermonibus jactabant. Atque illum quidem *traditorem* fuisse, hunc autem vetuisse ne ad captivos Christianos commeatus in carcerem deferretur. Quoque faventiorem sibi *Numidiæ* cum suis Episcopis *Primatem* experirentur; iis non consultis ordinationem *Cæciliani* rite atque ordine fieri potuisse negarunt. Hi ergo *Carthaginem* acciti, ab avaris, ab ambitoribus, ab iratis, hospitio accepti sunt. Fiunt coitiones seditiosæ: disceptatur *Cæciliani* caussa: interea ad Basilicam, ubi flos civitatis cum Cæciliano agebat, nemo eorum accessit. Tunc à *Cæciliano* mandatum est, *si quid adversus me probari potest, exeat accusator, & probet*. Illo tempore à tot inimicis nihil in ipsum potuit confingi. Duntaxat rancidæ illæ de *Felice* fabulæ repetitæ sunt. *III. Et cujus Ordinator Felix traditoris nomine traducitur.*

IV. *Cæcilianus* pertæsus litium, mittit ad eos, ut si *Felix* in se, sicuti illi arbitrabantur, nihil contulisset, ipsi tanquam adhuc Diaconum ordinarent. *Cæcilianum*. Qua facilitate ipsius abusus *Purpurius*, ex factiosis unus, homo multorum scelerum atque adeo parricidii manifestus (nam nepotem ex sorore interemerat) *exeat huc*, inquit, *quasi imponatur illi manus in Episcopatu, & quassetur illi caput de pœnitentia*. Barbara vox e scelerato pectore. Hisce rebus compertis tota Ecclesia *Cæcilianum* retinuit, ne se latronibus exponeret. Interea temporis illi *Majorinum*, qui dum Diaconus *Cæcilianus* erat Lectoris partes obibat, Episcopum creant. Erat autem is *Lucillæ* domesticus, eaque suffragante indignissimis modis hanc dignitatem nactus. *IV. Majorino Lectore a factiosis in Episcopum Carthaginiensem ordinato.*

V. Neque tamen, quod memorabile, vel à *Botro* aut *Cælesio*, qui primi hujus schismatis fuerunt auctores, vel a *Majorino*, primo schismaticorum Episcopo, nomen hæc secta traxit; sed a *V. Hujus partibus implicati fuere Do-*

nati duo: alter a Casis Nigris, alter Majorini successor. *Donato*, sive illo qui loci ratione a *Casis Nigris* dictus, jam olim turbas fecerat, sive illo qui *Majorino* in schismatica sede apud *Carthaginem* successit. Ab hoc certe denominari *Donatiani* aut *Donatistæ* maluerunt, quippe cujus non eruditionem solum atque eloquentiam facerent plurimi; sed & tanti æstimarent sanctimoniam, ut, *Augustino*, teste, *eum propemodum pro Christo haberent, patientius laturi si Christo quam si Donato detrahatur.*

VI. Homo incredibili procacia ac superbia præditus. VI. Hic est ille *Donatus* qui eo procaciæ ac superbiæ devenit, nullum ut sibi hominem comparandum arbitraretur; tantumque sibi de Episcopis exegit, ut eum omnes non minori timore venerarentur quam Deum, utque per nomen ipsius veluti per numen jurarent: neque contentus *Præfectos* contumelia lacessere, in ipsos *Imperatores* convitia ac probra jecit. *Gregorio* quidem *Præfecto* scribere non dubitavit: *Gregori macula Senatus, dedecus præfectorum.* Legatis autem Imperatoris, res compositum venientibus, solito furore succensus, in hæc insana erupit verba, *Quid Imperatori cum Ecclesia?* & de fonte levitatis multa effudit maledicta. Quo vero majorem sibi apud suos conciliaret fidem, callidissimus homo locutum sibi de cœlo Deum finxit. Unde hæc ab asseclis jactabantur: *Donatus oravit, & respondit ei Deus de cœlo.* Denique in ore populi raro vocatus est *Episcopus*, quasi vile id nomen foret, sed *Donatus Carthaginis* dicebatur.

VII. Factiosi Cæcilianum accusant apud Constantinum. VII. Cæterum ea quæ à *Cæciliano* & contra eum acta sunt persequamur. Ipse quidem sedem sibi à Divina Providentia concreditam forti invictoque animo tuebatur: partim quod junctus esset communicatione Romanæ Ecclesiæ Episcopo, partim quod benevolum sibi experiretur Imperatorem *Constantinum*; qui humanissimis literis opem ei suam adversus illos pollicebatur, qui populum a Sanctissima & Catholica Ecclesia mala & perniciosa corruptela conabantur avertere. Non tamen hæc schismaticos absterruerunt: qui multa incassum moliti, quum conciliabulis suis *Cæcilianum* sede deturbare non possent, *Anulinum* Africæ Proconsulem in eum commovere, ipsumque *Constantinum* incitare adorti sunt. Quod & tantopere iis cordi fuit, ut ex *Africa* in *Galliam* ad *Constantinum* profecti petierint de *Gallia* sibi judices dari. Haut quidem libenter, attamen importunis petitionibus annuit Imperator: addita hac increpatione, *petitis a me in seculo judicium, quum ego ipse Christi judicium exspectem.*

VIII. Sed caussa ad Melchiadem Ponti- VIII. Dein vero, ne quid temere ageretur, ad *Melchiadem*, quem alii *Miltiadem* vocant, Pontificem Romanum caussam detulit, qui præsentibus tribus illis quos è *Gallia* elegerat, cum aliis ex *Italia* Episcopis,

copis, de lite cognosceret. Monitusque ab *Anulino* de dissidiis in dies crescentibus, ad quæ componenda legitimam servari necesse sit judicii formam, *Cæcilianum* una cum decem suarum partium Episcopis *Romam* contendere jussit, totidemque ex *Donatistis*, ut coram *Melchiade* cæterisque delegatis judicibus præsentes caussam agerent. Ad urbem ergo Romam venerunt tres *Galli*, cum quindecim *Italis*. Disceptata caussa est, tam *Donati*, illius nimirum qui à *Casis Nigris* denominabatur, quam *Cæciliani*. *Donatus* convictus confessusque est se rebaptizasse, & episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum censebatur. Testes à *Donato* inducti, confessi sunt se nihil habere quod in *Cæcilianum* dicerent. *Cæcilianus* itaque omnium suffragiis innocens declaratus atque in Episcopatu suo confirmatus est.

ficem Romanum delata, Cæcilianus absolvitur.

IX. At neque *Donatistæ* sedibus suis moti. *Donato* solo, quem totius mali principem invenerat *Melchiades*, maxime culpato, sanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit. Paratum se professus *communicatorias*, ut tunc loquebantur, literas etiam iis mittere, quos à *Majorino*, *Cæciliani* æmulo, ordinatos esse constaret: constituit etiam ut quibuscunque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, is confirmaretur qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur. Quæ quum retulisset *Augustinus*, in *Melchiadis* laudes affectuoso erumpit sermone: *O virum optimum! O Filium Christianæ pacis, & Patrem Christianæ plebis!*

IX. At Donatistæ sedibus suis non moventur.

X. Ut ea quæ modo de Communicatoriis diximus intelligantur; sciendum est, in more antiquis fuisse, ut peregrinantes inter ignotos, quo hospitio excipi possent cæterisque charitatis Christianæ officiis frui, *signum* ab Ecclesiæ suæ Episcopo ad iter deposcerent. *Tertullianus de Præscriptione Cap.* xx. vocat *communionem pacis & contesserationem hospitalitatis.* Majoris certitudinis gratia, ne ejusmodi signum, sive *tessera*, adulterari posset, addebant Episcopi literas quæ *Communicatoriæ* vocabantur: quia earum commercio societas ejusdem fidei & religionis ostendebatur. Quibus qui instructus erat is tanquam Orthodoxus in aliis Ecclesiis ad preces & synaxin admitti poterat. Dicebantur & *Formatæ*; quod certa formula ac certis signis conscriptæ essent. *Optatus Milevit. Lib.* I. *Nobis*, inquit, *totus orbis commercio* Formatarum *in una communionis societate concordat.* *Augustinus Epist.* CLXIII. de *Eleusio* & sociis ejus loquens: *Quærebam, utrum Epistolas* communicatorias, *quas* formatas *dicimus, possent quo vellent mittere.* Græci vocarunt κανονικὰς, εἰρηνικὰς, συστατικάς. Tales ergo communicatorias, ad testan-

X. Conceduntur que iis communicatoria & Formata, quæ quid sint, exponitur.

testandam fidei & charitatis communionem, a *Majorino* ordinatis Episcopis obtulit *Melchiades*.

XI. Iterum ad Imperatorem provocant; at magno suo malo.

XI. At qui hæreticorum schismaticorumque genius est, pacem odisse; tam oportunas, tamque exoptandas, si mens non læva fuisset, pacis conditiones, proterve contempserunt, aliena redditi clementia duriores. *Optatus* narrat eos ab Episcopis ad Imperatorem provocasse: at magno suo malo. Quum enim *Donatus* appellationem illam apud *Constantinum* persequi ausus fuisset, cum indignatione respondit Imperator: *O rabida furoris audacia! Sicut in caussis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Epistolaque ad Episcopos *Romæ* coactos data, in *Donatistas*, ut homines malignos, rabidos, audaces, detractoresque legis, acriter invectus, latam sententiam assensu suo comprobat, rebellibus dira quæque interminans. Ita post *Optatum* instituunt *Balduinus*, *Baronius*, *Petavius*, aliique. Sed erroris iis dicam impingit *Valesius*: multis argumentis pugnans, appellationem hanc *Concilio Arelatensi*, de quo mox agendum, fuisse posteriorem; uti & Epistolam illam *Constantini*.

XII. Incredibilis eorum pervicacia.

XII. Quicquid sit, quum pacem impendio cuperet Imperator, nondum *Donatistas* ita animatos in *Africam* redire permisit; ratus, id quod res erat, si sic dimitterentur, furore succensos majorum fore discordiarum incentores. *Cælicianum* itaque *Brixiam* ad se evocavit; adversarios pariter adesse jussit, pollicitus si vel unum de ipso præsente crimen probare possent, id ita se habiturum ac si universa quæ intenderant probata viderentur. Sed quum ne sic quidem tantus mutuæ conciliationis sequester, refragantibus illis, quicquam efficere potuisset, duos Episcopos *Carthaginem* misit, pacis viam experturos. At quum illi quoque post inutiles quadraginta dierum litigationes re infecta recessissent, dimissi omnes sunt, permissique in *Africam* ire, tam *Catholici*, quam *Donatistæ*; qui mira celeritate *Cæciliani* anteverterunt adventum. Ibi procacissimi homines nullo pacto compositis per Synodum Romanam rebus assentiri, sed magis magisque furere, grassari, turbas ciere, totumque Africanæ Ecclesiæ statum susque deque vertere. Quod quum intellexisset Constantinus, quo omnis illis pervicaciæ suæ adimeretur prætextus, novum decernit judicium, nimirum Concilium plurimorum Episcoporum *Arelate*, in *Galliis*, ubi ipse agebat, legitime convocandum.

XIII. Felix Aptungitanus ab Æliano

XIII. Cæterum ut cuncta liquidius constarent, prudenti consilio, *Æliano Proconsuli Africæ* mandat caussam *Felicis* Episcopi *Aptungitani* cognoscere, quem, *Cæciliani* Ordinatorem, sacrorum librorum tradi-

traditorem fuisse, calumniabantur Schismatici. Is autem postquam, ut jussus erat, remotis necessitatibus, solicitè omnia explorasset; auditusque fuisset *Claudius Saturninus*, Curator Reipublicæ, qui fuerat tempore persecutionis in civitate *Felicis*, atque etiam tunc Curator erat, quando hæc caussa flagitabatur, auditi quoque cum ipso essent alii qui ignorare non poterant si quid tale à *Felice* gestum fuisset, & auditi quidem adhibitis etiam tormentis: compertum ex omnium responsis est, nulla macula Felicis Episcopi vitam sordidatam fuisse Unde hæc à Proconsule pronunciata & ad Imperatorem rescripta sententia est: FELICEM RELIGIOSUM EPISCOPUM LIBERUM ESSE AB EXUSTIONE INSTRUMENTORUM DEIFICORUM MANIFESTUM EST: QUUM NEMO IN EUM ALIQUID PROBARE POTUERIT, QUOD RELIGIOSISSIMAS SCRIPTURAS TRADIDERIT, VEL EXUSSERIT.

XIV. Ac nec ita acquiescentes Schismatici ad Imperatorem redierunt: non recte judicatum, neque omnem caussam auditam esse conquesti. Verum is omnia judicio convocandi à se Concilii permisit. Visaque *Arelatensis* in *Gallia* civitas, ubi tunc morabatur, tanto opportuna negotio. Datis igitur literis ad præcipuos quosdam Ecclesiæ Occidentalis Episcopos invitat eos ad Concilium. *Cæciliano* etiam adesse jusso, una cum *Byzacenæ*, *Tripolitanæ*, *Numidiarum* & *Mauritaniarum*, singularumque Provinciarum electis. Sed & *Donatistas* vocavit, data evectione publica per *Africam* & *Mauritaniam* inde ad *Hispanias*. *XIV. Concilio Arelatensi tota caussa committitur.*

XV. Quoque alacrius undique concurrerent omnes, TRACTORIAS singulis tribui curavit. Cujus vocabuli quum & in sequentibus facienda nobis mentio sit, lubet illius usum ac significationem, in studiosæ juventutis gratiam, hic exponere: quippe quod non huic modo historiæ, sed & universæ antiquitati lucem aliquam fœnerari queat. Fuerunt *Tractoriæ Diplomata* publica, quæ dabantur missis vel evocatis à Principe, cursu publico utentibus, adscriptis etiam stativis, id est, diversoriis & mansionibus, quibus sumptibus publicis alerentur. Tantæ autem æstimationis talia erant *Diplomata*, ut ne à proconsulibus quidem, absque Imperatoris consensu, dari solita fuerint. Fidem huic observationi facit sollicita illa *Plinii* apud *Trajanum* excusatio, quod uxori suæ, audita morte avi ad amitam excurrere volenti, inconsulto Imperatore, eorum usum concessisset. *Usque in hoc tempus, Domine, neque cuiquam*, sic scribit *Lib.* x. *Epist.* CXXII. *Diplomata commodavi, neque in rem ullam nisi tuam misi; quam perpetuam servationem meam quadam necessitas rupit.* *XV. Ad quod ipsi quoque Donatistæ Tractoriis invitantur. Ea, quid.*

XVI. Earum formula.

XVI. Porro ut de Imperatorum id ævi liberalitate ac magnificentia rite arbitremur, haut inutile erit formam aliquam *Diplomatum* sive *Tractoriarum* hic exhibere. Eam *Cujacio* debemus *Ad Tit. de Tractoriis, Cod. Lib.* XII. ex *Marculphi Monachi* libro erutam, quæ ita habet. *Ille Princeps omnibus agentibus in illo loco. Nos Gajum I. V. partibus illis legationis caussa direximus: ideo jubemus, ut locis convenientibus eidem a nobis evectio simul & humanitas administretur: hoc est verbedi sive paraverhedi tot, panes tot, vini modi tot, cervisiæ modi tot, lardi libra tot, carnis tot, porci tot, porcelli tot, verveces tot, agni tot, anseres tot, phasiani tot, pulli tot, ova tot, olei libræ tot, gari libræ tot, mellis tot, aceti tot, cumini tot, piperis tot, costi tot, cariophylli tot, spicæ tot, cannamoni tot, grani masticis tot, dactylæ tot, pistaciæ tot, amygdalæ tot, ceræ libræ tot, salis tot, olerum, leguminum carra tot, faculæ tot, pabuli equorum carra tot. Hæc omnia tam eundo quam redeundo eidem ministrari in locis solitis, & impleri sine mora procurate.* Atque hæc quidem Tractoriæ forma erat. *Schardus* in *Lexico* consimilia habet, pauculis mutatis. Palam autem est, pro dignitate ac numero personarum auctum vel imminutum fuisse numerum ac pondus rerum diplomate expressarum. Humanitatis certe ac liberalitatis suæ eximia documenta *Constantinus* dedit, dum non Catholicis solum, sed & schismaticis ad Concilium evocatis, *Tractorias* ejusmodi commodavit. Facta hæc Anno CCCXIV.

XVII. Concilium pro Cæciliano pronunciat.

XVII. Tanta Imperatoris humanitate allecti Patres ad ducentos convenerunt, in quibus & *Restitutus* aliquis numeratur *Londinensium* Præsul. Aderat & cum suis *Cæcilianus*: nec partibus suis *Donatistæ* defuere. Ipse quoque *Constantinus*, VELUT COMMUNIS OMNIUM EPISCOPUS A DEO CONSTITUTUS, non dedignatus adesse & considere in medio eorum conventu, cognitionis particeps fuit. Quamvis autem acta hujus Concilii non nisi multis partibus mutila exstent (*Baronius* suspicatur à *Donatistis* corrupta atque truncata esse) ex *Augustini* tamen atque *Optati Milevitani* scriptis constat, *Cæciliani* caussam accurate fuisse recognitam, recitatum pariter judicium Proconsulis *Æliani* in caussa *Felicis Aptungitani* Episcopi, ratumque à Patribus habitum. Sic ut communi Antistitum omnium calculo approbata *Cæciliani* innocentia, in sede sua confirmatus fuerit.

XVIII. Non tamen acquiescunt Donatistæ.

XVIII. Non uno id modo ab adversariis acceptum est. Pauculi quidam cum Episcopis consentientes in eorum sententiam pedibus iverunt: alii contumaci animo obluctati sunt; eaque moliti, quæ nisi a *Donatistis*, id est, hominibus insano mali animi œstro percitis, haut temere exspectes.

XIX.

XIV. Memorabilis est *Constantini* circa eos comitas lenitasque, quam Eusebius prædicat: *in Vita Const. Lib.* I. *C.* XLIV. XLV. Ei præ cæteris rebus omnibus pax Ecclesiæ curæ ac cordi erat. Itaque considebat in medio tanquam unus e multis, Protectores quidem cunctosque corporis custodes procul amovens, Dei autem timore contectus, & amicorum fidelium benevolentia vallatus. Et quoscunque saniori sententiæ acquiescere, & ad quietem ac concordiam propensos esse animadverterat, eos cum maxime probabat: pertinaces vero & immorigeros aversabatur. Ita tamen ut neque illos Principis destituerit clementia. Quin & nonnullos qui adversus ipsum asperius invecti fuerant patienter tulit, leni ac sedata voce præcipiens ut modestius agere, nec seditiones excitare vellent. Ex his alii, admonitiones ejus reveriti, a pertinacia animi destiterunt. Alios, qui ad sanam mentem nullo remedio revocari poterant, Deo committens relinquebat, nihil adversus quenquam asperius unquam designans. XIX. *Constantini in eos lenitas.*

XX. Debebat certe tanta Imperatoris lenitas turbulentorum hominum animos ad obsequium flectere; at prorsus contrarium accidit. Eo enim devenerunt improbitatis, ut abrupta quædam facinora tentarint; dæmone, ut videtur, ob præsentem bonorum copiam invidia percito, & ad gravia quædam atque atrocia facinora homines incitante, quo Imperatoris animum contra ipsos accenderet. Verum nihil profecit invidia; quum Imperator ea quæ fiebant ridenda esse duceret, & maligni dæmonis impulsionem agnoscere se affirmaret. Neque enim sanorum hominum ea esse facinora, sed vel penitus amentium, vel eorum qui nequissimi dæmonis stimulis agitarentur: ejusmodi homines miseratione potius quam supplicio dignos esse. *Non enim tantæ justitiæ est insurgere adversus furorem hominum, quantum eorundem vicem dolere extremæ humanitatis est.* Hæc totidem pene verbis *Eusebius.* XX. *Qua redduntur efferatiores,*

XXI. At neque ibi substitit munificentia Imperatoris, Nam sicut Schismaticos publica evectione ex *Africa* in *Gallias* evocaverat, ita eosdem quantumvis pertinaciter Synodi decretis reluctantes, & incredibili audacia a Synodo, cui Imperator intererat, ad Imperatorem provocantes, eadem liberalitate redeuntes prosecutus est. XXI. *Non cessante tamen Imperatoris in ingratos munificentia.*

XXII. Imo & insigni Epistola ad universos per *Africam* Episcopos, & plebem Ecclesiæ Catholicæ scripta, hortatus eos est, ut *quidquid insolentia illorum pro consuetudine intemperantiæ tentaverit feceritve, id totum tranquillitatis virtute tolerent: nihil ex reciproco reponatur injuriæ; maxime quum debeat fides nostra confidere, quidquid ab hujusmodi* XXII. *Qui insigni Epistola fideles hortatur ut eorum*

XVI. Earum formula.

XVI. Porro ut de … *gratia apud Deum esse valiturum.*
centia rite arbitr… *nomine Dei vincere, quam inconditis*
sive *Tra*… *populum lacessentes constanti pectore susti-*
cto … *servaverit vestra sinceritas, cito videbitis, per*
b … *, ut languescentibus eorum institutis,* …
l … *contentionis vexillarios præbent, sciant omnes* …
… *persuasione pereuntes sempiterno leto dare, qui possint,*
… *, semper vitæ æternæ, correctis erroribus suis, integrari.*

XXIII. Nimia fortassis videri possit tanta *Constantini* lenitas: sed quod in ipsis Christianismi sui primordiis eximium benignitatis atque clementiæ exemplum edere voluerit, quo cæterorum Tyrannorum exsecrabilior appareret crudelitas; non deerant rationes, ob quas hoc modo sibi agendum censeret. *Donatistarum* factio maximam Episcoporum in *Africa* partem, & ingentem populi multitudinem suis implicuerat moliminibus; neque committendum Imperatori videbatur, ut intempestiva severitate exacerbatis tot hominum millibus, tota ea Provincia e fumo, quod ajunt, in flammam conjiceretur, nutaretque in obsequio. Nimirum natura contumax est humanus animus, & in contrarium atque arduum nitens; maxime in re religionis. Tum subita coercitio plus sæpe damni in rempublicam infert: præsertim quum magna est delinquentium multitudo: qui, ut rei agi possint, acie vincendi sunt. Uti in morbis corporis nihil est magis periculosum, quam immatura medicina, ita & in hoc animi. Sane istos ab atra bile Dies plerumque sanat & Quies.

XXIV. Quamvis consilio non responderit eventus.

XXIV. Prudenter hæc *Constantino* observata, qui sibi certe æternam inde lucratus est Clementiæ laudem, quamvis consilio eventus non omnino responderit. Abusi enim Imperatoris lenitate a Synodo, ut diximus, ad eum provocarunt. Quod utut valde ei displicuerit, illorum tamen importunitati cedens, jussit ut partes ad caussam nunc tertium agendam *Romam* sibi occurrerent. Præsto fuerunt schismatici: at non ilico *Cæcilianus* venit: sive indignum ratus, Episcopum, eundemque *Africæ Primatem*, bis ab Antistitibus in diversis Conciliis absolutum, tertium nunc hominis Laici, ejusdemque nondum baptizati, judicio subjici, quod *Baronio* hariolari libuit; sive quæ alia subfuerit caussa; de qua nihil sibi constitisse *Augustinus* fatetur. Sed advenit tandem *Mediolanum*, quo & secum Imperator *Donatistas* sumserat. Ibi caussa tertium cognita, *Cæcilianum* innocentissimum, illos improbissimos judicavit.

XXV.

XXV. At quid illi triplici ſententia damnati fecerunt? Num acquieverunt, conſilii inopes? Quis enim ſupererat, ad quem ab Imperatoris ſententia appellarent? Vide naturam perfidiæ, quæ convinci fortaſſe poteſt, vinci non poteſt. Anno CCCXVI. reverſi in *Africam* Baſilicam invaſerunt, quam *Conſtantiæ*, *Numidiæ* civitate, *exſtrui Conſtantinus* curaverat. Sed & vide Chriſtianæ fidei indolem, quæ tolerando vincit. Ea Baſilica, ſibi a *Conſtantino* data, a *Donatiſtis* ſcelerate occupata, privati *Catholici* Chriſtiana patientia jacturam tolerant, a turbiſque excitandis penitus abſtinentes, petierunt ab Imperatore ex publico ſibi largiretur locum in quo ædem ſacram ædificarent. *XXV. Iterum tumultuantibus Donatiſtis, tertio damnatis.*

XXVI. Perplacuit *Conſtantino* ea Catholicorum modeſtia: quam impenſe ſuis ad eos literis laudavit. *Satis*, inquit, *gratulatus vobis ſum, quod de impiis & ſceleratis, ſacrilegis & profanis, perfidis & irreligioſis, & Deo ingratis & Eccleſiæ inimicis, nullam vindictam poſcitis, & ut iidem potius ad veniam pertineant poſtulatis. Hoc eſt vere penitus Deum noſſe: hoc eſt præceptis inſiſtere: hoc eſt fideliter credere: hoc eſt vere ſentire: hoc eſt ſcire quod major vindicta in contrarios Eccleſiæ provocetur, quum iiſdem in ſeculo parcitur.* Porro petitionem eorum libenter amplexus, ſumtu Fiſcali (ita eo tempore loquebantur) Baſilicam erigi curavit. *XXVI. Catholici autem modeſtiam ſuam valde Imperatori probant.*

XXVII. Scripſit interim *Celſo Vicario* in animo ſibi eſſe iter in Africam inſtituere; ſi forte præſentia ſua, veluti ſole aliquo, atras illas contentionum nubes diſcutere poſſet. *Quum*, inquit, *favente pietate Divina in Africam venero, pleniſſime univerſis, tam Cæciliano, quam iis qui contra eum agere videntur, lecto dilucido judicio, demonſtraturus ſum, quæ & qualis ſummæ Divinitatis ſit adhibenda veneratio, & cujuſmodi cultu delectari videatur. Adhibito etiam diligenti examine, ea quæ nunc aliqui exinde inlecebris mentis ignorant atque occultare ſe putant, pleniſſime ſum reperturus, atque in lucem facturus venire: eaſdem perſonas quæ res iſtiuſmodi concitant, faciuntque ut non cum ea qua oportet veneratione ſummus Deus colatur, perdam atque diſcutiam. Scire itaque pro certoque habere debent, ad pleniſſimam fidem (ſalute etiam teſte invocata) quod tam ſuper plebe, quam ſuper clericis his qui primi ſunt, ſim diligentiſſime inquiſiturus; idque judicaturus quod veriſſimum & religioſiſſimum eſſe manifeſtum ſit.* In quibus verbis majoris quidem ſe prodit propoſitum ſeveritatis: attamen non exerendæ, niſi exploratis primum tentatiſque omnibus. *XXVII. Scribenti in animo ſibi eſſe iter in Africam inſtituere.*

XXVIII. Cæterum interceſſerunt multa quo minus in *Africam* proficiſci *Conſtantino* licuerit. Hinc væſanorum hominum audacia crevit, *XXVIII. Quo non ſuccedente*

re, Imperatorem ipsum vesani homines calumniantur. crevit, & qua pervicacia Episcoporum restiterant judiciis, eadem Imperatorem calumniati sunt; quasi gratia corruptus iniquissimam tulisset sententiam. Qua re vehementer commotus in turbatores animadverti, & duci jussit. Mox tamen cohibens conceptam, quantumvis justis de caussis, indignationem, à sanguine abstinuit, mitioribusque, quod Ecclesiastici essent, pœnis adficiendos censuit, ita ut Basilicis privati exilio multarentur. Sed & hujus quoque exilii, exacto quadriennio, veniam iis fecit. Deo relinquens puniendos, quos nec pœna correxisset, nec clementia emolliisset.

XXIX. Donatistæ suorum quosdam Romam mittunt. XXIX. Circa hoc tempus, AN. CCCXXI. quum animum inducerent utile rebus suis futurum, si qualemcunque cum Episcopo Romano illiusque Ecclesia communionem habere viderentur, suorum quempiam Episcopum à se creatum Romam amandarunt, ut illic ageret, ibique suæ communicationis homines colligeret. Primus eorum fuit *Victor Garbiensis*, cui quinque suffecti sunt alii, ad ea usque tempora quibus *Optatus* adversus *Parmenianum* scribebat. Id autem accurabant, ut eos ex suis Romam mitterent, quos scirent omnium disertissimos & sanctitatis quadam opinione inclutos esse. Ita enim existimabant fore ut in urbe orbis Domina sectæ suæ famam optime sustinerent.

XXX. Qui inde in proximos montes pulsi Montenses dicti sunt, Campitæ, & Rupitani. XXX. Sed nimis oculati *Romani* erant, quam ut hac ratione fucum sibi fieri paterentur. *Donatistas* igitur expulsos, in proximis montibus subsistere, atque sua ibi, si vellent, conventicula habere coegerunt. Unde *Montensium* iis nomen hæsit; quo nomine ob consimilem caussam ante eos nuncupati fuerunt *Felicissimi* alicujus schismatici sectatores tempore *Cypriani*. *Hieronymus* eosdem & *Campitas* dixit, quod in *Campis* suos colligerent: *Augustinus*, *Rupitanos*, à Rupibus in quibus degebant.

CAP. III.

Continuatio schismatis, sub Donato.

I. Sub Donati Episcopatu deteriores facti sunt Donatistæ. II. Tum orti Circumcelliones. III. Genus hominum furibundum. IV. Sudibus primum, mox & telis armati. V. Non in alios solum, sed & in se ipsos sævientes. VI. Constans Augustus, pacis Ecclesiasticæ cupidus, Paulum & Macarium in Africam cum muneribus mittit. VII. Adversus quos Circumcelliones suos incitat Donatus. VIII. Quorum furori a Silvestro comite opponuntur milites.

IX. Con-

IX. Concilium Carthaginiense primum. X. Julianus, ut discordias inter Christianos foveret, favet Donatistis. XI. Qui ejus fulti præsidiis in sacratissima quæque immaniter sæviunt.



Tque hæc quidem à *Donatistis* gesta sunt quum Majorinum sectæ suæ Episcopum apud *Carthaginem* haberent. Ei fatis functo circa annum cccxxxi. successit Donatus ille, cujus iconem supra dedimus. Quo gubernante, alia, at longe deterior, rerum Donatisticarum facies fuit. Facti tunc magis magisque sunt mirabiles pragmatici, magisque versipelles & versuti calumniatores, quam ulli unquam fuerint in suo foro caussidici. Facti etiam gladiatores magis sanguinarii, quam ulli in castris educati milites, qui non ex jure manu consertum, sed mage ferro (ut ait *Ennius*) rem repetunt. Quum enim Donatus superbo admodum ac feroci præditus esset ingenio, nihil sibi illicitum esse censuit, quo & aliis ægre faceret, suorumque potentiam augeret. **I. Sub Donati Episcopatu deteriores facti sunt Donatistæ.**

II. Docente igitur illo, &, uti credere par est, hortante, orti sunt in Africa *Circumcelliones*, corrupto vocabulo *Circelliones* dicti, quod circum *Cellas* vagarentur. Donatus *Agonisticos*, eorumque præfectos *Duces Sanctorum*, nominavit. Erant autem genus hominum agreste & audax, qui se pro sectæ defensoribus gerebant, præfectis intrepide resistentes, quique per nundinas, villas, vicosque circumvagantes, publicæ se justitiæ vindices esse jactabant. Specioso hoc prætextu & servos ad pileum vocabant, & oppressos ære alieno à creditoribus liberabant; minaces literas ad eos scribentes, quibus mortem intentabant, ni deletis chirographis debita expungerent. **II. Tunc orti Circumcelliones.**

III. Hinc turbata propemodum omnia. Nulli enim possessionum suarum securo esse licuit: debitorum chirographa amiserant vires: nullus creditor exigendi habuit libertatem: terrebantur omnes profanorum hominum literis, qui se sanctorum duces esse impie gloriabantur. Eam quippe sibi conciliaverant auctoritatem, ut, si in illorum jussionibus exsequendis vel tantillum traheretur moræ, mox insana advolaret multitudo, rerum dominos mortis metu ad obsequia, humilesque & indignas viris preces compellens. At neque itinera satis tuta erant. Dominos vehiculis suis excussos, ante mancipia, Dominorum locis confidentia, currere coegerunt. Sic eorum arbitrio conditiones mutabantur. **III. Genus hominum furibundum.**

IV. Primo solis armabantur sudibus, quas *baculos Israëlis* dicebant. His, ubi sævire lubuit, ita percusserunt obvios ut lenta confecti nece **IV. Sudibus primum, mox**

& telis armati. nece mori se sentirent; ubi clementia uti maluerunt, validiore ictu eliserunt cerebrum. At deinceps telis quoque omnique armorum genere usi sunt. Maxime adversus Episcopos & clericos sævientes. *Quando quorundam & oculi exstincti sunt*; (*Augustini* hæc verbis refero *Epist.* L.) *& cujusdam Episcopi & manus & lingua præcisa est: nonnulli etiam trucidati sunt. Taceo crudelissimas cædes, & domorum deprædationes per nocturnas aggressiones, & incendia non solum privatorum habitaculorum, verum etiam Ecclesiarum: in quas flammas non defuerunt qui & codices Divinos mitterent.*

V. Non in alios solum, sed & se ipsos sævientes. V. Cæterum id fidem propemodum superat, quod qua immanitate in alios, eadem in se ipsos sævierint. Nonnulli ipsorum *Circuitores* dicti: qui, *Philastrio* teste, terras circumeuntes, quos in via inveniebant, ad sui coegerunt interfectionem, dicentes se martyrii teneri desiderio. Quidam etiam ex iis, veluti *Biothanati*, saxa immania, & montium horrida prærupta, voluntariis nobilitarunt mortibus. Qui insani istius martyrii gloriam affectabant, id longo ante tempore iis qui secum sentiunt significare solebant. Illi autem omni eos officii genere observare, iis inservire, suavissimos cibos offerre, veluti quædam sacrificio destinata animalia præpascentes & saginantes. Postquam ergo in his deliciis laute admodum & opipare aliquamdiu vixissent, coegerunt obvios letalia eis vulnera ense inferre. Et nonnulli quidem institutum assecuti sunt, alii vero ab eo excidere. Quis enim sanæ mentis manifestæ in se cædis crimen susceperit? Instar Corybantum itaque furentes & debacchantes, ex alto se præcipites dederunt: alii in ignes insilierunt, alii sibi gulam præciderunt. Tantoque in hanc insaniam ferebantur impetu, ut Episcopi ipsorum frustra adhibitis admonitionibus ac censuris Ecclesiasticis, Magistratuum opem ad furoris coercitionem imploraverint. Nam & fœminæ deposita omni mansuetudine metuque mortis, qui tamen ipsis magis quam viris innatus esse videtur, religiosam professæ vitam, & ex stupro gravidæ, ex alto se præcipitantes rupto utero crimen prodebant, duplici parricidio nequiter obstrictæ. Atque hæc de *Circumcellionibus* semel nobis dicta sunto: non tam ex ordine temporum, quam rerum; ut væsanissimorum hominum furorem uno veluti obtutu conspiciendum Lectori darem.

VI. Constans Augustus, pacis Ecclesiasticæ cu- VI. Hæc dum in Africa agebantur, CONSTANS Augustus, qui Patri Constantino in partem imperii successerat, operam sibi dandam existimavit, ut cum veritate pax redderetur Ecclesiis. At quemadmodum laudabili solicitudine procuravit, ut sub fratris Imperatoris ditione

ditione *Orientales* Ecclesiæ suis ipsarum Episcopis potitæ, quos per vim Ariani extruserunt, in pace agerent; ita neque negligendum sibi Africanæ statum Ecclesiæ arbitratus est; quæ ob amplitudinem nobilitatemque suam, totius *Occidentalis* Imperii, sibi subjecti, decus atque ornamentum erat. Quamobrem ex omnibus quos fidos sibi, rerumque gerendarum peritos compererat, *Paulum* atque *Macarium* Legatos in Africam decernit, viros pietate ac prudentia inclutos; eo quidem prætextu, ut munificentia Imperatoris pauperum omnium sublevarent inopiam, at revera ut populum ab imbuta ferocia tantis beneficiis delinitum, ad ineundam cum fratribus concordiam pellicerent.

pidus, Paulum & Macarium in Africam cum muneribus mittit.

VII. Facile id consilium *Donato* suboluit: qui sævis in Imperatorem jactis convitiis, suis interdixit, ne quid ex illius acciperent largitate. Imo præconibus circumquaque missis, *Circumcelliones* suos per omnes nundinas incitavit, qui *Paulo* atque *Macario*, propensisque ad pacem animis, molesta ubique negotia facesserent. Illi autem ea vi atque sævitia grassabantur, ut ipsi Donatisticæ factionis Episcopi aliquot, animadverso invidiam sibi profligatorum hominum sceleribus fieri, *Taurino Comiti* scripsisse dicantur, hujusmodi homines corrigi in Ecclesia non posse, illiusque armatam inploraverint disciplinam. Nec defuit postulato *Taurinus*: missoque per nundinas milite, ubi *Circumcellionum* furor vagari consueverat, tumultus illos acriter compescuit. In *Octaviensi* loco occisi sunt plurimi, detruncati multi, quorum corpora longo post tempore per dealbatas aras aut mensas potuerunt numerari.

VII. Adversus quos Circumcelliones suos incitat Donatus.

VIII. Ipsi quoque *Paulus* & *Macarius*, ad sui thesaurorumque quos ferebant pauperibus erogandos, securitatem, a *Silvestro Comite* militem petere coacti sunt; non quo vim facerent, sed quo vim a *Donato* dispositam prohiberent. Quum autem militum aliqui proterve admodum a *Donatistis* excepti essent, ira conciti omnes impetum in eos fecerunt; præfectis, nequicquam eos retinere cupientibus, haut satis dicto audientes. Hinc ortæ deinceps *Donatistarum* querelæ, invidiosis sermonibus diram se sub *Pauli* ac *Macarii* legatione persecutionem passos esse jactantium: dum suos qui ita occubuerant beatorum martyrum albo inscriberent. Qui tamen revera Imperatoris obnisi munificentiæ, ac sine ulla probabili caussa tumultuantes, debitas rebellionis suæ dederunt pœnas: uti prolixe disputavit *Optatus*. Atque hæc sunt *Macariana* illa *tempora*: quorum crebra apud *Augustinum* mentio est; invisa Donatistis, quippe ex quorum grege multi tunc Ecclesiæ redditi, frustra frendentibus reliquis, alii fugere coacti, nonnulli etiam capti, & procul relegati: maxime *Donatus*, Donatistarum

VIII. Quorum furori a Silvestro comite opponuntur milites.

Princeps, malorum omnium fons atque auctor. Refert hæc *Baronius* ad *Annum Christi* CCCXLVIII: *Constantis* XII.

IX. Concilium Carthaginiense primum.

IX. Eo tempore per *Gratum*, Orthodoxæ communionis Episcopum Carthaginiensem, convocatum *Carthagine Concilium* est, quo quæ ad *Veritatem* spectabant confirmarentur. Quis vero tunc Ecclesiæ Africanæ status fuerit, non aliunde certius; quam ex *Grati* ad Episcopos in Concilio considentes alloquio, discamus. *Gratias*, ita præfatus, *Deo omnipotenti & Christo ejus, qui dedit malis schismaticis finem & respexit Ecclesiam suam, ut in ejus gremium erigeret universa membra dispersa: qui imperavit religiosissimo Constanti Imperatori, ut votum gereret Unitatis, & mitteret ministros sancti operis, famulos Dei, Paulum & Macarium: & Universæ Provinciæ Africæ hodierna die ad concilium gratia Dei Carthaginem convenirent. Dei nutu ergo congregati ad unitatem, per diversas provincias Concilia celebremus* Actum in hoc Concilio de *Anabaptismo* est, & cohibitum *falsum Martyrium*. Soletque hoc PRIMUM CARTHAGINIENSE dici: non quod nullum eo prius celebratum sit; sed quod aliorum acta perierint; & illorum quæ exstiterunt post Constantinum hoc ipsum antiquissimum esse comprobetur.

X. Julianus, ut discordias inter Christianos foveret, favet Donatistis.

X. Ita ergo per *Constantem* pax aliqua Africanæ Ecclesiæ procurata est: sed ea non admodum diuturna: quippe quæ non nisi ad *Constantii* Imperatoris obitum servata est. Cui quum succederet *Julianus Apostata*, iidem *Donatistæ* infrænata licentia in Catholicos furentius sævierunt. Non puduit ambitiosos homines legationem ad *Julianum* decernere, quæ adulatoriis suppliciis ipsi soli justitiam attribuens, exules patriæ, ablatasque sibi basilicas restitui peteret. Facile id a *Juliano* impetratum est. Cui & prædecessorum suorum, Principum Christianorum, rescripta atque acta rescindere, & Christianos inter se committere volupe erat. Fore enim sperabat, uti prudenter a *Chrysostomo* observatum est, ut postea minori negotio debellarentur, si prius inter se conflictati essent. Facinus hoc eleganter ipsis exprobravit *Optatus Lib.* II. *Deinde alter*, inquit, *ut omnibus notum est, secutus Imperator, vobiscum vota sinistra concipiens, ex famulo Dei factus est minister inimici: Apostatam se edictis suis testatus est. Quem precibus rogastis ut reverti possetis. Quas preces, si vos negatis misisse, nos legimus. Nec difficultatem præbuit, quem rogastis: ire præcepit pro voto suo, quos intellexerat ad disturbandam pacem cum furore esse venturos. Erubescite, si ullus est pudor. Eadem voce vobis libertas est reddita, qua voce idolorum patefieri jussa sunt templa. Iisdem pene momentis vester furor in Africam revertitur, quibus Diabolus de suis carceribus relaxatur; Et non erubescitis qui*

uno tempore cum inimico communia gaudia possidetis. Tale autem fuit illud *Juliani* in Donatistarum gratiam rescriptum, ut proposito programmate celeberrimis in locis post tot annos affigi illud jusserit *Honorius Imperator*, & gesta, quibus est ejusmodi allegatio inserta, subnecti, ad Donatistarum dedecus & Juliani ludibrium. Vid. L. XXXVIII *Cod. Theodos. de Hæreticis.*

XI. Voto tamen suo, tam hic, quam illi, potiti sunt. Exilii quippe venia *Donatistis* facta, factiosissimi duces schismatis, grassatorum atque prædonum instar, in Catholicos maximo impetu irruerunt, adeo quidem ut lacerati sint viri, tractæ matronæ, infantes necati, abacti partus, dum sedibus suis expellebatur Catholica frequentia. Præterea basilicas invaserunt, culmina conscenderunt, nudarunt tecta, diaconos altaria defendentes tegulis plurimum cruentatos oppresserunt; atque, ut ingenium hominum noris, quasi Catholicorum religiosis exercitiis polluta templa essent, exorcismis ac lotionibus ea expiare aggressi sunt: etiam parietes lavari, & inclusa spatia salsa aqua aspergi præceperunt. In qua re quos ineptiarum sequaces habeant, haut nunc necesse est ut moneam. Ad hæc, sacris virginibus vim intulerunt; Eucharistiam denique ipsam projecerunt canibus. Attamen, si *Optato* fides est, *non sine signo Divini judicii: nam iidem canes accensi rabie, ipsos Dominos suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos, laniaverunt.* Atque ita *Donatistæ*, qui exstincti propemodum sub *Constantio* videbantur, *Juliani* Imperatoris fulti præsidiis, adeo adversus Catholicos invaluere, ut qui insecuti sunt Imperatores Christiani eorum consiliis eludendis & conatibus elidendis vix aut ne vix quidem suffecerint.

XI. Qui ejus fulti præsidiis in sacratissima quæque immaniter saeviunt.

Cap. IV.

Donatistarum inter se schismata.

I. Parmenianus, tertius Donatistarum Episcopus, caussam suorum scriptis agit. II. Cui magna lenitate, at egregie, respondet Optatus Milevitanus. III. Ticonii in schismate Donatistico schisma. IV. Item alterum Rogati. V. Primianus IV *Donatistarum Episcopus. VI. Insigni sententia a Donatistica Synodo damnatus. VII. Suffecto ei Maximiano: unde nova schismata Primianistarum, & Maximianistarum. VIII. A Numidis & Mauris inclementi sententia damnatus Maximianus est. IX. Et* XII *qui eum ordinaverant Episcopi. X. Venia, at magno cum fastu, oblata iis qui minus peccasse credebantur. XI. Crudelitas*

Primianistarum in Maximianistas. XII. Et Salvium Episcopum. XIII. Primianus tamen communionis suæ gratiam Maximianistis fecit.

I. Parmenianus, tertius Donatistarum Episcopus, caussam suarum scriptis agit.

I. INterjecto tempore diem obiit *Donatus*, cui circa Annum Christi CCCLXVIII, *Valentiniani* & *Valentis* V, subrogatus est PARMENIANUS, ejusdem sectæ tenacissimus propugnator, *tertius Donatistarum* apud Carthaginem *Episcopus.* Qui mox ut cathedram illam nactus est, stilum adversus Catholicos acuit, scripta edens conserta mendaciis, quibus, si non alii, simpliciores saltem, decipi potuissent. At nec suis defuerunt partibus Catholici, qui ad deliramenta hominis confutanda, cavendasque ex verborum offuciis præstigias, provocaverunt hominem ad publicum Episcoporum conventum, ubi cuncta ab eo scripta accurate examinari possent. Ipse vero, & qui ab eo stabant, respuerunt Catholicos, quasi ipsorum indignos consortio, quod immundos eos, communicationeque lapsorum labefactatos, se ipsos vero sanctos ac mundos prædicarent. Hinc necessitas piis imposita, literis saltem, publicam caussam suamque innocentiam tueri.

II. Cui magna lenitate, at egregie respondet Optatus Milevitanus.

II. In qua re egregiam navavit operam *Optatus Milevi* in *Numidia* Episcopus, sæpe nobis in hoc scripto dictus, sæpe dicendus. Vir quum eruditione clarus, quantum ea ferebat terra, ea tempora; tum spectata morum integritate sanctissimus. Contendebat *Parmenianus*, in parte *Donati* esse Ecclesiam Catholicam, reliquas autem omnes toto orbe terrarum esse schismaticas: cunctosque a se dissentientes, ut peccatores, immundos, foris extra Christi gregem palantes, exules, ac denique paganos, multa ac maledica acrimonia criminabatur. Respondit ei *Optatus* prolixa animi sermonisque lenitate, passim eum *Fratrem* suum appellans, *ex consortio Sacramenti, quod uno Baptismo, ab una progenitrice Christiana religione, renati essent. Quoniam*, inquit, *& accessum prohibent, & aditus intercludunt, & consessum vitant, & colloquium denegant; vel tecum mihi, Frater Parmeniane, sit isto modo collatio. Et quia tractatus tuos, quos in manibus & ore multorum esse voluisti, non adspernatus sum, neque contemsi; audias & tu humilitatis nostræ responsa.* Utinam ea modestia, quam ego eruditionis decus atque ornamentum, & virtutem ipsa eruditione digniorem esse censeo, in dissentientium Fratrum scriptis æque semper, aut magis etiam, dominaretur! Id autem in quo totius vertebatur cardo quæstionis, quibus distinctis notis expressisque proprietatibus Catholica definiatur Ecclesia, ut penes quos ea exstet dijudicari certius queat, id, inquam, iis exsecutus argumentis

mentis *Optatus* est, quæ neque prorsus contemnas, neque omni ex parte probes.

III. Hoc certe *Ticonio*, Donatisticæ sectæ Episcopo, vis veritatis extorsit, ut, adversatus *Parmeniano*, defenderet, Catholicam Dei Ecclesiam toto orbe diffusam, sicut de illa tanto ante per corda & ora Sanctorum prævisum atque prædictum est. Quo præcepto, suscepit adversus ipsos suos demonstrare, nullius hominis quantumvis sceleratum peccatum præscribere promissis Dei: nec id agere quorumlibet intra Ecclesiam constitutorum quamlibet impietatem, ut fides Dei de Ecclesia futura & diffundenda usque ad terminos orbis terrarum evacuaretur. Hoc ergo *Ticonius* quamvis vehementer copioseque dissereret, & contradicentium ora multis ac manifestis scripturarum testimoniis oppilaret, non tamen vidit, quod consequenter videndum fuit, illos in Africa Christianos pertinere ad Ecclesiam toto orbe diffusam, qui utique non istis ab ejusdem orbis unitate sejunctis, sed ipsi orbi terrarum per communionem necterentur. Verum & in aliis saniora sensit, quam multi suæ sectæ homines. Scripsit enim, *Augustino* teste, *Ad Vincent. Epist.* XLVIII. a ducentis & septuaginta Episcopis Donatisticis *Concilium Carthagine* celebratum; in quo Concilio per septuaginta & quinque dies, postpositis omnibus præteritis, limatam esse sententiam, atque decretum, *ut Traditoribus, immensi criminis reis, si baptizari nollent, pro integris communicaretur. Deuterium* etiam *Macrinensem* Episcopum ejusdem communionis, dicit, *Traditorum plebem Ecclesiæ congregatam miscuisse, & secundum istius Concilii statuta fecisse cum Traditoribus unitatem: eique Deuterio post hoc factum jugiter communicasse Donatum: nec solum huic Deuterio, sed & universis Maurorum Episcopis per quadraginta annos, quos dicit usque ad persecutionem per Macarium factam Traditoribus sine Baptismo communicasse.* Impendio hæc displicuerunt *Parmeniano*, obstinati animi ac fervidi ingenii viro, qui ita dissertantem scribentemque *Ticonium*, quum frustra literis compescere conatus fuisset, ex nescio cujus Concilii decreto Anathemate percussit.

III. Ticonii in schismate Donatistico schisma.

IV. Præter hoc *Ticonii* in schismate schisma, aliud molitus est *Rogatus Maurus* in *Mauritania Cæsareana*; cujus qui sequebantur partes ab ipso *Rogatistæ* dicti sunt. Caussam separationis auctores non tradiderunt. Ægerrime tamen hanc, quantumvis exiguam, discessionem tulerunt *Donatistæ* reliqui: implorata *Firmi*, eo tempore tyrannidem in Mauritaniam exercentis, ope ad temerariæ secessionis vindictam. Fuerunt & alii, qui discretos a cæteris formantes cœtus,

IV. Item alterum Rogati.

Urbanistæ & *Claudianistæ* fuerunt nuncupati: obscura & vix memoratu digna nomina.

V. Primianus IV. Donatistarum Episcopus.

V. At hæ quidem scintillæ gliscentis inter Donatistas dissensionis, sed quæ in apertam lateque grassantem erupere flammam, quum de successore *Parmeniani*, qui obiit circa *Annum Christi* CCCXCIV. *Theodosii* XVI. vehementer inter ipsos litigatum fuit. Prolixe eam historiam descripsit *Augustinus* in *Psalmum* XXXVI, & in libris contra *Cresconium*. Nos in compendium dabimus. PRIMIANUS a suæ sectæ hominibus post *Parmenianum* in Cathedra Carthaginensi collocatus, Diaconorum suorum aliquem *Maximianum* communione movit. Is iniquæ, ut arbitrabatur, censuræ impatiens, ad alios questum ivit Episcopos, suum illum *Primianum* atrocissimorum criminum reum peragens. Ad examen caussæ convocatur Synodus apud *Cavernas Susis*, haut procul *Carthagine*, quinquaginta & trium Episcoporum. *Primianus* eo citatus renuit se sistere: Patres Synodici a senioribus Ecclesiæ exorati, Carthaginem profecti, pessime ab ipso accepti sunt; adeo ut non adventum solummodo eorum declinaverit, verum etiam conducta perditorum multitudine, atque impetratis Officialibus, Basilicarum januas obsederit, interdicta Patribus ingrediendi & solemnia agendi facultate. Quæ quum ab ipso pervicaciter & petulanter agerentur, hæc ab illis in eum lata legitur sententia: interest enim ut cognoscatur quæ sibi invicem crimina impegerint homines sui opinione præ cæteris omnibus sanctissimi.

VI. Insigni sententia a Donatistica Synodo damnatus.

VI. *Decrevimus omnes Sacerdotes Dei, præsente Spiritu Sancto, hunc eundem Primianum, primo quia supra vivos Episcopos alios subrogavit: quod incestos cum sanctorum communione miscuerit: quod presbyteros ad conjurationem in eadem constringere pertentaverit: quod Fortunatum presbyterum in cloacam fecerit mitti, quum ægrotantibus baptismo succurrisset: quod communionem Demetrio Episcopo denegaverit, ut cogeret filium abdicare: quod idem presbyter objurgatus sit, quod Episcopos hospitio suscepisset: quod supradictus Primianus multitudinem miserit, quæ Christianorum domos everteret: quod obsessi sint Episcopi simul & Clerici, & postea ab ejus satellitibus lapidati sint: quod in Basilica cæsi sint seniores, quod indigne ferrent Claudianistas ad communionem admitti: quod innocentes clericos putaverit esse condemnandos: quod se nobis audiendum noluerit exhibere, quum Basilicarum fores, ne ingrederemur, multitudine & officialibus intercluserit: quod legatos a nobis ad se missos injuriose rejecerit: quod loca multa vi primo, dehinc auctoritate judiciaria usurpaverit: præter alia illicita ejus admissa, quæ pro honestate stili nostri silui-mus:*

mus: *a Sacerdotali choro perpetuo esse damnatum, ne eo palpato Dei Ecclesia, aut contagione, aut aliquo crimine maculetur.* Quam ob rem omnes Sacerdotes, & omnes Clericos, & omnes populos qui se Christianos meminerunt, sua hac *Tractatoria* commonent, ut omnes ejus communionem utpote damnati, diligenti cura horreant.

VII. Paullo post alterum *Cebarsussi* coactum est Concilium centum vel amplius Episcoporum; ubi iterum & plenius damnatus *Primianus* est, suffecto in ejus locum, eodem quem ipse prædamnaverat Ecclesiæ suæ Diacono, *Maximiano*, cui a duodecim in eo Concilio Episcopis imponuntur manus. Atque ita nunc una Schismaticorum sedes apud Carthaginem binos simul habebat Episcopos, *Primianum* & *Maximianum*: uterque suos asseclas, quorum illi *Primianista*, hi *Maximianista* dicti sunt.

VII. *Suffecto ei Maximiano: unde nova schismata Primianistarum, & Maximianistarum.*

VIII. *Primianus* videns Episcopos Provinciæ proconsularis, *Bizacena*, & *Tripolitana*, *Maximiano* favere, opem *Numidarum* atque *Maurorum* implorabat. Iterum igitur, ipso instigante, Concilium cogitur *Bagai* civitate *Numidia*, ubi trecenti atque decem convenerunt Episcopi: qui examinata caussa *Primiani*, præsentis, & *Maximiani*, absentis, neque ut par erat citati; illum quidem ab impactis sibi criminibus absolverunt, in hunc autem acerbissime invecti sunt. Verba sententiæ *Augustinus* exhibet, *contra Cresconium Lib.* III. *Cap.* LIII. & *Lib.* IV. *Cap.* XXXI. Nos speciminis loco aliqua dabimus. In *Maximianum* ipsum hoc sermone sæviunt: *Maximianum, fidei æmulum, veritatis adulterum, Ecclesia Matris inimicum, Dathan, Core, atque Abiron ministrum, de pacis gremio sententia fulmen excutiat, quem non solum mors justa sui sceleris condemnat, sed etiam trahit in consortium criminis plurimos catena sacrilegii: venenum aspidis sub labiis eorum, quorum os maledictione plenum est & amaritudine &c. jacent membra abscissa, quæ pestifera putredo ita corrupit, ut plus habeat in abscissione solaminis, quam in remissione medicaminis.*

VIII. *A Numidis & Mauris inclementi sententia damnatus Maximianus est.*

IX. Tunc ad eos duodecim qui Maximianum ordinaverant, quorum nomina ibi expressa recensere supervacaneum est, conversa oratione, *Famosi criminis reos*, inquiunt, *qui funesto opere perditionis vas sordidum, collecta faculentia glutinarunt; sed & Clericos aliquando Ecclesia Carthaginis, qui dum facinori intersunt, illicito incestui lenocinium præbuerunt, Dei præsidentis arbitrio, Universalis Concilii ore veridico damnatos esse cognoscite.*

IX. *Et* XII *qui eum ordinaverant Episcopi.*

X. Mox aliis paullo minori crimine implicitis veniam offerunt, sed eo supercilio, quod humilibus Christi ministris indignissimum est.

X. *Venia, at magno cum fastu,*

Eos,

oblata iis qui minus peccasse credebantur.

Eos, sic pergunt, *quos sacrilegi surculi non polluerunt plantaria, id est, qui a Maximiani capite proprias manus verecundo pudore fidei retraxerunt, ad Matrem Ecclesiam redire permisimus. Ac ne angustum redeuntibus tempus spem salutis arctatæ diei pressura subducat, agnoscentibus quibuslibet, manentibus præcedentibus statutis universis, usque in diem octavum Kalendarum Januariarum proxime futurarum agnitionis* (vel, ut alii legunt, *ignotionis*) *pandimus januam, ut integri honoris & fidei regressi habeant fundamenta: quam si quisquam ingredi nequiverit pigra segnitia, sciat sibi ad omnes veniales aditus sua voluntate viam esse subductam. Manebit enim circa eos dicta sententia, & post præstitutum diem redeuntibus fixa pœnitentia.* Hæc sane animum arguunt inclementem & fastuosum, & procul ab ea absunt mansuetudine, quam voce & exemplo sectatoribus suis omnium commendavit Dominus.

XI. *Crudelitas Primianistarum in Maximianistas.*

XI. At neque intra hos Ecclesiasticæ excommunicationis terminos mansum est. Dum Catholicos se jactarent *Primianistæ*, cæteros autem ut Hæreticos & immanium criminum reos sævis accusationibus apud Magistratum persequerentur; id consecuti sunt, ut vel approbantibus, vel conniventibus saltem *Proconsulibus*, adversus *Maximianistas* veluti legibus publicis agerent. Hinc præconem mittere ausi sunt, qui proclamaret *Siniti*: QUISQUIS MAXIMIANO COMMUNICAVERIT INCENDETUR DOMUS EJUS.

XII. *Et Salvium Episcopum.*

XII. Sed omnem propemodum petulantiam superat, quod in *Salvium, Episcopum Membresitanum*, unum ex Ordinatoribus *Maximiani*, paullo majore quam alii fiducia ipsorum violentiæ resistentem, perpetrarunt. *Capto enim seni mortuos canes alligaverunt in collo, & sic cum illo quantum libuit saltaverunt.* Quod sibi compertum *Augustinus* memorat; atque eleganter contendit cum tormentis Regum Etruscorum, quibus mortua cum vivis corpora jungebant.

XIII. *Primianus tamen communionis suæ gratiam Maximianistis fecit.*

XIII. His artibus factum est, ut facile primas ubique partes *Primianus* cum suis haberet: qui quovis modo reducere ad se *Maximianistas* laboravit, recipiens eos, quamvis gravissimorum criminum damnatos, in suam communionem, comprobato *Maximianistarum* baptismo. Qua in re singulare Divinæ Providentiæ opus prædicarunt Catholici. Etenim quum Orthodoxos in Africa veram Ecclesiæ faciem perdidisse, eo quod *Cæciliano* communicarent, *Donatistæ* omnes criminarentur: ipsi tamen suæ communionis gratiam iis faciebant, quibus haut paullo majora improperabant facinora. Hoc argumento sæpenumero contra eos pugnavit *Augustinus*, ac redegit ad ἐχεμυθίαν. Tantique ea res visa fuit Catholicis post illa *Carthagine* congregatis,

tis, ut ex *Actis Proconsularibus* conquiri jusserint, quæ inter se litigantes *Donatistæ* actitaverant; quo suis eos armis felicius sternerent.

CAP. V.

Augustini, aliorumque Orthodoxorum erga Donatistas officia.

I. Augustinus Donatistis fraternas collationes offerens, II. Superciliose ab iis rejicitur. III. Non sine insidiis vitæ ejus tensis. IV. Ipse pro parricidis apud Magistratum intercedit. V. Eadem ipsis cum lenitate Concilium Carthaginense agit. VI. Insigne facinus Maximiani Vagiensis, ex Donatista Catholici. VII. Prodigiosa Donatistarum in adsciscendis proselytis licentia. VIII. Alterius Concilii Carthaginensis erga Donatistas officiositas. IX. Crispini Calamensis Episcopi Donatistæ stolida adversus Possidium superbia. X. Alterius Crispini adversus eundem furiosa violentia. XI. Pro quo tamen apud Proconsulem Possidius intercedit.

EO tempore inclaruit cummaxime AUGUSTINUS, *Valerio* in Episcopatu *Hipponensi* collega datus, mox futurus successor, anno primo *Arcadii* & *Honorii*, Christi autem CCCXCV. Is pro sublimi eruditione sua, & eximio in rem Christianam zelo, nullis sibi laboribus parcendum ratus est, ut *Donatistas* in unitatem Ecclesiæ reduceret. Non in sua solum *Hipponensi*, vicinisve oppidis, *Donatistas* alacriter docens, comiter invitans, graviter obtestans; sed ubicunque vel minima ædificationis spes affulgebat, collationes fraternas iiscum instituens, certe offerens. Verum præstabit fortassis *Possidii* hæc verbis exponere. Qui post alia multa, quæ describere longum esset: *Et hac*, inquit, *diebus ac noctibus ab Augustino jugiter agebantur. Nam & epistolas privatas ad quoscunque ejusdem erroris Episcopos jugiter, & eminentes scilicet Laicos, dedit, ratione reddita admonens atque exhortans, ut vel ab illa se pravitate corrigerent, vel certe ad disputationes venirent. Illi autem caussæ diffidentia ne quidem unquam rescribere voluerunt, sed irati furiosa loquebantur, atque seductorem deceptoremque animarum Augustinum esse & privatim & publice condemnabant: & ut lupum occidendum esse, in defensionem gregis sui dicebant, & tractabant; omniaque peccata a Deo indubitanter esse credendum posse dimitti iis qui hoc facere ac perficere potuissent: nec Deum timentes, nec homines erubescentes.*

I. Augustinus Donatistis fraternas collationes offerens.

Vit. August. Cap. IX.

II. Superciliose ab iis rejicitur.

II. Sæpenumero hac de re conquestus ipse *Augustinus* est. *Charitas Christi*, sic scribit ad Donatistas, *cui omnem hominem, quantum ad nostram pertinet voluntatem, lucrari volumus, tacere nobis non permittit. Si propterea nos odistis, quia pacem vobis Catholicam prædicamus: nos Domino servimus dicenti, Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. Et in Psalmo scriptum est: Cum iis qui oderunt pacem, eram pacificus; quum loquebar eis debellabant me gratis. Propterea mandaverunt nobis quidam presbyteri partis vestræ, dicentes,* RECEDITE A PLEBIBUS NOSTRIS, SI NON VULTIS UT INTERFICIAMUS VOS. Deinde, *Vestri*, inquit, *Episcopi conventi a nobis, nunquam nobiscum pacifice conferre voluerunt, quasi fugientes cum peccatoribus loqui.* Quo prætextu quum passim excusarent cum Catholicis congredi, Hipponenses Clerici eo se demiserunt, ut etiam allegaverint, *Christum* ipsum cum *Diabolo* de lege locutum esse, & cum *Paulo* non solum *Judæos* sed & *Epicuræos* contulisse. Cæterum nihil his omnibus proficiebatur. *Donatistæ*, pro solita pertinacia, cavillabantur, Dialecticas disputationes non convenire Christianæ Religioni; & *Augustinum* nihil aliud esse quam contentiosum disputatorem, qui fugiendus potius & cavendus, quam refellendus revincendusque esset. Qua de re iterum ipse audiatur: *Studium*, inquit, *pro veritate certandi, quia sæpe voluimus cum vestris conferre, ut errore sublato fraterna charitas pacis vinculo necteretur, contentionis & animositatis vitioso nomine reprehendis.* Sed notat hoc Donatistas obtendisse, *quia*, ut ait, *mallent caussam malam cooperire excusatione, quam disputatione finire.* Neque dubitat *Cresconio* illud quasi in os dicere. *Puto*, inquit, *quod facillime intelligas, non devitandæ contentionis caussa, quæ nulla est quum veritas quæritur, vel non pro vana gloria litigatur, sed caussæ malæ diffidentia, vos nobiscum nolle conferre.*

Epist. CLXVI. ad Donatist.

Lib. IV. Contra Crescon.

III. Non sine insidiis vita ejus tentata. Vit. Aug. Cap. XII.

III. Adeo autem hoc *Augustini* zelo exasperabantur furiosi homines, ut plus semel vitæ ipsius tetenderint insidias. Iterum hoc dicat *Possidius*, bonus imprimis auctor: *Aliquoties etiam vias armati iidem Circumcelliones contra famulum Dei Augustinum obsederunt, dum forte iret rogatus ad visitandas, instruendas, & cohortandas Ecclesiasticas plebes, quod ipse frequentissime faciebat. Et aliquando contigit, ut illi succenturiati hactenus perderent captionem.* Cujus rei memorabile admodum, quod subdit, exemplum est. Ita enim pergit: *Evenit quidem Dei providentia, ut ductoris hominis errore, per aliam viam cum suis comitibus sacerdos quo tendebat venisset; atque per hunc, quem postea cognovit, errorem, manus impias evasisset: & quum in omnibus Liberatori Deo gratias egisset, illi omnino suo more nec Laicis nec Clericis pepercerunt.*

IV. Non

IV. Non tamen hæc omnia obstiterunt quo minus mansuetudinem suam, promtumque ad ignoscendum animum, & charitatem vere Christianam, etiam adversus inimicos, mirabili prorsus modo *Augustinus* ostenderet. Quum enim *Restitutum*, Presbyterum Hipponensem, ad dies duodecim ludibrio verberibusque male multatum, tandem interfecissent; atque *Innocentio*, similiter Presbytero, post effossum oculum, ac præcisum digitum necem intulissent; illiusque caussæ cognitio delata esset ad *Marcellinum* in Africa Magistratum agentem, Augustinus prolixa eum accurataque epistola sollicite obtestatur, ne quas secundum legum severitatem meriti erant pœnas, eas ab iis exposceret. *Obtestor*, inquit, *his literis fidem tuam, quam habes in Christo, per ipsius Domini Christi misericordiam, ut hoc nec facias, nec fieri omnino permittas. Quamvis enim ab eorum interitu dissimulare possemus, qui non accusantibus nostris, sed illorum notoria, ad quos tuendæ publicæ pacis vigilantia pertinebat, præsentati videantur examini: nolumus tamen passiones servorum Dei, quasi vice talionis paribus suppliciis vindicari.* Neve quis hunc astum aliquem Augustini arbitretur, quo popularitatis captaverit laudem, de cætero quid Donatistis fieret securus; omnem tam malignæ suspicionis occasionem præscindunt vehementes quibus hanc caussam egit rationes. Et quid tandem efficacius ea dici potuit oratione qua petitionem suam urget? *Quoniam Christiano loquor, maxime in tali caussa, non arroganter dixerim: audire te Episcopum convenit jubentem, Domine eximie, & merito insignis, ac charissime Fili.* IV. *Ipse pro parricidis apud Magistratum intercedit.* Epist. CLIX.

V. Idem animus fuit universo *Concilio* Africano, quod celebratum est *Carthagine, Anno Arcadii & Honorii* VII, *Christi* CCCCI. Quum enim deprehenderetur edictis Imperatorum nihil profici, quippe ex quibus Schismaticorum pertinacia calumniarum adversus Ecclesiam materiem captaret, quasi Magistratuum auctoritate ac vi, non rationum pondere, iis cum ageretur, *Aurelius Carthaginensis Episcopus* ex omnibus Africanæ Ecclesiæ provinciis Synodum generalem indixit ad mensem Septembris, ut omnium sententia de pace universali cum cunctis *Donatistis* ageretur. Ubi paribus decretum suffragiis est, lenitate potius quam severitate agendum. Et quod turpe censeretur Orthodoxæ fidei professoribus aliter quam ratione adversarios superare, summa in id cura incubuerunt, ut ex actis ipsis *Donatistarum* cum *Maximianistis*, de quibus & ante diximus, manifesti possent erroris convinci. Sed & illud decretum, quod ad pacem & unitatem ineundam imprimis conducere visum est, ut ab Romanæ Sedis Antistite *Anastasio*, aliisque transmarinis Episcopis, hæc in favorem *Donatistarum* peteretur V. *Eadem ipsiscum lenitate Concilium Carthaginense agit.* Concil. Afric. Cap. XXXVI.

 indul-

indulgentia, ut liceret iis, ad Ecclesiam redire volentibus, in ordinibus apud suos ante perceptis perseverare. Quod olim etiam *Melchiadis* Papæ tempore in *Romano* Concilio *Donatistis* fuisse concessum, supra memoravimus. At quum versis in contrarium animis deinde in transmarina Synodo cautum esset, ne redeuntes ad Ecclesiam cum honoribus antea obtentis reciperentur; nunc Africani Episcopi iterum id iis concedi postulant. Deinde placuit, *ut legati prædicandæ pacis & unitatis gratia, sine qua salus Christiano non potest obtineri* (ipsa Patrum verba refero) *e numero Synodi ad ipsorum Donatistarum, sive quos habent Episcopos, sive ad plebes mittantur; per quos omnibus in notitiam perferatur, quam nihil habeant quod adversus Ecclesiam Catholicam juste possunt dicere.*

VI. Insigne facinus Maximiani Vagiensis, ex Donatista Catholici.

VI. Pauci admodum, tanta Ecclesiæ comitate convicti, *Donatistarum* castra deseruerunt. In quibus magnum ac memorabile nomen *Maximianus Vagiensis Episcopus* meruit; qui quum post suam ad Ecclesiam conversionem non eo quo par erat affectu a populo reciperetur, bono pacis consulens, voluntaria abdicatione sedi renunciavit, alium surrogari in locum suum petens. Ejus argumenti libellum *Concilio Milevitano primo* obtulit, quod coactum est *Arcadio & Honorio quinto Consulibus sexto Kal. Sep. Anno Christi* CCCCII. Magnis encomiis id *Maximiani* institutum celebrarunt *Augustinus* & *Alypius*, in Epistola ad *Castorium Maximiani* fratrem, & in Episcopatu successorem. *Longe*, sic scribunt, *gloriosius est, Episcopatus sarcinam propter Ecclesiæ vitanda pericula deposuisse, quam propter regenda gubernacula suscepisse. Ille quippe se honorem, si pacis ratio pateretur, digne accipere potuisse demonstrat, qui acceptum non defendit indigne. Voluit ergo Deus etiam per fratrem tuum, filium nostrum Maximianum, ostendere inimicis Ecclesiæ, esse in visceribus Christi ejus qui non sua quærunt, sed quæ Jesu Christi. Neque enim illud ministerium dispensationis mysteriorum Dei victus aliqua seculari cupiditate deseruit, sed pacifica permotus pietate deposuit, ne propter ejus honorem fœda & periculosa, aut fortasse etiam pernitiosa, in membris Christi dissensio nasceretur.*

August. Epist. CCXXXVIII

VII. Prodigiosa Donatistarum in adsciscendis proselytis licentia.

VII. Verum uti hoc laudabile *Catholici* ex *Donatista* Episcopi exemplum *Augustini* encomia meruit; ita nullo satis sermone proscindi ab eodem potuit immane *Donatistarum* facinus, ex quo eorum facile genium æstimes, qui cæteris se sanctiores haberi postulantes, meliores se, sed a schismate abhorrentes Christianos, alto supercilio despiciunt, iisque, ut apud Prophetam est, inclamant, *ne tangito me, quia sanctior te sum*: eos interim qui suis se immiscere volunt minutarum superstitio-

stitionum litigiis, ut numerum augeant, haut gravate recipiunt. Videas etiam quam plerumque discessionis suæ ab Ecclesia caussam habeant maleferiati transfugæ; vitæ nimirum rationem adeo male ad Evangelii amussim exactam, ut Ecclesiæ, quantumvis suæ matris, rigidam censuram extimescant. Rem gestam Augustini verbis exponam. *Corripitur ab Episcopo suo juvenis, crebris matris cædibus insanus, & impias manus nec illis diebus, quibus etiam legum severitas sceleratissimis parcit, a visceribus, unde natus est, revocans. Minatur eidem matri, se in partem Donati transiturum, & eam quam incredibili furore solet cædere peremturum. Minatur ei: transit ad partem Donati, rebaptizatur furens, & in maternum sanguinem fremens albis vestibus candidatur. Constituitur intra cancellos eminens atque conspicuus, & omnium gementium oculis matricidii meditator, tanquam renovatus opponitur.* O prodigiosam hypocritarum in adsciscendis sibi proselytis licentiam dementiamque!

Epist. CLXVIII.

VIII. Anno insequenti, CCCCIII. Octavo Kal. Sept. iterum in Africa celebratum est generale apud *Carthaginem* Concilium, ubi decretum ut quisque Orthodoxorum Episcoporum vel per se, vel adjuncto sibi vicino Collega, in sua civitate conveniat *Donatistarum* præpositos; inque aliis civitatibus eos per Magistratus aut Seniores locorum conveniri curet. Formula etiam conventionis in Synodo condita est, quæ in hunc se modum habebat. *Convenimus vos ex Concilii Catholica auctoritate missi, de vestra correctione gaudere cupientes, considerantes Domini charitatem, qui dixit, Beati Pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, & admonuit per Prophetam etiam, hisce qui dicunt se fratres nostros non esse, dicere nos debere: Fratres nostri estis. Hanc ergo Pacificam ex charitate venientem communionem nostram contemnere non debetis; ut si quid veritatis habere vos arbitramini non dubitetis asserere: id est, congregato vestro Concilio, deligatis ex vobis quibus caussam assertionis vestræ committatis; ut nos possimus hoc facere, ut etiam de nostro Concilio deligantur, qui cum eis quos delegeritis, constituto loco & tempore, quidquid quæstionis est, quod vestram a nobis separat communionem, cum pace discutiant. Ut tandem aliquando, adjuvante Deo nostro, finem veternosus error accipiat: ne propter animositatem hominum infirmi nostri & ignari populi sacrilega dissensione dispereant. Si enim hoc fraterne acceperitis, veritas facile innotescet.* Atque hactenus quidem Conventionis formula.

VIII. *Alterius Concilii Carthaginensis erga Donatistas officiositas.*

Concil. Afric. Can. LIX.

IX. Quæ quantum de spiritu Domini & lenitate sponsæ ipsius habet, tantum habent de fastu inimici, quæ cerebrosi homines, ita conventi, responderunt. Pro exemplo sit *Crispini Calamensis Episcopi Donatistæ*

IX. *Crispi Calamensis Episcopi Donatistæ*

Stolida adversus Possidium superbia. *natistæ* superba stoliditas; qui quum a *Possidio* ejusdem civitatis Orthodoxo Episcopo, eximiæ modestiæ viro, fraterne compellaretur, primo ad Concilium suum distulit, pollicens ibi se cum suis deliberaturum; quid responso usus esset. Hactenus non omnino male. Tolerari hoc certe potest. At quum haut exigui temporis interjecta mora, iterum conveniretur, in hæc verba respondit: *Verba viri peccatoris ne timueris.* Et iterum, *in aures imprudentis cave ne quicquam dixeris, ne quum audierit irrideat sensatos sermones tuos. Postremo hanc responsionem meam Patriarchali sermone definio: Recedant a me impii, vias eorum nosse nolo.* Hæc, quæ apud Acta Proconsularia gesta scriptaque sunt, & ex iis ab Augustino memorantur, quam turgida sunt, & quam inflato animo, spirituque tumente prolata? Quam indigna humilitate & mansuetudine Christiana?

Contra Crescon. Lib. III. Cap. XLVI.

X. Alterius Crispini adversus eundem furiosa violentia.

X. A qua haut paullo longius recedit alterius *Crispini* facinus, sed qui hujus Presbyter erat, & propinquus esse perhibebatur. Is, quum sermone non valere Episcopum suum cerneret, cujus doctissima, uti apud suos habebatur, annositas, hesterno, qualem se *Possidius* gerebat, tyroni tam propalam cederet, aperta sibi vi agendum existimavit. *Possidio* igitur iter nescio quo instituenti, cum armata manu suæ factionis hominum tetendit insidias. Quibus prospectis ac nunciatis, ad fundum aliquem confugit *Possidius*; ubi illum vel ausurum nihil credebat, vel non prævaliturum; certe si quid fecisset, non posse negare. At ille furiata mente continuo insecutus, jam latere turpe arbitrabatur. Mox domum in qua cum suis se *Possidius* incluserat, sepire armatis, lapidibus circumtundere, ambire flammis, aditum ex omni parte moliri. Frustra fuere incolentium preces, frustra extinguendorum ignium conatus. Ille cœptis nihilo segnius instare: æque fervidus ac inexorabilis. Cessit ictibus janua, ingressi sunt, sauciatisque cæde jumentis quæ inferiore domus parte compererant, de superioribus Episcopum, plagis ac contumeliis bene onustum, tantum non detrudunt. Ubi ne gravius sævirent intercessit, scilicet, ipse *Crispinus*, velut aliis rogantibus flexus, quorum non tam videbatur in ira sua curare deprecationem, quam in facinore testimonium formidare.

XI. Pro quo tamen apud Proconsulem Possidius intercedit.

XI. Non deerant leges, quibus in istiusmodi scelera vindicaretur; sed, quasi deessent, quiescebant in Orthodoxorum manibus, qui suam maluerunt demonstrari mansuetudinem, quam illorum puniri audaciam. Proconsul omnibus intellectis, non nisi decem librarum auri multam Crispino imposuit: quam tamen, intercedente *Possidio* non est compulsus exsolvere. Consimilem æquitatem aliquoties ostenderunt Catholici.

CAP.

Cap. VI.

Imperatorum contra Donatistas Edicta.

I. Patres Africani, mansuetioribus remediis frustra adhibitis, tandem Imperatorum adversus Donatistas auctoritatem implorant. II. III. IV. Tria Honorii contra eos edicta. V. Quorum nimiam severitatem Patres deprecabantur. VI. Animis Imperatorum per Donatistarum scelera exacerbatis. VII. Qui elusis edictis sævire in Catholicos perrexerunt. VIII. Hinc nova querelæ; & Edicta severiora.

I. Tantum tamen abest ut eo diliniti fuerint *Donatistarum* animi, ut e contra pervicacium hominum studia longius ab unione recesserint. Patres itaque Africani tantam indignati obstinationem, altero rursus Concilio, *Carthagine* habito *Anno* CCCCIV, legationem decernunt ad *Honorium* Imperatorem; qua & unitatis studium commendarent, & pœnas adversus *Donatistarum* pertinaces spiritus & *Circumcellionum* furorem poscerent. Quod plenissime constat ex *Canone* XCIII. ubi inter cætera ajunt: *Donatistas pacifica Collatione spreta, ad immanes violentias conversos fuisse, ita ut multos Episcopos, multosque Clericos (ut de Laicis taceamus) insidiis oppresserint, Ecclesias etiam aliquas invaserint, aliquas invadere pertentaverint.* Et mox. *Nota est enim & sæpe legibus conclamata Circumcellionum, qua furunt, detestabilis manus, quæ etiam Religiosorum supra Principum frequentibus sanctionibus condemnata est, adversus quorum furorem poscimus non insolita nec a scripturis sanctis aliena impetrare præsidia.* Inter alia id quoque petendum decreverunt, *ut Lex quæ Hæreticis vel ex donationibus vel ex Testamentis aliquid capiendi vel relinquendi denegat facultatem, ab eorum quoque pietate hactenus repetatur, ut eis relinquendi vel sumendi jus adimat, qui pertinaciæ furore cæcati in Donatistarum errore perseverare voluerint.*

I. Patres Africani, mansuetioribus remediis frustra adhibitis, tandem Imperatorum adversus Donatistas auctoritatem implorant.

II. Legatione illa impetrarunt Catholici tria *Honorii* edicta adversus Donatistas rebaptizantes, data *Prid. Id. Feb. Rav. Stilicone* II, & *Anthemio Coss.* Id est Anno CCCCV. quorum secundo, quod omnium est amplissimum, postquam dixisset, *Adversarios Catholicæ fidei exstirpare hujus decreti Auctoritate prospeximus: ideoque interdicendam specialiter eam sectam nova constitutione censuimus, quæ ne Hæresis vocaretur appellationem schismatis præferebat. In tantum enim sceleris progressi dicuntur*

II. Tria Honorii contra eos edicta.

tur ii, quos Donatistas vocant, ut Baptisma sacrosanctum mysteriis recalcatis, temeritate noxia, iterent, & homines semel, ut traditum est, munere Divinitatis ablutos, contagione profanæ repetitionis infecerint. Ita contigit, ut hæresis ex schismate nasceretur. Mox sanctionem pœnalem addit: *Quare hac lege sancimus, quisquis post hæc fuerit rebaptizasse detectus, Judici, qui Provinciæ præsidet, offeratur, ut facultatum omnium publicatione multatus, inopiæ pœnam, qua in perpetuum adficiatur, expendat. Ita ut filiis eorum, si a paternæ societatis pravitate dissentiunt, ea quæ fuerint paterna non pereant.* Exstant hæc *Lib.* XVI. *Cod. Theod. Tit.* VI. *Leg.* IV.

III. Accessit & aliud Edictum eodem die datum adversus *Turbones Donatisticos*, ejusdem *Libri Tit.* V. *Lege* XXXVIII. *Nemo Manichæum, nemo Donatistam, qui præcipue (ut conperimus) furere non desinunt, in memoriam revocet.* Hoc est, ut bene observat Scholiastes, omnino esse non sinantur, imo ne nominentur quidem amplius. Et mox: *Quod si quis audeat interdictis se illicitisque miscere, & præteritarum innumerabilium constitutionum, & legis nuper a Mansuetudine nostra prolatæ, laqueos non evadat: & si turbæ forte convenerint, seditionis concitator, aculeos acrioris commotionis non dubitet exserendos. Dat Prid. Id. Rav. Stilichone* II. *& Anthemio Coss. Anno* C. CCCC. V.

IV. Secuta eodem anno alia lex est VI. *Id. Dece. Donatisticæ superstitionis hæreticos quocunque loci, vel fatentes, vel convictos, legis tenore servato, pœnam debitam absque dilatione persolvere decernimus.* Nimirum multa auraria decem auri librarum Clericis hæreticorum ministris a *Theodosio Magno* imposita, anno CCCXCII. hac *Honorii*, filii ipsius, constitutione, ad *Donatistas* Hæreticos, qui tamen se Hæreticos esse negabant, porrigitur. Ita tamen ut, observante *Gothofredo*, hac Hæreticorum voce, Ministri, Clerici, & Episcopi Donatistarum intelligi videantur. Neque enim omnibus *Donatistis* hæc pœna hac lege imposita, neque *Donatistæ* omnes multati: quippe quod demum factum est *Leg.* LII. & LIV. de quibus suo tempore dicemus.

V. Quorum nimiam severitatem Patres deprecabantur.

V. Paullò ulterius plerumque edictis suis processisse Imperatorem deprehendo quam Ecclesiasticorum vota poscebant: nam in eodem quem supra laudavimus concilii sui Canone decreverunt, simul etiam petendum, *ut illam legem quæ a Religiosæ memoriæ eorum Patre Theodosio, de auri libris decem in ordinatores vel ordinatos hæreticos, seu etiam in possessores, ubi eorum congregatio deprehenditur, promulgata est, ita deinceps confirmari præcipiant, ut in eos valeat contra quos propter eorum insidias Catholici provocati contestationem deposuerint: ut hoc saltem terrore a schis-*

a schismatica, vel hæretica pravitate desciscant, qui consideratione æterni supplicii emendari corrigique dissimulant. Prolixius aliquanto atque distinctius hæc edisserit. *Augustinus Epist.* L. ad *Bonifacium*, Comitem rei militaris. Ubi memorat, visum nonnullis fratribus fuisse, in quibus & ipse erat, *quamvis Donatistarum rabies usque quaque sæviret, non esse petendum ab Imperatoribus, ut ipsam hæresin juberent omnino non esse, pœnam constituendo eis qui in illa esse voluissent; sed hoc potius constituerent, ut eorum furiosas violentias non paterentur qui veritatem Catholicam vel prædicarent loquendo, vel legerent constituendo.* Hoc eo modo fieri aliquatenus posse arbitrabantur Africani Patres, si Imperatores legem *Theodosii* contra *Hæreticos* generatim, ut quisquis eorum vel Episcopus vel Clericus, ubilibet esset inventus, decem libris auri multaretur, expressius in *Donatistas* ita confirmarent, *ut non omnes ea multa ferirentur, sed in quorum regionibus aliquas violentias a Clericis, & Circumcellionibus, vel populis eorum Ecclesia Catholica pateretur, illarum regionum Episcopi sive Ministri, cura ordinum, ad multam solvendam tenerentur.* Ita enim existimabant Patres, *eis territis & nibil tale facere audentibus, posse* LIBERE DOCERI ET TENERI CATHOLICAM VERITATEM, UT AD EAM COGERETUR NEMO, SED EAM SINE FORMIDINE QUI VELLET SEQUERETUR, NE FALSOS ET SIMULATOS CATHOLICOS HABERENT. Vicitque hæc eorum in Concilio sententia.

VI. Sed prævenerant legatos ex aliis locis querelæ gravissimæ Episcoporum, qui mala fuerant ab ipsis multa perpessi; & sedibus suis exturbati: præcipue horrenda & incredibilis cædes *Maximiani*, Episcopi Catholici Ecclesiæ *Vagiensis*, Imperatorum animos exacerbavit. Unde factum est ut ante legatorum adventum lex fuerit promulgata, *ut tantæ immanitatis hæresis, cui crudelius parci videbatur, quam ipsa sæviebat, non tantum violenta esse, sed omnino esse non sineretur impune. Non tamen supplicio capitali, propter servandam etiam circa indignos mansuetudinem Christianam: sed pecuniariis damnis propositis, & in Episcopos vel ministros ipsorum exilio constituto.* *VI. Animis Imperatorum per Donatistarum scelera exacerbatis.*

VII. Verum enimvero non tantum omnibus his edictis profecerunt Imperatores, ut coercitam *Donatistarum* pervicaciam viderint. Quin imo viam sibi elabendi invenerunt, aut fecerunt. En prætextum. Cæso *Stilicone*, Anno CCCCVIII. ilico jactare cœperunt Pagani & Hæretici, leges adversus sese latas non tam *Honorii* quam *Stiliconis* fuisse: quippe cujus auctoritate impulsus Imperator suum iis solummodo commodaverit nomen. Unde eas irritas esse intendebant, pariterque cum aliis *Stiliconis* actibus rescindendas. Imo hac occasione in Catho- *VII. Qui elusis edictis sævire in Catholicos perrexerunt.*

Catholicos insurgere, vimque iis intentare ausi sunt: adeo quidem ut *Donatistæ* nonnullos Catholicorum Episcoporum per Africam necaverint.

VIII. Hinc novæ querelæ; & edicta severiora.

VIII. Hinc novæ querelæ, tam *Augustini* ad *Olympium*, Comitem, & Magistrum Officiorum, Epist. CXXIX. & *Donatum* Proconsulem Africæ, quam aliorum Episcoporum ad Imperatorem: quibus antiquas leges recentari & confirmari petierunt. Id autem sollicite cavit *Augustinus*, ne capitali in eos pœna animadverteretur. *Quæsumus* (sic scribit Proconsuli) *ut quum Ecclesiæ caussas audis, quamlibet nefariis injuriis afflictam aut appetitam esse cognoveris, potestatem occidendi te habere obliviscaris, petitionem nostram non obliviscaris.* Cæterum quum ad Imperatorem hæc relata essent, tribus edictis consulere Reipublicæ atque Ecclesiæ paci visum fuit. Primum datum est XVII. *Kal. Dec. Romæ Basso & Philippo coss. Anno* CCCCVIII. *Omnia quæ in Donatistas (qui & Montenses vocantur) Manichæos, sive Priscillianistas, vel in Gentiles, a nobis generalium legum auctoritate decreta sunt, non solum manere decernimus, verum in executionem plenissimam effectumque deduci.* Mox: *Porro vero lege proposita veluti convictos tenere debebit eos, qui Donatistas se confessi fuerint, vel Catholicorum communionem refugerint, religionis obtentu, quamvis Christianos se esse simulent.* Alterum VIII Kal. Decemb. ejusdem anni. *Donatistarum, Hæreticorum & Judæorum nova detexit* (id est, detecta est) *audacia: quod Catholicæ fidei velint sacramenta turbare. Quæ pestis atque contagio ne latius emanet, tua Gravitas provideat.* Sic enim pericopam corruptam corrigit Doctissimus Scholiastes. *In eos igitur qui aliquid quod sit Catholicæ sectæ contrarium adversumque tentaverint, supplicio justæ animadversionis expromi præcipimus.* Quibus verbis pœnam capitalem indici, *Gothofredus* monet. Mox & tertium additum V Kal. Decemb. *Defensorum, Curialium, omniumque Officiorum specula custodiat, ne quis intra aliquam civitatem, vel ulla territorii parte secreta, qui ab Ecclesia Catholicæ sacerdote dissidit, inlicitæ cohibitionis habeat facultatem. Ipsa etiam loca juri publico sociari, seclusa omni excusatione censemus, & proscriptos eos in exilium detrudi, qui audent disputare ea & adserere quæ institutio Divina condemnat.* Sequenti anno Imperator, ne Donatistæ aliive Hæretici existimarent, legum ante adversus se latarum constituta tepuisse, *noverint*, inquit Imperator, *Judices universi præceptis eorum fideli devotione parendum, & inter præcipua quidquid adversus eos decrevimus, non ambigant exsequendum. Quod si quisquam Judicum loco conniventiæ executionem præsentis legis omiserit, noverit amissa dignitate graviorem motum se nostræ Clementiæ subiturum.* Ad extremum denique severitatis ventum est Anno CCCCX. Lege LI: qua cavetur *plectendos* Donatistas, *sanctæ legis inimicos pœna proscrip-*

scriptionis & sanguinis, si ultra convenire per publicum execranda sceelris sui temeritate tentaverint.

Cap. VII.

Collatio Carthaginensis.

I. *Collatio Carthagine ab Augustino maxime procurata.* II. *Donatistis eandem se quoque expetere simulantibus.* III. *At clam adversus Imperatorum circa caussas Ecclesiasticas auctoritatem submurmurantibus.* IV. *Quam ab* Orthodoxis, *non nisi necessitate cogente, nunc imploratam esse, Augustinus memorat.* V. *Honorii insigne de Collatione rescriptum.* VI. *Tempore turbatissimo, sibique infestissimo.* VII. *Solebant Imperatores Legatos mittere, ut conventuum Ecclesiasticorum Moderatores essent.* VIII. *Huic collationi ut Cognitor & Judex ab Honorio praefectus Marcellinus est.* IX. *Spectabili dignitate Notarii ornatus.* X. *Qui quo sensu* Cognitor *datus sit.* XI. *Et Judex.* XII. *Egregia illius comitas, ut Donatistas ad Collationem alliceret.* XIII. *Donatistarum & Catholicorum dissimilis in urbem adventus.* XIV. *Locus consessus definitus in* Thermis *Gargilianis.* XV. *Numerus conferentium ab utraque parte ad* XVIII *restrictus.* XVI. *Memorabilis circa hanc rem Catholicorum aequitas.* XVII. *Major etiam ac propemodum incredibilis circa caussam principalem.* XVIII. *Eaque, nullo tandem dissentiente, omnium.* XIX. *Praeclara eorum ad Marcellinum oratio.* XX. *Niceni Canonis de uno simul in Ecclesia eadem Episcopo, explicatio κατ᾽ ἐπιείκειαν.* XXI. *Donatistarum superbus rigor.* XXII. *Ordo Collationis accuratissime constitutus.* XXIII. *Caussa ex solis Scripturis agenda.* XXIV. *Donatistae morosa superbia sedere renuunt, & Fratrum nomen respuunt.* XXV. *Ineptisque subterfugiis moras trahunt.* XXVI. *Verus quaestionis status.* XXVII. *Catholici, omissis personalibus, ad rem accedere gestiunt.* XXVIII. *Scripto probantes Ecclesiae perpetuitatem, & Universalitatem.* XXIX. *Et Donatistas redarguentes ex propriis hypothesibus.* XXX. *Quibus Donatistae prolixa epistola respondent.* XXXI. *Unde altercatio utrimque oritur.* XXXII. *Tandem Catholici Donatistarum argumenta ordine refutant.* XXXIII. *Suasque rationes a Donatistis intactas praeteriri monent.* XXXIV. *Quae autem illi persecutiones vocant, ea iis obtigisse, non ob communionem Donati, sed ob suorum scelera.* XXXV. *Quaestio penes quos sit Ecclesia rite atque ordine in Collatione tractata non est.* XXXVI. *De origine Schismatis absurda Do-*

dæ Donatistarum altercationes. XXXVII. *Marcellinus pronunciat, omnium documentorum manifestatione a Catholicis Donatistas esse superatos.* XXXVIII. *Postquam multa, at in cassum caussati sunt.* XXXIX. *Collationis eventus.* XL. *Donatistarum plurimi Ecclesiæ Catholicæ consociati sunt.* XLI. *Mali Catholici Divinam experti ultionem.* XLII. *Pervicaces Donatistas Honorii rescriptum coercuit.* XLIII. *Rescripti illius formula.* XLIV. *Cui & alterum severius additum.* XLV. *Marcellini tristis exitus per proditionem Donatistarum.* XLVI. *Cujus morte Acta Collationis labefactari, iniquum censuit Honorius.*

I. Collatio Carthagine ab Augustino maxime procurata.

I. Evera quidem hæc, & nimis sane severa, Imperatorum adversus *Donatistas* edicta fuerunt. At plus sibi Catholici a *Collatione Amica* boni promittebant. Ideoque quam refugiebant *Collationem Donatistæ*, ad eam eos Imperatoriis edictis Catholici compulere. Atque hinc nata celebris ea CARTHAGINE COLLATIO, de qua nunc nobis diligenter dicendum est. *Possidius*, qui interfuit, scribit eam potissimum ab Augustino procuratam fuisse, magno cum Ecclesiæ bono, adjuvante, ut ait, gloriosissimo & religiosissimo Imperatore *Honorio:* qui ad id perficiendum etiam a suo latere Tribunum & Notarium *Marcellinum* in Africam judicem misit. Nempe ex consilio *Augustini* miserunt Catholici Afri legatos in Italiam ad *Honorium*, qui hoc postularent. Videbant enim sine Principis auctoritate atque præsidio, neque conventum talem indici, neque adversarios ad eum cogi, neque ut disputationem non eluderent, contineri posse.

II. Donatistis eandem se quoque expetere simulantibus.

II. Sed & Donatistas idem petiisse in edicto suo, quod in Collatione recitari jussit, *Marcellinus* memorat. *Consona*, sic ait, *utriusque partis petitio ad hanc principem sententiam provocavit. Nam sicut a Catholicis nuper Collatio postulata est; sic ante brevissimum tempus Donatistarum Episcopos in judicio illustrium potestatum Collationem postulasse non est dubium. Et quoniam libenter assensum tribuit clementia principalis, & concilium fieri intra Africam universale decrevit, utriusque partis juxta poscentibus &c.* Dubium tamen non est quin simulate ac dolo malo id egerint Donatistæ; qui quantopere a legitima Collatione abhorrerent, omnibus actionibus suis fecere manifestum. At prudentiæ *Marcellini* id imputandum est, quod dissimulatis versipellium hominum artibus, verbis eos suis, quasi ex sincero animo profectis, callide illaqueaverit.

III. At etiam adversus Imperatorum

III. Alias quamvis petitam ab Imperatore Collationem publice improbare non auderent, quia & ipsi aliquando id petiissent, &

causam

caussam *Cæciliani* olim ad *Constantinum* retulissent; clam tamen nescio quid submurmurabant. *Nobis*, (inquit *Augustinus* in libro post Collationem) *invidiam concitant, quod apud Imperatorem caussam agamus Ecclesiæ.* Hinc illa Primiani Donatistæ vox: *Illi portant multorum Imperatorum sacras: nos sola portamus Evangelia.* Eodem & altera *Petiliani* exprobratio facit, alibi ab *Augustino* memorata: *Quid nobis cum Regibus seculi, quos nunquam Christianitas nisi invidos sensit?* Sed profecto hæc ærugo mera sunt, & atræ loliginis succus. Nam, uti bene observavit *Socrates*, *in Prœmio Lib.* v. *Histor. Eccl.* Ἀφ' οὗ χριστιανίζειν ἤρξαντο, τὰ τῆς Ἐκκλησίας πράγματα ἐξ αὐτῶν (Βασιλέων) ἤρτητο, καὶ αἱ μέγισται Σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασί τε καὶ γίνονται. *Ex quo Christianam religionem amplecti cœperunt Imperatores, res Ecclesiasticæ ab illis pendebant, & maximæ Synodi ex eorum sententia celebratæ sunt, & adhuc celebrantur.* *Macarii Ancyrani* Caput CIII totum in eo est, ὅτι σύνοδον οἰκουμενικὴν ἢ τοπικὴν οὐδεὶς ἐπ' ἀδείας ἔχει προστάξαι συναθροισθῆναι, εἰ μὴ ὁ Βασιλεὺς τῶν Ῥωμαίων. *Synodum Oecumenicam aut Nationalem in nullius potestate esse congregare, nisi Imperatoris Romani.* Atque hoc modo convocata esse prima Concilia Oecumenica, nemo paullo eruditior est qui ignoret. Neque dubitarunt unquam Orthodoxi, ubi res ita ferebat, Imperatorum auctoritatem ad convocandas Synodos implorare. Quod sane sufficere Donatistis debebat, si quicquam iis sufficere poterat.

circa caussas Ecclesiasticas auctoritatem submurmurantibus.

IV. Sed & aliter *Augustinus* Orthodoxos hac in parte tuetur, ex necessitate scilicet, quæ legem non habet. *Pelagiani* post Episcoporum concilia Provincialia, provocabant ad nescio quam, ut vocant, Oecumenicam Synodum, & ab Imperatore literas eo nomine impetrarant. *Catholici* id recusant, quum intelligerent id peti non minus insidiose quam ambitiose. *Pelagiani* objiciebant exemplum, de quo agimus. Respondet iis Augustinus: *Nec vero vos & alios decipiatis, velut talem vocem habentes adversus nos, qualem nos adversus Donatistas, quos ad Collationem nobiscum venire per Imperialia jussa compulimus. Illorum enim furor occupaverat Africam totam, nec prædicari a Catholicis veritatem contra suum patiebantur errorem, violentis aggressionibus, latrociniis, rapinis, ignibus, cædibus, multa vastantes, cuncta terrentes. Cum quibus apud Episcopos, quos communes non habebamus, nihil agere poteramus. Quod vero ante centum ferme annos majores nostri cum iis egerant, jam populorum memoria non tenebat. Hac igitur* NECESSITAS COMPULIT, *ut saltem Gestis nostra Collatione confectis, eorum contunderemus inverecundiam, & reprimeremus audaciam.*

IV. Quam ab Orthodoxis, non nisi necessitate cogente, nunc imploratam esse, Augustinus memorat. Lib. Contra Julianum.

 V.

V. Honorii insigne de Collatione rescriptum.

V. Vidimus hactenus quorum rogatu procurata hæc collatio sit. Nunc eum videamus, cujus auctoritate jussa atque indicta est. Fuit is, ut aliquoties jam dictum, Imperator *Honorius*, ex cujus ad *Marcellinum* super hac re rescripto, nonnulla juvat excerpere. Sic ergo incipit: *Inter imperii nostri maximas curas, Catholicæ legis reverentia aut prima semper, aut sola est. Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi ut verum Dei cultum orbis nostri plebs devota custodiat.* Mox ad Donatistas descendit, *quos Africam, hoc est, maximam Regni partem, & secularibus officiis fideliter servientem, vano errore, & dissensione superflua decolorasse*, conqueritur. Tum providendum sibi ait, *ne si quid forte suis temporibus in injuriam legis Catholicæ fuerit generatum, id ipsi justo judicio imputare posteritas possit. Hinc se, studio pacis & gratiæ, Venerabilium virorum Episcoporum legationem libenter admisisse, quæ congregari Donatistas Episcopos ad cœtum celeberrimæ desideraverat civitatis, ut electis etiam sacerdotibus quos pars utraque delegerit, habitis disputationibus superstitionem ratio manifesta confutet. Quam rem intra quatuor menses explicari præcipit. Quod si intra præstitutum tempus studiose Donatistarum Episcopi declinaverint convenire, trini edicti vocatione contumacium tempora concludi vult, quibus emensis si provocati adesse contemserint, cedat*, inquit, *cum Ecclesiis populus, qui Doctores suos silentio cognoverint superatos, & victum se aliquando gratuletur, sciatque, si non præceptis nostris, vel Catholicæ legis veris imperiis serviendum.*

VI. Tempore turbatissimo, sibique infestissimo.

VI. Sed & operæ pretium est cognoscere, quo *tempore* Collatio hæc instituta sit. Ex inscriptione Gestorum patet, factam eam esse *P. C.* id est, *post Consulatum* VARANIS, ad indicandum eum annum qui secutus est illius consulatum. Porro, ex *Chronico Prosperi* & *Cassiodori* constat, *Varane* & *Tertullo* Coss. captam a *Gothis* urbem Romam esse. Sed quia *Tertulli* rarior & obscurior fuit memoria, hinc in *Marcellini* Chronico scriptum est, *Varane* solo Cons. captam eam fuisse. Capta autem est Anno Christi ccccx. Proximo itaque anno habita hæc Collatio est. Non immerito hac in re admirabilem Dei providentiam prædicat *Balduinus*. Desidebat tunc *Ravennæ Honorius*, in summa rerum suarum non solum perturbatione, sed & desperatione; præsertim jam mortuo *Stilicone*. *Gothi* Romam ceperant, totamque Italiam evastabant, omnibusque Imperii Romani provinciis imminebant. Neque tamen propterea infelix attonitusque *Honorius* non audit Ecclesiæ Africanæ preces. Majoremque denique Ecclesiæ illius curam gessisse videtur, quam suæ Romæ atque Italiæ.

Nonne

Nonne id mirum merito videri debeat ei qui noverit quanta hujus Principis alioqui ſive ſocordia, ſive ignavia, ſive, ut *Ciceronis* verbo utar, non curantia, quantaque eorum temporum confuſio fuerit?

VII. *Conſtantinus*, quum Synodum ad *Athanaſii* cauſſam tractandam, *Tyrum*, civitatem *Syriæ*, convenire juſſiſſet, eo miſit *Dionyſium Virum* conſularem, ut τῶν πραττομένων, ἐξαιρέτως δὲ τῆς εὐταξίας κατάσκοπος, *eorum quæ gererentur, imprimiſque recti ordinis moderator eſſet*. Sic enim habet *Conſtantini* ad Concilium Epiſtola, apud *Theodoretum Hiſtor. Eccl. Lib.* I. *Cap.* XXVII. Præſidebant igitur, ubi non vacabat Imperatori adeſſe, hujuſmodi Diſputationibus de Religione & Collationibus, ii qui nomine Imperatoris ad eos conventus moderandos mittebantur.

VII. Solebant Imperatores Legatos mittere, ut conventuum Eccleſiaſticorum Moderatores eſſent.

VIII. Idem & hic factum eſt. *Marcellinum* enim *Virum Clariſſimum*, *Tribunum & Notarium*, in hac diſputatione *Cognitorem & Judicem Honorius* conſtituit. Fuit ſane *Marcellinus* iſte non ſolum illuſtri dignitate, ſed & plurimis virtutibus, ac rerum gerendarum dexteritate conſpicuus. *Auguſtinus* non modo varias ad eum literas dedit, ſed & ſelectiſſimos libros ſuos ei inſcripſit, *De peccatorum meritis & remiſſione, contra Pelagianos; De Spiritu & Litera*; & *imprimis* eruditiſſimos illos de *Civitate Dei*, inchoatos paullo poſt urbem captam, hoc eſt circa tempus *Collationis Carthaginenſis*. *Oroſius* teſtatur, *virum imprimis prudentem fuiſſe, & induſtrium, omniumque bonorum ſtudiorum appetentiſſimum*. Quibus virtutibus id obtinuit, ut ad ampliſſimos in Republica honores promotus ſit.

VIII. Huic collationis ut Cognitor & Judex ab Honorio præfectus Marcellinus eſt.

IX. Magnæ etenim dignitatis erat *Notariorum* munus. Erant autem Principi a ſecretis, ut docet in *Formulis Caſſiodorus*. *Variar. Lib.* VI. *formul.* XVI. Conciliabat illud munus *Senatoriam dignitatem*, & *Spectabilitatis* honorem. Tali enim titulo ſuis literis Catholici Epiſcopi eum venerati ſunt. Exſtat *Lib.* XII. *Codicis Titulus* VII. *de Primicerio & Notariis*, ubi etiam de *Tribunis Notariis* agitur. *Præcipua*, inquit *Theodoſius*, *noſtræ pietatis intentio eſt circa Notariorum nomen.* Et Imperator *Zeno*: *Præclaram nobilemque militiam ſpectabilium Tribunorum Notariorum, qui glorioſis obſequiis nonnihil Reipublicæ commoditatis adferunt, & decoris, diverſis beneficiorum titulis muniendam credimus & augendam.*

IX. Spectabili dignitate Notarii ornatus.

X. Talem ergo tantumque virum COGNITOREM huic cauſſæ Honorius dedit: hoc enim nomine paſſim in Collatione appellatur. *Cognitoris* vero functionem ita finit *Baronius* ad Ann. CCCCXI. nempe ut illius ſit, *agere quæ ad pacem & quietum congreſſum pertinent, curareque*

X. Qui quo ſenſu Cognitor datus ſit.

reque ne quid tumultuarie vel inordinate inter conferentes mutuo Episcopos agatur, neve quid per vim dolumve malum ab altera partium moliatur, utque in omnibus pacta conventa sarta tecta conserventur: in quibus rite disponendis eidem interloquendi facultas sit, non quidem pro animi arbitrio, sed quod ipsa justitia postulet: atque demum cujus partis alterutrius potiora jura essent pronunciare.

XI. Et Judex. XI. Cæterum in rescripto Honorii Marcellinus JUDEX dicitur: *Cui quidem disputationi principe loco te* JUDICEM *volumus residere.* Quorum verborum mentem ita exponit *Balduinus, ut, quemadmodum Donatistæ actum agebant, sic juris minime novi aut dubii arbiter fuerit Marcellinus: & facti potius quam juris fuisse quæsitorem, & quidem cognitionem magis quam jurisdictionem mandari: denique judicem cum formula dari, ut olim rerum privatarum judices privati a prætore dabantur. Sed neque hic sedere voluit Marcellinus, nisi si adsiderent collocutores; quum tamen in judicio civili solus sedeat Judex, stare autem jubeantur litigatores. Denique protestatur quod Constantinus in Nicæno Concilio protestatus erat, sedens in imo subsellio.* Hactenus *Balduinus.*

XII. *Egregia illius comitas, ut Donatistas ad Collationem alliceret.* XII. Incredibile vero est, quanta æquitate, comitate, atque indulgentia usus *Marcellinus* sit ut *Donatistas* ad conventum & *Collationem* alliceret. Et primum quidem eodem quo illos vocavit edicto, sive jussione Imperatoris, reddi Basilicas iis curavit qui se pollicerentur esse venturos. Dein & id indulgendum putavit, ut quem vellent eligerent sibi Judicem, qui cum ipso præficeretur ad judicandum. Ac de se juramento pollicitus est, nihil se judicaturum nisi quod veritas suasisset. Aliaque complura adjecit, demulcendis animis idonea. Et quantum colligi ex Augustino posse videtur, id quoque humanitatis officium iis præstitit, ut per *Tractorias* eos convocaverit literas, quibus, ut nuper exposuimus publicæ concedebantur vecturæ, omniaque affatim suppeditabantur quæ ad commeatum sunt necessaria.

Ad Donat. Post Coll. Cap. XXIV.

XIII. *Donatistarum & Catholicorum dissimilis in Urbem adventus.* XIII. Tot ergo illecebris pellecti tandem *Carthaginem* veniunt *Donatistæ*, numero *centum quinquaginta novem*, sed cum tanta speciosi agminis pompa, ut tam magnæ civitatis in se oculos animumque converterent. Plures autem se Episcopos habere jactabant, *ultra quadringentos*, sed qui variis domi infirmitatibus aut necessitatibus detenti præsto esse non possent. *Catholici*, licet numero plures, ad evitandam, quæ Christianis moribus indigna est, ostentationem, non una simul, ut fastuosi *Donatistæ*, sed seorsim singuli, Carthaginem ingressi sunt; ad *ducentos octoginta sex*, quum ferme centum in suis Ecclesiis, senectute & morbis præpediti, remansissent.

XIV. Pri-

XIV. Prima antequam solemniter convenirent, de loco consessus constituendo fuit deliberatio. Inque eam itum est sententiam, ut in *Thermis Gargilianis* comitia haberentur. Qui locus erat in ipsius Urbis meditullio, amplus, lucidus, tutumque adversus æstivos calores receptum præbens. Non placebat *Donatistis Basilica Fausti* aut *Restituti*, in quibus complures Carthaginenses Synodi habitæ esse leguntur. Horrebant enim Catholicorum Ecclesias, quas *Satanæ Synagogas* esse calumniabantur. Unde factum est, ut quoties eas potituri invaderent, non nisi lotis purgatisque, ac demolitis altaribus, aliisque suo modo adhibitis lustrationibus, sibi eas vindicarent. *XIV. Locus consessus definitus in Thermis Gargilianis.*

XV. Proxima deliberatio fuit de *numero* eorum quibus in publicis conventibus futurus esset locus. Proponebat enim Marcellinus, ut ad tumultum, qui ex nimia confluentium turba facile oboritur, antevertendum, ex utraque parte *decem & octo delecti*, in universum *triginta & sex*, locum sessionis ingrederentur; ita partitis officiis, ut ex utraque parte septem deputarentur ad disputandum; totidem, quum opus esset, ad scribendum; quatuor reliqui Actis describendis ac custodiendis præessent. *XV. Numerus conferentium ab utraque parte ad XVIII. restrictus.*

XVI. Renuerunt primo loco id se facturos *Donatistæ*, petentes suis omnibus liberum patulumque ad consessionem aditum. *Catholici* se in omnibus *Marcellino* parituros, literis professi sunt; sic tamen ut iisdem se literis ad omnem præstandam gratiam *Donatistis* obligarent; adeo quidem ut per ipsos non staret, quo minus Donatistæ omnes in locum conventui præstitutum ingrederentur; se autem paratos esse ut non amplius quam duodeviginti veniant. *XVI. Memorabilis circa hanc rem Catholicorum æquitas.*

XVII. Denique, quum utrique parti significasset *Marcellinus*, ut quæ ad Collationem pacifice habendam conducere existimarent, scripto singuli exponerent: Catholici Antistites quid facto usus esset privata coitione decernunt. Atque incredibili, prorsusque admirabili animorum consensu in eo conveniunt trecenti propemodum Episcopi, ut pollicerentur *Donatistis*, si eorum superati essent argumentis ultro se Episcopatu cessuros; sin vincerent, & ad unionem redirent *Donatistæ*, nemo eorum honore Episcopatus multaretur, sed in eadem Ecclesia simul cum Catholico Episcopo, ut honoris ac muneris socius, sederet, utroque alterum cum honore mutuo præveniente: quia, inquiunt, *ubi præceptio charitatis dilataverit corda, possessio pacis non fit angusta*. Cæterum si contingeret alterutrum defungi, deinceps jam singuli singulis pristino more succederent. Ac si forte Ecclesiæ singulis delectarentur Episcopis, & duorum consortium inusitata rerum facie tolerare *XVII. Major etiam ac propemodum incredibilis, circa caussam principalem.*

rare non possint, utrique de medio decederent, & Ecclesiis singulis, damnata schismatis caussa, in unitate pacifica constitutis, unitati factæ per loca necessaria singuli constituantur Episcopi.

XVIII. Eaque, nullo tandem dissentiente, omnium

XVIII. Erat hoc profecto magnum, & vix impetrabile videbatur a tanta hominum multitudine, in quibus vix est ut non aliquos invenias, quibus non lubet, in alterius gratiam, suis se privare commodis. Quum primum ea res agitaretur, qui sua paci sacrificare promtissimi erant, nonnullos, uti *Augustinus* fatetur, tacite animo designabant, a quibus id se impetraturos esse vix audebant sperare. Cæterum quando id palam referebatur ad Concilium universum pene trecentorum Episcoporum, sic placuit omnibus, sic exarserunt omnes, ut parati essent Episcopatum pro Christi unitate deponere, & non perdere, sed Deo tutius commendare. Duo ibi vix inventi sunt quibus displiceret: unus annosus senex, qui hoc etiam dicere liberius est ausus: alter voluntatem suam tacito vultu significavit. Sed posteaquam illum senem liberius hoc dicentem obruit omnium fraterna correctio; illo mutante sententiam, vultum etiam hic mutavit. Hæc *Augustinus: De Gestis cum Emerito.*

XIX. Præclara eorum ad Marcellinum oratio.

XIX. Præclara sunt quibus mentem suam ad *Marcellinum* explicuere verba, & digna quæ omnibus fidis Christi Domini ministris in exemplum proponantur. *Quid enim,* sic loquuntur, *dubitemus redemtori nostro sacrificium istius humilitatis offerre? An vero ille de cœlis in membra humana descendit, ut membra ejus essemus, & nos, ne ipsa ejus membra crudeli divisione lanientur, de cathedris descendere formidabimus? Propter nos nihil sufficientius, quam ut Christiani fideles & obedientes simus. Hoc ergo semper simus. Episcopi autem propter Christianos populos ordinamur. Quod ergo Christianis populis ad Christianam pacem prodest, hoc de nostro Episcopatu faciamus. Si servi utiles sumus, cur Domini æternis lucris pro nostris temporalibus sublimitatibus invidemus? Episcopalis dignitas fructuosior nobis erit, si gregem Christi magis deposita collegerit, quam retenta disperserit. Nam qua fronte in futuro seculo promissum a Christo sperabimus honorem, si Christianam in hoc seculo noster honor impedit unitatem?* O vere Christiana pectora! O generosa consilia! quorum laus perennabit in Ecclesia Dei, tanto gloriosior quanto pauciores habuerunt olim, habent etiamnunc, & fortasse habebunt posthac, imitatores atque æmulos.

XX. Nicæni Canonis de uno simul in Ec-

XX. Sane Canon Nicæni Concilii prohibebat duos in una urbe esse Episcopos. Nam prospiciebat incommoda talis societatis: sed ut id placuit pacis fovendæ caussa; sic etiam, ubi conciliationis ratio

visa

visa est postulare ut duo tolerarentur, quum alter expelli vix posset, Canonis finem & sententiam potius quam verba intueri oportuit.

clesia eadem Episcopo, explicatio κατ' ἐπιείκειαν.

XXI. Donatistarum superbus rigor.

XXI. Atque ita quidem *Catholici*, quo *Donatistis* uterentur æquioribus, non recusarunt iniquam ultro subire conditionem, adversariis vero deferre utilem: sed nihil a *Donatistarum* parte oblatum invenio quod unioni restituendæ quomodo conduceret. E contra *Primianus* Carthaginensis Episcopus, *Donatistarum* facile Princeps, a Catholicis de Collatione æquissimis conditionibus habenda conventus, truci ac superbo imprimis dicto aures eorum verberavit, animos vulneravit: *indignum esse dictans, ut in unum conveniant filii Martyrum, & progenies Traditorum.*

XXII. Ordo Collationis accuratissime constitutus.

XXII. Attamen die ad Collationem habendam constituta in *Thermas Gargilianas* omnes conveniunt, tam *Catholici* quam *Donatistæ*. Electi utrinque septem, qui pro caussa omnium loquerentur: item alii septem, quos, ubi opus esset, priores illi in consilium adsciscerent: & alii quatuor, qui gestis conscribendis custodiendisque præessent, ne qua falsitatis aut occasio foret, aut suspicio. Dati etiam utrimque quatuor *Notarii*, ut bini cum exceptoribus Judicis alternarent, nequis se dixisse aliquid caussaretur, quod non fuisset exceptum. Cui diligentiæ & illud additum est, ut singuli, quemadmodum & ipse Judex, verbis suis subscriberent: ne quisquam diceret aliquid in illis Gestis vel postea fuisse corruptum.

XXIII. Caussa ex solis Scripturis agenda.

XXIII. Quumque *Donatistæ* contenderent caussam suam agendam esse, non ex præscripto forensis judicii, sed Divinæ Scripturæ; id ambabus, quod ajunt, ulnis amplexi sunt *Catholici*. Neque aliter cum *Petiliano*, eorum Patrono, disputare *Augustinus* voluit in *libro de Unitate Ecclesiæ*. *Non audiamus*, inquit, HÆC DICO, HÆC DICIS, *sed audiamus*, HÆC DICIT DOMINUS. *Sunt certe libri Dominici, quorum auctoritati utrique servimus. Ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus caussam nostram.*

XXIV. Donatistæ morosa superbia sedere renuunt, & Fratrum nomen respuunt.

XXIV. *Catholici* missa omni tergiversatione nunc se in rem præsentem venire desiderabant: sed brevi patuit, nihil minus in animo habere *Donatistas*, qui effugiis & cavillationibus solis intenti, ne quidem sedere, a *Marcellino* rogati, voluerunt. Versabant enim ore submurmurantes illud Psalmistæ: *Odivi Ecclesiam malignantium; & cum impiis non sedebo.* Ad quod opposite *Catholici* replicarunt: jam eos tamen fecisse quod in eodem Psalmo David dicit, *& cum iniquis non ingrediar.* Et sane, uti prudenter a *Balduino* observatum, mirum est Donatistas, nimis inepte morosos, stare quam sedere maluisse;

quum illud reorum, hoc judicum sit. Imo quum reus sedere jubebatur, absolutus censebatur. Neque alia absolutionis formula usi erant eorum majores, in primo illo suo *Cirtensi Concilio*. Fuit profecto incredibilis quidam fastus horum hypocritarum. Sed factum est justo Dei judicio, ut honorem, nimis liberaliter iis oblatum, quo indigni erant recusarent. Verum & aliud accessit superbiæ argumentum. Quum enim Catholici Episcopi, iiscum differentes, ex Christianæ Charitatis præcepto FRATRES appellarent, illi indignantes dulcissimum atque honoratissimum hoc nomen fastuose respuerunt.

XXV. Verus quæstionis status.

XXV. Non committendum tamen sibi *Marcellinus* existimavit, ut his omnibus a sedati compositique animi æquitate vel tantillum dimotus videri posset. Instititergo ut id demum tractaretur in quo præcipuum caussæ momentum situm erat. Sed subterfugia captantes lucifugæ, de personis primum quæstionem habendam vociferati sunt, ac scire voluerunt quinam ab imperatore Collationem petiissent. Qua super re magna diu pervicacia altercati sunt. Quærebant enim, quod in eo quoque genere arroderent. Quumque dictum esset, uti res ipsa faciebat palam, *Catholicos* esse qui libello Imperatori oblato Collationem fieri rogassent; contenderunt se esse *Catholicos*. Ne vero de nomine frustra disputaretur, prospicienter monuit *Marcellinus*, non esse id nomen trahendum ad caussæ aliquod præjudicium; sed accipiendum sensu recepto, prout significabat *Donatistarum* adversarios. Hac exclusi, alia tergiversatione usi sunt. Nempe quum de Catholica Ecclesia quæstio verteretur, non solos *Africanos* audiendos esse, qui de totius orbis communione Catholica gloriarentur, sed & transmarinos Episcopos, ne videlicet illi factum sibi præjudicium quererentur, atque acta aliquando rescinderent. Quæ quam futilia sint, nemo non videt: quum de curando *Africanarum* Ecclesiarum morbo ageretur, quem feliciter curatum non poterant non & iis & sibi gratulari omnes Ecclesiæ Christi. Sic moram ex mora trahebant; eadem fere odiosa repetitione identidem ingeminantes. Tandem eo ventum est, ut *Cognitor* recitari juberet, quæ sub *Anulino Proconsule* gesta erant, in ipso schismatis initio. Tunc illi exclamare dolentes, *sensim inducimur in caussam: Potestas tua sensim nos in caussa interna deducit.* Longum esset enarrare quam ineptis cavillationibus putidisque litigiis tempus triverint, & *Cognitorem Catholicosque* fatigarint. Non sine magno tædio *Augustini breviculum*; at multo majore ipsius *Collationis acta* me legisse confiteor: quæ primum quidem *Papirii Massonis* opera atque studio in lucem edita sunt, dein a *P. Pithœo* cum Manuscriptis colla-

collata atque emendata ex Typographeo *Commelini* prodierunt anno superioris seculi xcvi. Quo exemplari ego sum usus. Mea itaque edoctus experientia, nolui idem lectori meo fastidium odiumque propinare.

XXVI. Summa quæstionis in hoc potissimum cardine versabatur: *Utrum Cæciliani, quem Traditorem dicebant Donatistæ, communione ita corrupti essent qui cum ipso faciebant Afri, aliique transmarini communionem cum Afris istis colentes, ut Ecclesiæ dignitatem & privilegia amiserint, eo quod Ecclesia Catholica esse non possit, qua malorum hominum admixtione constaret: Quam mixtionem quoniam curate & constanter refugerant Donatistæ, hinc penes se contendebant esse Catholicam Ecclesiam.* Duplex ergo erat controversia; altera *facti utrum Cæcilianus fuerit Traditor, obque eam caussam Episcopatu indignus;* altera *juris*, atque ea iterum gemina; hæc *universalior; an Ecclesia malorum quorundam commixtione ita vitietur, ut Ecclesia esse desinat*, illa *specialior, an Ecclesia in Africa penes Donatistas esset, an penes eos qui Catholici dicebantur.* Hæc distinctim pertractanda fuerant; quod non ea qua decuit diligentia atque accuratione factum in hac *Collatione* esse, maxime per *Donatistarum* importunitatem ac pervicaciam, omnes cordatiores facile deprehendunt. **XXVI.** *Verus quæstionis status.*

XXVII. Catholici, laudabili sane instituto ut citius de gravioris caussæ statu agi posset, voluerunt disjungere & separare caussam *Cæciliani*: nam & privata & personalis erat ea caussa, quæ cum altera generali & reali nihil habebat commune. Itaque non recusabant hoc ultro largiri, quod tamen falso prætexebant *Donatistæ*, Cæcilianum fuisse traditorem. Nam ne tum quidem ab Ecclesia quæ ei communicasset descíscendum fuisse ajebant. In *Collatione Cap.* clxxxvii. *Augustinus* dixit: *Si ergo de Ecclesia quæritur quæ sit, quanta sit, qualis sit, sola Divina testimonia ad eam demonstrandam sufficient. Si homines appetunt, si hominibus crimina intendunt, quanquam Ecclesiæ caussa ab hominum caussa distinguenda est, nec in hominibus spes ponenda est Ecclesiæ, si boni sunt; neque si mali sunt judicanda est Ecclesia deperiisse: sed tamen ipsorum caussam tanquam fratrum nostrorum suscipimus, & si nobis ostendi potuerint criminosi, hodie eos anathematizamus: non tamen propter illos Ecclesiam a Deo promissam & exhibitam deserimus aut relinquimus.* Sed tamen Donatistæ in ea cavillatione perstabant, potius quam ut ad juris quæstionem de Ecclesia pertrahi se paterentur. Quumque alias in ore habere solerent forensem illam præscriptionem, *Nec caussa caussæ, nec persona personæ præjudicat:* tamen indigne ferebant eam exceptionem sibi objici, ubi *Cæciliani* caussam cum Ecclesiæ caussa ita conjungebant, ut hanc ex **XXVII.** *Catholici, omissis personalibus, ad rem accedere gestiunt.*

illa pendere vellent. *A personis*, clamabat *Petilianus* Donatistarum Patronus, *incipit omnis caussa. Collat. Cap.* LVI.

XXVIII. *Scripto probantes Ecclesiæ perpetuitatem, & Universalitatem.*

XXVIII. Post longas altercationes ad rem denique ventum est. Catholici in ipso Collationis initio, Cap. XVIII. Epistolam tradiderant, qua breviter probant hoc Ecclesiæ in terris fatum esse, ut bonis malos mistos habeat. Urgent hoc fine parabolam de permixtis zizaniis, & palea, & piscibus malis: usque ad tempus messis, ventilationis, & litoris. Unde colligunt, etiamsi malam caussam *Cæcilianus* & coëpiscopi ipsius habuissent, nihil eo præjudicari potuisse orbi Christiano. *Nisi forte plus contra Ecclesiam valuit homo peccans quam pro Ecclesia Deus jurans; & iniquitas quod amisit, quam veritas quod promisit.* Narrant etiam se innumerabilia testimonia invenisse, quibus promissa est Ecclesia futura in omnibus gentibus & toto terrarum orbe, sicut & in Evangelio & in Actibus Apostolicis & in Epistolis ipsa loca & civitates & provinciæ leguntur, per quas crevit, incipiens ab Hierusalem, ut inde se etiam in Africam, non migrando, sed crescendo, diffunderet. Negant autem se aliquod invenisse testimonium Divinorum eloquiorum, ubi dictum est eam perituram de cæteris partibus mundi, & in sola Africa Donati parte mansuram.

XXIX. *Et Donatistas redarguentes ex propriis hypothesibus.*

XXIX. Præterea ex suis ipsorum actis convincere Donatistas conati sunt: quippe qui suorum aliquammultos Maximiani sacrilegi surculi communione impollutos mansisse dixerunt, & baptismum vel a damnatis, vel a sociis eorum, quamvis foris in schismate datum, rescindere atque iterare non sunt ausi: *qua re*, sic inferebant Catholici, *satis utique judicarunt, ea quæ contra nos faciebant exemplo suo esse damnata: at credendum est quod jam intelligant, quam sit indignum, quam intolerabile, ut quum sedeant in Cathedris Episcopalibus cum istis, & cum ipso simul Primiano, damnatores ejus & damnati in caussa ejus, ut sit pax in parte Donati, de Cæciliano infametur orbis Christianus, ne in pace vivat unitas Christi.* Hæc quidem jam initio Catholici, in ipsam caussam invadere gestientes.

XXX. *Quibus Donatistæ prolixa epistola respondent.*

XXX. *Donatistæ* vero prolixa tandem Epistola respondent, quæ inserta est *Actis Collationis Cap.* CCLVIII. Ubi plurima confertim ex Prophetis, ex Cantico, ex Paulo producunt testimonia, quibus insignis Ecclesiæ puritas maculæ omnis rugæque expers magnificis verbis prædicatur. Ea quoque urgent, quibus jubentur polluti e medio sanctorum sacerdotum separari, quibus paleis nihil esse dicitur cum frumento, & communio fidelis cum infideli, lucis cum tenebris interdicitur, quibus denique iram Dei adversus eos provocari docetur, qui sibi

a con-

a contaminatione permixtionis non cavent. Inculcant etiam Sophoniam, Heliam, Helisæum, Oseam, Amosum, Jesaiam, Aggæum, Malachiam, impiorum sacrificia detestatos, nihil sibi iiscum commune esse voluisse. Quod autem inter eos erant, commorationis fuisse, non communionis. Porro Christiani hominis officium esse ut non moribus modo, sed etiam corpore a malis sejungatur, ex Mose, Esaia & Paulo comprobant, jubentibus discedere a tabernaculo & e medio improborum, & immundum non tangere. Respondent etiam ad ea quæ objecta a Catholicis erant, & primo quidem per agrum in quo zizania adcrescebant bono semini, non Ecclesiam, sed, ipso Christo interprete, Mundum intelligi debere. Et quod Catholici dixerant, paleas cum frumento debere simul in Ecclesia permanere; id contendunt repugnare Jeremiæ dicenti: *Quid paleis ad frumentum?* Per malos autem in reticulo pisces, reos latentes intelligendos esse, quoniam reticulum in mari positum quid habeat, a piscatoribus, id est, a sacerdotibus, ignoratur, donec extractum sit ad litus: & ad purgationem boni seu mali prodantur. Unde nequaquam probari possit Catholicorum, ut opinabantur, thesis, Ecclesiam malorum delictis, etiam manifestorum, non posse maculari. Porro exprobrant Catholicis, quod Principes seculi in eorum necem incitarint, atque ad suam communionem contra Dei præceptum minis & proscriptionibus coartaverint. Ac vehementi oratione conqueruntur, per *Leontium*, *Ursatium*, *Macarium*, *Paulum*, *Taurinum*, *Romanum*, cæterosque exsecutores, plurimos venerabiles sacerdotes occisos, alios in exsilium relegatos, Christianitatem late vexatam, stupratam virginitatem, proscriptos divites, spoliatos pauperes, ablatas basilicas, actosque in fugam sacerdotes. Quæ ne suo quidem tempore cessare; quum in uno tantum oppido *Bagajensi* multorum Christianorum sanguis adversariorum caussa effusus sit.

XXXI. Ad hæc, patienter a Catholicis audita, responsionem orsus *Augustinus* est; prudenter distinguens duo quædam genera vel objectionum vel rerum in epistola isthac inserta esse. Unum de Divinis scripturis, & sanctæ legis eloquiis; alterum de criminationibus humanis, *quæ objicienda*, inquit, *nescio qui invidiosius potius quam verius putaverunt*. Ad singula ordine respondere conantem continuo interpellarunt *Donatistæ*, sic ut speciem magis inordinatæ altercationis, quam legitimæ collationis, tota illa habuerit disputatio. Multa litigatio fuit de voce *Mundi*: quum dicit Dominus: *ager Mundus* est, *Augustino* contendente per *mundum Ecclesiam* intelligi, ut & alibi sæpe; *Petiliano* contra, *Ecclesiam* *XXXI. Unde altercatio utrimque oritur.*

ſiam a mundo diſtingui, eique opponi, ut in Evangelio paſſim. Utrique ſuis pugnabant teſtimoniis, quæ recenſere prolixum eſſet. Atque in hac altercatione finiunt *Collationis Geſta*, quæ in lucem prodierunt. Cætera, quæ deſiderantur, ex *Auguſtini breviculo*, & *Libro de iis quæ poſt Collationem geſta ſunt*, peti debent.

XXXII. *Tandem Catholici Donatiſtarum argumenta ordine refutant.*

XXXII. Ita autem egerunt Catholici, ut teſtimonia a Donatiſtis prolata de eximia Eccleſiæ puritate, illud ejus tempus ſignificare dixerint, qualis venturo ſeculo in æternum futura eſt; altera autem a ſe prolata, de malorum commixtione, hoc ejus tempus ſignificare, qualis eſt præſenti ſeculo. Fatebantur, diſcedendum bonis a malis eſſe; ſed eam diſceſſionem potiſſimum corde fieri, morumque diſſimilitudine: ita tamen ut interim vigilare debeat diſciplina Eccleſiaſtica, ad eos non ſolum verbis ſed & excommunicationibus & degradationibus corripiendos. Ad Prophetarum exempla dixerunt, unum templum fuiſſe quo univerſi utebantur, nec quenquam Prophetarum qui tanta dixerunt in malos, conſtituiſſe ſibi aliud templum, ſacrificia, ſacerdotes. Sic Donatiſtarum rationibus reſponderunt Catholici.

XXXIII. *Suaſque rationes a Donatiſtis intactas præteriri monent.*

XXXIII. Suas autem a *Donatiſtis* intactas plerumque præteriri monebant. Obſervat Auguſtinus, nihil a Donatiſtis prolixo illo ſcripto reſponſum eſſe ad parabolam de area, quæ paleam ad tempus ventilationis frumento admixtam habeat: male autem eos Hieremiæ teſtimonio abuti, qui non de Eccleſia, ſed de Divinis Prophetarum viſionibus & humanis ſomniis loquitur, non ferens ut ea ullo modo comparentur. Nihil quoque eos dixiſſe ad ſimilitudinem de ovibus & hædis, qui ſimul paſcuntur donec ſegregentur in fine ſeculi: neque enim poterant illic dicere, etiam hædos a paſtoribus in communibus paſcuis ignorari, ſicuti dixerant inter retia piſces malos in mari a piſcatoribus non videri. Ad illa etiam quæ de *Maximianiſtis* objecta erant, quod a ſe damnatos in integro honore ſuſceperint, quod *Maximiani* ſocios ab illo pollutos eſſe negaverint, quod baptiſmum ab eis in ſchiſmate datum approbare potius quam reſcindere atque iterare maluerint; ne levi quidem reſponſione defunctos; ſed quaſi dicta non eſſent, miro quodam ſilentio tranſiviſſe.

XXXIV. *Quæ autem perſecutiones vocant, ea iis obtigiſſe, non ob communio-*

XXXIV. Quæ autem de perſecutionibus ſuis conqueſti ſunt, ea iis *Auguſtinus* contigiſſe memorat, non ob communionem *Donati*, ſed propter ſcelera, quibus nonnulli ipſorum violenter ſævierunt, publicis legibus vindicanda; præterquam quod *Circumcellionum* in ſe ipſos furorem tam falſo quam injurioſe *Catholicis* imputarent. Mirum autem eſſe quod oppidi *Bagajenſis* mentionem injicere auderent: quum nihil

aliud

aliud ibi factum sit, nisi ut eorum violentiæ resisteretur, quam & judici inferre conati sunt. Dum ipsi interea loci horrenda commiserunt, ita ut etiam Basilica esset incensa, & in ignem missi Codices Sancti. Hæc quidem summa est eorum quæ a *Catholicis* isti *Donatistarum* scripto reposita sunt: quo de mixtione malorum cum bonis in Ecclesia disputatur.

nem Donati, sed ob suorum scelera.

XXXV. De altera quæstione penes quos Ecclesia esset, an penes eos qui *Catholici* dicebantur, an penes *Donatistas*, vix quidquam rite atque ordine in Collatione actum esse videtur. *Catholici* quidem generatim multa protulerunt testimonia, quibus probare niterentur Ecclesiam per totum terrarum orbem diffundi, multasque esse ad ipsam unicam pertinentes Apostolorum labore fundatas, quibus *Donatistas* non communicare manifestum est. Sed ad id siluerunt *Donatistæ*, nec aliquod testimonium in tam prolixa epistola sua protulerunt, quo asserent Ecclesiam partis *Donati* esse prædictam & prænunciatam. Et sane, si verum fateri volumus, erat ea quæstio & admodum difficilis & parum necessaria: quod utrobique propemodum eadem sonaret doctrina, & forma rituum consimilis conspiceretur. Unde ad Ecclesiam dignoscendam aliis indiciis opus fuit, quam Doctrinæ & Sacramentorum. An vero alia præter hæc solida indicia sint, dubitari haut immerito potest; aut fortasse ne potest quidem. Et vero si *Donatistæ*, ut bene *Balduinus*, cum Ecclesia Catholica communicarent tam in doctrina fidei, quam in ritibus & ceremoniis, tametsi cum personis non communicarent, quas tanquam pollutas refugiebant, non nisi cujusdam morositatis schisma fuisse videtur.

XXXV. Quæstio penes quos sit Ecclesia, rite atque ordine in Collatione tractata non est.

XXXVI. Post longas altercationes, de *Origine Schismatis* & caussa *Cæciliani* cœptum est agi. Sed altercationibus novis a parte *Donatistarum*. Quarum ridiculum audi sis exemplum. Occasione ita ferente accusabant eos *Catholici*, quod nuperrime calce & aceto fidelium oculos excœcassent: in quo & ipsum superassent crudelitate Diabolum, qui, quamvis potestate sibi a Deo in corpus Jobi facta, nihil unquam tale pertentasset. Id *Donatistæ* mox torsere ridiculo cavillo in Catholicorum invidiam, quasi patronos se præberent Diabolo. Sed ad *Cæciliani* caussam redeo. Quum juberet *Cognitor* ut in caussam primi dissidii inquireretur, petierunt *Catholici* ut quæ offerebant recitarentur. Eo præcipiente ut id fieret, obnixius *Donatistæ* resistere, dicentes caussæ hujus judicem Christum esse debere, criminantesque *Catholicos*, quod hominem judicem fecerint. Responderunt *Catholici*, non esse quod de homine judice postulato invidiam sibi facerent; quum & ipsi de caussa *Ma-*

XXXVI. De origine Schismatis absurdæ Donatistarum altercationes.

ximianistarum judicaverint, & ipsam *Cæciliani* caussam ad Imperatorem *Constantinum* accusantes detulerint. Quod certe non erat homine præterito judicium Christo reservare. Porro ex *Actis Proconsularibus*, quorum prælectionem quæsitis exceptionibus passim interpellabant *Donatistæ*, palam demonstratum est, rite ac legitime judicatam *Cæciliani* caussam esse in *Concilio Romæ* habito sub *Melchiade*, absolutumque *Cæcilianum*, damnatum calumniæ cum suis *Donatum*. Hoc ut effugerent, ipsum quoque *Melchiadem* traditionis Divinorum librorum accusarunt: nullo tamen idoneo argumento. Ostensa quoque *Cæciliani* innocentia ex *Concilio Arelatensi*, & literis *Constantini*. Illi contra ex *Optato Milevitano* labanti caussæ quæsiverunt suppetias. At prælecta ex ipso *Cæciliani* absolutione, quam disertis verbis memorat; omnibus debuere ludibrium.

XXXVII. *Marcellinus pronunciat, omnium documentorum manifestatione a Catholicis Donatistas esse superatos.*

XXXVII. Quum denique pro absolutione *Cæciliani* Acta sub *Proconsule Æliano* edita essent, nec responsi aliquid præter odiosas repetitiones adversarii invenirent; placuit tandem *Cognitori*, quæ ea Collatione facta fuerunt, scriptis mandata, rectaque testificatione probata relinquere: ac pronunciare, OMNIUM DOCUMENTORUM MANIFESTATIONE A CATHOLICIS DONATISTAS ESSE SUPERATOS. Qui idcirco jussi sunt Basilicas, sibi a *Marcellino* ad diem sententiæ usque indultas, *Catholicis* sine ulla dilatione tradere. *Circumcellionum* etiam insania & insolentia reprimi jussa. Quin & Decurionibus, Dominis feudorum, Actoribus, Conductoribus, non privatarum possessionum modo, sed & domus Divinæ, mandatum, ut conventicula *Donatistarum* in omnibus civitatibus & locis prohiberent. Imo & fine sententiæ seu Edicti oblationes, collationes, largitates in Ecclesias Donatistarum factas, Episcopis Catholicis tradi jussit.

XXXVIII. *Post quam sententiam Donatistæ multa, at in cassum, causati sunt.*

XXXVIII. Multa post sententiæ hujus pronunciationem causati *Donatistæ* sunt. Ac primo quidem subscribere Actis illius diei recusaverunt, ut haberent unde calumniam struerent, negarentque se dixisse quæ dixerunt, aut corrupta Acta a *Cognitore* fuisse prætexere aliquando possent. Sed rubore tandem suffusi, quod ita ab initio conventum esset, ut ab utraque parte Actis subscriberetur, passi sunt a se impetrari ut subscriberent. In hunc itaque modum confecta & perfecta Acta Collationis, atque omni fide munita, in publicis jussa sunt conservari Archivis, fidem rei gestæ posteritati factura. Interea tamen non defuerunt, qui calumniose dicerent, *non fuisse permissos Donatistas, apud Potestatem quæ caussam audivit, dicere omnia pro suis partibus, quoniam Catholicæ communionis Cognitor suæ favebat Ecclesiæ.* Sed longe aliter se res

ſe res habuit. Judex enim volens ſua patientia iis præcidere omnem impoſterum occaſionem querimoniæ, abjiciebat clepſydram, & patiebatur eos quidvis dicere, potius quam actionem interrumperet. Neque ſententiam tulit, niſi poſtquam dixiſſent, & dixiſſe ſe confeſſi eſſent. Alii fingebant pretio corruptum *Marcellinum* fuiſſe: ſed hoc eadem impudentia dicebant, qua olim quum appellaſſent *Conſtantinum*, & is *Cæcilianum* abſolviſſet damnaſſetque *Donatum*, cavillati ſunt corruptum fuiſſe Imperatorem. Sed & vim ſibi illatam cauſſabantur, quod uno conclavi quaſi carcere inviti concluſi eſſent. Verum & eodem loco Catholici erant, ſpatioſo, lucido, refrigerante. Ibidem & Judex erat; neque quiſquam ſe clauſum ſciebat; niſi fortaſſe id ſuſpicati ſunt qui aufugere voluerunt. Atque ut intelligamus nihil eos non captaſſe quod calumniarentur, etiam conqueſti ſunt noctu *Marcellinum* judicaſſe. Ipſi cavillando jam diem conſumſerant, ut in tenebris effugerent. Judex mirabili patientia eos audiverat. Et quia per eos ipſos factum erat inanibus tergiverſationibus, ut nox extremam cauſſæ partem exceperit, non paſſus eſt judex, quia ſerius judicaverat, ſententiam ſuam eludi. Sed quis non videt quam futilia ſint, vix relatu nedum refutatu digna?

XXXIX. Collationis eventus.

XXXIX. Atque hæc quidem eſt hiſtoria celeberrimæ illius Collationis quæ Catholicos inter & Donatiſtas habita fuit apud Carthaginem. Cujus *eventus* atque ſucceſſus poſtremo loco expendendus eſt. Eum paucis verbis deſcribit *Oroſius Lib.* VII. *Cap.* XLII. *His diebus præcipiente Honorio, pax & unitas per univerſam Africam Eccleſiæ Catholicæ reddita eſt: & corpus Chriſti (quod nos ſumus) redintegrata deciſione ſanatum eſt: impoſita executione Sancti præcepti Marcellino Tribuno, Viro imprimis prudenti & induſtrio, omniumque ſtudiorum bonorum appetentiſſimo: quem Marinus Comes apud Carthaginem (incertum zelo ſtimulatus, an auro corruptus) occidit: qui continuo revocatus ex Africa, factusque privatus, vel ad pœnam, vel ad pœnitentiam, conſcientiæ ſuæ dimiſſus &c.* Sed hæc amplius claranda, enucleandumque diſtinctius, quem eventum Collatio habuerit reſpectu *Donatiſtarum*, *Honorii*, atque *Marcellini*.

XL. Donatiſtarum plurimi Eccleſiæ Catholicæ conſociati ſunt.

XL. *Donatiſtas* quod attinet, præcipui eorum Ductores tantum abeſt ut ad meliorem frugem reducti ſint, ut ex adverſo redditi ſint duriores. Vinci potuerunt, perſuaderi non potuerunt. Multos tamen qui ſanabiles erant reſipuiſſe, teſtatur *Auguſtinus*: *De Geſt. contr. Emerit. Donatiſtas*, inquit, *in nomine Chriſti in gremium Catholicum magna ex parte ſuſcepimus, ita ut pene omnes communioni Catholicæ conſociatos eſſe gaudeamus.* Idem *in Epiſt.* L. *ad Bonifacium: Maxime poſt Collationem quæ inter*

nos & Episcopos eorum apud Carthaginem fuit ex magna parte correcti sunt. Quod maxime de plebe est intelligendum, ne iis quidem exceptis qui *Circumcellionum* olim correpti erant furore. Sic enim idem *ad Gaudentium Lib.* I. *Cap.* XXIX. *Quantum existimas nos habere consolationis, quod a tanta dementia partis Donati (ubi non solum nefariæ divisionis error, verum etiam furoris lex facta est) longe atque incomparabiliter plura millia liberantur? Neque enim isti qui pereunt eorum saluti numero æquantur, qui ex ipso genere nunc jam tenentur ordine disciplinæ; colendisque agris, amisso Circumcellionum & opere & nomine, inserviunt, servant castitatem, tenent unitatem: quanto minus coæquantur isti perditi numero utriusque sexus non solum puerorum & puellarum, juvenum & virginum, verum etiam conjugatorum & senum, quorum innumerabiles ex Donatistarum nefaria dissensione, in pacem Christi veram & Catholicam transeunt.*

XLI. Mali Catholici Divinam experti ultionem.

XLI. Digna hic memoratu *Balduini* observatio est. *Effecit*, inquit, *hæc Collatio, quod vix unquam efficere potuerunt maxima & optima alioqui Concilia. Sed vellem etiam quod Augustinus optabat, effecisset, ut Catholici mali, quorum depravatio irritabat Donatistas, horum tumultibus correcti & emendati fuissent. At quam potius facti sint deteriores, bonus testis est Salvianus Massiliensis in Libr. de Provid. & Jud. ubi Carthaginensium incredibilem insaniam & projectam nequitiam describit. Ergo non multo post Collationem accidit, ut hostes Donatistis longe immaniores in Africam inundarint, qui terribile Divinæ ultionis adversus deploratam improbitatem exemplum ediderunt, excisis plusquam quadringentis Ecclesiis, & ipsa denique Carthagine eversa: moriensque Augustinus talem calamitatem ita deflevit, ut tamen in ea gemens justum Dei judicium agnosceret, sicuti Possidius narrat.*

XLII. Pervicaces Donatistas Honorii rescriptum coercuit.

XLII. Sed ad *Donatistas* redeo. Non defuerunt qui obstinatiores & pugnaciores facti, partim publica vi grassati sunt, partim sparsis calumniis atque mendaciis, collationem irritam reddere, & simpliciorum animos ab Ecclesiæ unione absterrere conati sunt. Horum calumniis retundendis, artibusque eludendis habitum est *Concilium Cirtæ* civitate Numidiæ, anno Collationem insecuto, Christi CCCCXII. Ac severum admodum adversus eos exstat *Honorii* rescriptum, qui approbatis omnibus quæ a *Marcellino* acta erant, revocataque superioris anni indulgentia, tantæ indignatus pervicaciæ, acriter in turbones animadverti jussit. Non pigebit ipsa rescripti verba hic exhibere: quod ita habet.

XLIII.

XLIII. *Cassatis quæ Pragmatici, vel adnotatione manus nostræ potuerint impetrare; & manentibus his quæ etiam dudum super hoc definita sunt, & veterum Principum sanctione servata; nisi ex die prolatæ legis omnes Donatistæ, tam Sacerdotes, quam Clerici Laicique Catholicis ea quæ sacrilege descivere reddiderint: tum Inlustres singillatim pœnæ nomine Fisco nostro auri pondo quinquaginta cogantur inferre, Spectabiles auri pondo triginta, Clarissimi pondo viginti, Sacerdotales auri pondo triginta, Principales auri pondo viginti, Decuriones auri pondo quinque, Negotiatores auri pondo quinque, Circumcelliones argenti pondo decem: Qui nisi a Conductoribus sub quibus commanent, vel procuratoribus, Executori exigendi fuerint præsentati, ipsi teneantur ad pœnam: ita ut nec domus nostræ homines ab hujusmodi censura habeantur immunes. Uxores quoque eorum maritalis segregatim mulcta constringat. Hos enim quos nequaquam illata damna correxerint, facultatum omnium publicatio subsequetur, servos etiam Dominorum admonitio, vel colonos verberum crebrior ictus a prava religione revocabit, ni malint ipsi ad prædicta dispendia (etiamsi sint Catholici) retineri. Clerici vero, ministrique eorum, ac perniciosissimi Sacerdotales, ablati de Africano solo, quod ritu sacrilego polluerunt, in exsilium viritim ad singulas quasque regiones sub idonea prosecutione mittantur: ecclesiis eorum vel conventiculis prædiisque (si quæ in eorum ecclesias hæreticorum largitas prava contulit) proprietati potestatique Catholicæ (sicut jam dudum statuimus) vindicatis. Datum* III. *Kal. Febr. Ravennæ, Honorio* VIII. *& Theodosio V. AA. Coss. Anno Domini* CCCCXII. *XLIII. Rescripti illius formula.*

XLIV. Cæterum, quum ne isto quidam edicto compesci Donatistarum proterviam posse Imperator comperisset, *Anno* CCCCXIV. X. *Kal. Jul. Constantio & Constante Coss.* Legem adversus eos edidit, qua vix ulla severior. Et primo quidem declarat eos *intestabiles, & nullam potestatem alicujus contractus ineundi habere, sed perpetua inustos infamia a cœtibus honestis, & a conventu publico segregandos.* Tum, *ea loca in quibus dira superstitio hactenus servata erat, Catholicæ venerabili Ecclesiæ sociandæ.* Porro, *Episcopos, Presbyteros, omnesque Antistites eorum, & Ministros, spoliatos omnibus facultatibus ad singulas quasque insulas, adque Provincias exulandi gratia dirigendos.* Adhæc, *si quis hos fugientes propositam ultionem, occultandi caussa susceperit, ejus patrimonium fisci compendiis adgregandum, sic ut simul pœnam quæ his proposita est, subeat.* Damna quoque patrimonii pœnasque pecuniarias imponit viris, mulieribus, personis singulis, & dignitatibus pro qualitate sui. Idque adeo rigide, *ut quotiens quis ad communionem talem* *XLIV. Cui & alterum severius additum.*

 accessisse

accessisse fuerit confutatus, totiens multam exigatur. Et si quinquies, inquit, *constiterit eundem nec damnis ab errore revocari, tunc ad nostram Clementiam referatur, ut de solida ejus substantia ac de statu acerbius judicemus.* Et quæ plura Imperatori dictavit læsa pridem patientia. Prolixum enim foret omnia describere.

XLV *Marcellini tristis exitus per proditionem Donatistarum.*

XLV. *Marcellini* tristis fuit exitus. *Heraclianus* consul res novas in Africa molitus, atque aliquamdiu Africana annona extra ordinem retenta, ipse tandem cum immensa classe navium Romam contendit: at simul ut agmine militum ad urbem pergens litore egressus est, accursu Comitis *Marini* territus, ac in fugam versus, abrepta navi solus Carthaginem rediit, atque ibi continuo militari manu interfectus est. *Marinus* in Africam trajiciens, perduelles imperii prosecuturus, *Marcellinum* nostrum, proditione *Donatistarum*, calumniam passum, quasi partibus *Heraclianis* faventem, occidi jussit. Verum titulo Martyrii in Ecclesiasticas tabulas relatus est.

XLVI. *Cujus morte Acta Collationis labefactari, iniquum censuit Honorius.*


XLVI. Quæsitum fuit, an ejus morte Acta Collationis labefactarentur. Id impense cupiebant *Donatistæ.* Sed præter omnem rationem: aliterque visum *Honorio.* Cujus exstat super hac re rescriptum ad *Julianum Proconsulem Africæ*: *Notione & solicitudine Marcellini spectabilis memoriæ viri contra Donatistas gesta sunt ea, quæ translata in publica monumenta habere volumus perpetuam firmitatem. Neque enim morte cognitoris perire debet publica fides. Dat.* III. *Kal. Sept. Rom. Constantio & Constante Coss.* Quin imo & *Marcellini* Acta de sceleribus *Donatistarum* post Collationem Carthaginensem, proponi Imperator voluit in *Theopropria*; quo frequens, ut videtur, multitudo confluebat, velut in locum *Carthagine* celeberrimum, eademque per Ecclesias recitari desideravit.

CAP. VIII.

Donatisticæ factionis finis.

I. Corrupti Afrorum, & imprimis Carthaginensium mores. II. Idololatria nobilium circa Deum cælestem. III. Odium adversus monitores. IV. Cur iis a Donatistis non exprobrata. V. A Deo per Gothos Vandalosque severe punita. VI. In qua calamitate Vandalis Arianis se sociarunt Donatistæ. VII. Justiniani adversus eos rescriptum. VIII. Quo tamen, propter Catholicorum socordiam, neque numerus ipsorum, neque auctoritas imminuta est. IX. Donec tandem Saraceni in Africa & Donatismo & Christianismo fecere finem.

Atque



Tque hic quidem *eventus* fuit celebratissimæ illius *Collationis Carthaginensis*. A quo tempore aliam longe rerum faciem *Ecclesiæ Africanæ* induerunt. Paucis enim post annis *Vandalica* iis tempestas incubuit; atrox illa ac diuturna. Plurimum ab prisca Christianismi sanctitudine desciverant Afrorum mores; eorum etiam qui Catholici dicebantur. *Carthago* ipsa, Africanarum urbium princeps ac mater, illa Romanis arcibus semper æmula, armis quondam ac fortitudine, post splendore & dignitate, tam præclaris nuper Episcopis, tam egregiis martyribus, tam insignibus pietatis ac constantiæ exemplis nobilitata, adeo fuit contaminata sceleribus, ut *Salvianus* scripserit: *Quæ fuit pars civitatis non plena sordibus? quæ intra urbem platea & semita, non lupanar? adeo pene omnia compita, omnes vias quasi foveæ libidinum interciderant, aut quasi retia prætexerant, ut etiam qui ab hac re penitus abhorrerent vitare vix possent. Fœtebant, ut ita dixerim, cuncti urbis illius cives cœno libidinis, spurcum sibimetipsis mutuæ impudicitiæ nidorem inhalantes: sed horrori tamen eis horrida ista non erant, quia idem omnes horror infecerat: unam enim illis putes fuisse libidinum fornicationumque sententiam, cœnum quasi ex omni platearum & cloacarum labe collectum.* Taceo cætera, oculis auribusque castis molestissima, quæ vir ille pius, in isthac urbe versatus, gravissima oratione deplorat.

I. Corrupti Afrorum, & imprimis Carthaginensium mores.

De vero Jud. & Provid. Dei Lib. VII.

II. Hoc prætermitti non potest, quod nobiles quique & potentes, quamvis professione Christiani, intra muros patrios intestinum scelus haberent, nescio quem COELESTEM, Afrorum Dæmonem, post Christum, vel etiam ante eum adorantes. Eo autem immanius horum sacrilegium & impietas existimari debet, quod post tot *Aurelii* Episcopi sui studia ad demolitionem idoli & profani illius delubri, post tot adhibita a Proconsulibus & Tribunis ad hoc ipsum officia, post tot leges Imperatorum & rescripta adversus idololatras in Africa data, post denique tot *Carthagine* ab eodem Episcopo, & Collegis celebrata Concilia ad ablegandam penitus impietatem & pravos mores, additis publicis concionibus, & secretis admonitionibus sanctorum virorum, adhuc tamen vigeret apud potentes adeo immane cum impunitate delictum.

II. Idololatria nobilium circa Deum cælestem.

III. Accessit denique ad *Carthaginensium* scelerum culmen, odium adversus sanctos viros, per quos ad meliorem frugem, vel sermone, vel precibus, vel exemplis, potuissent reduci. Tales enim irridebant, insectabantur, detestabantur, conviciis proscindebant, omnia in illos audebant quæ in Christum & Apostolos Judæorum impietas.

III. Odium adversus monitores.

IV. Ali-

IV. Cur iis a Donatistis non exprobrata.

IV. Aliquoties animum meum subiit mirari, qui factum sit, ut *Donatistæ* tam oculati, tam acres Catholicorum censores, hæc eis crimina non continuis convitiis ingesserint, dum in ineptiis & commentis de *Cæciliano* aliisque tam pertinaciter inhærebant. Atque exinde credibile esse arbitror iisdem ipsos aut similibus impuritatibus fuisse conspurcatos; ut nihil hac in parte Catholicis objicere potuerint, quod non mox in ipsos retorqueri quiret. O deplorandum Ecclesiæ statum! ubi dum de minutiis disputatur, ea negliguntur, spernuntur, conculcantur, profanantur, in quibus ipsa, ut ita dicam Christianismi substantia sita est.

V. A Deo per Gothos Vandalosque severe punita.

V. Fieri non potuit quin lassa Dei patientia adversus tot populi sui scelera tandem exardesceret. *Gothis* ergo *Vandalisque*, aliarumque Barbararum nationum turmis, sedibus suis excitis, ut justitiæ suæ ministris usus est, qui irruptione in *Africam* facta, rapinis, cædibus, omnique sævitiæ genere cuncta depopulati sunt. Non in bona solum, nec in corpora, sed & in animas & conscientias Orthodoxorum sæviter grassantes. *Vandali* enim, *Ariana* hæresi infecti, infestos se admodum Orthodoxis præbuerunt; non edictis modo, sed & suppliciis. Sic enim *Paulus Diaconus Lib.* XVI. *in fine. Apud Africam Honoricus, Ariana perfidia, trusis in exilium effugatisque amplius quam* CCCXXIV. *Episcopis Catholicis, & Ecclesiis eorum, plebem variis suppliciis affecit. Et quidem innumeris manus abscindens, linguas eorum præscidit. Nec tamen loquelam Catholicæ confessionis eripere potuit.* De quo miraculo alibi dixisse memini.

VI. In qua calamitate Vandalis Arianis se sociarunt Donatistæ.

VI. Observandum autem esse *Baronius* monet *ad Annum* CCCCXXXIX. *Vandalicam* hanc & *Arianam* persecutionem *Catholicis* potissimum gravem fuisse, *Donatistas* vero vel ad *Arianos* turpiter defecisse, vel persequendo *Catholicos* se *Vandalis* conjunxisse; memores quidem majores suos sub *Constantio* Imperatore fœdus cum *Arianis* adversus *Catholicos* iniisse, ac proinde non ut hostes, sed ut socios eos excepisse, quippe qui iisdem, in Anabaptismi symbolo, pari, ex dispari tamen caussa, jungerentur impietate. Quidnam enim cunctati fuerint se *Vandalis* jungere, quos adversus *Catholicos* etiam in Orientem ad *Apostatam Imperatorem* legatos misisse supra memoravimus? Nonnullos certe eorum, *volentes sibi Gothos conciliare, quando eos videbant aliquid posse, dixisse, se credere quod illi credunt, Augustinus* se audivisse narrat. *Epist.* L. *ad Marcellinum.* Fidemque facit *Nicasii Donatistæ* exemplum, cujus fœdam mortem cum *Hunnerici* tremendo exitu confert *Victor Uticensis Lib.* III. *in fine.* Verba Victoris ita habent: *Tenuit sceleratissimus*

Hune-

Hunericus dominationem regni annis septem, mensibus decem, meritorum suorum mortem consummans: nam putrefactum & ebulliens vermibus, non corpus, sed partes corporis ejus videbantur esse sepulta. Et ille legis datæ transversor, ex Donatiorum hæresi ad eos veniens quondam, Nicasius, in brevi simili morte periit.

VII. Postquam *Justinianus*, expulsis Barbaris Africam liberatam Romano iterum Imperio subjecisset, uti *Arianorum*, ita & *Donatistarum* licentiam refrenandam sibi sumsit. Exstat rescriptum ipsius ad *Salomonem* præfectum prætorio in Africa, in quo & hæc inveniuntur: *Curæ autem erit Sublimitati tuæ, quatenus neque Arianis, neque* DONATISTIS, *neque Judæis, neque aliis qui Orthodoxam religionem minime colere noscuntur, alia detur omnino communio penitus ad Ecclesiasticos ritus, sed omnino excludantur a sacris templisque nefandis, & nulla eis licentia concedatur penitus ordinare Episcopos vel Clericos, aut baptizare quascunque personas, & ad suum furorem trahere: quia hujusmodi secta non solum a nobis, sed etiam ab anterioribus legibus condemnata sunt, & a sceleratissimis, nec non inquinatis coluntur hominibus. Omnes autem hæreticos secundum leges nostras, quas imposuimus, publicis actibus amoveri jubemus, ut nihil penitus publicum gerere concedantur hæretici constituti, & Orthodoxis imperare: quum sufficiat eis vivere, non etiam sibi aliquam auctoritatem vindicare, & ex hoc Orthodoxos homines, & Dei Omnipotentis rectissimos cultores quibusdam afficere detrimentis. Rebaptizatos autem militiam habere, nullo modo concedimus.* Pauculis interpositis: *Sed neque eorum Synagogas stare concedimus; sed ad Ecclesiarum figuras volumus reformari. Neque enim Judæos neque Paganos, neque* DONATISTAS, *neque Arianos, neque alios quoscunque hæreticos, & speluncas habere, vel quædam quasi ritu Ecclesiastico facere patimur: quum hominibus impiis sacra peragendi permittere satis absurdum est.* Vide *Baronium ad A.* D XXXV.

VII. Justinianus [illegible] *versus eos rescriptum.*

VIII. Non tamen ea *Justiniani* severitas efficere potuit quin *Donatistæ*, Ecclesias suas & Episcopatus retinerent, & tandem numero atque auctoritate Orthodoxis, nimium profecto socordibus, graves evaderent. Adeo quidem ut mortuo *Numidiæ Primate* Catholico, qui ex *Donatistici* schismatis Episcopis, ordinatione in ista provincia vetustissimus erat, eam sibi Primatis dignitatem palam deposceret atque arrogaret. Hinc *Gregorii Romani* ad *Mauritium Augustum* querelæ: *Imperatorias leges incauta dissimulatione postponi, ut nec Dei in Africa judicium habeatur in metu, nec Principales jussiones sortiantur effectum: quum Donatistarum præmiis prævalentibus fides Catholica publice venundetur.* Nec defuere Episcopi, a quibus *ista per venalitatem* hominibus suæ [illegible]

VIII. Quo tamen, propter Catholicorum socor[illegible] *auctori*[illegible] *est.* Lib. VII. Epist. LXIII.

commissis *licentia est, ut post Catholicum baptisma a Donatistis iterum baptizentur*. Et *Maximianus* quidem *Prudentianæ* Episcopus, pretio corruptus, socium sibi in eadem urbe Donatistam Episcopum jungi passus est. Quem idcirco sede sua movendum esse, merito monuit Gregorius. *Æquum enim est, ut qui Jesum Christum Dominum nostrum hæretico accepta pecunia venundedit, ab ejus Sacrosancti corporis & sanguinis tractandis mysteriis submoveatur*. Unde clarum est, *Gregorii* tempore *Donatistarum* factionem in Africa numerosam adhuc & potentem fuisse.

Lib. II. Epist. XXXIII.

IX. *Donec tandem Saraceni in Africa & Donatismo & Christianismo finem fecere.*

IX. Donec Deus ingrata Christianorum impietate irritatus, nobilissimas illas provincias *Saracenorum* furori mancipavit; in quo non Donatismus solum, sed & Christianismus ipse, calamitatem suam, pestem & exitium invenit.

CAP. IX.

Protestantes male cum Donatistis componi.

I. Neque Reformati Donatistis, neque Romanenses antiquis Catholicis similes sunt. II. Donatistæ schismatis sui prætextum in sola Cæciliani ordinatione quærebant. III. Majores nostri in Clero Romano notabant, universalem morum corruptionem. IV. Incredibilem rerum Divinarum ignorantiam. V. Superstitiones infinitas, & fraudes impias. VI. Errores Capitales. VII. Horrendam denique idololatriam. VIII. Hæc omnia scandalo majoribus nostris erant. IX. Qui eorum reformationem petierunt. X. At frustra: renitentibus Romanæ Ecclesiæ Proceribus. XI. Omnique in eos modo sævientibus. XII. Adeo ut in Ecclesiæ Romanæ communione perseverare neque velle deberent, neque, si vellent, potuerint. XIII. Si mundana spectavissent, nihil erat quod secessionem non dissuaderet. XIV. Omnis resarciendæ unionis spes Concilii Tridentini anathematismis sublata est.

I. *Neque Reformati Donatistis, neque Romanenses antiquis Catholicis similes sunt.*

I. Tque ita nunc Donatistici Schismatis historiam a capite ad candidam calcem stitimus. Duo nunc agenda supersunt. Primo ut ostendamus, institutum *Reformatorum*, & res Reformationis, a *Donatistarum* factione longissime esse separatas; & injuriam insignitam majoribus nostris fieri, per quos Evangelii æterni veritas, & Divini cultus puritas, feliciter restituta est, si cum insanis hominibus ac turbulentis eorum moliminibus contendantur. Deinde demonstrandum est, non ita

cum

cum Patribus nostris egisse, aut nobiscum etiamnum agere eos, qui nunc *Ecclesiæ Catholicæ* speciosum nomen sibi arrogant, sicuti *Catholici* olim egerunt cum *Donatistis*; sed utrorumque vias ac rationes tantum a se invicem distare quantum ab Oriente Occidens. Enimvero non sunt ea quæ dicimus multæ disputationum opacitati involuta; sed in clarissima rerum luce versantur: & a professionis nostræ antistitibus tam luculenter exposita sunt, ut nostra quadam ulteriori commentatione non indigeant. Quia tamen eo nunc ventum est; ut exercitationi nostræ sua constet integritas, non pigebit in summam contrahere, quæ a magnis viris copiose sunt pertractata.

II. *Donatistas* quod attinet, illi cum *Catholicis* in Africa eandem profitebantur fidem, eundem habebant Divini numinis cultum, iisdem utebantur & sacramentis & ceremoniis, neque super hac re ulla intercedebat controversia. Solummodo quærebatur de Ordinatione *Cæciliani*, quam illi contendebant via atque ordine non esse peractam: eaque re universam Ecclesiam *Africanam*, communicatione criminis, ita esse pollutam, ut Ecclesiæ Christianæ elogio & privilegiis exciderit; neque *Africanam* modo Ecclesiam, sed & transmarinas cæteras cum ea communicantes; adeo ut vera Christiana Ecclesia ubique terrarum intercideritt, remanserit autem in sola parte *Donati*. Hæc unica fuit quam ipsi obtenderunt separationis caussa. Separatio autem ipsa tam pertinax, ut omni æquitate & comitate ad unionem invitati, eam vehementer respuerint, eodem cum Catholicis loco sedere noluerint, Fratrum nomen sibi a Catholicis datum cum indignatione rejecerint, a Catholicis ad se transeuntes non nisi repetito Baptismo admiserint; quasi tum demum ex non Christianis Christiani fierent. Ad hunc modum *Donatistæ*. *II. Donatistæ Schismatis sui prætextum in sola Cæciliani ordinatione quærebant.*

III. Nostri autem majores superiori seculo longe aliter instituerunt. Postquam Divinæ clementiæ complacitum est, Spiritus sui luce piorum quorundam hominum animos collustrare, & in sacrorum voluminum intelligentiam perducere, multa deprehendere coeperunt in Ecclesia Romana, in cujus degebant communione, quæ a prisco & simplici Christianismo, qualis in sacris literis traditur, longissime remota, imo iis adversa fronte contraria ipsis videbantur. Non litigabant de crimine Episcopi alicujus, aut Papæ, ficto an vero: sed cernebant, quod iis cum cernebat mundus universus, adeo plerumque *corruptos* fuisse *mores* Monachorum, Presbyterorum, Episcoporum, Cardinalium, ipsorum denique Paparum, ut ne civilis quidem honestatis species ulla in plurimis remanserit. Ideoque difficile iis creditu videbatur, in- *III. Majores nostri in Clero Romano notabant, universalem morum corruptionem.*

 fallibili

fallibili Sancti Spiritus assistentia, in Doctrinæ veritate constituenda, eos esse præditos, quos videbant Spiritu sanctificante prorsus esse destitutos. Neque erat hæc majorum nostrorum intempestiva morositas, sed querelæ omnium, quibus aliqua adhuc veteris recti cura. Clamant id scripta *Nicolai de Clemangis*, *Alvari Pelagii*, *Theodori a Niem*, *Wicelii*, *Wesseli Groningensis*, *Cassandri*, *Rainerii*, aliorum sine numero. Clamant gravamina *Maximiliani Imperatoris*, *Germanorum*, *Gallorum*, aliarumque nationum, quæ intolerabilium corruptionum reformationem exigebant. Clamant denique confessiones *Cardinalium* quorundam de insigni *corruptione in Capite & membris*.

IV. Incredibilem rerum Divinarum ignorantiam.

IV. Præterea deprehendebant majores nostri incredibilem *rerum Divinarum ignorantiam* in iis quibus Ecclesiæ docendæ commissa erat cura. Multis eorum Sacra Biblia ignota, & ne inspecta quidem erant; alii quæ Deo obmurmurabant ne quoad verba quidem ipsa intelligebant; qui omnium censebantur doctissimi, ii in Philosophiæ Scholasticæ tricis, ad veram sapientiam nihil omnino facientibus, ætatem triverant, eoque furfure pascebant auditorum suorum animas, ad cœlestis vitæ pabulum puramque Mannam frustra anhelantes. Sic bonarum literarum studia præfocata, barbaries introducta, stupor omni arte promotus, verum lumen excussum, verbum Dei suppressum, stolidarum fabularum commenta ei substituta, *Dominici*, *Francisci*, *Veronicæ* acta inculcata, & legendæ aliæ, anilibus deliriis fartæ & consutæ. Historia Evangelica in theatrales operas, sacratissima passionis Dominicæ memoria, in scenicos actus conversa, & *risu* quem vocabant *Paschali* terminata, quo abstergeretur luctus quadragesimali jejunio & maceratione contractus. Quod si Sacra Biblia quandoque attingebantur, statim Divina illa sementis laciniosis & spinosis Seraphicorum Doctorum, *Lombardi*, *Comestoris*, *Thomæ*, *Scoti*, *Bonaventuræ*, *Durandi*, *Occami*, & aliorum id genus hominum interpretamentis, velut in herba strangulabatur. Quid ab ejusmodi Doctoribus exspectare majores nostri poterant, quod ad vitam æternam, quam quærebant unice, redderet ipsos instructiores?

V. Superstitiones infinitas, & fraudes impias.

V. Deprehendebant etiam cultum publicum *infinitis superstitionibus*, quas ipsi sibi homines, præter ac contra Dei verbum, temere finxerant, tantum non obrutum esse. Quidquid in Ceremoniis Judaicis splendidum, quidquid in Gentili superstitione floridum, quidquid in veterum hæreticorum quisquiliis coruscum, quidquid denique in demulcendis & incantandis hominum oculis, auribus, animis, potens videbatur, id videbant in sanctiones Ecclesiasticas infartum, publicoque

coque

coque usu receptum. Pro spirituali illo Christianismo, quo Deus, qui spiritus est, in spiritu & veritate adorari vult, religionem propemodum omnem redactam cernebant ad digitorum articulos, labiorum murmura, sacrificiorum mugitus, claustrales tonsuras, Anachoretarum cilicia, laciniarum, pectinum, crepidarum venerationem, indulgentiarum nundinationes, spectrorum, lemurum, & fatuorum ignium *μορμολυκεῖα*, & alia id genus fascina, distinendæ & occupandæ plebi idonea. Ne de *fraudibus* nunc & imposturis dicam, *piarum* nomine, vel laudatis, vel excusatis, quibus superstitionibus suis apud imperitam multitudinem fidem conciliare conati sunt.

VI. Præter hæc omnia deprehendebant majores nostri *errores Capitales* in religionem introductos, quibus præcipua fidei fundamenta quassabantur. Audiebant in Divinas Scripturas varias evomi blasphemias, easque non obscuritatis solummodo & insufficientiæ argui, sed earum auctoritatem adeo infra Ecclesiam Romanam deprimi, ut, illius testimonio seposito, non pluris æstimandæ sint quam historia Livii aut Polybii, imo, ne quid desit impietati, quam fabulæ Æsopi. Videbant sacrum illud depositum, tanquam rem periculosissimam, populi Christiani manibus excuti, Bibliaque in lingua vulgari, quippe ex quibus, ob hominum temeritatem, plus detrimenti quam utilitatis oriatur, cum omnibus eorum partibus, sive excusa, sive manu scripta, libris prohibitis accenseri. Audiebant alios adhuc Mediatores, tam Intercessionis, quam Redemtionis, commendari, quam Christum; aliud Purgatorium, quam ejus sanguinem; aliud Sacrificium Propitiatorium, quam illud quod semel in cruce obtulit; aliud meritum, quam ipsius obedientiam; aliud Universalis Ecclesiæ caput præter ipsum. Audiebant liberi arbitrii vires admodum extolli, ut & propriorum meritorum, tam ex congruo quam ex condigno, valentiam, cum depressione gratiæ: atque ita renovari Pharisæorum & Pseudapostolorum hæresin, qui vel justitiam propriam stabilire conabantur, vel opera cum fide, exitiali mixtura, confundere satagebant: tum & Pelagianorum & Semipelagianorum dogmata refodi, qui, ut homines liberos facerent, faciebant sacrilegos. Quid dicam de absurdissimo Transsubstantiationis & sacrificii Missatici commento? de sacrilega calicis Eucharistici detractione? de sacris lingua non intellecta peractis? de superba perfectionis & impeccantiæ præsumtione? de Papæ immensa in Ecclesiam auctoritate, aliisque id genus bene multis, quæ majores nostri, ex verbo Dei de veritate informati, non potuerunt aliter considerare nisi ut errores gravissimos.

VI. Errores Capitales.

VII. Horrendam denique idololatriam.

VII. Deprehendebant denique grassari in Romana Ecclesia *horrendam idololatriam*; in religioso cultu Beatæ Virginis, circa quam mirum est quam stolide insanierint, non plebs solum, sed & plebis seductores, maleconsulti Theologi: in adoratione Angelorum, tam diserte a Paulo interdicta: in invocatione Sanctorum, quos pro arbitrio suo Divorum catalogo inseruit Papalis potentiæ immensitas, ad instar Paganæ Apotheoseos; eorum etiam sanctorum, quos ne homines quidem, neque adeo in rerum natura fuisse, prudentiores norant & fatebantur; in cultu imaginum contra expressissimum Dei mandatum: in veneratione reliquiarum, quibus pretium suum non aliter constabat, nisi fraudibus, imposturis, consutisque dolis, tam evidentibus sæpe ut se mutuo palam refellerent. Atque hæc ipsa majores nostri iisdem rationibus defendi videbant, quibus prisci illi Gentiles suæ religionis castus tuebantur.

VIII. Hæc omnia scandalo majoribus nostris erant.

VIII. Hæc erant, atque alia aliquammulta his similia, quæ majores nostri scandalo sibi esse dictabant; quæ arguebant ex verbo Dei; quorum Reformationem accurate & prolixe petebant. Non nescio, responderi a Romanensibus, nonnulla immerito Ecclesiæ Romanæ imputata, pleraque ad invidiam aucta atque amplificata, alia etiam pro gravissimis erroribus habita, quæ vel levia sunt, vel sanam etiam Christianæ religionis doctrinam continent. Cæterum ea quæ in factis consistunt, ex principibus Romanæ Ecclesiæ scriptoribus demonstrari facile possunt, & demonstrata a nostris sunt. Quæ vero circa doctrinam versatur disputatio, ea non aliter quam ex sacris literis terminari potest: quas prorsus a suis partibus stare, majores nostri persuasissimi erant. At non ea nunc res agitur: id solum ostendendum fuit, in hoc majores nostros Donatistis esse dissimillimos, quod longe plures, prorsus alias, & majoris momenti rationes, pro sua ab Ecclesiæ Romanæ separatione allegaverint, quam Donatistæ olim pro suo schismate obtenderunt.

IX. Qui eorum reformationem petierunt,

IX. At neque ob has ipsas rationes, quamvis multas gravissimasque, mox sese ab Ecclesiæ Romanæ communione sejunxerunt. Sed veritatem, quam a Deo se edoctos credebant, cum civibus suis voce & scripto fideliter communicarunt; grassanti ubique corruptioni medicinam facere omni arte conati sunt; errores communes ex verbo Dei sollicite refutarunt, detecta luce veritatis; Reformationem Ecclesiæ tam necessariam, tot piorum votis expetitam desideratamque, non cessarunt repetitis precibus exposcere ab iis quibus ea cura demandata erat: adeo interim unioni conservandæ studentes, ut nullas fer:

pacis

pacis conditiones recusarent, præter eas unde consecuturus fuisset omnis religionis interitus.

X. Cæterum reipsa comperiebant nullam veræ reformationis spem a Romanæ Ecclesiæ Proceribus reliquam sibi esse. Ea Curiæ Romanæ mens erat, quam accurata oratione *Adriano* VI. *Pontifici* exposuit *Cardinalis Volateranus. Minime esse sperandum, ut per emendationem morum Curiæ Romanæ deleantur, & exterminentur Lutherani: eam potius esse rationem augendæ ipsorum & existimationis, & contumaciæ. Imperitam enim plebem, quæ ex eventibus solet judicare, comperto semel ex emendatione cœpta Pontificiam Ecclesiæ gubernationem parte aliqua jure reprehensam; facile sibi persuasuram, non minus justas esse caussas aliarum rerum proponendarum, quæ similem requirant emendationem: ipsosque hæreseon autores, in uno aliquo victoriæ compotes, nunquam congrediendi & coarguendi finem facturos. In cunctis rebus humanis usu venire, ut, cui in aliqua postulatione satis est factum, is postulata postulatis accumulans, omnia impetrare discupiat, & suo sibi jure deberi credat. Historias veteres volventibus liquere, ex quo tempore natæ sunt hæreses, Ecclesiæ Romanæ auctoritatem vellicantes, omnes corruptos Curiæ mores conatibus suis obtendisse. Præterea neminem unquam Pontificum reformandi viam quasi rebus suis utilem sequutum, sed adhibitis primum monitis, & præceptionibus continuo Principes ad Ecclesiam protegendam accivisse. Quod anteævo cessit feliciter, id arcte tenendum, observandumque: neque ulla ratione citius everti Rempublicam quam mutata regiminis forma. Novis & insolitis aditum patefacere, esse perinde ac grandibus se objicere periculis: longe tutissimum incedere via priorum Pontificum, quorum incœpta felicem habuere exitum. Nullum eorum hæreses reformationibus excidisse, sed Cruciatis, quas vocant, excitatis contra eas Principibus, & populis, Crucis Symbolo insignitis. Meminerit Innocentium* III. *hac via Albigenses in Gallia Narbonensi oppressisse; & eadem sequutos Pontifices, Valdenses, Picardos, Pauperes de Lugduno, Arnaldistas, Speronistas & Patavinos, quorum præter nudum nomen nihil remansit, variis in locis extinxisse.*

X. At frustra: renitentibus Romanæ Ecclesiæ Proceribus.

XI. Enimvero tantum abest, ut suis protestationibus quidquam profecerint ii qui Reformationem Ecclesiæ cupiebant, ut contra in eos, tanquam pacis publicæ turbatores, & hæreticos pestilentissimos, omni modo sævitum sit. *Adrianus* ipse, quamvis, ut ajebat, natura & moribus & vitæ quodam instituto magis ad clementiam quam severitatem ullam inclinaret; literis tamen ad principes Germaniæ Norimbergæ congregatos severissime monuit: *Quandoquidem lenitis ac lenibus*

XI. Omnique in eos modo sævientibus.

nibus remediis apud Martinum & sectarios nihil proficitur, ad aspera, ferrum & focum, deveniant; membra putrida a reliquo corpore resecent, sicut multo ante Datane, Abirone, Anania, Saphira, Joviniano, & Vigilantio factum sit, & a majoribus suis Johanne Husso & Hieronymo a Praga in Constantiensi Concilio: quorum exempla, re jam deplorata, ipsos æmulari deceat.

XII. Adeo ut in Ecclesia Romana communione perseverare, neque velle deberent, neq; si vellent, potuerint.

XII. In eo rerum statu, quid faciendum nostris erat majoribus? Manere in Ecclesiæ Romanæ communione non poterant, ea lege ut veritatibus, quas ex Dei ipsius verbo se didicisse firmiter credebant, nuncium mitterent. Hoc enim erat conscientiam prodere, Deum postponere hominibus, thesaurum Evangelii vendere commoditatibus seculi, denique cum animæ suæ salute petulanter ludere. At neque permittebat ipsis Romana Ecclesia, ut in communione ipsius manentes, veritatem profiterentur: sed quod illi pro veritate colebant, id Romanenses tanquam detestabiles hæreses exsecrabantur, ferro & flamma extirpandas. Non licebat etiam tacentibus animo premere quæ sentiebant, servata interim communione externa in cultu publico: nam uti corde creditur ad justitiam, ita ore professio facienda est ad salutem. Et qua quæso ratione, qua conscientia, missæ sacris interesse poterant, qui eam considerabant, non quæro nunc quo jure, at considerabant tamen, uti abnegationem unici sacrificii Christi, & horrendam idololatriam? Et si vel maxime tacere voluissent, non licebat id ipsis, multis certe in locis, per Inquisitionem, arcanos animi recessus terribili examine scrutantem. Quum itaque ex ipsa Ecclesia Romana pellerentur ac ejicerentur, quum aqua & igni ipsis interdiceretur, nisi forte ad submersionem & vivicomburia; quid restabat, nisi ut Ecclesia Romana res sibi suas habere jussa, veritates Evangelicas profiterentur apud eos, quibus animum docilem dederat Deus, quique Deum ex præscripto verbi sui colerent in contesseratione precum ac sacramentorum; sicut olim fecerunt Orthodoxi quo tempore Ariani rerum potientes templa propemodum omnia occupaverant? Inevitabili necessitate ad ita agendum impulsi majores nostri fuerunt. Non potuerunt aliter, nisi in Divinam veritatem, & animæ suæ salutem æternam, contra quam viros bonos ac prudentes decet, palam voluissent esse injurii.

XIII. Si mundana spectavissent, nihil erat quod secessionem non dissuaderet.

XIII. Et sane si unam illam conscientiæ vocem excipias, cætera omnia secessionem istam non modo non suadebant, sed aperte illi repugnare videbantur. Nam quum nihil ex ea lucri & commodi, si res mundanas spectarent, sperare patres nostri possent, nihil non contra damni & incommodi exspectare, utique si carnem & sanguinem

confuluissent, nunquam secedere debuissent. Prævidebant quippe; imo re ipsa jam satis suo damno experiebantur, non posse se ab ea societate discessionem facere, quin eo ipso Magnatum & Principum indignationem, popularium & civium malevolentiam, & omnium odium incurrerent; quin bonorum, dignitatum, amicorum, patriæ, & eorum omnium quæ dulcissima nobis & charissima in hac vita esse solent, jacturam facerent; quin denique paupertati, ignominiæ, exsiliis, persecutionibus, tormentis, morti & rebus quibusque dirissimis se ipsos exponerent. E contra certo persuasi erant, se, si in Romana communione manere voluissent, nihil tale passuros fuisse, imo prospera omnia & felicia fuisse habituros. Quid ergo caussæ fuit cur secedendo vitam in specie miserrimam jucundissimæ & florentissimæ prætulerint? Nisi eos mente captos fuisse statuamus, oportet gravissimas aliquas fuisse caussas, & rebus omnibus mundanis potiores, quæ adegerint ipsos ad ea spernenda quæ natura in deliciis habere solet, ad ea vero sponte eligenda, & constantissime patienda, a quibus quam maxime abhorremus. Vide sis *Turretinum*, *De Necessaria separatione nostra ab Ecclesia Romana*, hæc & alia his similia eleganter & copiose disputantem.

XIV. Postea omnis reconciliationis, & sarciendæ unionis spes, per Romanæ Ecclesiæ Proceres præscissa est. Errores enim illos omnes Concilii Tridentini decretis ut articulos fidei recipiendos esse sanciverunt, anathemate ferientes, qui id sibi per conscientiam nefas esse testarentur. Majores nostros, ut infames hæreticos, pestesque generis humani, omnibus devoverunt diris, & immanissimis persecuti sunt cruciatibus, fortunis, honoribus, patria, vita denique ipsa exuentes, ea sævitia & crudelitate, cui Neroniana, Diocletianæa, Ariana tempora vix quidquam simile exhibuerunt. Verbo ut absolvam, sicuti majores nostri, ut suo erga Deum & Evangelium ac suarummet animarum salutem officio satisfacerent, Ecclesiam Romanam, omni spe Reformationis decollante, deserere debuerunt; ita ab eadem crudeliter ejecti sunt; & nos, iisdem ipsiscum insistentes vestigiis, ab ejusdem Ecclesiæ Romanæ communione diris anathematismis excludimur. Hæccine ullam cum *Donatistico* schismate vel speciem similitudinis habent?

XIV. Omnis resarciendæ unionis spes Concilii Tridentini anathematismis sublata est.

CAP. X.

Romanenses Protestantibus nunquam justam Collationem concessisse.

I. Catholici de Donatistarum caussa summa cum lenitate cognoscenda, & recognoscenda crebro egerunt. II. Romanenses Protestantibus nunquam justa defensionis concesserunt præsidium. III. Quod ostenditur exemplo Lutheri, apud Cajetanum. IV. Carolum V. *V. Leonem* X. *VI. Omnis religionis ac pietatis expertem. VII. Apud Cæsarem & Principes Wormaciæ. VIII. Ubi sine legitima caussæ cognitione condemnatus est. IX. Edicta contra Donatistas, mitiora fuerunt, & plerumque sine effectu. X. Contra Protestantes crudelissima, & cum effectu. XI. Incitantibus ad sævitiem Ecclesiasticis. XII. Qui Catholicorum in Donatistas exemplo non nisi impudentissime se tuentur. XIII. Ab omni libero concilio & Fraterna collatione Romanenses semper fuerunt alieni. XIV. Paulus* III. *Mantuæ Concilium indicit, sed quod Protestantibus & Pontificiis ex æquo displicuit. XV. Et denique ipsi Pontifici. XVI. Tridentinum Concilium nihil minus quam liberum fuit. XVII. Ferdinandi Cæsaris, & Galliæ Regis adversus illud protestationes. XVIII. Historia Colloquii Possiaceni. XIX. Bezæ, cui loquendi provincia a Protestantibus demandata, cum Cardinale Lotharingo præparatorium colloquium. XX. Conditiones quibus publicum Colloquium habendum sit. XXI. Ejus initium. XXII. Regis Oratio. XXIII. Hospitalii, Cancellarii, Regis mentem prolixius exponentis. XXIV. Non admodum Antistitibus probata. XXV. Beza sermonem a Divini numinis invocatione orditur. XXVI. Mox eum ad Regem vertit. XXVII. Dein ad Pontificios Antistites. XXVIII. Denique exposita Ecclesiarum Reformatarum doctrina, pulcre perorat. XXIX. Oblata Regi earundem Ecclesiarum Confessione. XXX. Ægre & cum indignatione orationem hanc Antistites Pontificii audierunt. XXXI. Caussa irarum fuerunt verba quædam Bezæ de Cœna. XXXII. Deliberant Antistites, an, & quo modo Bezæ respondendum. XXXIII. Lotharingi Oratio. XXXIV. Cui cæteri consciscunt. XXXV. Bezæ respondendi facultas eo die negata. XXXVI. Ministri continuationem colloquii petunt. XXXVII. Et impetrant, at loco privato. XXXVIII. Claudii Espencæi oratio. XXXIX. Xaintii Monachi inconditi clamores. XL. Lotharingus Gallos Theologos cum Germanis committere studet. XLI. Lainesii Jesuitæ, alteriusque*

Sorboni-

Sorbonici, petulans sermo. XLII. Colloquii forma iterum mutata, quinque utrinque collectis qui pacate conferrent. XLIII. Hi concipiunt formulas consensus in articulo de cœna. XLIV. In qua partibus parum satisfaciunt. XLV. Colloquii exitus. XLVI. Lotharingi in Religione levitas. XLVII. Malo nuperi Antistites animo Collationem Carthaginensi similem Reformatis ostentarunt. XLVIII. Ut gravissima ipsorum persecutio speciem æquitatis haberet. XLIX. Qua re vel inviti fatentur, non esse veram conversionem quæ vi fit.

HActenus ostendimus, Secessionem quam majores nostri ab Ecclesiæ Romanæ communione facere coacti sunt, alias prorsus caussas, aliam necessitatem habuisse, quam suo unquam schismati obtenderunt *Donatistæ*; ea quoque ratione fuisse institutam, ut cum factiosorum istorum hominum turbis, sine insigni in innocentiam injuria conferri non possit. Restat ut ostendamus, Romanæ Ecclesiæ Proceres, nequaquam ita cum majoribus nostris egisse, uti cum *Donatistis* olim *Catholici*. Horum quanta fuerit erga schismaticos æquitas comitasque, ex historia palam est. Illorum quanta fuerit erga Protestantes, & etiamnum sit iniquitas, injustitia, sævitia, res ipsa loquitur. *Catholici*, tam *Ecclesiastici* quam *Politici* ordinis, querelas *Donati* summa patientia audiverunt, caussæ momenta & rationes utrimque ponderarunt, quidquid contra *Cæcilianum* & *Felicem* proferebatur, cum omnibus suis argumentis, examinarunt; & probata quamvis *Cæciliani* & *Felicis* innocentia, iterum & tertio atque amplius, ab aliis judicibus, aliisque locis, eandem caussam recognosci non detrectarunt; id interim agentes ut incredibili lenitate obduratos factiosorum animos delinirent ac disponerent ad pacem. *I. Catholici de Donatistarum caussa summa cum lenitate cognoscenda, & recognoscenda crebro egerunt.*

II. Sed qui majorum nostrorum ævo medendis Ecclesiæ Romanæ morbis, corrigendis erroribus, & detegendæ veritati, animum manumque applicuerunt, non nisi iniquis auribus, a Papa, Cardinalibus, totaque Romana curia, auditi sunt; nunquam iis legitimæ justæque defensionis concesso præsidio. *II. Romanenses Protestantibus nunquam justa defensionis concesserunt præsidium.*

III. Quod vel unius *Lutheri* exemplo fiet manifestum. Is quum turpissimos & inexcusabiles abusus scriptis suis taxaret, *Augustam* ad *Cajetanum*, *Leonis* X. nuncium, evocatur, non ut doctrinæ suæ rationem redderet, & in iis quæ pro se dicenda habebat audiretur; sed ut sine ulla caussæ disquisitione ad ea quæ scripserat revocanda compelleretur. Hoc enim ipsi Pontificis mandatum primo congressu exponit *III. Quod ostenditur exemplo Lutheri, apud Cajetanum.*

nit Cardinalis: *ut ad sanitatem redeat, & quos divulgasset errores revocet.* Sleidanus. Ad ea *Lutherus, se nullius erroris sibi conscium esse,* respondet, *& si quid errarit demonstrari petit. Non se quidem negare, quin labi possit atque falli: hoc enim humanum esse, ideoque deferre se cognitionem legitimæ & sanctæ Ecclesiæ, totamque caussam ejus judicio permittere: nec id modo, verum etiam quovis in loco doctrinæ suæ rationem esse redditurum: neque recusare quo minus Academiæ Germanicæ, sed & Parisiensis judicium suum interponat.* Scripto etiam *Cajetanum* rogat, *ut benigne secum agat, & errorem doceat: nam eorum quæ protulisset ex sacris literis tantam esse vim, ut sua credat niti veritate, quam deserere non possit, eo quod magis obediendum sit Deo quam hominibus.* Illam ergo revocandi conditionem præduram sibi remitti petit, & Pontificem reconciliari: *non arrogantia, non ullius gloriæ cupiditate se in hanc palæstram venisse: nihil etiam optatius evenire sibi posse, quam ut veritas patefiat, & si quid adferatur ab aliquo magis eruditum atque pium: orare se ne suam ipse conscientiam vulnerare cogatur.* Quibus postulatis nihil profecto potest esse æquius. At quid fit? Scriptum hoc *Cajetanus* ab illo oblatum suscepit, & ubi legisset, leviter æstimavit: pollicitus tamen illud mittere ad Pontificem, valde instabat, ut revocaret: nisi faciat, pœnas jam a Pontifice constitutas minatur: simul abire, nisi resipiscat, & imposterum a suo colloquio abstinere jubet.

IV. *Carolum* V. IV. Deinceps *Lutherus* Epistolam scribit ad nuper creatum Cæsarem *Carolum V.* in qua expositis iis quæ ad institutum suum faciebant, dicit *se Athanasii exemplo confugere ad ipsum, velut ad aram præsidiumque legum: orare ut doctrinæ Christianæ tutelam suscipiat, seque contra omnem vim & injuriam defendat, quousque de caussa constiterit: nullam se petere defensionem si malam sustinere caussam convictus fuerit: petere solum ut cognitio fiat, neque prius aliquid pronuncietur.* Horum sane nihil simile petiverunt unquam *Donatistæ*, omnem caussæ cognitionem, quantum potuere, declinantes. Verum ad quam rem tam promti fuere prisci Catholici, eam *Lutherus* a Romanensibus impetrare nunquam potuit.

V. *Leonem* X. V. *Leo* interim de Cardinalium consensu ac voluntate doctrinam *Lutheri* damnat, & pro ea quam habere se dicit potestate, mandat omnibus ut eam defugiant, gravi constituta pœna singulis, pro sua cuique dignitate & ordine ac vitæ genere. Mandat etiam Magistratui, præsertim Germano, nequid ejus doctrinæ comprobent, aut defendant: libros etiam *Lutheri*, quibus ista continentur, jubet exhiberi atque incendi. *Luthero* mandat, ut a docendi munere discedat; deinde dies LX definit, intra quos ad sanitatem redeat, & suos ipse libros aboleat, & doctrinam suam publice detestetur. Nisi

pareat,

pareat, damnat & proscribit ut hæreticum; & pœnam legibus constitutam jubet irrogari, & sacris interdicit, & mandat omnibus ut aditum ipsius ac sermonem defugiant, nec ullam rem cum eo communicent: qui secus fecerint, iisdem legibus pœnisque subjicit; & decretum hoc omnibus in templis ac populi conventibus certis diebus recitari jubet.

VI. At quis hic *Leo* est, qui ante legitimam caussæ cognitionem, tanquam ex tripode ita pronunciat? Ille *Leo*, qui, increpita a *Luthero* indulgentiarum a se publicatarum infami nundinatione, avaritiæ suæ extortam prædam indignabatur. Eo enim ipsum vitio valde laborasse, non ego dicam, sed *Langius*, σύγχρονος Monachus, *Chron. Citiz. A.* M D XIII. *Patrio more*, inquit, *Leo auri sitientissimus est; nimirum quum Romanorum avaritiæ Florentinorum accesserit cupiditas, aurique sacra fames creverit in immensum, crescitque usque modo amor nummi quantum ipsa pecunia crescit, sæviorque ignibus Ætnæ ardet amor habendi.* Ille *Leo*, qui profanarum potius quam Divinarum literarum amore ac studio tenebatur: ipso *Sforca Pallavicino* teste, qui *Histor. Concil. Trid. Lib.* I. *Cap.* II. in hæc verba de ipso scribit: *Leo ingenio capacissimo, ac singulariter studiis addictus a Deo, vix pueritiam egressus, quum se in supremo Senatu Ecclesiæ collocatum cerneret, suo plane officio defuit, neglecta in literarum studio parte non solum nobiliore, sed suæ magis congrua dignitati. Gravior apparuit deformitas, quando trigesimo septimo ætatis anno Præses ac Magister religionis constitutus, non continenti solum studio profanarum literarum curiositati se totum impendit, sed in Regiam ipsius Religionis majori cura eos accessivit quibus essent perspectæ Græcorum fabulæ, Poetarumque deliciæ, quam Ecclesiæ historia ac Patrum doctrina.* Ille *Leo*, qui quo circa religionem ac pietatem affectu esset, comprobatum dedit, quando jussit personatos philosophos duos, ceu moriones, ex adverso ad mensam assistere, quos animi gratia de immortalitate animæ disputantes audiret, alterum qui adfirmaret, & qui impugnaret alterum. Quumque finita disputatione in arbitrium Pontificis cuncta rejicerent, ille sic definita sententia controversiam diremit. *Etsi tu*, inquiebat ad affirmantem, *pulcras & bonas rationes habeas, tamen ego sententiam hujus, negantis, probo ceu firmiorem, & quæ faciat bonum vultum.* Ille denique *Leo*, de quo *Johannes Picus*, magni istius Mirandulani Comitis ex fratre nepos minime degener, in *Libro de Fide & Ordine credendi*, *Theoremate* IV. *Meminimus Pontificem creditum & adoratum, qui nullum Deum credens, omne infidelitatis culmen excederet, pessimaque illius opera in coemendo Pontificatu, in omnigenis sceleribus exercendis, id ipsum testabantur: sed pessima quoque dicta confirmabant. Namque*

VI. Omnis religionis ac pietatis expertem.

Recusat. Synod. Trident. part. 2. caus. 8.

 fassum

fassum eum affirmabatur domesticis quibusdam, nullum se Deum aliquando, etiam dum Pontificiam sedem teneret, credidisse. Profecto tanti est tali auctore condemnari, ut in magna id gloriæ suæ parte æstimare debuerit *Lutherus.*

VII. Apud Cæsarem & Principes Wormaciæ.

VII. Fateor *Lutherum* iterum auditum fuisse *Wormaciæ* : at quo modo? Non ut caussa cognosceretur; sed solummodo ut ex eo intelligeretur, primo an qui sub ipsius nomine editi erant libros pro suis agnosceret, dein an retractare quidquam in iis, an vero quæ scripta erant tueri vellet. Ibi *Lutherus* quum libros suos agnovisset, petito deliberandi spatio, respondet demum, non posse se quidquam retractare, nisi errore prius demonstrato. Inter cætera quæ præclare differebat, hoc quoque sermone usus: *Neque tamen hæc ita velim accipi, quasi hoc mihi sumam errare me non posse: verum, quia proprium est hominis falli & errare, ad caussæ defensionem mihi sumo illud Servatoris nostri dictum, qui de sua doctrina locutus, quum a satellite quodam cæderetur, si male sum, ait, locutus, testimonium perhibe de malo. Quod si Christus, in quem omnis cadit perfectio, non recusavit audire contra se vilissimi servuli testimonium, quanto magis ego, qui natura tota sum peccator, & non uno modo errare possum, sistere me debeo vocatus, & audire si quis contra doctrinam meam aliquid testificari velit & adferre? Quapropter per omnia sacra vehementer oro, si quis est omnium qui adversus doctrinam quam profiteor aliquid habeat, ne dissimulet, sed congrediatur, & scripturæ testimoniis errorem doceat. Quod si fiat, adeo non sum futurus obstinatus, ut etiam primus omnium libros ipse meos in ignem sim conjecturus.* Potuitne quidquam modestius dici, & rationi magis consentaneum? Unquamne *Donatistarum* aliquis ad eum modum caussam suam cognosci petiit? At quid impetravit *Lutherus? Eccius*, qui Cæsaris nomine verba faciebat, asperiori vultu, *Non respondes*, inquit, *ad rem: neque tuum est ea quæ Conciliorum auctoritate sunt olim definita rursus in quæstionem aut dubium vocare. Planum & simplex responsum abs te petitur: An tua scripta velis esse rata.* Tum *Lutherus*: *Quoniam jubetis*, ait, *Maxime Cæsar, Illustrissimique Principes, ut plane respondeam, obtemperabo. Hæc igitur mea est sententia; quod nisi scripturæ sacræ testimoniis, vel evidenti ratione convictus fuero, me non posse quidquam eorum quæ scripsi & docui revocare. Nam ut conscientiam ipse meam vulnerem non committam: Pontifici autem Romano & solis Conciliis non credo; nec ipsorum auctoritatem recipio: nam & erraruntsæpius, & sibi ipsis pugnantia dixerunt.* Quis qui vel ipso Momo magis Momus sit, in ea oratione aliquid deprehendat, quod viro bono & gravi videatur indignum? Quis ab æquis judici-

dicibus non exspectet, ut Theologis aliquibus cum *Luthero* agendi, & erroris eum convincendi, demandetur provincia?

VIII. At nihil minus factum est. Tam æqua oratio satis caussæ esse videbatur ad dicentis condemnationem. Quæ & mox insecuta. Cæsar enim, qui tum ætatis annum vigesimum primum excesserat, publico decreto *Lutherum* proscribit: quo immanitatem illius atque rabiem ullius satis oratione explicari posse negat: *non hominem esse qui sic agat, sed dæmonem potius humana specie.* Itaque illum damnat, ut auctorem schismatis, ut manifestum ac pertinacem hæreticum: mandat etiam omnibus, gravi denunciata pœna, ut pro tali agnoscant, & ut post XXI dies, quos ad reditum ei concesserit, quisque det operam ut illum capiat, & captum in suam potestatem perducat. Eos vero qui quocunque modo faveant, aut operam ei suam communicent, æque proscribit. Libros etiam aboleri jubet, & librariis imposterum gravem constituit pœnam: & hoc quidem suum decretum, quod communi Principum & Ordinum consilio factum esse dicit, sacrosanctum esse mandat. Vestram fidem! Romanenses, itane cum *Donatistis* egit *Constantinus*?

VIII. Ubi sine legitima caussa cognitione condemnatus est.

IX. Cæterum & hoc accurate observandum est; Edicta Imperatorum, priora certe, quæ contra *Donatistas* publicata fuerunt, non tam errori ipsorum, imo ne contumaciæ quidem, pœnam constituisse, quam seditionibus, ac violentiæ, quibus pacem publicam turbabant; & tamen Episcopos Catholicos sedulo apud Imperatores intercessisse, ne vel edicta istiusmodi publicarentur, vel publicata exsecutioni mandarentur. Quæ deinceps insecuta sunt seriorum Imperatorum rescripta, quamvis severiora, intra multas pleraque constiterunt, ad capitis pœnam vix processum est.

IX. Edicta contra Donatistas mitiora fuerunt, & plerumque sine effectu.

X. Ab ea vero priscorum clementia quantum distant immanissimæ crudelitatis erga majores nostros exercitæ exempla? quæ animus meminisse horret, dictuque refugit. Edicta Imperatoria non atramento, sed sanguine conscripta, & ob judicum lenitatem, septies repetita, & identidem intenta sunt. *Qui de literis Divinis dissertassent, privatis cœtibus sacrorum caussa interfuissent, in viros gladius, in fœminas sub terram defossio statuitur, publicatis bonis; ita tamen, si prius culpam agnoscerent: nam in pervicaces flammis vindicabatur. Etiamsi qui falsæ opinionis deprehensi, cætera insontes, resipiscerent, ab omni dignitate arcebuntur. Qui hospitio juvissent. & qui non indicassent, nocentum pœnis suppositi: contra, excitandis delatoribus impunitas, & præmia. Multa in suspectos & profugos acria, sæviora in relapsos; territique pœnis judices, ne specie miserationis leges inflecterent.*

X. Contra Protestantes crudelissima, & cum effectu.

Grot. Annal. Lib. 1.

XI. Ple-

XI. Incitantibus ad sævitiem Ecclesiasticis.

XI. Plerumque, fateor, æquiores experti sumus Magistratus *Politicos*: sed *Ecclesiastici* nihil intentatum reliquerunt, quo ad omnem eos sævitiem acuerent. Noti sunt infames versiculi:

Utere jure tuo, Cæsar, servosque Lutheri
Ense, rota, ponto, funibus, igne neca.

Porro ne deesset qui hæreticos mactandi præclaram artem ipsos doceret carnifices, eam operam sibi sumsit *P. Ribaldus* Jesuita:

Nimirum Cæsus sit victima grata rebellis,
Sic cæsa est superis gratior agna Diis.
Qui sancto obsequeris, dum mandat justa, Synedro,
Suspendens laqueo crimina, Beja, tuo,
Exilio portato, rogis imponito, ponto
Mergito, forcipibus cædito, ferto feris.
Ense feri, necato fame, serraque secato,
Compede stringe pedes, fune ligato senes:
Ossa revellito, crura refringito, rumpito membra,
Lictor, & in plures scindito particulas.
Hinc aditum ad crates reserato, notatoque fibras,
Cerne sinisterius dexteriusque latus.

Cui non horrore arrigerentur comæ, si in historiis legeret, Popam aliquem Diocletiano, aut Maxentio alicui adstitisse, qui vel Tyranno, vel carnifici, talia in aurem insusurraret? neque enim credibile est, inventum fuisse qui palam efferre non erubesceret. Et hæc Christianæ professionis sacerdos, a clementissimo Jesu nomen gerens, meditato carmine scribit, & in publicam hominum lucem edit! O non Christianum amplius! ne hominem quidem! sed lutum sanguine maceratum! & monstrum in ultimas oras deportandum, ubi cum leonibus, ursis & tigribus vivat, infinities ipso humanioribus.

XII. Qui Catholicorum in Donatistas exemplo non nisi impudentissime se tuentur.

XII. Quicunque hæc *Catholicorum* in *Donatistas* exemplo tueri conantur, illi iniquissima comparatione malæ caussæ impudentes se patronos esse probant. In iis *Ferrandus* est, qui multa sedulitate collectis Imperatorum in *Donatistas* edictis, nihil ab Ecclesiæ Romanæ Proceribus, nihil abs Rege suo contra Reformatos in Gallia fieri pugnat, quod a laudata piorum Principum severitate abeat. At quibus tandem exemplis evincit crudelissimæ aulæ parasitus, edicta illa qualiacunque executioni passim esse mandata? Leges enimvero invenit, quibus pervicacis ac turbidi ingenii Episcopi & Presbyteri exilio damnantur: at ubi invenit edictum aliquod *Honorii*, quo sub pœnis ipsa morte gravioribus *Donatistas* pedem patria efferre interdicatur ad

evitan-

evitandam persecutionem? Ubi leges invenit, quæ cives urbibus & ædibus suis, velut carceribus, ad immania includant supplicia, nisi ut ventus est religionis vela vortant? Ubi invenit, emissas in *Donatistas* Dimachorum, vel *Draconum*, si mavis, copias, qui vi militari, qui diris exsecrationibus & blasphemiis, qui stupris virginum & matronarum, qui titillationibus intolerandis, qui tubarum tympanorumque continuato per dies noctesque strepitu, ut vigiliis enectos ad insaniam adigerent, qui candentibus laminis, manibus, genis, mammis applicitis, qui ocreis calceisve sale, aut calce stratis, nudisque pedibus subjectis, qui hominibus, veluti pilis, per horas aliquot ultro citroque projectis, qui denique novis & in hunc usque diem inauditis cruciatuum generibus, a schismate scilicet revocarent, & unirent Ecclesiæ? Nihil dissimulemus: nostro seculo, Gallicanæ Ecclesiæ, & Imperio *Ludovici Magni*, tantorum inventorum gloria reservata est.

XIII. Sed pluribus hæc referre piget. Properamus ad alia. Quid unquam nostris obtulerunt aut concesserunt Romanenses, quod vel speciem similitudinis cum *Collatione Carthaginensi* habeat? Non illi, sed nostri fuere majores qui terminandis Religionis controversiis *concilium liberum* petierunt, in quo secundum scripturam sacram omnia definirentur; at Romanenses Concilium hujusmodi cane pejus & angue aversati sunt. *Clemens* certe VII. ipsum Concilii nomen horrebat, non solum auctoritatis Pontificiæ moderandæ, aut commodorum curiæ suæ amputandorum metu, sed potissimum rerum suarum contemplatione. Etsi enim *Leo* ipsius cognatus, eum in Cardinalium numerum adscripturus, conatus esset evincere inter ipsius matrem & *Julianum* Patrem factam fuisse matrimonii stipulationem; erat tamen omnibus explorata probationis falsitas. Metuebat quoque, ne colori huic, etiam vano, robur accederet a potentia Imperatoris, inimicorum ipsius caussam pro virili sustentantis. Sed illud omnium maxime sollicitum habuit, ne, (sibi probe conscius quibus artibus ad Pontificis summi fastigium adscendisset, quamque esset facile Cardinali *Columnæ* id probationibus evincere; denique quam rigido diplomate *Julius* II. & Simoniacam electionem tanquam nullam declarasset, & vetuisset ne per consensum subsequentem posset corroborari) idem adiret quod *Baltasar Cossa*, dictus *Johannes* XXIII. dignitatis & vitæ periculum. Postea tamen idem *Clemens*, dissimulatione utendum ratus, misso in Germaniam nuncio, pergratam sibi accidisse testatur a Carolo Cæsare, cæterisque Germaniæ Principibus Concilii petitionem; sed eas de modo, tempore, loco habendi Concilii conditiones

XIII. Ab omni libero Concilio & Fraterna collatione Romanenses semper fuerunt alieni.

Histor. Concil. Trid. lib. I. p. 37.

nes proponit, quibus sciebat nunquam assensuros esse Protestantes: quibus nullum placere poterat Concilium, nisi in quo nec sententia Pontificis, nec cujusvis potentia caussæ præjudicium adferat, atque ubi judicium fiat, non juxta leges Pontificias, aut Scholasticorum opiniones, sed secundum sacram Scripturam. Interim dum hæc in Germania agebantur, Pontifex, qui, quid ad postulata sua Germani essent responsuri, facile præviderat; a Galliarum rege impetrat, ut cum Protestantibus ageret, imprimis autem cum Hassiæ Lantgravio, qui iter tunc in Galliam adornabat, ut a Concilio petendo desisterent, & suo nomine polliceretur iis, si quam aliam conciliandis dissidiis rationem reperirent, se & sincere & efficaciter ei rationi promovendæ operam omnem suo tempore commodaturum. Quantum olim apud Catholicos sinceritatis & candoris, tantum hic fraudis & imposturarum est.

XIV. Paulus III. Mantua Concilium indicit, sed quod Protestantibus & Pontificiis ex æquo displicuit.

XIV. *Paulus* III. *Clementis* successor, pro ea quam obtinere se dicit potestatis plenitudine, deque fratrum suorum Cardinalium consensu, publicum totius Orbis Christiani Concilium indicit, ad diem XXVII. Maji Anno MDXXXVII, *Mantuæ* habendum: ad ea decernenda quibus Ecclesia reformetur, hæreses funditus tollantur, & in religionis hostes bellum moveatur. Porro in duobus diplomatibus, altero quo Concilium indixit, altero quo Curiæ Romanæ emendationem simulabat, apertis verbis professus est, *Concilium a se convocari ad hæresin Lutheranam exstirpandam.* Qua re cogebantur Protestantes Concilium ejusmodi recusare, & recusationis istius caussas scripto evulgare, quo adversariorum calumnias diluerent. Regum tandem & Principum opem implorant, ad se innoxios ab injuria vindicandos, promittentes, si ullo posttempore Concilium legitimum convocabitur, se caussam propugnaturos, actionesque suas non iniquis judicibus approbaturos. Literas vero sigillatim dederunt ad *Galliæ Regem*, quibus ille respondit, *de Concilio se paria cum illis sentire, neque aliud nisi legitimum, & in loco tuto collectum, unquam approbaturum: Regemque Scotiæ, generum suum, in ipsius sententiam haut dubie concessurum. Angliæ* quoque *Rex*, suo & Procerum regni nomine, scriptum evulgavit, contra Concilium a Pontifice convocatum: *se quidem ex animo cupere Concilium Christianum, sed ad Pontificium neque venturum, neque legatos missurum.* Adeo non Protestantibus solum, sed & Romanæ Ecclesiæ addictis Principibus, iniquum visum est Papale ejusmodi Concilium.

XV. Et denique ipsi Pontifici.

XV. At neque ipse Pontifex Concilii indictione admodum sibi placuit, vecordiæ semet ipsum damnans, qui in hoc negotio eo usque processisset. Certe liquido perspiciebat, hæresibus exstirpandis

pandis

pandis Concilium non esse, quemadmodum olim rebatur, utile remedium: sed armis, aut hæreticæ pravitatis inquisitione, id Italiæ bono longe melius efficiendum. Interea tamen secum reputabat, non posse se absque gravissima offensione, & periculo, animi sui mentem prodere, & exiguum illum, qui non *Mantua*, sed, mutato Pontificis consilio, *Tridenti* jam convenerat, cœtum dissolvere. Inchoatur itaque *Tridenti* Concilium, cujus primam sessionem haberi placuit VII. *die Januarii. Anno* MDXLIII.

XVI. *Tridentinum Concilium nihil minus quam liberum fuit.*

XVI. Sed quale Concilium? Num Collationi Carthaginensi simile? Dicat id pro me *Andreas Dudithius*, Episcopus Quinqueecclesiensis, qui ipse concilio interfuit: scriptaque ad *Maximilianum* II. *Cæsarem* Epistola ita fatur: *Quid profici potuit in eo Concilio, in quo numerarentur, non suis momentis ponderarentur sententiæ? si caussa, si ratione pugnandum fuisset, si pauci quidam socii nobis adfuissent, viceramus, quamvis pauci, magnas copias adversariorum: sed cum numerus tantum prodiret in aciem, quo longe inferiores futuri fuissemus, in optima caussa victores discedere non potuimus. Singulis nostrum centenos de suis Papa potuit opponere: ac, si centeni parum multi viderentur, repente mille creare potuit, quos suis laborantibus subsidio mitteret. Itaque videre erat, quotidie famelicos & egentes Episcopos, ex majori parte barbatulos adolescentes, luxuque perditos, Tridentum volitare, conductos ad sententiam secundum Papæ voluntatem dicendam, indoctos illos quidem & stolidos, sed tamen impudentia & audacia utiles. Hi cum ad veteres adulatores Papæ accesserunt, tum vero victrix exsultabat iniquitas, neque decerni jam quidquam potuit, nisi in eorum sententiam, qui Papæ potentiam, luxumque defendere, summam religionem arbitrabantur. Erat aliquis vir gravis & eruditus, qui tantam indignitatem ferre non poterat, hic, ut non bonus Catholicus, terrore, minis ac insectatione a Concilio ad probandum quæ nollet, traducebatur. In summa, in eum statum res est adducta, istorum, qui illuc facti institutique venerant, improbitate, non ut jam Episcoporum, sed larvarum, non hominum, sed simulacrorum, quæ nervis moventur alienis, ut Dædali statuæ fuisse perhibentur, Concilium illud videretur. Erant Episcopi illi conductitii plerique, ut utres, rusticorum musicum instrumentum, quos, ut vocem mittant, inflare necesse est. Nil habuit cum illo conventu S. Spiritus commercii, omnia erant humana consilia, quæ in immodica, & sane quam pudenda Pontificum tuenda dominatione consumebantur. Illinc responsa tanquam Delphis aut Dodona exspectabantur: illinc nimirum Spiritus ille S. quem suis Conciliis præesse jactant, tabellarii manticis inclusus mittebatur: qui quod admodum ridiculum est, cum aliquando, ut fit, aquæ pluviis excrescebant, non ante advolare*

 poterat,

poterat, quam inundationes desedissent. Ita fiebat, ut Spiritus non super aquas, ut est in Genesi, sed secus aquas ferretur. O portentosam & singularem dementiam! Ratum nihil esse poterat, quod Episcopi, tanquam plebs, sciscerent, nisi Papa auctor fieret.

XVII. *Ferdinandi Cæsaris, & Galliæ Regis adversus illud protestationes.*

XVII. Si hæc non sufficiant excusandis Protestantibus, quod tali Concilio caussam suam submittere iniquum censerent; audiatur *Ferdinandus Cæsar*, qui, durante adhuc Concilio, datis ad Pium Papam literis graviter conquestus est, *quod Concilium non eo modo ac ordine procedat, quo pii vellent, & afflictus rei Christianæ status exposceret: quod segniter negotia tractentur: quod Patres contentionibus & dissidiis distrahantur: quod Concilio salva & integra non sit libertas* aliaque ejusmodi. Misit etiam ad Concilium volumen postulatorum, cujusmodi erant, *ut Pontifex seipsum & Curiam Romanam reformari benigne patiatur: ut numerus Cardinalium reducatur: ut provideatur, ne fiant amplius dispensationes scandalosa: ut revocentur exemptiones passim contra communia jura concessæ: ut tollatur prorsus beneficiorum pluralitas: ut Episcopi omnino ad residentiam cogantur: ut communio sub utraque specie decernatur, in usu carnis & jejuniis de pristino rigore aliquid remittatur, conjugium Sacerdotum Nationibus quibusdam indulgeatur.* Exstant cum literæ, tum Articuli apud *Goldastum*, secunda Constitutionum Imperialium parte. At Legatos Tridenti scripto eo Ferdinandi vehementer esse commotos, eo quod profectum sit ab eorum arte, *qui omnem impendebant operam ad elevandam Synodi ac Præsidum dignitatem, splendoremque Pontificatus minuendum*, ac proinde ne quidem Conventui tradendum, *sed tantisper suspendendum, dum ipsi per officia Nuntii Ferdinandum ab eo officio dimoverent*, judicasse; *Pallavicinus Hist. Conc. Trid. lib.* XVII. I. 6. commemorat. Similes articulos à Galliæ Rege ad Concilium missos idem *Goldastus* parte tertia narrat, addita ejusdem adversus Concilium protestatione solenni, in qua inter alia sic Galli loquuntur: *Eramus nos Galli esurientes & famelici, petentes a Beatissimo Papa, veluti Patre communi, panem, non equidem naturalem, cujus non indiget Gallia, Regio feracissima, sed illum Divinum Angelorum Supersubstantialem, cujus in toto fere orbe Christiano tanta primum fuit caritas, deinde nunc etiam inopia, ut vix unquam post Christum natum major. Ille vero non quidem panem, quem petebamus, dedit, sed scorpium, cujus cauda unico ictu simul duos potentissimos Reges, Ecclesiam Gallicanam, & Theologorum Parisiensium doctrinam feriret.* Post alia adversus Papam Pium στηλιτευτικῶς dicta, sic iidem Patres etiam Concilii alloquuntur: *Quid vobis judicandum proponitur, aut a vobis judicatum publicatur, quod non prius Romæ missum, & Pio quarto*

to placuerit? Concludunt: *Pii quarti imperium detrectamus, quæcunque sint ejus judicia & sententiæ, rejicimus, respuimus & contemnimus.* Rursumque sic Patres Concilii alloquuntur: *Cum nihil a vobis, sed omnia magis Romæ quam Tridenti agantur, & quæ hic publicantur, magis Pii quarti placita, quam Concilii Tridentini decreta jure existimentur; denuntiamus & protestamur, quæcunque in hoc conventu, hoc est, solius Pii quarti nutu & voluntate decernuntur & publicantur, ea neque Regem Christianissimum probaturum, neque Ecclesiam Gallicam pro decreto Concilii Oecumenici habituram.* Ex quibus omnibus liquidum est, Concilio Papali Tridentino nihil commune aut simile esse cum Collatione Carthaginensi, neque potuisse majores nostros illius auctoritatem agnoscere, nisi, vecordia quæ omni prorsus exemplo careat, sponte se hostibus jugulandos tradere animum induxissent.

XVIII. Æquiora aliquanto fuere *Colloquii Possiaceni* primordia. Cujus Colloquii historia non minus profecto notabilis est, quam quidquid hactenus de *Collatione Carthaginensi* memoravimus. Maxime etiam ad caussam nostram facit: quippe ex qua palam fiet, nostræ Religionis Professores Catholicorum candorem & sinceritatem novo exemplo luculenter expressisse; Romanæ contra Ecclesiæ Antistites, in fastuosis *Donatistarum* tergiversationibus, & eludendi artibus, omne suum præsidium quæsivisse. Idcirco operæ me pretium facturum esse arbitror, si quæ a fide dignissimis auctoribus de *Possiaceno Colloquio* consignata sunt, ea breviter hic recolligam. Res igitur ita se habet: *Carolo* IX sceptrum in Galliis obtinente, varia utrimque de Religione agitata sunt consilia. Ne vero nimia partium studia turbas in publicum darent, solemni rescripto indictum est tempus, & designatus locus, ubi ab utraque dissentientium parte electi nonnulli committerentur, ad rationem, si fieri posset, moderationis & pacis, vitandorumque tumultuum, ineundam. *Rex Navarræ* missis legatis & literis a Senatu Genevensi petiit, ut *Beza* interesse liceret conventui, tam magna gravique de caussa celebrando. A Tigurinis Regina Mater *Petrum Martyrem Vermilium* eodem fine petiit. Ex omnibus Galliæ Provinciis Antistites Pontificii convenerant, licet eos qui jam pridem hæresios essent damnati non audiendos dictarent, cumque illis conferre recusarent. Venerunt etiam ex diversis Galliæ locis Ecclesiarum Ministri, doctrinæ & pietatis nomine apud suos celebres, quibus edicto Regis cautum erat de fide publica, ut venire, morari, abire, quando visum, liberum illis omnibus & singulis esset.

XVIII. Historia Colloquii Possiaceni.

XIX. Appulerunt in Sangermanum XXIII. *Aug. Anno.* MDLXI.

XIX Bezas, cui loquen-

di provincia a Protestantibus demandata cum Cardinale Lotharingo præparatorium colloquium.

Bezamque communibus suffragiis elegerunt, qui in tam augusto consessu de re tanti momenti verba faceret. Is sub noctem in cubiculum *Regis Navarreni* introductus est: ubi erant *Regina*, *Navarrenus* ipse, *Princeps Condæus*, *Cardinales Borbonius* & *Lotharingus*, cum aliis multis ex optimatibus. *Beza* paucis adventus sui caussas, quamvis ipsis non incognitas, recensuit. Regina gratulabunda respondit, optare se ut paci publicæ imprimis consuleretur. Lotharingus autem (adeo difficile est Ecclesiasticis hominibus indolem non prodere) durioribus Bezam verbis excepit: *Quemadmodum*, inquit, *absens turbis gravibus occasionem dedisti: ita præsens ad illas pacandas consilia tua omnia ut conferas, optandum est nobis omnibus.* Ad quæ Beza; *se nimis humili conditione esse, ut tam amplo, tamque potenti regno commovendo par esse possit. Semper natura & voluntate se fuisse a turbis alienissimum: sua autem studia & officia, vel potius pietatem erga Deum, Regem & Patriam nunquam defutura.* Post mutuos aliquot sermones, Cardinalis Lotharingus, *maxime sibi a Beza satisfactum* apud Reginam testatus est: *sperare se dixit optatum Colloquii eventum, si res placide & recta ratione tractarentur.* Dimisso autem cœtu peramanter Bezam adfatus, *Gaudeo*, inquit, *quod te loquentem audiverim, teque ad mutuam collationem per Deum immortalem invito. Spero enim, rationibus utrimque bene perpensis & libratis, fore ut via ad concordiam certe brevi tempore inveniatur.* Beza gratias illi prolixe egit, obtestatus ut & ipse in tam sancto publicæ concordiæ procurandæ negotio ac studio perseverare vellet; *se vero, quidquid a Deo donorum accepisset in eam rem ex animo collaturum; nec quidquam a se desiderari passurum.* Quæ eo a me animo prolixius memorata sunt, ut pateret, quantum nostrarum partium Theologi a superbo prorsusque inhumano Donatistarum rigore abfuerint. Atque hæc primi illius congressus quædam veluti tentamenta fuerunt.

XX. Conditiones quibus publicum Colloquium habendum sit.

XX. Interea temporis Protestantes libellum supplicem Regi offerunt, uti ipsius auctoritate Colloquium illud propediem, quemadmodum pollicitus erat, inchoaretur: futuræque disputationi istis conditionibus caveretur: ne Antistites eisque diversa sentientes, huic Colloquio judices præsint: verum Rex cum sui Consilii viris rem totam sua auctoritate moderetur. Omnes controversiæ ex uno Dei verbo componantur. Quicquid in eo Colloquio determinatum sit, in publicos commentarios atque acta a Regiis Notariis referatur. Responsum ad ea ab Rege est, se hac de re cum sui Consilii viris acturum, uti, si fieri possit, ex Antistitum consensu, res omnis pacate ad exitum perduceretur. Antistites caussati istam disputandi libertatem jam olim condem-

natis

natis haut quaquam tribuendam, rem ad aliquot dies distulerunt. Responsum tandem illis ab Regina est, Antistites minime futuros ipsis judices: ex Regiis secretariis aliquot ipsis tributum iri: ni mallent ipsi, ea quæ agerentur, excipere: testentur publice, rem ex uno verbo Dei componendam: Regem Principesque Regiæ stirpis huic Colloquio affuturos. Monebat, ut modeste se gererent: unius Dei gloriam quærerent, cujus studiosos ipsos esse arbitraretur. Non expedire quicquam ipsis scripto concedere, quum sua verba debeant satis superque esse. Ecclesiarum reformatarum legatis accepto hoc responso egressis, e vestigio ad Reginam veniunt Sorbonistarum quidam: eam rogant ne novæ Religionis homines audiat: quos si audire statuisset, saltem caveat ne Rex adolescens illorum sermonibus intersit: a quibus nimirum ne circumveniatur, in hac illius ætate, maximum esset periculum. Eos qui jampridem hæretici convicti fuissent, minime esse audiendos. Illis tantum respondet Regina, se nihil nisi maturo consilio facturam: reipsa perspicuum futurum, rem ad illorum hominum, quos novam doctrinam amplecti ipsi dicerent, arbitratum, minime geri. Iterum hic æquis Lectoribus expendendum offero, quorum postulata ad Catholicos, quorum ad Donatistas propius accedant.

XXI. Ad IV. Septembris convenitur in amplissima Possiaceni Monasterii aula. Aderat *Rex*, *Regina Mater*, *Dux Aurelianus Regis Frater*, *Margaretha Regis Soror*, *Rex Reginaque Navarræ*, *Princeps Condæus*, ac reliqui Optimates, magno numero. Ex Pontificiis Antistitibus erant *Cardinales*, *Archiepiscopi*, *Episcopi*, *circiter quinquaginta*, stipati magna Sorbonistarum & Canonistarum corona. Adstabant Ecclesiarum Reformatarum Pastores, circiter triginta.

XXI. *Ejus initium.*

XXII. Rex actionis facturus exordium, scire eos, dixit, qua de caussa huc convocati fuerint, *nimirum ut turbis quæ passim in regno suo exoriantur, salutare remedium ex eorum sententia quæratur; proinde videant, ut omni offensionis caussa præcisa, quæ emendatione egeant corrigantur, & publicæ tranquillitati, quam optime fieri poterit, legitima ratione consulatur. Cupere se, ut non prius discedant, quam omnem operam dederint, ut tandem aliquando compositis dissidiis mutua inter majestatis suæ subditos populos concordia ac sincera amicitia sarciatur; quod si fecerint, uti confidat, non commissurum ut patrocinium quo a majoribus suis olim protecti sunt, a se suisve magistratibus in posterum possint requirere.*

XXII. *Regis oratio.* Thuan. Lib. XXVIII.

XXIII. Inde Regis Cancellarius, *Hospitalius*, prolixiori sermone Regis animum exposuit. In quo hæc occurrunt memoratu dignissima: *Remedium quo nunc Rex uteretur, præsentissimum videri, ut esset jandu-*

XXIII. *Hospitalii, Cancellarii, Regis*

dum

mentem prolixius exponentis.

dum mature deliberatum in nobilissimo principum & consilii cœtu, ut nimirum peculiari isto & particulari colloquio res in religione controversæ pacate inter utrasque partes dissidentes conferrentur. Generalis certe Concilii remedium frustra expectari, atque adeo frustra quæri: perinde ac si quis contemptis domesticis & paratu facillimis remediis ad Indias investigatum convolaret: & facilius, inquit, nostris morbis parabuntur a nobis remedia quam ab hominibus peregrinis ac externis, qui rerum nostrarum & hominum nostratium statum minime norunt: ex quo tamen hominum peregrinorum genere Concilium generale conflari oportuerit. Uberiores fructus sæpenumero ex nationalibus Conciliis quam ex generalibus profectos esse: quum nimirum Ariminense Concilium generale, quod haud obscure Arianis favebat, particularibus Synodis fuerit emendatum: etiam in hac nostra Gallia Hilarii Episcopi Pictaviensis industria & fide, qui his rationibus Arianorum hæresin in his regionibus ne serperet olim impedivit. Itaque minime dubium esse, quin maximæ utilitates ex cœtu illo sint profecturæ, præsertim quum Rex in id tam studiose incumbat, qui haud dubie omnes suas vires authoritatemque collaturus sit: viderent tantum utrarumque partium legati, ut officium faciant: ad concordiam mutuis animis aspirent: ne major pars minorem condemnat: ne curiosis disputationibus agatur: res omnis ex uno Dei verbo dijudicetur, hoc uno probe intellecto, non multis libris opus esse: eos quos novam doctrinam sequi dicunt, ne Antistites pro adversariis habeant, ut qui Baptismo Christiani nomen retineant: Regem ideo illis conveniendi potestatem dedisse, ut quas haberent rationes, omnibus fieret manifestum: illas nitantur Antistites firmis argumentis confutare: tum demum disputatione promulgata omnibus futurum perspicuum illos optimis de causis, non vana hominum auctoritate condemnatos: videant etiam atque etiam ne quid ambitiose agatur: norint se non Judices sedere: studeant denique veritati. Deum ita istis rationibus benedicturum, ac Regis constantissimæ in hac re voluntati.

XXIV. Non admodum Antistitibus probata.

XXIV. Negari enimvero nequit, quin oratio ejusmodi proxime ad Veterum Catholicorum æquitatem accedat; neque abnuo ut cum iis quæ a *Marcellino Carthagine* gesta sunt comparetur. At inexspectata quodammodo Antistibus accidit: *Turnonio* & *Lotharingo* Cardinalibus poscentibus, ut *Hospitalius* ea quæ dixerat scripto comprehensa traderet. Recusabat autem *Hospitalius*, quod res abunde ab omnibus intellecta esset: *quippe*, inquit *Thuanus*, *cui de astu suboluisset, & sciret hoc fieri, ut negotium sibi facesserent, & interea negotio remora injiceretur.*

XXV. Beza sermonem a Divini numi-

XXV. Tandem Reformatæ Ecclesiæ ministris facta loquendi potestate, Th. Beza in hanc sententiam dixit: *Quum res omnes & maxima & minima, eaque præsertim, quæ ad Dei cultum spectant, quod nostro-*

rum

rum ingeniorum vires longe superent, ab eodem Deo pendeant, tuæ, Rex, minime molestum pietati fore censemus, si a Dei invocatione incipiamus. Hæc præfatus, in genu cum suis collegis procidens, Deum precatur. Confessionis peccatorum formula in Ecclesiis reformatis usitata, clara voce pronunciata: & QUUM, *ait, Domine, hodierno die ita faves tuis inutilibus servis, ut possint coram suo Rege illustrissimoque hoc cœtu, de tuæ veritatis cognitione profiteri: velis pro assueta tua bonitate, o Pater luminum, ita mentes nostras illustrare, affectus omnes regere, & ad docilitatem informare: ita sermones nostros dirigere, ut quæ pro modulo nostro de tuæ veritatis cognitione nobis impertieris, possimus ea & corde & ore in medium proferre, ad nominis tui gloriam, Regis nostri, omniumque suorum prosperitatem, Christianæque Reipublicæ & hujus potissimum Regni pacem & tranquillitatem.* *nis invocatione orditur.*

XXVI. Ita in partes suas sollicitato Divino numine, egregia oratione Regem compellavit: quæ quia minus nota est & insigniter ostendit animum quo nostræ professionis homines, secundum Religionis suæ indolem, erga Reges Principesque præditi sunt, ex parte saltem aliqua hic exhibere non pigebit. *Illud sane*, inquiebat, *in maxima felicitate ab eis deputatur, qui suos Principes fideliter colunt atque observant, Illustrissime Rex, si Principum illorum suorum faciem possint contemplari: quæ nimirum quasi Dei visibilem quandam Majestatem representans, fieri haud quaquam potest quin fidorum subjectorum animos vehementer commoveat. Ita enim sumus natura comparati, ut quæ oculis ipsi viderimus, magis sensus nostros tangant & efficacius, quam ea quæ nuda & simplici animi apprehensione perceperimus. Quod si contigerit, ut non solum Principem videre subjecti queant, sed etiam a Principe videantur, & quod magis est audiantur, tandemque ab illo approbentur: tum vero votorum omnium quasi summam videntur sibi consequuti. Quatuor istis rebus, Rex, Deo placuit fidelium subjectorum tuorum nonnullos ad tempus privari, magno quidem & dolore & incommodo: donec ille idem Deus pro infinita sua misericordia, nostris lachrymis ac gemitibus continuis aliquid condonans, ita nobis faverit, ut hoc die magis optatum quam speratum bonum nobis dederit, nimirum tuæ Majestatis conspiciendæ facultatem: ut ab ea & videamur & audiamur, in illustrissimo hoc totius prope orbis terrarum theatro. Si nec ullum aliud unquam beneficium habuerimus, nec posthac simus habituri, haud sane reliquum vitæ nostræ curriculum satis fuerit ad tantum Dei beneficium celebrandum atque prædicandum, tuæque Majestati gratias, uti par est, immortales agendas. Verum, quum ad superiora illa beneficia hoc quoque* XXVI. *Mox eum ad Regem vertit.*

adjungimus, hunc diem non tantum nobis aditum præbere, sed etiam nos invitare, imo ratione quadam suavi & benigna, tuæque Majestati accommodata, quasi nos cogere, ut unanimes de nomine Dei nostri & obedientia quam tibi debemus, testemur: fatendum proculdubio nobis est, animos nostros tantis istis beneficiis capiendis minime idoneos, & minus quidem linguas ad animorum nostrorum sensa & voluntates exprimendas, esse satis. Itaque isto beneficio omnem humanam eloquentiam superante, malumus nostram imbecillitatem verecundo silentio fateri, quam verborum tenuitate illius magnitudinem imminuere. Hoc vero unum nobis restat quod exoptemus, ut obsequium nostrum tuæ Majestati hodie sit gratum. Quod speramus fore, si modo (quod Deus velit) adventus noster finem afferat non tam præteritis afflictionum nostrarum miseriis (quarum memoria felici hoc die oblitteratur) quam ei rei, quæ etiam morte gravior nobis semper est visa: nimirum perturbationibus in hoc regno propter Religionem magno complurimorum exitio jampridem excitatis. Jam vero multæ sunt occasiones, quæ ad hunc usque diem nos, ne tanto hoc beneficio frueremur, impedierunt, atque etiamnum nobis omnem illius consequendi spem demerent, nisi aliis rebus inniteremur atque fulciremur. Primum, illa est multorum animis, nescio quo malo temporumque iniquitate, infixa & penitus hærens opinio, nos esse homines turbulentos, ambitiosos, opinionibus nostris prorsus deditos, pacis & tranquillitates hostes. Sunt item qui licet minime existiment nos penitus a pace abhorrere & concordia, arbitrantur tamen nos illam tam iniquis & gravibus conditionibus petere; ut nullo modo recipiendi simus, quasi universum mundum invertere vellemus, ut novum ad nostrum arbitratum fabricemur, & nonnullos etiam e suis bonis velimus exturbare, ut illa ipsi occupemus. Sunt & alia hujusmodi magna impedimenta: at malumus eorum memoriam sepeliri, quam ea commemorando veteres plagas refricare atque renovare: hoc præsertim tempore, quum non querelæ proponendæ, sed querelarum remedia providenda atque expedienda sunt. Ecquis vero inter tot obstacula animum nobis dat? Haud quidem ullum nostrum, Rex, præsidium, qui omnium hominum simus humillimi: nec vero arrogantia & vana quædam persuasio. Vilis enim nostra & obscura conditio hæc non fert. Verum hoc nos confirmat, Bona nostra conscientia: quæ caussæ nostræ, nostræ, inquam, caussæ bonitati innititur: cujus speramus Deum, Majestatis tuæ intermedio, defensorem & vindicem futurum. Benignitas item tua, in tuo illo ore, vultu ac sermone, Rex, mirum in modum aspectabilis: æquitas animo tuo insita, illustrissima Regina: bonitas animi tui, Rex, & illustrissimorum Principum Regis nostri consanguineorum: ac

casto

casio item, quam dedistis ut bene de vobis speraremus, lectissimi Consiliarii, ut nimirum concordes, non minus ipsi cupieritis tam necessariam ac sanctam concordiam nobis dare, quam nos illam recipere, vehementer optamus.

XXVII. Hæc quum ad Regem graviter dixisset, converso ad Pontificios Antistites sermone, in hunc fere modum perrexit. *Quid plura? est & aliud quod nobis aliquam spem facit: quod ex charitatis regula existimemus vos, cum quibus collatio nobis ineunda est, potius elaboraturos veritatem nobiscum, ex tenui nostro modulo, illustrare, quam obscurare: docere, quam contendere: rationes expendere, quam eas oppugnare: denique, ut potius malum impediatis, ne ulterius serpat, quam lethale & incurabile illud efficere. Ea est nostra de vobis persuasio: Vos vero per magni illius Dei qui nos huc congregavit, qui cogitationum & sermonum nostrorum testis erit & judex, nomen, oramus atque obtestamur, ut quicquid tandem a quadraginta annis dictum, scriptum factumve fuerit, exuatis nobiscum omnia præjudicia & studia, quæ impedire possent fructum laudabilis istius rationis: & de nobis, si lubet, illud speretis quod, Dei beneficio, reperietis, animum nimirum docilem, & paratum recipere quicquid e puro Dei verbo fuerit demonstratum. Ne existimetis nos huc accedere ad errorem aliquem sustinendum: sed ideo, ut quod a nobis aut a vobis peccatum fuerit, emendetur. Ne existimate nos ita arrogantes esse, ut velimus abolere quod sempiternum est, nempe Ecclesiam Dei nostri. Ne putate nos rationes quærere, ut vos miseræ nostræ huic & vili conditioni, in qua tamen, summa Dei gratia, maxime acquiescimus, exæquare velimus. Hæc nostra voluntas est, ut Jerosolymæ rudera instaurentur: spirituale illud templum exædificetur: domusque illa Dei vivis lapidibus extructa, pristinum nitorem recuperet: greges dispersi atque dissipati, in unici illius & summi Pastoris ovile colligantur atque reducantur. Hoc nostrum est consilium, hæc voluntas, hoc votum: quod si ad hunc usque diem, non credidistis, speramus vos tunc credituros, ubi cum omni patientia & mansuetudine contulerimus vobiscum. Utinam vero, disputationum & argumentorum loco, possimus una voce modo canticum Deo canere, mutuo manus dantes, uti olim accidit, acie utrinque instructa, etiam infidelium. Quod quidem nobis pudendum erit, si doctrinam concordiæ & pacis utrique prædicantes, & facile disjungimur, & difficulter reconciliamur. Quid vero? Hæ res possunt & debent ab hominibus optari: Dei vero unius est, eas efficere: ut etiam præstabit, quando bonitate sua peccata nostra teget, nostris tenebris sua luce discussis.*

XXVII. Dein ad Pontificios Antistites.

XXVIII. Continuata deinde oratione breviter & perspicue Reformatarum Ecclesiarum Doctrinam exposuit, non omissis quæ

XXVIII. Denique exposita

Ecclesiarum Reformatarum doctrina, pulcre perorat.

quæ de obedientia Regibus, Principibus & Magistratibus debita, constanter apud nos docentur. Atque hoc demum modo perorat: *Quod si acciderit, aut in posterum accidat, ut quidam doctrinæ nostræ nomen ementientes, vel minimo ministrorum tuorum rebelles comperiantur: testamur coram Deo & tua Majestate, Rex, hujusmodi homines minime e nostris esse: nec acriores adversarios quam nos (quantum quidem vilis nostra conditio ferre potest) habituros. Itaque studium nostrum, Rex, de promovenda gloria Dei, obedientia & obsequium tuæ Majestati debitum, charitas in patriam, & præcipue in Ecclesiam Dei, nos in hunc locum adduxere: sperantes Deum Opt. Max. pro assueta sua misericordia idem tibi ac adolescenti Josiæ beneficium collaturum, tuaque felici gubernatione, Regina; tuo, Rex, & vestris, illustrissimi Principes, & Consiliarii, consiliis, antiquam tam celebris Reginæ Clotildæ memoriam renovatum iri: cujus opera Deus usus est ad sui cognitionem per hoc Regnum disseminandum. Hæc est nostra spes, potentissime Rex, pro qua parati sumus vitam ipsam impendere: ut tibi hac in re tam pia & laudabili obsequentes, seculum illud vere aureum videamus, in quo Dominus noster & Servator Jesus Christus agnoscatur & colatur, ut omnis honor & gloria semper illi detur.*

XXIX. Oblata Regi earundem Ecclesiarum Confessione.

XXIX. Tum oblata Regi Gallicarum Ecclesiarum confessione: *Oramus*, ait, *tuam Majestatem, ne rudem nostrum & impolitum sermonem respicias, sed animum tuo obsequio penitus consecratum. Quoniam vero doctrinæ nostræ capita clarius & copiosius in ista fidei confessione continentur, oramus tuam Majestatem, ut eam recipias: speramus vero sic bene favente Deo nostro, fore ut postquam cum omni sobrietate & reverentia contulerimus, in concordiam aliquam veniamus. Sin nostræ iniquitates hoc bonum nobis præripiant, non dubitamus tuam Majestatem omnibus rebus, sine neutrius partis præjudicio, ex æquo & bono provisuram.* Quis non in his omnibus pietatem, sinceritatem, candorem, modestiam, prudentiam, cum pari rerum Divinarum peritia, & eloquentia conjunctam, admiretur & prædicet? Quis in Donatistis quidquam hujus rei simile deprehendit? Quid denique Evangelio dignius ab Evangelii Professore dici potuit?

XXX. Ægre & cum indignatione orationem hanc Antistites Pontificii audierunt. Lib. XXVIII.

XXX. Quam ægre autem ab Antistitibus audita sint, Thuanus dicat. Vix *Beza* desierat loqui, quum *Turnonius*, indignatione tremens, voce præ ira tremula Regem compellat: & *contra animi sententiam Antistites, qui huc adsunt, fecisse, atque adeo suis conscientiis vim intulisse dicit, quum in hunc congressum descenderint, & ut novi Evangelistæ*, sic Protestanteis vocabat, *audirentur consenserint: verum id enixæ ipsius voluntati dedisse, & de expresso Regiæ Majestatis mandato huc venisse. Jam antea providisse, fore ut si audirentur, multa indigna & in Deum contumeliosa*

liosa effutirent, quæ Regis ipsius aureis & piorum omnium offenderent, ideoque ab initio intercessisse, ne Rex huic cœtui interesset. Proinde nunc Majestatem Regiam orare, ut iis quæ modo dicta sunt minime fidem habeat, sed tantisper suum judicium sustineat, nec falsis eorum opinionibus animum suum præoccupari patiatur, donec aliter sit ab Antistitibus demonstratum: tunc enim intellecturum Regem, universumque Consessum, quodnam sit inter veritatem & mendacium discrimen. Petere igitur diem ad respondendum. Orare interim Regem, ut majorum vestigiis in Religione insistat. Postremo subjecit: *nisi Regis atque ipsius mandatorum rationem habuissent, Antistites ad horrenda & abominanda illa verba, quæ modo pronunciata essent, fuisse consurrecturos, neque passuros sermonem ulterius produci.*

XXXI. Caussam vero tanti fremitus his verbis porro *Thuanus* memorat. Quum *Beza* in Dissertatione de Cœnæ mysterio pergeret, eo usque disputationis calore provectus fuerat, ut, licet fateretur in perceptione cunctos fideles participare corpori & sanguini Christi modo ineffabili, perinde atque sacramenta ipsa oculis vident, manu tangunt, & ori admovent; tamen adfirmaret, si ad spatia locorum respiceretur, uti necesse ajebat, quum de præsentia corporis & ipsius humanitate distincte considerata agitur, *corpus Christi tantum a pane & vino abesse, quantum altissimum cœlum a terra distat.* Id non sine adstantium fremitu auditum: & ad ea verba adeo excanduit *Turnonius.* Hactenus *Thuanus.* Quæ tamen recte a se dicta, & sacris literis, ac priscæ Ecclesiæ Doctoribus prorsus consentanea esse, facile fuit Bezæ probare: uti scriptis ad Reginam literis abunde ab ipso præstitum est. XXXI. *Caussa iraram fuerunt verba quædam Bezæ de Cœna.*

XXXII. Sed quærendus fuit abrumpendi colloquii prætextus. Conveniunt itaque Antistites, reque cum nonnullis Sorbonicis & Juris Pontificii doctoribus communicata, deliberant ecquæ responsio Reformatæ Ecclesiæ orationi opponeretur. Hic fertur dixisse Cardinalis Lotharenus, *Utinam aut ille mutus, aut nos surdi fuissemus.* Re utrinque varie disceptata, tandem statutum, duobus uti tantum illius orationis capitibus responderetur, de Ecclesia nimirum & de Cœna. Deliberabatur etiam an e re futurum esset, Confessionem perscribi, quæ Ministris primum offerretur: sin eam amplecti abnuissent, tum sententia condemnationis adversus eos, ut hæreticos, continuo ferretur: itaque Colloquio finis imponeretur; quæ tamen deliberatio haut plane apud illos obtinuit: obsistentibus contra Antistitum nonnullis. Quæ res quum ad Ecclesiæ reformatæ Ministros dimanasset, conquesti apud Regem & Reginam, orant, ne istis artibus Colloquii fructus impediatur. XXXII. *Deliberant Antistites, an, & quo modo Bezæ respondendum.*

XXXIII. *Lotharingi Oratio.* XXXIII. Igitur Colloquium ad XVI. Kal. Octob. restauratur: cui rursus eodem loco, Rex, Regina, Navarrus & cæteri, sed minori turba, interfuerunt. Ubi *Lotharingus* longa & diu ante meditata oratione egit, *quæ sibi ne periret* (*Thuani* verbis loquor) *congressum illum adeo, contra Turnonii, ac plurium Theologorum sententiam, exoptaverat.* De Ecclesia autem & Cœna, ex suorum mente, non imperite disputabat: de Antistitum nomine testatus, se in hac doctrina quam explicasset, vivere & mori velle.

XXXIV. *Cui cæteri consciscunt* XXXIV. Post omnes qui aderant Antistites assurgunt, & ad Regem propius accedunt: deque illorum nomine Cardinalis Turnonius testatur, eam esse ipsorum fidei confessionem, quam proprio sanguine vellent obsignare: eam esse sanctæ matris Ecclesiæ indubitatam veritatem: Regem, de majorum suorum more & instituto, illam firmiter retinere debere. Si vero ii qui sese ab Ecclesia Romana separassent, vellent ei confessioni subscribere, tum nimirum reciperentur, & in aliis capitibus plenius audirentur, in quibus sese institui velle dixerint: alioqui omnem audientiam illis denegari debere, Regis vero officium esse, illos extra ditionem suam expellere: illum hac de re suorum omnium nomine se vehementer orare.

XXXV. *Beza respondendi facultas eo die negata.* XXXV. Tum Beza Regem continuo rogat, uti Lothareni orationi ex tempore respondendi facultas sibi tribuatur: verebantur enim Ministri ne sibi amplius conveniendi potestas non fieret; fama ubique increbrescente, Antistites constituisse præterito eo die, nihil amplius cum illis nisi per excommunicationum fulmina acturos, & quidem haud opportune injectum esse a Beza de Germanorum sententia sermonem, quem arreptum ingeniose a Lothareno, occasionem fore nonnulli suspicabantur, & eludendæ Collationis, & Germanas cum reformatis Ecclesias ridiculo exitu committendi. Ministris tamen respondendi eo die facultas denegata, & in alium diem res dilata: quæ ipsa quoque variis injectis remoris procrastinata est.

XXXVI. *Ministri continuationem Colloquii petunt.* XXXVI. Itaque istis dilationibus veriti Ministri ne res omnis interrumperetur, libellum tandem supplicem Regi offerre instituunt, quandoquidem suo mandatu de tam longinquis regionibus illo venissent, ut re cum Antistitibus pacate communicata atque collata, de exstirpandis erroribus qui tot annos Ecclesiam oppressissent, conveniretur: uti Colloquii illius caussæque suæ dicundæ atque explicandæ potestas fieret: Regis augusto illo Christianissimi nomine ornati, omnino munus esse, Religionis patrocinium suscipere. Eam esse rationem, & Regnum sibi, & Regno suo pacem atque tranquillitatem con-

fer-

servandi. Hoc supplice libello sæpius ab illis oblato, tandem impetratum est, uti Colloquium illud cum Ministris continuaretur, non publico amplius, sed privato loco.

XXXVII. Itaque instauratur tandem cœtus per aliquot dies interruptus, pauco hominum numero, Regina, Rege, Reginaque Navarræ, Antistitibus & duodecim delectis Ministris, & perpaucis aliis præsentibus. Præfatur Lotharenus convenisse hunc cœtum, uti audirentur ea, quæ Ministri adversus sermonem a se nuper habitum, vellent respondere. Inde Beza, *Invocato*, inquit, *primum Dei nomine, uti nobis in re tanti momenti adesse velit, & efficere ut hic cœtus convenerit ad nominis sui gloriam, vestram dignitatem, Regina, & universæ Christianæ Reipublicæ, & Regni hujus maxime pacem tranquillitatemque: respondebimus breviter ad ea quæ nuper nobis Antistitum nomine proponebantur adversus duo nostræ Confessionis capita, De Ecclesia nimirum, & de Cœna Domini, quod si vel ex tempore respondendi, recenti adhuc rerum propositarum memoria, facultas nobis fuisset tributa, vel pronunciatæ orationis copia facta: potuißemus distinctius & fortasse accommodatius respondere, sed tamen dicemus ea quæ Deus dabit: uti intelligatur, quibus in rebus conveniamus, & in quibus item ab illis dissentiamus: de quibus utinam firma concordia iniri queat.* XXXVII. *Et impetrant, at loco privato.*

XXXVIII. Postquam *Beza* prolixe de Ecclesia perorasset, *Claudius Espencæus*, Vir Doctus, & pacis Ecclesiæ studiosus, a *Lotharingo* loqui jussus, præfatur se jam pridem optasse illam facultatem mutuo ita conferendi, a crudelibus illis suppliciis, adversus eos qui illam religionem amplecterentur hactenus usurpatis, ait omnino semper abhorruisse: vera se etiam agnoscere quæ de Ecclesia, ipsius nimirum notis ac successione modo a *Beza* dicta sint; sed disputationem orditur, de *auctoritate vocationis*, qua freti in Ecclesiam ingressi sint, & munus docendi acceperint Reformatores. Deinde & de corporali præsentia Christi in cœna aliquid inculcabat. Ex *Calvini* etiam libris nonnulla lectitabat, & hunc quidem sermonem dicebatur, de Lotharingi mandatu, composito injecisse, ut interrumpendi Colloquii commoda occasio inveniretur. XXXVIII. *Claudii Espencæi oratio.*

XXXIX. Parante se ad respondendum *Beza*, monachus quidam albatæ factionis e Schola Sorbonica, *Xainctius* nomine, disputabundus exsurgit, prolixe & injucunde repetens quæ fuerant ab *Espencæo* dicta, *Traditiones firmiori quam ipsa Scriptura fundamento niti: quod nimirum Scriptura huc atque illuc interpretationum varietate converti atque traduci possit.* Multaque ejus generis plura subjungit. Tum *Beza*, XXXIX. *Xainctii Monachi inconditi clamores.*

proli-

prolixos illos & inculcatos sermones parum esse illi colloquio accommodatos: Reginamque orat, provideat ne in inordinatos præposterosque motus posthac incurratur. Ipse vero ad *Espencæi* sermonem accurate respondet. Loquenti *Bezæ* subinde acclamabatur ab albato illo Monacho, qui repetitis clamoribus de scholarum more perstrepens, universo cœtui parum fuit gratus. Quumque varii sermones hinc atque illinc confuse permiscerentur, Cardinalis *Lotharingus* suorum incivilitatem (ut apparebat) animadvertens, ne a Regina objurgarentur, ipse finem illi quæstioni imposuit. Ex quo silentio Sorbonici victoriam a se reportatam postea interpretabantur.

XL. *Lotharingus Gallos Theologos cum Germanis committere studet.*

XL. Postea Cardinalis ad eam de cœna controversiam Ministros revocat: callide id agens ut ipsos cum Germanis Theologis, Augustanæ Confessioni addictis, collideret. Quos instigatu *Francisci Balduini* in Galliam accersendos curaverant, sed cum serius venissent, Lutetiæ substiterunt. Post multa utrinque agitata, in eo cum suis perstitit Beza, eo se venisse ut Ecclesiarum suarum confessionem tuerentur, hoc unicum a suis Ecclesiis habere mandatum. Dumque retractato de vocatione sermone *Espencæo* respondet, multa dixit, quæ magis ad exacerbandos præsulum animos, quam gratiam eorum conciliandam facerent.

XLI. *Lainesii Jesuitæ alteriusque Sorbonici, petulans sermo.*

XLI. Tum exsurrexit Hispanus quidam e sodalitio Jesuitico, ab *Hippolyto Atestino Ferrariensi Cardinali*, qui nuper ad Regem a *Pio* III. legatus fuerat, missus. Is erat *Jacobus Laines* ab *Ignatio* primus Præpositus Generalis sodalitii sui constitutus. Qui interfatus, quum contumeliosa multa in Protestanteis effutiisset, *simias*, *vulpeis* & *monstra* appellans, illosque ad Concilium a Pontifice indictum amandandos diceret, postremo *Reginam* increpuit, *quod harum rerum, quæ minime ad ipsam, sed ad Pontificem, Cardinaleis & Episcopos pertinerent, cognitionem susciperet*: *nec fas esse* dixit, *dum Concilium Generale celebrarent, hic privatum Colloquium Reginæ auctoritate institui.* Hominis arrogantiam tulit impatienter Regina. Sed Legati reverentia injuriam dissimulavit. Ita promiscuis acclamationibus omnia replendo, diem varie extraxere. Et *Sorbonicus* quidam, digito Bezæ minitans, O SI TE, inquit, INTRA SORBONÆ NOSTRÆ MOENIA SEMEL COMPREHENSUM TENEREMUS! Idem ei, opinor, facturi, quod *Donatistæ* quondam *Restituto, Hipponensi Presbytero*, aut *Maximiano Vagiensi*.

XLII. *Colloquii forma iterum mutata, quinque*

XLII. Tandem dimissus est cœtus, nec posthac eadem forma habitus: verito, ut palam ferebatur, Lotharingo, ne vulgato illo & cognito sermone Principibus & Nobilibus qui aderant, res clarius propa-

propalaretur. Itaque ex eo die Colloquii forma mutata est: atque tum ex Antistitum, tum ex Ministrorum numero, quinque ad hoc Colloquium utrinque delecti, qui una pacate conferrent. Ex Pontificiis Janus Monlucius, Episcopus Valentinus: Vallius, Episcopus Senensis: Bottillerius, Abbas: Espensius, Sorbonicus. Ex Ecclesiis reformatis, Petrus Martyr, Theodorus Beza, Nicolaus Gallasius, Augustinus Marloratus, Espinæus. Tum de agendi ordine, loco, tempore, notariisque qui disputationem exciperent, conventum est. *utrinque collectis qui pacate conferrent.*

XLIII. Et quamvis æquum omnibus videbatur, ut Ecclesiarum Confessio ordine disceptaretur, tamen disputationem de Cœna, quoniam illa in medium jam fuisset perducta, sunt persecuti: in illud caput, quod est de præsentia Domini in Cœna; reque varie inter eos agitata tandem in hanc sententiam utrarumque partium Legati consentiunt: *Quatenus fides res promissas præsentes facit, & vere recipit corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, virtute Spiritus sancti: hac ratione fatemur præsentiam corporis & sanguinis ipsius in sancta Cæna: in qua nobis offert, donat & vere exhibet substantiam sui corporis & sanguinis, operatione Spiritus sancti: in quo recipimus & manducamus spiritualiter & per fidem illud corpus pro nobis mortuum, ut simus ossa de ossibus ejus, caro de carne ejus, & eo vivificemur & percipiamus quacunque faciunt ad nostram salutem.* *XLIII. Hi concipiunt formulam consensus in articulo de cœna.*

XLIV. Quæ tamen sententiæ formula, Antistitum collegio minime fuit plane accepta. Itaque postridie alia Ministris, illorum nomine, exhibetur, in qua aliquid fuit immutatum: quod enim prior illa formula, fidei; secunda, verbo tribuebat. Illam formulam propter ambiguitatem, ne graviores errores pareret, nec voluerunt recipere Ministri. At ne in verbis certamen esse videretur, Legatorum omnium consensu illam in hæc verba conceperunt: *confitemur Jesum Christum in Cœna nobis offerre, dare & vere exhibere substantiam sui corporis & sanguinis, operatione Spiritus sancti: & nos recipere & edere spiritualiter & per fidem verum illud corpus quod pro nobis mortuum est: ut simus ossa de ossibus ejus, caro de carne ejus: ad hoc ut eo vivificemur, & percipiamus quacunque faciunt ad nostram salutem: Et quoniam fides innixa verbo Dei, res perceptas præsentes facit: per istam vero fidem recipimus vere & efficaciter verum & naturale corpus & sanguinem Jesu Christi, virtute Spiritus sancti: hoc respectu fatemur præsentiam corporis & sanguinis ipsius in Cœna.* His ita constitutis, utriusque partis Legati rem ad suos deferunt, ut libere utrique quid sentirent, statuerent. Prima igitur fronte Antistitum plerique illam formulam ita conceptam recipiebant: verum re cum Sorbonicis communicata, illam postea communi sententia repudiarunt. Illorum tamen Legatis, uti fuerat cum Ministris constitutum, in sua sententia *XLIV. In qua partibus partem satisfaciunt.*

perseverantibus objiciebatur illos cum Ministris coitionem fecisse, nec amplius colloquendi & conferendi facultas eis tributa est. Itaque Ministri communicandi ratione ablata, hanc illius formulæ explicationem ad Antistitum Legatos ita misere. *Affirmamus nullam locorum distantiam impedire posse communicationem quam habemus cum Christi corpore & sanguine: quoniam Cœna Domini est res cœlestis; & quamvis in terra recipiamus ore panem & vinum, vera scilicet corporis & sanguinis signa: tamen fide & Spiritus sancti operatione, mentes nostræ (quarum hic est præcipue cibus) in cœlum elatæ, perfruuntur corpore & sanguine præsente. Et hoc respectu dicimus, corpus vere se pani conjungere, & sanguinem vino: non aliter tamen quam Sacramentali ratione, id est, neque locali, neque naturali modo: sed quoniam efficaciter significant Deum illa dare fideliter communicantibus, illosque fide vere & certo percipere.* Hæc est perspicua de corporis & sanguinis Jesu Christi præsentia in Sacramento Cœnæ, Ecclesiarum reformatarum sententia.

XLV. Colloquii exitus.

XLV. Atque hic quidem fuit exitus Colloquii Possiaceni, congregatis ad tres menses, illius disputationis caussa, compluribus: quem quidem nullus tunc fructus: post, maximæ motuum atque bellorum perturbationes sunt consecutæ.

XLVI. Lotharingi in Religione levitas.

XLVI. Interim notatu dignissimum, quod de *Lotharingo* Cardinale *Thuanus*, eum, quo tempore Colloquium hoc habebatur, indubie Germanis Protestantibus in plerisque assensisse: *sed homo*, inquit, *ambitiosus, & alioqui levis, ne popularis auræ, quam unice consectabatur, gratiam amitteret, postea mutavit. Hac se excusatione tueri solitus, quum diceret, antea quidem se cum Germaniæ Protestantibus sensisse: sed postquam quæstiones, quæ controvertebantur, Concilio Tridentino decisæ essent, illius decretis acquievisse.* Credibilene est, ullam eum religionem habere, qui habet tam mutabilem? & cui Concilii, quale Tridentinum fuit, decisiones, pro unico mutationis fundamento sunt? Obtestor nunc Lectores qualescunque, ut historiam *Collationis Carthaginensis* cum illa *Colloquii Possiaceni* conferentes, sine præjudicio apud animum suum statuant, utrarum partium Theologi longius a Donatistarum genio & actionibus distent.

XLVII. Malo nuperi Antistites animo Collationem Carthaginensi similem Refor-

XLVII. Profecto nunquam factum est, ut Collationem aliquam Carthaginensi illi similem majoribus nostris obtulerint Romanenses. Neque illud in animo habuere nuperi Gallicanæ Ecclesiæ præsules; quamvis blandis id verbis profiterentur. Qua in re, uti ipsorum astutia, &, si dicere liceat, profunda Satanæ, ita Sanctissima Dei providentia, insigniter elucet. Nihil aliud Antistites mente volvebant, nisi Reformatæ Religionis in Gallia πανολεθρίαν, quovis modo procurandam: eoque nunc rem provexerant, ut contra edictorum

rum omnium fidem, contra securitatem publicam, ademta Reformatis pleraque sua templa essent, paucis tunc admodum superstitibus; Provinciæ integræ, ad apostasiam frustra solicitatæ militum expositæ furori; qui Romanæ Ecclesiæ pro Apostolis serviebant, & quorum horrendæ exsecrationes, quibus reluctantes miseros ad Missæ communionem adigebant, pro præconio Evangelii erant. Alibi cædibus, & novissimis suppliciis in eos sæviebatur, qui bonam conscientiam & animæ suæ salutem ipsa vita chariorem habebant. Hæc dum instigatu Antistitum, alicubi etiam ductu & auspicio eorum, gerebantur, quasi res adhuc in integro esset, comitatem omnem præ se ferunt, Colloquii & collationis fraternæ mentionem injiciunt, vim & arma in religionis negotio displicere sibi protestantur, fucatis orationibus gratulantur Regi de tot millenorum subjectorum suorum ad Ecclesiæ gremium reductione, solo bonitatis, clementiæ, & liberalitatis illicio, *viaque*, quod quidam ajebat, *non nisi liliis sparsa.* — *matis ostentarunt.*

XLVIII. Unde hæc tanta actionum & sermonum disconvenientia, & contrarietas? Nimirum persuadendum erat paucis adhuc in Gallia superstitibus, longe se a suo interitu abesse, inducendusque iis male sanæ securitatis veternus. Induenda erat Antistitibus species quædam Christiani pro conversione animarum zeli; &, si nihil aliud, loquendum certe erat de iis mediis, quibus solis veritatem persuaderi, animumque convinci posse, natura ipsa mortales omneis docet. Interim certissime sciebant, antequam expediri ea possent, quorum spem e longinquo ostentabant, sola Regiæ auctoritatis potentia, nullam in regno Galliæ Ecclesiam superfore. — XLVIII. *Ut gravissima ipsorum persecutio speciem æquitatis haberet.*

XLIX. Hæc ita quidem callidi homines: Divina interim Providentia, astu eorum sancte abutens, suspicienda nobis est. Id enim ex ipsorum discere licet ore calamoque adversariorum, eam demum veram conversionem, sanctæque Catholicæ Ecclesiæ per novorum membrorum accessum locupletationem esse, quæ institutione, persuasione, argumentorum evidentia, animique per ea, accedente Spiritus Sancti gratia, convictione peragitur: non quæ auctoritate cujuscunque demum hominis, quæ edictorum Regiorum inclementia, quæ vi, quæ armis, quæ suppliciis, corpora rapit, mentes obdurat. Quandoquidem autem ex rerum gestarum luce toti manifestum est Europæ, non illam, sed hanc viam institisse Reformatæ Religionis in Gallia exstirpatores; concludimus, eam quam moliti sunt conversionem meram perversionem esse. Surge Domine Jesu, caussamque veritatis Evangelicæ, quæ & Tua est, patrocinio Tuo tutam invictamque præsta. — XLIX. *Qua re vel inviti fatentur, non esse veram conversionem quæ vi fit.*

AMEN.

INDEX.

Summa & Series Materiarum.

VIII.

CAP. IV.

De Ecstasi.

CAP. V.

De Insomniis.

CAP. VI.

De Revelatione per Angelos.

CAP. VII.

De Privilegiis Mosis.

CAP. VIII.

An vaticinandi Potestas homini naturalis sit?

CAP. IX.

De Dispositione Naturali ad Prophetiam.

quibus-

CAP. X.

De Vera ad Prophetiam præparatione.

CAP. XI.

De Agitatione ad Prophetandum.

V. Quid

CAP. XII.

De Patefactione Divinæ voluntatis per Symbola.

CAP. XIII.

De scriptione Prophetiarum.

CAP. XIV.

An Moses Auctor Pentateuchi.

IX. Qui

CAP. XV.

De Notis veræ Prophetiæ, & veri Prophetæ.

CAP. XVI.

De Prophetis ante Legem.

CAP. XVII.
De Prophetis in Deserto.

Cap. XVIII.

De Prophetis in Canaan.

XXIII.

CAP. XIX.

De Prophetis in Captivitate Babylonica.

CAP. XX.

De Prophetis post Captivitatem Babylonicam.

XXXI.

CAP. XXI.

De Prophetis in Evangelio laudatis.

CAP. XXII.

De Apostolorum in docendo Infallibilitate.

XVII.

CAP. XXIII.

De Prophetissis.

CAP. XXIV.

De Continuatione Prophetiæ post excessum Apostolorum.

LIB. II. DISSERT. I.

De Tabernaculi Levitici Mysteriis.

DISSERTATIO. II.

Collatio Sacerdotii Aaronici cum Sacerdotio Christi.

XVIII.

DISSERTATIO. II.

Collatio Sacerdotii Aaronici cum Sacerdotio Christi.

XVIII.

DISSERT. III.

De Synedriis Hebræorum.

II. *Mi-*

XLV.

DISSERT. IV.

Qua anquiritur, ecquid Danielis VII. 6. sub Pardi Emblemate de origine & progressibus Muslimici Imperii præsignificatum sit.

III. *Par-*

DISSERT. V.
De Cultu Molochi.

CAP. IV.

Ostenditur argumenta pro sensu Prophetico parum esse valida.

II. Sar;

CAP. II.

Origo Schismatis Donatistici, sub Majorino.

CAP. VIII.

Donatisticæ factionis finis.


CAP. IX.

Protestantes male cum Donatistis componi.

C A P. X.

Romanenses Protestantibus nunquam justam Collationem concessisse.

FINIS.




UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 06226 3085